Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Evangelion qvod inscribitvr, secvndum Ioannem, usq(ue) ad historiam de Lazaro a? mortuis suscitato, octuaginta duabus homilijs explicatum.

https://hdl.handle.net/1874/401233

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

E. fo.

24.
r.

N.º 36. q.

up omnem te[illegible]
ecti tui.
et exaudi me: d[illegible]

nimam: et conuall[illegible]

est manasses: et
m.
es spei mee.
tantum meum?
nt
em munitam: q[illegible]
n.
i nos: et non e[illegible]
stris.
tribulatione: qui[illegible]

: et ipse ad nich[illegible]
s. Ps. yy.
um ne tacueris:
nis et os dolos[illegible]

E. fol. 28

N. 27. C

EVANGELION

QVOD INSCRIBITVR, SECVNdum IOANNEM, uſqꝫ ad hiſtoriam de Lazaro à mortuis ſuſcitato, Octuaginta duabus Homilijs explicatum.

*

PER IOANNEM BRENTIVM.

VSVS huius Euangelij,

IOANN. 20.

Multa quidem & alia ſigna fecit IESVS, in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in hoc libro. Hęc autem ſcripta ſunt, ut CREDATIS, qꝫ IESVS eſt CHRISTVS ille FILIVS DEI, & ut CREDENTES, VITAM habeatis per NOMEN eius.

Ex dono Bucerelij

HALAE SVEVORVM.
Excudebant Petrus Frentz & Petrus Brubacchius,
Anno à natiuitate Christi
M. D. XLV.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, DOMINO HERMANNO ARCHIEPISCOPO COLONIENSI, Sacri Romani Imperij per Italiam Archicancellario, Principi Electori, Duci Vuestualię & Angarię, Administratori Ecclesiæ Paderborn &c. Domino suo Clementissimo, Ioannes Brentius.



NON ADEO IGNARVS SVM, Reuerendissime, idemq; Illustrissime Princeps, uel meę tenuitatis, uel Apostolicę maiestatis, ut cum susciperem Euangelistam Ioannem, homilijs explicandum, non intellexerim in quantas incurrerem difficultates, Sed postq; cũ animo meo consideraui, non solum quod offitium, & quis cultus tribuendus sit Christo filio Dei, uerumetiam qua is beneuolẽtia, uel saltem gratę mentis significationem agnoscat, & q; amanter Ecclesia eius faueat ijs, qui quoquo modo possunt, studium ipsi suum probare cupiunt, putaui institutis meis non alienum esse, meam in hanc rem operã conferre. Non enim dicendum mihi fuit in Ceramico aut Lyceo, in quo auditoribus uel uana et futilia hominum facta, uel noua opinionũ commenta lenocinio uerborum commendari solent, Sed in Schola Christi, quę ut non requirit uenustatem sermonis, aut ὑπεροχὴν λόγου, ut Paulus loquitur, sed amat simplicem & apertam ueritatẽ, ita, pro ingenio summi pręceptoris nostri Iesu Christi, piam bene de se merendi uoluntatẽ, si non aliter fert facultas, gratã acceptamq; habet. Quare hoc mihi sumpsi, ut Euangelion, quod inscribitur, Secundum Ioannem, qualicunq; interpretatione explanarem, ut et offitio fungerer, & meam obseruantiam erga Christum filium Dei ac Ecclesiam eius testificarer. Ioannes aũt Apostolus duplici pręcipue nomine dignus est, cuius honestissimam semper mentionem in Ecclesia faciamus. Primum, q; obscurum non sit, eum primas amoris apud Christum filium Dei habuisse, & quanq; Petrus etiam ipse amore Christi insignis est, tamen cum Ioannes tam publico q; priuato affectu coniunctus fuerit cum Iesu Christo, Petrum quidem φιλόχριστον, Ioannem aũt suo quodã iure, φιλίησοῦν dicemus. Deinde, q; susceperit Euangelion Christi non solum suam ęratem uiua uoce, uerumetiam posteritatem adeoq; uniuersam omnium seculorum Ecclesiam scripto docendum. Magna his temporibus de doctrina uerę religionis cõtrouersia orta est, magna etiam multorum ex-

pectatio est, fore ut pia Synodo hæc controuersia aliquando diuina clementia dirimatur, quod certe, quis publicę trãquillitatis, & diuinę gloriæ amans non expeteret, non optaret? sed ut dicam quod res est, si hoc scriptum Euangelistę Ioannis diligenter cognosceremus & expendere mus, non esset nobis sententia alterius cuiusdam Synodi ad sedandam hanc controuersiam expectanda. Continet enim eam sententiam, quam de uero autore perpetuę nostrę salutis oẽs patriarchę, prophetę et Apostoli, quæ est maxima & clarissima oim Synodus, uere legitime in spiritu sancto, ut isti loquuntur, cõgregata, pronuntiarunt. Docet Patriarchas spem suã in solo Christo filio Dei diuinitus promisso collocasse. Docet Mosen & prophetas proponere nobis solum Christum redemptorem & seruatorem humani generis. Docet solum Iesum, quem uocarunt Nazarenum, esse hũc Christum filium dei, de quo prophetę sunt cõtionati. Docet non contingere ulli hoim æternam uel iustitiã coram deo, uel salutem in cœlesti regno, nisi propter solum hunc Iesum Christum, fide acceptum. Hanc doctrinam, si ea obseruantia, qua nobis diuinitus cõmendata est, amplecteremur, haud difficulter ad concordiam tantũ religionis dissidium adduci posset. Equidem nõ ignoro, multas et magnas, etiam in alijs rebus Ecclesiasticis cõtentiones esse, sed hic fons est, hoc caput est, hoc maxime rem cõtinet. Si hic uera esset recõciliatio, nihil pene reliqui uideretur, quod publicæ tranqllitati moram afferret. Quare, cum scriptum Euãgelistę Ioannis exponat hanc doctrinam clarissime, et sine ullis inuolucris, tãto acceptius nobis esse debet, quãto maiorem usum eius spũs ipse sanctus esse uoluit. Solent his temporibus à Monarchis Christiani orbis grauissimæ deliberationes de capiendis armis pro cõmuni salute aduersus Turcicam tyrannidem introduci. Ac debent quidem principes hoc offitiũ reip. debẽt hoc Ecclesię Christi, debent & priuati quicq; suam, quam possunt, opam in hanc rem conferre. Non em̃ fictis lacrymis deplorandum est, q; Mahumetica impietas, & Turcica crudelitas nõ solũ grassentur hoc tẽpore in eas Europę regiones, quę hactenus nomen Christi publice agnouerũt, uerumetiã oppresserint iam à mltis annis Syros, Ægyptios, & plurimas alias gentes, quę olim Ioannem ipsum Euãgelistam nostrę contionatorem audiuerunt, & Euangelion, quod ab ipso literis mandatũ est, tanti fecerunt, ut ipsum in suam quęq; linguã transtulerint, ac summi thesauri loco habuerint. Quis igitur pia mente præditus nõ excitaretur ad extinguendam & delendam Mahumeticam barbariem, ut doctrina Ioannis, imo Iesu Christi seruatoris nostri publice in tot gẽtibus diuina clementia restitueretur? Sed maius nobis, & periculosius bellum gerendum est. Non enim in Turcam tantum incurrendum, non Constantinopolis tantũ, aut Alexandriæ obsidẽda. Sed cum Satana pugnãdum,

cum pec-

cum peccato luctãdum, cum morte & inferno certamen ineundum est. In hoc bello, qui succubuerit, ꝑpetuo perit, qui uicerit, sempiterna fruitur tranquillitate. Instruit autem nos contra hęc Ioannes scripto suo, & porrigit nobis arma, ut possimus, autore Christo, certissimam uictoriam reportare. Non enim miracula tantum à Christo ędita, sed maxime omnium contiones eius tanta suauitate conscripsit, ut fieri non possit, quin si quis uerę pietatis studiosus fuerit, ijs ex animo delectet, & maximo in Christum amore inflammetur. Ioannes Baptista alicubi ait, amicum sponsi gaudio gaudere propter uocem sponsi. Atqui uox sponsi Christi nusq̃ magis perspicue & copiosius extat, q̃ in hoc Euangelista. Quare qui est huius sponsi amicus, teneri non potest, quin uel auditu uel lectione harum contionum tanta lętitia exultet, ut iam non in terris, sed in cœlis ipsis positus esse uideatur. Historiam uocant lucem ueritatis & magistram uitę, at quę historia uitam nostram rectius erudit, & cœlestem ueritatem magis illustrat, q̃ quę de rebus gestis ac dictis Iesu Christi seruatoris nostri à Ioanne descripta est? Quod si nosse cupias, non tantum, quid anteq̃ nati sumus, acciderit, cũ filius Dei uulgaret Euãgelion suum in terris, uerę etiam quid futurum sit, cum filius Dei iterę in maiestate sua rediturus est, & quę sit extremi illius iudicij, quod de oibus hoibus fiet, sentẽtia, Ioannes erit huius rei aptissimus, & maxime idoneus doctor. Sententia enim extremi iudicij nõ pronunciabitur secũdum leges uel Romanas, uel Atticas, uel Spartanas, uel etiã Mosaicas, sed secundũ Apostolicam illam doctrinã, quam Ioannes tam uiua uoce tradidit, q̃ monumentis literarę mandauit. Quare, cum maxima sit huius Apostolici scripti autoritas & utilitas, & agnoscam, etiã mihi, minimo quidem oim, publico tamen Ecclesię ministro, has partes impositas esse, ut pro mea uirili glorię Christi ac regno eius seruiam, conatus sum hoc scriptum homilijs non eruditis quidem, sed ut cõfido, pijs, Ecclesiastico more explicare. Volui aũt, Reuerendissime, & Illustrissime Princeps, hoc quicqd est mei laboris tuę dignitati consecrare, & faustissimo noĩs tui auspicio in lucem dare. Etsi enim amplitudo & excellentia maiestatis tuę initio me deterrebat, tamen in tanta uerę Ecclesię de tua pietate congratulatione, nec potui nec debui me cohibere, quin in publica oim pioręlętitia, etiam meam erga tuam celsitudinem obseruantiã testarer. Dici em̃ non potest, q̃ incredibili gaudio uera Ecclesia Christi tuũ illud eximium & singulare, ac tanto heroẽ dignum erga piã doctrinã Euangelij Christi studiũ prosequat. Non hoc præcipue agit syncera Ecclesia filij dei, ut habeat, qui ipsam armis tueatur. Satis munita est cœlesti p̃sidio, sed fauet glorię Christi, gratulat æternæ Principum saluti, gratat diuinę benignitati, ideoq̃ non potest

& ij

non ex animo gaudere, cp clementissimus Deus, his præsertim difficil limis temporibus, te in altissimo dignitatis gradu collocatum tanta be neuolentia complectatur, ut proposuerit te uniuerso Christiano orbi insigne ac memorabile pietatis exemplum. Multa sunt fateor, et magna pericula, quæ intenduntur ijs, qui suscipiunt ueram confessionem nominis Christi, & ardent studio propagandæ piæ doctrinæ in Ecclesia dei, sed plura & maiora sunt præmia, quibus pericula illa diuinitus cõpensantur. Gaudete, inquit, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Et, Qui me honorificauerit, glorificabo & ego ipsum. Etsi em̃ multi sunt aduersarij in terris, unus tamen est custos & cõseruator in cœlis, qui sedet ad dextram dei, & dominatur in medio inimicorum suorum, ac, ut aliâs Ioannes noster ait, Maior est, qui in nobis est, cp qui in mũdo. Vetus & usitatum est, pharisaicum genus pugnare cum pia doctrina, & ad opprimendam eam munire se humana potentia, Vetus autem & usitatum etiam hoc est, filium Dei admirabilem ex hostibus suis victoriam reportare. Sed ineptus ego, qui de hac re coram tua amplitudine contionem instituam, cum perspicua extent argumenta, cp animi tui celsitudo non solum aduersus humana pericula, uerumetiam aduersus portas inferi uerbo Dei ita confirmata sit, ut nullis aduersis rebus frangi ac dijci queat, nec dubitem, quin, qua es fide, maximę curę sis Domino Deo nostro, & ueræ eius Ecclesiæ, quæ etsi in his terris abiectissima uidetur, ea tamen est, propter quam Deus orbem condidit, propter quam filius Dei de cœlo descendit, & passus est se cruci affigi. Precor igitur Deum patrem per filium eius Iesum Christum, ut tuam sublimitatem instaurandæ pietati, & iuuandæ Ecclesiæ quamdiutissime incolumem seruet. Bene ac fœliciter uale Reuerendissime, ac tam dignitate cp pietate Illustrissime Princeps. Ex Hala Sueuorum, die XXVIII. Iulij, Anno salutis

M. CCCCC. XXXXV.

IN EVANGELION IOANNIS, HOMILIÆ, CAPVT PRIMVM,

Homilia Prima.

VPERVACANEVM PVTO, Fratres in Christo amicissimi, ut in ea re, quam affero, commendanda, multum operę ponam, & quasi prestantię eius diffisus, accurata uerborum diligētia, accipiendam uobis obtrudam. Excellentia enim eius, & tanta est, & omnibus pijs tam probe perspecta, ut nō dubitem, quin quàm primum edixero nomen eius, summa sitis alacritate accepturi. Affero autem, ne diu uos suspensos teneam, Euangelion Domini nostri Iesu Christi, quod inscribitur, Secundum Ioannem. Hoc certe est afferre cœlestem thesaurum. Tametsi enim extant aliorum quoqꝫ scripta de Euangelio Christi, quibus & sua debetur obseruantia, tamen Ioannes tanto longius alios superat, quanto illustrius tam personę, cꝫ regni Christi maiestatem, scripto suo cognoscendam proposuit. Quàm speciosi, inquit Esaias, sunt pedes adnunciantium pacem, adnunciantium bona. Cum igitur Ioannes obtineat inter hos nuncios, præcipuum locum, & afferat nobis cœlestia bona, agite, amicissimi, excipiamus eū magna animi promptitudine, ac fide, ut Euangelion eius fiat nobis potentia Dei ad perpetuā salutem. Sed priusꝫ ad rem ipsam aggrediamur, operęprecium uidetur, ut aliqua de Ioanne, huius Euangelij, quod explicandum suscepimus, scriptore dicamus, non tam hoc nomine, qꝫ Ioannes optime sit de Ecclesia meritus, ut honestissimam mentionē eius faciamus, cꝫ ut cognoscamus, quanta fide scriptū eius, dignū sit, & quanta obseruantia à nobis suscipi debeat. Non pendet quidem uerbum Dei ab humana autoritate, Sed ut spiritus probandi sunt, an ex Deo sint, ita hi qui diuinas res testificantur, debent suam quandam autoritatem habere, qua ueritas testimonij ipsorum confirmetur. Euangelion autem, quod Ioannes literis mandauit, publicum est testimoniū eius, de Iesu, qꝫ sit uerus Christus ille filius Dei, & qꝫ omnis, qui credit in ipsum, consequatur uitam per nomen eius. Videamus igitur autoritatem Ioannis, ut & autoritas testimonij eius de Iesu Christo constet. Pluris, inquiunt, est oculatus testis unus, q̄ auriti decem. Multo enim certiora sunt ea, quę oculis conspicimus, cꝫ quæ fama, quæ plęruncꝫ solet esse mendax, percipiuntur. Itaqꝫ fit, ut longe maior fides habeatur ijs, qui referunt

Ioannis 20.

à se uisa, perspectacq, cq ijs, qui narrāt, ab alijs audita. Ioannes autem, quę de Iesu Christo scripsit, & testificatus est, suis ipsius oculis uidit & perspexit, ac non minima eorę, quæ gesta sunt, pars ipse fuit. Qui uidit, inquiens, testimonium perhibuit, & uerum est testimonium eius, & ille scit, cp uera dicit, ut & uos credatis. Ac iterum: Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de ijs, & scripsit hæc, & scimus, cp uerum est testimonium eius. Et rursus: Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt, de sermone uitæ, & uita manifestata est, & uidimus, etiam testamur & adnunciamus uobis. Et enim hic Ioannes, de quo nunc loquimur, coęuus fuit Domini nostri Iesu Christi, frater Iacobi Apostoli, illius uidelicet, qui Herodis gladio occisus est, natus in Galilæa, patre Zebedæo, & matre, ut nonulli sentiunt, Salome. Cum autem parens eius exerceret piscaturam, factus est & ipse piscator. Quod cum audis, noli retrocedere, ac de uilitate opificij, testimonium hominis estimare. Sic uisum est Christo Domino nostro, ut deligeret, quę erant ignobilia in mundo, & cōtempta, quo pudefaceret sapientes, & ut non gloriaretur ulla caro coram ipso. Porro, Ioannes non ita exercuit piscaturam, ut neglecto pietatis studio, tantum ea, quæ uentris sunt, sectaretur. Non enim ex eorum catalogo fuit, qui uiuunt, ut edant, sed eorum, qui edunt ut piè ac uere uiuant. Nam cum Baptista, qui & ipse, dictus est Ioannes, fungeretur suo docendi Euangelij & baptisandi munere, priusq; Christus reuelatus esset, ibi tum noster Ioannes, postq; cognouit Baptistam diuina uocatione docere, tam studiosus pietatis fuit, ut non expectatis uel Pontificum, uel Principum decretis de Baptistæ doctrina, continuo factus sit discipulus eius. Deinde, prædicatione & testimonio Baptistæ cognoscens Christum, uerum seruatorem, incipiētem & ipsum iam suo munere fungi, nihil prius duxit, q; ut Christum, & conciones eius sectaretur. Etsi autem initio Christum ita audijt, ut interim, suo tempore, ad piscaturam rediret, & parentem suum iuuaret. Non enim uoluit pius uir ordinarium suum officium, citra legitimam uocatiōem derelinquere, & ignauam uitam ducere, tamen postq; à Christo uocaretur, ut iam non solum esset discipulus, sed etiam fieret Apostolus, maluit omnia sua, q; Christum relinquere. Ambulans, inquit Matthæus, Iesus iuxta Mare Galilęę, uidit duos fratres Iacobum filium Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedęo patre suo, sarcientes retia sua: Et uocauit eos, uidelicet, ut non tantum discipuli ad tempus, sed & indiuidui comites essent, & Apostoli eius fierent. At illi protinus relicta naui, & patre suo, secuti sunt eum. Ab hoc tempore, Ioannes fuit socius & comes omnium itinerum, laborum, & periculorum

Ioannis 19.

Ioannis 21.

Ioannes piscator.

culorum Christi. Audiuit cœlestes eius conciones, sine ulla intermissione, Vidit coram, clarissima eius miracula, Vidit illustrissimam eius transformationem in monte Thabor, Vidit & passionem ac mortem eius. Vidit deinceps ipsum à mortuis resurrexisse. Audiuit conciones eius, à resurrectione. Contrectauit ipsum manibus suis. Comedit & bibit una cum ipso, ac certissimis argumentis cognouit ipsum uere à mortuis resurrexisse. Vidit etiam ascensum eius in cœlum, & una cum reliquis adfuit, cum missus est Spiritus sanctus de cœlo, in nomine Christi. Et hęc oia, non ipse tantũ, sed & alij Euangelistę scriptis suis de ipso testificantur. Quare, cum Ioannes non sit testis auritus, qui commemoret ab alijs audita, sed oculatus, qui recitet, à se ipso uisa & perspecta, tanta est autoritas Euangelij eius, ut si angelus de cœlo aliud nobis prædicauerit, pro anathemate haberi debeat. Huc accedit, ꝙ Ioannes habeat autoritatis & ueritatis Euangelij sui testimonia è cœlo. Cooptatus em̃ in numerum duodecim apostolorum, accepit à Christo illustre illud donum ędendorum miraculorum. Accersitis, inquit Matthęus, duodecim discipulis suis Iesus, dedit eis potestatem aduersus spũs immundos, ut eijcerent eos, & sanarent quemuis morbum, & quemuis languorem. Quæ potestas, quid aliud fuit, q̃ cœleste testimonium, quo confirmatum est, ꝙ qui conciones Ioannis audiret, uerbum ipsum Dei audiret? Sed omnium excellentissimum est, ꝙ Ioannes una cum alijs Apostolis baptisatus sit cœlesti igni, & ornatus fuerit admirandis donis spiritus sancti, in die Pentecostes. Qua maiestate palam declarauit Christus: Euangelion Apostolorum (inter quorum præcipuos, Ioannes numeratur) ut diuinitus approbatum, & commendatum, suscipiendũ esse. Accipietis, inquit, uirtutem, postea q̃ spiritus sanctus aduenerit super uos, & eritis mihi testes, non solum Hierosolymis, uerumetiam in uniuersa Iudæa, Samaria q̃, deniq̃ usq̃ ad extrema terræ. Nam ex hac uirtute, & dono, Ioannes non tantum locutus est uarijs linguis, sed & de Christo prędicans, maxima ędidit in nomine eius miracula. Postq̃ enim missus esset spiritus sanctus, ascendit Ioannes una cum Petro, Hierosolymis in templum, & cum ad portam templi peruenissent, claudum ab utero matris, qui ad petendam eleemosynam in porta iacebat miserrimus, tam admirabiliter sanarunt, ut non tam uulgus, q̃ etiam Pontifices obstupescerent. Et addit scriptura: Per manus Apostolorum ędebantur signa & prodigia multa in populo. Ac mox: Conueniebat & multitudo uicinarum ciuitatum Hierosolymam afferens egros, & uexatos à spiritibus immundis, qui sanabantur omnes. Iam & hoc diligenter in Ioanne obseruandum est, ꝙ non solum ipse accepit admiranda dona spiritus sancti, uerumetiam missus una cum Petro ad Sa-

Ioannis autoritas.

Acto. 3.

Acto. 5.

Acto. 8.

maritanos Euangelion Christi iam agnoscentes, impetrauit oratione sua propter Christum, ut admiranda dona spiritus sancti darentur etiam Samaritanis, per impositionem manuum eius. Quæso te, quid hęc aliud sunt, q̃ cœlestia testimonia, quibus ueritas Euangelij Ioannis, de Iesu Christo, diuinitus comprobata est? Cæterum, postq̃ Apostoli necesse habuerunt ex mãdato Christi, non Hierosolymis tantum, & in finitimis regionibus, uerumetiam inter omnes gentes, Euãgelion Christi adnunciare, alijs alio digressis, Ioannes profectus est in Asiam, & quantũ summam dabat operam, ut in frequentissimis quibusq̃ Asiæ locis, Ecclesiam Christo per Euangelion congregaret, tamen Ephesi, diutius commoratus esse dicitur, ut quo populosior esset urbs, eo plures liceret Christo lucrifacere. Sunt autores fide digni, qui testantur Ioannem tanta autoritate docuisse Euangelion Christi in Epheso, ut etiam resuscitatione mortuorum confirmauerit. Alij addunt, bibisse eum uenenũ, sine periculo, & missum in dolium feruentis olei, illesum exijsse. Etsi autem uerisimile est, Ioannem multo plura & maiora miracula edidisse, q̃ scripta sunt, cum Marcus testetur: Apostolos egressos ex urbe Hierosolyma prædicasse ubiq̃ Euangelion Christi. DOMINO, inquiens, cooperante, & sermonẽ confirmante, per signa subsequentia, Hæc tamen quę de ueneno & feruenti oleo commemorauimus, tanti habeantur, quantæ fidei sunt hi autores, qui ea tradiderunt. Ioannes enim non est tam egens autoritate, ut necesse habeat eam mendicitate ex alienis, incertis, aut efficitis miraculis consequi. Sed extant de ipso certa, diuina ac cœlestia testimonia, quorum paulo ante mentionem fecimus, quibus Euãgelio eius tanta accessit autoritas, ut qui ipsum contemnit, Christum, filium Dei, seruatorem nostrum contemnat. Porro, quam autoritatem consecutus est Ioannes ex admirandis donis spiritus sancti, eam ornauit etiam ipse, & commendauit maxima uitæ suæ honestate. Nam & hoc in teste fide digno quæritur, ut sit uita sua honestus. Sunt enim, qui quod dictione testimonij affirmant, turpitudine uitæ suæ infirment. Ioannes autem tam honeste se in uita sua gessit, ut multo uerius de ipso, q̃ de alio quopiam dici potuerit, Hic est, qui quale habet uerbum, talem habet uitam. Non liberamus eum omni peccato, nec permittimus ei prerogatiuam aduersus orationem Dominicam, quam à Christo didicit, & in qua necesse habuit cum uniuersa Ecclesia ingenue & ex animo dicere: Remitte nobis debita nostra, Sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Quod enim Paulus dixit, hoc & Ioannes cõfiteri debuit. Noui, q̃ non habitet in me, hoc est, in carne mea bonũ. Et quantus hic est error, q̃ apud Matthæum, petit una cum fratre Iacobo principem locum apud Christum in regno suo, quod corporale in

Ioannis miracula.

ὁ μὲν λόγος θαυμαστός, ὁ δὲ λέγων ἄπιστος.

le in his terris futurum ſomniabat. Extat & in epiſtola ſua, manifeſta eius cõfeſſio. Si dixerimus, inquit, peccatum nõ habemus, nos ipſos fallimus, & ueritas in nobis non eſt. Sed tamen tanta uitæ ſanctitate dominatus eſt peccato, per ſpiritum ſanctum, ut hominibus etiam a nostra religione alienis ſummæ fuerit admirationi. Quid enim? Exiſtimas ne Chriſtum de cruce commendaturum fuiſſe ipſi matrem ſuam, uirginem, tantum uidelicet theſaurum, niſi ante reipſa excellentem uitæ eius honeſtatem cognouiſſet? Sunt autem duæ præcipuæ partes honeſtatis, quantum quidem ad hoc noſtrum inſtitutum ſatis eſt. Altera eſt, ut publico tuo munere diligenter fungaris, & id conſtanter tuearis. Altera, ut priuatis officijs, quoſuis proximos, pro tua uirili adiuues. Videamus igitur quomodo Ioannes ſeſe in utraq; parte honeſtatis geſſerit. Non recitabo iam quanto ſpiritus ardore Euangelion Chriſti prædicauerit, & Eccleſiam docendo congregauerit, commemorabo unum tantum & alterum inſigne factum eius, ex quibus facile conijci poteſt, quanta ſeueritate ueram Euangelij doctrinã defenderit, & quanta conſtantia falſam condemnauerit. Cerinthus quidam, uir impijſſimus, docuit in Aſia abſurdiſſima, & a ueritate longe abhorrentia, idq; eo tempore, quo & Ioannes Euãgelion Chriſti adnunciauit. Sic enim fieri ſolet, ut ubi paterfamilias ſeminat bonum ſemen in agro ſuo, ibi inimicus ſpargat zizania inter triticum. Dogmata autem Cerinthi, hæc ferme fuerunt, q; mundus non ſit factus a primo, ut ipſe loquebatur, Deo, ſed ab alia quadam uirtute, a Deo ualde ſeparata & diſtante, q; Ieſus non ſit ex uirgine natus, ſed filius Ioſeph & Mariæ, quod q; Chriſtus tunc primum deſcenderit in Ieſum, cum baptiſaretur, & q; iterum receſſerit ab ipſo, cum pateretur, & crucifigeretur. Nam Chriſtum, qui ſpiritalis ſit, impaſſibilem perſeueraſſe, affirmabat. His dogmatis quid poteſt dici magis impium? Cũ igitur hic Cerinthus ueniſſet aliquãdo Epheſi in balneas, & paulopoſt etiam Ioannes eo lauandi gratia, cum amicis diuertiſſet, cõtinuo, ut uidit impium Cerinthum, exilijt è balneis, & ad amicos conuerſus, Fugiamus mox, inquit, Hic enim, ubi Cerinthus eſt, nemo lauari poteſt, ſed potius ſordidari, imo ſubmergi & ſuffocari. Vides Ioannem tanto ſtudio impiam doctrinam damnaſſe, ut ne lauare quidẽ cum doctore impietatis uoluerit. Quo exemplo etiam nos admonemur, ut in tuenda uera doctrina, & abominanda falſa, non ſimus tepidi, ſed potius ardeamus, ne ut ille ait, incipiat nos Dominus ex ore ſuo euomere. Sed quanto magis deteſtatus eſt Ioannes impiam doctrinam, & fugit impietatis doctores, tanto maiori ſollicitudine curauit, ut & pia doctrina promoueret, & peccatores pietate doctrinæ ad pœnitentiam inuitarentur, Secutus nimirum Chriſti Domini ſui ex-

Ireneus lib. 1. capite 25.

emplum, qui se uenisse testatus est, ut peccatores ad pœnitentiam uocaret. Non grauabor hic recensere, quod ecclesiastici scriptores de iuuene reuocato per Ioannem à latrocinio, literis mandarunt. Cum enim Ioannes Ecclesiam Epheso finitimã inuiseret, uidit ibi iuuenem quendam optimæ spei, quem quia iudicabat idoneum fore ministrum Ecclesiæ, commendauit eum magna grauitate episcopo Ecclesiæ illius. Omnino enim sanctus uir hoc agebat, ut non solũ præsenti ætati, sed etiam posteritati consuleretur. Episcopus igitur suscipiens curam iuuenis, docuit eum omni, qua potuit diligentia, ueram pietatem. Sed paulo post iuuenis ob eximiam eius indolem, paulo indulgentius tractatus, uenit in adolescentum quorundam peruerse educatorum consuetudinem, quorum familiaritate ita deprauatus est, ut non solum abijceret studium pietatis, uerumetiam sectaretur tandem una cum his, cum quibus subinde maiora scelera designare assueuerat, publicum latrocinium. Interea Ioannes ad episcopum reuersus, repetijt depositum. Sic eũ uocabat iuuenem antea cõmendatum. Postq̃ igitur episcopus commemorasset, profusis lacrymis, quæ de iuuene acta essent, Ioannes grauiter ingemiscens, & de casu iuuenis tantæ spei uehementer dolens, teneri non potuit, quin mox uocato itineris duce, conscenso etiam equo, iuuenem in his montibus, in quibus latrocinium cum æqualibus exercebat, inquireret. Quo inuento, & præ pudore fugitante, Quid fugis, inquit Ioannes, ô fili, patrem tuũ? Quid fugis inermem senem? quid fugis eum, qui tanta te caritate complectitur, ut si possibile esset, sua uita, tuam redimeret? Noli animum despondere, Tu quidem propter scelera tua mortuus es. Viuit autẽ adhuc Christus, in quo & tibi spes salutis relicta est. His uocibus iuuenis ex fuga retractus, restitit, ac initio, prorsus obmutescens, uultũ in terram demittit, deinde proiectis armis manum, qua multas cedes designauerat in sinum abscondit, mox ad genua senis prouolutus, quod uerbis non potuit, lacrymis ueniam petit. Itaq; Ioannes animaduertẽs eum uere ex animo agnoscere pctũm suum, statim suscipiens cum ipso preces ad Dñm, promittit ei remissionem peccati, propter Christum, ac deosculata etiam manu eius, qua homicidia perpetrauerat, iubet eum bono animo esse, & reductum eum, ac optimos quoq; pœnitentiæ fructus facientem tanta beneuolentia complexus est, ut etiam Ecclesiæ ipsum præficeret. Hoc idcirco pluribus commemorare uolui, primum, ut perspicuum esset, q̃ Ioannes nõ solum doctrina, Sed etiam exemplo comprobauerit, remissionem pctõrum non contingere propter merita nostrorum operum, sed tantũ propter Iesum Christum per fidem. Nisi eũ hoc sensisset Ioannes, certe non tam cito suscepisset latronem in gratiam, sed iussisset eum ante oĩa expiare peccata sua

Eusebius lib. 3. capite 23. Ecclesiast. historiæ.

ta ſua uigilijs, ieiunijs, chameunijs, flagellationibus, & alijs id genus operibus. Nunc Ioannes latroni peccatum ſuum agnoſcenti nihil tale pręſcribit, ſed continuo pollicetur ei remiſſionem peccatorꝫ in Chriſto, hoc eſt, abſoluit eum in nomine Chriſti ab oĩbus peccatis, abſq; ullis operꝫ meritis. Hoc certe eſt apoſtolico officio uere defungi, ac Euangelion Chriſti recte adminiſtrare. Deinde libuit hoc recitare, ut manifeſtum eſſet, q̃ ſollicita cura, q̃ ardens ſtudium Ioannis fuerit de ſalute proximi ſui, quantoq; amore ꝓſecutus ſit eos, quos Chriſtus diligere iuſſit. Nam quod nonnulli ſcribunt Ioannem in ultima ſenecta, ſemper in ore habuiſſe illud: Filioli, diligite alterutrum, non eſt ex epiſtola eius obſcurum, q̃ diligenter exhortatus ſit Eccleſiam ad mutuam dilectionem, & non potuiſſet tam frequenter meminiſſe dilectionis, niſi ipſe ea inflammatus fuiſſet. Quare fieri non potuit, quin tanta uitę Ioannis honeſtas inter homines doctrinam eius plurimum ornauerit, atq; commendauerit. At enim Ioannes, inquis, non eſt paſſus martyrium, ut uocant, & non confirmauit ueritatem Euangelij ſanguine ſuo, quemadmodum alij Apoſtoli. Sed multo plura & maiora in tanta uitę longitudine paſſus eſt, q̃ ſi ſemel fuiſſet a' tyranno trucidatus. Peruenit em̃ ętate ſua uſq; ad tẽpora imperatoris Traiani. Itaq; uixit & docuit poſt aſcenſum Chriſti in cœlum, pluſq; ſexaginta annos? Quęſo te, quas tanto tempore miſerias non uidit? quas calamitates non eſt perpeſſus? Primum em̃ poſt Pentecoſten coniectus eſt Hieroſolymis in carceres cum alijs Apoſtolis, & neceſſe habuit, quouis momento expectare carnificem. An non hoc uerum eſt martyrij genus? Deinde, profectus in Aſiam, docuit Euãgelion Chriſti, maximo ſemper uitę ſuę periculo, quod intẽdebatur ipſi, nunc a' Iudęis, nũc a' Gentibus, nũc etiã a' falſis fratribus & hęreticis. Quid, q̃ ſua quoq; ętate accidit duce Tito, horribile illud excidium urbis Hieruſalẽ, patrię & metropolis totius Iudaicę gentis. Quas non mortes libẽtius excepiſſet Ioannes, q̃ q̃ neceſſe habuit adhuc ſuperſtes, tam calamitoſum, tamq; miſerabilẽ interitũ patrię ſuę audire, & abiectionẽ cognationis ſuę uidere? Huc accedit, q̃ & Domitianus, monſtrꝫ uerius q̃ homo, eiecerit ipſum quẽadmodũ Eccleſiaſtici ſcriptores teſtant̃ in exiliũ, ad Patmon inſulã, quã alias Poſidoniũ uocãt. Etſi aũt Ioannes redijt poſtea, occiſo Domitiano, ad ſuã Epheſum, tñ uiro Eccleſię tam amãti exilium multo grauius fuit morte ipſa. Itaq; alij ſemel paſſi ſunt mortẽ, Ioannes aũt toties mortẽ ſuſtinuit, quoties graſſati ſunt, nunc Iudęi, nunc Ethnici, nunc etiã hęretici, in doctrinã Euãgelij. Quanto aũt tolerabilius eſt, mori ſemel q̃ ſemp? Nam, q̃ quidã affirmant, Ioannẽ ſenio confectũ deſcendiſſe uiuũ in ſepulcrꝫ ſuũ, & illic non mortuũ, ſed dormientẽ, & adhuc ſpirantẽ quieſcere, q̃q; alij cõtra ſentiunt, eũ abductum in paradiſum, ut cum Elia & Enoch

Hieronymus in Epiſtolam ad Galatas.

in hunc mundum, cum antichristo pugnaturus redeat, etiam maiores nostri, tanq̃ anile commentum refutarunt. Nihil quidem certius est, q̃ q̃ Ioannes uere adhuc in Christo Domino nostro uiuat. Qui em̃ credit in me, inquit Christus, etiamsi mortuus fuerit, uiuet, manifestum quoq̃ est, q̃ Ioannes semper scripto suo pugnet cum Antichristo & omnibus membris eius. Quid enim aptius, quid potentius ad refutandas hæreses, Euangelio Ioannis? Sed ea demum stultissima deliratio est, Ioanni ea affingere, quæ imperitus quisq̃ pro sua superstitione somniauit. Sinamus igitur has ineptias ualere, & sentiamus simpliciter Ioannem tranquilla morte extinctum, in Christo Domino nostro fœliciter quiescere. Sic aũt uisum est Christo, ut Ioannes non trucidaretur crudeliter a' tyranno quopiam, sed ut tranquilla morte obdormisceret, quo significaretur Ecclesiæ, non eos tantum ad Christũ pertinere, qui propter nomen eius a' tyrannis occiduntur, uerum etiam illos, qui uulgari hominum morte, in fide Christi, extinguuntur. Etsi autem Ioannes hoc beneficium diuinitus consecutus est, q̃ in bona senectute è uita excesserit, tamen tota uita eius, qua Euangelion Christi prædicauit, perpetua fuit, quemadmodum antea ostendimus, passio, crux, & martyrium. Quare quantum testimonium perhibuerunt alij, per sanguinem suum, Euangelio Christi, tãtum Ioannes perhibuit ei, per uarios casus, per tot discrimina rerum. Hactenus exposuimus, quanta sit autoritas doctrinæ Ioannis, & quanta obseruantia excipienda sit. Videamus nunc de scriptis eius, quibus doctrinam suam mandauit, & in quibus eam posteritati reliquit. Extant autẽ nomine eius, initio, Euangelion, quod inscribitur Secundum Ioannem, deinde tres Epistolæ, postremo, Apocalypsis. Ac de Apocalypsi quidem, & duabus posterioribus epistolis dubitatum est a' maioribus, num sint Ioannis illius Apostoli & Euangelistæ, de quo nunc loquimur. Senserunt enim nonnulli, alium Ioannem, qui cognomento dictus sit, Theologus, autorem esse Apocalypseos, & alium Ioannem, cognomento Presbyterum, autorem esse duarum posteriorum epistolarum. De Euangelio autem, & prima inter tres epistola, certissima extant testimonia, iam inde ab Apostolorum temporibus Ecclesiæ tradita, q̃ sint Ioannis illius Apostoli, qui fuit filius Zebedei, & frater Iacobi. Etsi uero Alogiani quidam, hoĩes uere ἄλογοι, negarunt Euangelion esse huius Ioannis, tamen somnia paucorum & obscurorum, & quod maximum est, impiorum hominum, non sunt tanti momenti, ut queant publica totius Ecclesiæ testimonia euertere. Quid enim? an quia pauci quidam inter gentes a' Satana excęcati, dixerunt, Non esse Deum, idcirco negabimus humanæ rationi patefactum, Deum esse? Sic nec paucorum impietas, potest suam Euangelio Ioannis autori-

ἄλογοι carentes ratione.

nis autoritatem publico totius ueræ Ecclesię Christi consensu confirmatam derogare. Itaq; cum nullum dubium relinquatur, quin Euangelion, quod explicare instituimus, sit Ioannis Apostoli, & Euangelistæ, perstringamus nunc, quo consilio Ioannes hoc Euangelion scribendum susceperit. Nam, cum pauci inter Apostolos mandarint conciones suas de Christo literis, magnas caussas esse oportet, quę Ioannem ad scribendum inuitauerint. Ac alij quidem sentiunt eum scripsisse Euangelion in Patmo, ad quã insulam in exilium eiectus erat, ut Ecclesiam, quam tunc nõ licuit uiua uoce erudire, scriptis doceret. Optimum certe consilium, & è spiritu sancto profectum. Sic enim Ioannes non tantum suis coęuis, sed etiã posteris consuluit. Alij tradunt eum suscepisse scriptionem Euangelij, iam centenarium, postq; rediisset ab exilio in Ephesum, partim ut impias hęreses iam aduersus maiestatem Christi gliscẽtes, scripto suo refutaret, & posteris uerã Christi cognitionem relinqueret, partim, ut quędam ab alijs tribus Euangelistis (quorũ scripta publico suo testimonio approbauit) omissa, & prętérita suppleret. Quę utcunq; se habeant, certe Ioannes ipse consilium suum scribendi perspicue exponit. Hęc, inquiens, scripta sunt, ut credatis, q; Iesus est Christus ille filius Dei, & ut credentes uitã habeatis per nomen eius. Quid de consilio Ioannis, aut plura aut certiora requiris? Scripsit Euangelion suũ, ut cognoscamus Iesum esse uerũ illũ Messiam, seu Christum, de quo Prophetę tot annis ante uaticinati sunt, eumq; esse uere filium Dei, adeoq; Deũ ipsum. Scripsit item, ut hac cognitione & fide consequamur in Christo iustitiam, uitam & fœlicitatem. Quod maius beneficium potuisset Ioannes in Ecclesiam conferre? & quæ maior posset esse scripti utilitas? Sed nec hoc prętérire libet, q; Ioannes non nisi indicto ieiunio, quemadmodũ Ecclesiastici scriptores loquuntur, & testantur, uoluerit officiũ scribendi suscipere. Non instituit Ioannes ieiuniũ hypocriticum, quo expiarentur pctã, Sed uoluit ut Ecclesia conueniret sobria, ad precandum DOMINVM Deum nostrum per Iesum Christũ, quo ipse spiritu suo opus suscipiendum gubernet. Non sensit inediã & famem esse meritũ diuinę gratię, sed preces Ecclesię requisiuit, & orationem pro se ad Deum depoposcit. Obseruabile factũ, quo agnoscimus admirandã Ioannis pietatẽ. Ioannes em̃, & Apostolus, & Christo tã dilectus, & tanto spũ prędítus, expetit aliorũ lõge se inferiorũ preces. Quid ergo nos extremę sortis hoies, fratrũ in Christo preces fastidimus? aut qua fronte aggredimur ad negotia, priusq; pias ad Dn̄m preces adhibuerimus? Videmus aũt reipsa; preces piorum pro Ioanne haudquaq; uanas fuisse. Euangelion enim eius, quod literis mandauit, non humana sunt uerba, sed cœlestia tonitrua, quibus non solum omnis impia doctrina aduersus Christum excogitata disijcitur, uerũ etiam maiestas Chri

Suidas. Ἰωάννης ὁ ἀπὸ τῆς ἐν Πάτμῳ ἐξορείας ἐπανελθὼν, συνετάττει τὸ εὐαγγέλιον ὧν ἐστῶν ἑ.

Ioannis 20.

sti toti orbi reuelatur. Hoc præsagijsse uidetur Christus ipse, cum alias uocat Ioannem, filium tonitrui, quasi qui aduersus impios errores non simpliciter loquatur, sed horribiliter tonet. Iam, quemadmodum tonitru non in uno tantum loco, sed per uniuersam regionem auditur, ita etsi Ioannes scripsit Euãgelion suum Greca lingua, tamen hoc tonitru non in una tantum Grecia, sed in Syria, in Aegypto, in India, in Persia, in Aethiopia, incq; multis alijs natiõibus auditum est. Sunt enim scriptores, qui testantur Euangelion Ioannis, é græca lingua in harum gentium linguas translatum fuisse, ut non interim addam, de occidentalium regionum linguis, in quas etiam traductum est. Itacq; factum est, ut etsi Ioannes in Christo quiescit, concionetur tamen scripto suo semper de Christo in toto orbe terrarum, usq; ad nouissimũ huius seculi diem. Quid autem maiores nostri de Euangelio Ioannis iudicauerint, perspicue significarunt, cum ex Ioanne fecerunt, Aquilam illam, quæ est in magna Ezechielis uisione. Sed fuerunt hactenus superstitiosi quidam homines, qui conscripto initio Euangelij Ioannis, in chartulam, suspenderunt illud ex collo, ac polliciti sunt sibi ea gestatione fœlicitatem nescio quam. Hæc est abominanda superstitio. Et tñ, nisi me animus fallit, ducit originẽ suã à ueritate. Nostri em̃ maiores cõmendarunt pleno ore Euangelion Ioannis, & dixerunt q̃ hoc Euangelion afferat nobis ueram salutem & fœlicitatem. Hic, imperitus quispiam hypocrita excepit fortassis hanc uocem, &, ut hypocritæ solent, pro suo more abusus est, ad gestandum initium Euangelij Ioannis ex collo. Maiores autem nostri non senserunt Euangelion Ioannis afferre salutem, si ex collo gestetur, sed si uera & recta fide suscipiatur. Quare, cum Euangelion Ioannis tantæ sit autoritatis, ut tam cœlesti testimonio, q̃ publico totius Ecclesiæ Christi consensu constet, ac sit potentia Dei ad salutem omni credenti, agite, amicissimi, excipiamus ipsum obuia fide, ut quod Ioannes ipse dicit, credentes uitam habeamus, per nomen Domini nostri Iesu Christi, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Chrysostomus.

HOMILIA II.

I MIHI, FRATRES, IN EO HOminum cœtu dicendum esset, qui tantę sunt impietatis, ut DOMINVM Deum nostrum nec uenerentur, nec precentur, nulla mihi spes in incœpto permanendi relicta esset. Nunc uestra mihi pietas ita perspecta & explorata est, ut confidam, uos non solum publica & solenni precatione, uerumetiam priuatis orationibus, co-

nibus, coram DOMINO Deo nostro conatum nostrum adiuuare. Nam si Ioannes tantus Apostolus, non uoluit officium scribendi Euangelij suscipere, nisi Ecclesia ante susciperet officium precandi, & commendaret deo institutum eius, quæ hæc esset impudentia, quę temeritas, cp ego infimæ inter ministros Ecclesiæ sortis, officium interpretandi Euangelij, nec optato ante cœlesti auxilio, nec precibus uestris adiutus, susciperem? Non mea autem tantum, Sed multo magis uestra res agitur, Fratres: In explicando enim Euangelio Ioannis, tantum uobis utilitatis & salutis accedet, quantum Dominus clementer donauerit. Dominus autem tantum donabit, quātum uos pijs precibus uestris per Christum seruatorem nostrum, qui in hoc Euangelio illustratur, impetraueritis. Quare, sic statuite, uos uestrę ipsorum saluti consulere, si meæ operæ precati fueritis fœlicem Dei benedictionem. Bene igitur uertat, aggrediamur ad institutum, quando ita & Deo uisum, & officij nostri est, ut uerbum Dei assidue tractemus. IN principio, inquit, erat VERBVM, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Audimus Ioannem loqui de VERBO, & subinde illud repetere. VERBVM, inquiens, erat in principio. Quod ergo, aut cuius erat illud VERBVM? Num hominis cuiuspiam? sed ante condita secula, quo Verbum illud erat, nullus adhuc homo fuit. Num angeli alicuius? Sed & angeli ipsi creati sunt per hoc Verbum, quemadmodum postea sequitur. Itacp necesse est, hoc Verbum ante angelos fuisse. Reliquum igitur est, cp Ioannes loquatur de VERBO DOMINI Dei nostri, quod Deus ab æterno locutus est, & ut scriptura ait, genuit. Nam hoc illud est Verbum, quod aliâs dicitur: Vnigenitus filius Dei, per quem Deus pater omnia tam inuisibilia, cp uisibilia condidit, & qui suo tempore assumpsit hominem ex Maria uirgine, Iesus Christus Dominus, ac seruator noster. Quod ut rectius intelligamus, considerandum est, ueram de Deo religionem & fidem in hoc consistere, ut credamus, cp VNVS tantum sit Deus, seu VNA tantum diuina essentia. Audi Israel, inquit scriptura, Dominus Deus tuus, Dominus unus est. Et apud Esaiam: Ego sum, inquit, primus & nouissimus, & pręter me non est Deus. In hac autem una & sola diuina essentia, tres sunt personæ, non οὐσίαι, hoc est, essentia. Vna enim tantum est diuina οὐσία, sed proprietatibus suis inter se distinctæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Baptisate, inquit Christus, in nomine patris & filij & spiritus sancti. Itacp Pater, Deus æternus, hanc habet proprietatem, cp a' nullo sit genitus, Vnde & ingenitum uocant. Filius autem, etiam ipse Deus æternus, hanc habet proprietatem, cp sit genitus a' Deo patre suo. Spiritus sanctus uero,

Deus VNVS
Personæ tres

& ipſe Deus æternus, hanc habet proprietatem, ꝙ procedat, ueluti legatus quiſpiam, ab utroq;, patre uidelicet & filio. Cum ergo Ioannes dicit: In principio erat VERBVM, non loquitur, nec de patre, nec de ſpiritu ſancto, Sed de Filio, qui eſt ſecunda perſona, in una diuina natura. Et uocat eum, VERBVM, non humano ſomnio, ſed diuino ſpiritu. Nam, cum rerum conditio deſcriberetur per Moſen, Filius Dei, uocatur Verbum Dei, Sic enim ait ſcriptura. Dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux. Et mox, Dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, & factum eſt ita. Et in Pſalm. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum. Ac iterum: Ipſe dixit, & facta ſunt, mandauit, & creata ſunt. Conſtat autem Deum omnia condidiſſe per filium ſuum. Omnia per ipſum, inquit Paulus, & in ipſo condita ſunt, & ipſe eſt ante omnia. Omnia conſiſtunt per ipſum. Et ad Heb. Per filium, quem poſuit heredem omniũ, per quem & ſecula fecit. Quare, cum ſpiritus ſanctus doceat aliâs mundum eſſe conditum per filium, alias per Verbum Dei, perſpicue ſignificat, filium Dei, ſecundam in diuina natura uere per ſe ſubſiſtentem perſonam, recte uocari VERBVM Dei. Quid autem poſſet Ioannes utilius, ac ſaluti Eccleſiæ magis neceſſarium inſtituiſſe, q̃ deſcribere VERBVM, ſeu Filium Dei, Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, & docere rectam ac ſynceram in ipſum fidem? Nam, qui recte de Chriſto ſentit, & uere in ipſum credit, is omnem habet ſalutem & fœlicitatem, etiamſi morte obruatur. Rurſus, qui male de ipſo ſentit, aut non uere in ipſum credit, is totus eſt infœlix & damnatus, etiamſi aliquandiu omnium huius mundi rerum pociatur. Chriſtus em̃ is eſt, in quo complacitum eſt patri, quemadmodum Paulus ait, omnem plenitudinem inhabitare. Et iterum ait Paulus, In illo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi. Ac mox: In illo inhabitat oĩs plenitudo deitatis corporaliter. Huc accedit, ꝙ nemo poſſit Deum aut uidere aut cognoſcere, niſi in Chriſto & per Chriſtum. Nemo, inquit Ioannes, uidit Deum unq̃, unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Et alias. Nemo nouit patrem, niſi filius, & cuicunq; uoluerit filius reuelare. Quæ igitur poſſet eſſe aut uera cognitio Dei, ubi Chriſtus non recte cognoſcitur, aut quæ poſſet eſſe uera fœlicitas, ubi Chriſtus, tantus thelaurus, non recte per fidem accipitur? Nouit & Satan, quantum ſitum ſit in uera cognitione Chriſti, & recta fide in Chriſtum. Quare, cum ipſe ita abiectus ſit, ut nullam amplius conſequatur fœlicitatem, omnem mouet, ut dici ſolet, lapidem, quo aut Chriſtum obſcuret, aut totũ hominibus auferat. Itaq; nunc excitat tyrannos, qui crudeliter perſequantur Chriſtum, & credentes in ipſum, ut grauitate perſecutionis abſterreat homines a' fide in

Verbi uocabulum tribuitur Filio Dei.

Coloſ. 1.

Coloſ. 1.

Coloſ. 2.

de in Christum, nunc excitat Epicureos, ueræ pietatis contemptores, & derisores, ut horum exemplo pios a' Christo abducat, nunc excitat hereticos, qui prætextu diuinę scripturæ falsa de Christo doceant, ut quos non potest nec crudelitate tyrannorum, nec exemplo impiorum a' Christo auellere, eos per impiam doctrinam, pietatis prætextu propositam, à Christo in pernitiem seducat. Nam quod ad personā Christi attinet, Christus uerus est Deus, & uerus homo. Quod ad officium eius attinet, passus est mortem propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostri. Satan igitur nihil intentatum reliquit. Alios enim subornauit, qui pugnarent cum diuinitate Christi, ac negarent ipsum uerum esse Deum, eiusdem cum patre & spiritu sancto essentiæ. Alios subornauit, qui pugnarent cum humanitate eius, ac negarent ipsum uerum esse hominem. Alios subornauit, qui pugnarent cum officio eius, & tribuerent remissionem peccatorum, non tantum morti Christi, sed etiam meritis humanę iustitiæ. Breuiter, Satan potuit semper & adhuc potest multas myriades ficticiorę deorum, & omnem impiam doctrinam de dijs & religione eorum, in hoc mundo ferre. Solum hunc Iesum Christum, & solum Euangelion eius nunquam potuit æquo animo ferre. Itaque quascunque machinas excogitare potuit, eas, ad expugnandam & extinguendam ueram Christi cognitionem admouit. Nec hoc incognitum fuit spiritui sancto. Prædixit igitur ab initio orbis terrarum, Satanam in Christum grassaturum, ut moneret pios, ne sæuitia Satanæ exterriti, aut Christum non requirerent, aut à Christo deficerent. Ad serpentem enim, nomine Satanæ, dicitur, Ipsum semen mulieris, qui est Christus, cōteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius, hoc est, Christus omnem tuam potentiam & dominationem opprimet, tu autem uicissim sæuies in ipsum, & membra eius, omnibus, quibus potes, aduersis. In Psalmo, Christus uocatur, lapis ab ædificatoribus reprobatus. In Esaia uocatur lapis offensionis, & petra scandali. Symeon dicit eum positum esse in signum, cui contradicitur. Hoc spiritus sanctus idcirco de Christo prędixit, ut prę̄moneret pios, quo cauerent, ne uel multitudine, uel potentia, uel sapientia satellitum Satanæ & aduersariorum Christi, a' uera Christi cognitione & percipienda & retinenda abduci se sinant. Quare, quanto magis sæuit Satan aduersus Christum, tanto diligentius uera Christi doctrina cognoscenda, & constantius tuenda est. Quid autem uere de Christo sentiendum & credendum sit, hoc perspicue docet Ioannes in Euāgelio suo. Reuertamur igitur ad institutum nostrum, & cum audiuerimus, de quo uerbo loquatur Ioannes, cum ait, In principio erat VERBVM (loquitur enim de VERBO Dei, de Filio Dei, de diuina natura le

ſu Chriſti Domini noſtri) audiamus nunc, quid de illo VERBO concionetur. Natura autem fert, ut de re quadam exacte, & ordine do cturi, primum omnium explicent, q̃ ſit, deinde, quid ſit, poſtremo, quid agat, aut quod ſit officium eius. In explicatione igitur VERBI Ioannes hunc naturalem ordinem obſeruat, & initio concionatur de VERBO, q̃ non ſit res fictitia, aut cogitatio tranſiens, ſed res uera, per ſe (quanq̃ non a' ſe) ſubſiſtens, & in æternum permanens. Verbum (inquiens) ERAT in principio, hoc eſt, Erat ab æterno, antequam quicq̃ eſſet aut factum aut creatum. Filius enim Dei, quem diximus hoc loco uocari VERBVM, non tunc primum cœpit eſſe, cum aſſumpſit hominem ex Maria uirgine, quemadmodum Cerinthus & Ebion blaſphemarunt. Aſſumpſit quidem ex Maria uirgine hominem & cœpit tunc homo eſſe, ſed non cœpit eſſe filius Dei. Amen dico uobis, inquit, anteq̃ Abraham naſceretur, ego ſum. Et apud Michęam. Egreſſus eius ab initio, a' diebus æternitatis. Deinde, filius Dei, nec factus, nec creatus eſt, ante alias creaturas, ut fuerit aliquãdo, cum non eſſet, quẽadmodum Arriana impietas inſaniit. Ego (inquit) & pater unum ſumus, Vnum uidelicet, non uoluntate tantum, quemadmodum credentes in Chriſto unum ſunt, nec potentia tantum, ſed etiam natura & eſſentia. Neq̃ enim poſſet eſſe uera uoluntatis & potentiæ unitas, niſi etiam eſſet naturæ ac eſſentiæ unitas. Et ad Heb. Filius eſt ſplendor gloriæ Dei, & effigies ſubſtantiæ eius. Deus autem ab æterno extitit, fulſit & ſplenduit. Quare neceſſe eſt fulgorem & ſplendorem eius, qui eſt filius ipſius, ab æterno fuiſſe. Nunquid ergo filius Dei a' ſeipſo eſt, quia eſt ab æterno, nec factus, nec creatus? Nequaq̃. Ab æterno quidem eſt, ſed Genitus a' Deo patre ſuo. Filius meus, inquit, es tu, ego hodie genui te. Cum autem hic Deus ipſe loquatur, quid coram ipſo eſt HODIE, niſi ab æterno? Nam cum coram Deo, omnia præterita, præſentia & futura, uix ſint unum unius horulæ punctum, perſpicuum eſt æternitatem eſſe hodiernum eius diem, qui ex innumeris conſtat punctis. Non ſolũ autem Genitus, ſed etiam Vnigenitus filius uocatur. Vidimus, inquit Ioannes, gloriam eius, gloriam tanq̃ unigeniti a' patre. Et iterum: Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret. Porro, cum audimus, filium a' Deo patre genitum eſſe, nihil hic carnale, nihil humana ratione comprehenſibile imaginandum eſt. Quod enim in hac fit genitura cognoſci quidem poteſt è ſcriptura per fidem, quid genitum ſit, nimirum, filius a' patre, Sed quo modo hic filius genitus ſit, hoc demũ eſt in huius mundi tenebris inenarrabile. An non & ſplendor dicitur gigni a' ſole, & tamen id fit ſine ullius mulieris aut obſtetricis ope, quanto magis Deus ipſe gignere potuit filium ſine ullo

aduenticio

aduenticio auxilio? Abijciamus igitur carnales cogitationes, & credamus simpliciter uerbis Sancti spiritus, qui in scriptura docet, filium Dei genitum esse a Deo patre suo inæternum. Nec necesse est, ut id in hoc mundo humana ratione comprehendamus; sed necesse est ut credamus, tunc comprehensuri, cum hoc mortale induerit immortalitatem, et uiderimus eum facie ad faciem. Habes de VERBO, cp sit, audiamus nunc, quid sit. Et VERBVM, inquit, erat apud Deum. Vnus quidem tantum est Deus, una tantum est diuina natura & essentia, quemadmodum pauloante diximus, Sed in hac una Dei natura, tres sunt personæ, suis inter se proprietatibus distinctæ, Pater, filius & spiritus sanctus. Verbum igitur, qui est filius Dei, non est ea persona, quæ dicitur pater, nec est ea persona quæ dicitur spiritus sanctus, Sed erat, inquit, APVD Deum, hoc est, Verbum est uere natura subsistens, seu persona distincta a patre & spiritu sancto. Hic autem obserua mihi, cp egregie occurrat scriptura humanæ seu cogitationi seu curiositati. Nam, cum humana ratio egreditur cogitatione sua extra hunc mundum, non reperit, nisi maximas tenebras, summā caliginem & obscuritatē, adeocp prorsus nihil inuenit, quod animo concipere queat. Admiratur ergo uehementissime, cum dicitur, filium Dei fuisse ante conditum mundum ab æterno, ubi tamen, & apud quem fuerit? Nondum erat cœlum, nondum erat terra. Vbi ergo erat sedes filij Dei? ubi scabellum pedum eius? Hic respondet Ioannes: Filius Dei erat apud Deum. Quid amplius quæris? quid amplius desideras? Quantum ad humanam quidem rationem attinet, tunc ante hunc mundum conditum & extra eum, non cogitantur nisi tenebræ & caligo. Quantum autem attinet ad Deum patrem & spiritum sanctum, certe non est, nisi lux longe omnium clarissima & splendidissima. Cum igitur dicitur, Filius erat apud Deum, quæso te, ubi & apud quem potuisset aut commodius, aut honoratius, aut illustrius esse? Erat enim apud Deum, uidelicet, patrem & spiritū sanctum. Cœlum quidem, quod oculis patet, egregium & admirabile est ædificium. Sed quid obsecro est ad Deum patrem et spiritum sanctum? profecto mille myriades Cœlorum, non sunt tanti, ut possent ulla ratione cum immensa, imperscrutabili, & longe omnium clarissima patris & spiritus sancti maiestate æquari. Cum igitur filius Dei fuerit ante mundum conditum, apud Deum patrem & spiritum sanctum, non est sentiendum ipsum fuisse in tenebris, Sed in longe maiori & clariori luce ac maiestate, cp si possibile fuisset, innumeros, absque hoc, cœlos & soles, in quibus habitaret, creatos esse. At enim dices, ad maiestatem pertinet, ut late domineris, & multos habeas seruos, ac ministros. Quam igitur maiestatem habuit filius Dei ante mundum

conditum, cum nondum creata erant, cœlum & terra, in quibus domi nareť, nec creati erant Angeli & homines, ministri ac serui Dei? Hic considera mihi, longe aliam esse rationem diuinæ, cꝫ humanæ maiestatis. Multitudo enim seruorum, etsi uidetur esse terreni regis maiestas, tamen si probe rem perspicias, magis est argumentum humanæ imbecillitatis & indigentiæ, cꝫ potentiæ, & abundantis maiestatis. Nam, si terrenus rex uera maiestate præditus esset, tunc ad tuendum regnum suum, posset omnes uires è seipso petere, nec indigeret ministerio & adiutorio seruorum. Nunc, quia necesse habet aliunde uires petere, & seruorum auxilio uti, perspicuum argumentum est imbecillitatis & impotentiæ personæ eius, & manifeste apparet eum non esse uera maiestate præditum. Deus autem sibi ipsi sufficit, omnia à se ipso petere potest, nec ullius alterius rei consilio uel auxilio indiget. Creauit quidem angelos, creauit homines, creauit cœlum & terram, non cꝫ horum opera & ministerium sibi necessaria essent; Sed quia bonus & clemens est, creauit ea, ut essent res, quę bonitate, & clementia sua fruerentur, ex quibus etiam nihil maiestatis accessit Deo, sed potius à Deo aliquid maiestatis accessit ipsis. Quare, etsi nec angeli nec homines fuerunt ab æterno, tamen filius Dei quia & ipse Deus est, quemadmodum mox sequitur, & erat apud Deum, patrem & spiritum sanctum, semper fuit in summa & longe omnium excellentissima maiestate. Nam, quod de imperij latitudine dicitur, obsecro te, existimas ne cœlum & terram tanti esse, ut habeant coram diuina maiestate quandam latitudinis speciem? Pueri ex Mathematis docentur hanc terram si conferatur cœlo, uix puncti rationem habere. Quam igitur rationem haberent cœlum & terra, si conferantur tantę, tamcꝫ immensę & imperscrutabili Dei maiestati? Et quid obsecro latius, qd amplius, quid augustius ipsa dei maiestate, quam nec cœlum, nec cœli cœlorum capiunt, cogitari potest? Sentiendum igitur est, filiũ Dei satis latum habuisse imperium, cum fuit in æterna sua maiestate. Sed hęc mysteria magis admirari possumus, cꝫ explicare. Quare reuertemur ad nostrum institutum. Quid ergo dicemus? Num quia Verbum seu filius Dei est alia persona à patre & spiritu sancto, non est uerus Deus? Absit hæc impietas, Sequitur enim: Et Deus erat Verbum. Filius Dei non solum erat apud Deum, alia persona à patre & spiritu sancto, Sed etiam erat Deus ipse, imo idcirco Deus est, quia est una è tribus personis, quæ sunt in una diuina natura. Quid autem potest de diuina Christi Domini nostri natura manifestius dici? VERBVM (inquit) erat Deus. Quod si nullum aliud præter hoc extaret testimonium in scriptura, de diuina natura filij Dei, tamen hoc unum pręponderat omnibus humanis cõmentis. Nunc, hoc tanto maio-

Regia maiestas inter homines non est uera maiestas

Terræ amplitudo.

to maioris est ponderis, quanto plura alia testimonia scripturæ accedunt. Verbum enim, quod est filius Dei, nõ solum uocatur DEVS, sed etiam EST natura uerus ab æterno Deus, consubstantialis deo patri suo, quemadmodum, si Deus proposito nostro faueat, paulo post in alia Homilia copiose demonstrabimus.

Cæterum, ne quis putet eum sic esse patri cõsubstantialem, ut non esset distincta persona a' patre & spiritu sancto, repetit Ioannes, quod prius dixerat. Hoc, inquiens, erat in principio apud Deũ. Nã ꝙ filius Dei, uerus est Deus, non impedit, q̃ minus sit distincta persona, a' patre & spiritu sancto. Quod autem est distincta persona, non impedit, quo minus sit uerus Deus. Simul enim est & uerus Deus, & alia persona a' patre & spiritu sancto, ut ueneremur unum Deum, quemadmodum recte habet Symbolum Athanasianum, in trinitate, & trinitatem in unitate, neqꝫ confundentes personas, neqꝫ substantiam separantes. Hanc sententiam de diuina natura & persona Christi filij Dei tradidit nobis sacra scriptura, tradiderunt & nobis è scriptura maiores nostri, quemadmodum publica eorum scripta testantur. Ac operæ precium est uidere, quanto labore, quantis periculis, quantis difficultatibus, quantis cruciatibus constiterit eos, ut ueram spiritus sancti sententiam & doctrinam de Iesu Christo Domino nostro tuerentur, & Ecclesiæ post se prædicandam relinquerent. Nam, ut nihil interim dicam, quid prophetis, de Christo prædicantibus acciderit, de qua re Stephanus ait: Quem prophetarum non sunt persecuti patres uestri, & occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iusti illius? consideremus primum, quanto furore Iudæi grassati sint in Christum ipsum, ꝙ ut uere, ita & ingenue prædicauerit se esse Deum. Quærebant eum, inquit Ioannes, interficere, quia non solum soluisset Sabbatum, sed & patrem suum dixisset Deum, æqualem se faciens Deo. Et iterum: Lapidamus te, inquiunt, ꝙ cum homo sis, facis teipsum Deum. Ac rursus: Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit. Itaqꝫ constitit Christum ipsum sanguine & uita sua, ut hanc de diuina sua natura doctrinam Ecclesiæ suæ traderet. Deinde, quantum persecutionis & crudelitatis sustinuerint tam a' Iudæis, q̃ꝫ a' gentibus hi, qui initio uulgati Euangelij post Pentecosten, prædicauerunt, & confessi sunt, Iesum Christum esse uerum Deum & seruatorem nostrum, manifestius est, q̃ꝫ ut hoc loco pluribus recitari debeat. Nam, ut non commemorem uincula, direptiones bonorum, proscriptiones, & exilia, quot, obsecro, & apostoli, & apostolorum discipuli crudelissime occisi, & trucidati sunt, hoc tantum nomine, ꝙ publice confiterentur omnes deos Gentium esse dæmonia, solum autem Iesum Christum esse uerum Deum, & seruatorem

nostrum. Et hęc passi sunt pij à Iudæis & gentibus, qui ex professo erant hostes Christi. Quantas autem tulerint afflictiones ab ijs, qui uolebant uideri cultores Christi, & tamen impia de Christo docebant, uix in pauca conferri potest. Nam, ut uera doctrina & fides de diuina natura Christi in Ecclesia conseruaretur, necesse habuit hic noster Ioannes Apostolus suscipere laborem scribendi sui Euangelij, quo palam confirmaret, Christum uerum esse Deum. Secuti sunt postea multi sanctissimi & doctissimi uiri, qui propter improbitatem hæreticorum coacti fuerunt, maximo omnium rerum suarum periculo, diuinitatem Christi, tum uoce, tum scriptis publice tueri. His deinde accessit Concilium Nicęnum, in quo non solum sancti patres, uerumetiam pius Imperator Constantinus, summus ac præcipuus totius orbis Monarcha, non parum sudauerunt, ut uera doctrina de diuinitate Christi, iuxta sacram scripturam, ac sententiam spiritus sancti conseruaretur. Post hoc Concilium, exorti sunt Ariani, maxima coram hoc mundo autoritate, multitudine & potentia, qui cum docebant Christum non esse uerum ab æterno Deum, multo crudelius tam in Asia, cꝫ in Africa persequebantur eos, qui recte de diuina natura Christi sentiebant, cꝫ quondam Iudæi & Gentes persecuti fuerant. In quibus persecutionibus, non uiri tantum, non mulieres tantum, sed & pueri ac puellæ, uindicauerunt diuinam maiestatem Christi, perpetiendis exheredationibus, carceribus, ungulis, exilijs, eculeis, nec uulgaribus tantum, uerumetiam recens excogitatis, ijscꝫ crudelissimis supplicijs ac mortis generibus. Ibi tum audijsses, etiam pueros inter tormẽta fortiter confitentes & clamantes, Christianus sum, Christum, uerum Deum credo & adoro. De qua re, quia copiose scribunt Ecclesiasticæ historiæ, & nos ad huius concionis finem properamus, non erimus nunc prolixiores. Nam, cꝫ maiores nostri tanto labore, ac etiam sanguine suo uerã doctrinã de diuina natura Christi aduersus impia dogmata defenderint, ac nobis eam synceram, & perspicue explicatã post se reliquerint, idem plane est, quod Christus ait. Alij laborauerunt, & uos in labores eorum introijstis. Quare suscipiamus hanc doctrinam grato animo, & obsequamur uocationi Christi, ut & beneficijs eius fruamur, qui est una cum patre & spiritu sancto DEVS benedictus in secula Amen.

Ariani.

Vide historiã Trip. & Victoris de persecutiõe Vandalorum.

Ioannis 4.

HOMILIA III.

LAV-

AVDA anima mea DOMINVM, inquit Psalmus, laudabo DOMINVM in uita mea, psallam Deo meo, quamdiu fuero. Quare, postq̃ Ioannes Euangelista suscepit describendam maiestatem DOMINI nostri Iesu Christi, & nos nunc in explicanda hac descriptione toti uersamur, agite, amicissimi, declaremus officium nostrum, laudemus DOMINVM in uita nostra, illustremus pro uirili nostra gloriam nominis Christi, & dicamus paulo copiosius de diuina eius natura, ut uel aliquo modo, quanta sit maiestas eius cognoscatur. Non eget ipse humanis laudibus, sed nos egemus cognitione eius. Hęc, inquit, est uita ęterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Fieri enim non potest, ut qui ignorat Iesum Christum filium Dei habeat ueram ęterni DOMINI Dei nostri notitiam, & periculosissime ac extreme errat, qui sibi absq; uera Iesu Christi cognitione, iustitiam ac salutem pollicetur. Dicemus igitur quædam de diuinitate Christi, & patefaciemus, quantum quidem ipse nobis clementer donauerit, gloriam eius, ut splendore eius illustrati, cœlesti fœlicitate fruamur. Sed ne in expositione maiestatis filij Dei, uideamur patrem & spiritum sanctum honore diuinitatis excludere, sic de Iesu Christo filio Dei dicemus, ut etiam diuinitatem aliarũ duarum personarũ, patris & spiritus sancti testimonijs sacrę scripturę, quantum ad nostrum propositum satis uidebitur, ostẽdamus. Etsi em̃ nihil certius est, q̃ q̃ una tantum sit diuina natura, seu unus tantum uerus ac æternus Deus. Audi (inquit) Israel, DOMINVS Deus uester, Deus VNVS est. Et iterum: Nunquid non ego DOMINVS, & non est ultra Deus absq; me, Deus iustus & saluans, non est prętер me, tamen nihil etiam certius, nihil firmius est, q̃ q̃ in hac una diuina natura sint tres distinctę substantię, quas nos personas uocamus. Magnę autem inscitię & impietatis accusant nos Iudęi & Saraceni, q̃ credamus & confiteamur tres personas in una diuina natura, ac uociferantur nos colere tres deos. Quod si diserte exponimus, nos unum tantum Deum colere, satis mirari non possunt, quomodo sibi hæc conueniant, q̃ affirmemus tres distinctas esse personas, & unum tantum Deum. Sed quid ad nos istorum uanissimorum & impijssimorum hominum clamores & stupores? Cum enim sint a' Deo propter impietatem abiecti, non est mirum, q̃ nihil rerum diuinarum aut probe cognoscant, aut recte cognoscere queant. Nos non laboramus, ut hoc imperscrutabile mysterium humano cap

Deus VNVS

tu intelligamus, ſed ut quod ſpiritus ſanctus in ſacra ſcriptura tradit, obedienter credamus. Perquirendum enim nobis eſt, quid de diuina natura credendum, non quomodo in hac quidem mortali uita, humana ratione comprehendendum ſit. Manifeſtum autem eſt, ꝙ ſacra ſcriptura doceat, unam quidem tãtum eſſe diuinam naturam. Sed in hac una natura proponat tres perſonas proprietatibus ſuis inter ſe diſtinctas, patrem uidelicet, ac filium & ſpiritum ſanctum. Audiamus igitur teſtimonia ſcripturę, quibus hæ tres perſonę in una diuina natura recenſentur, & adorandę proponuntur. Apud Matthęum capite tertio, in baptiſmo Chriſti, auditur uox è cœlis de Chriſto: Hic eſt filius meus dilectus. Habes hoc loco duas perſonas, Patrem, qui manifeſtatur uoce: Et filium, ad quem fit uox patris. Additur autem & tertia perſona, Spiritus ſanctus. Is enim, aperto cœlo deſcendit tanq̃ columba & uenit ſuper Chriſtum. In Euangelio Ioannis capite quinto dicit Chriſtus: Pater diligit filium, & omnia demonſtrat ei, quę ipſe facit. Habes hic duas perſonas, patrem & filium, Sed & tertia perſona aliàs commemoratur apud Euangeliſtas, cum faciunt mentionem peccati in ſpiritum ſanctum. In eodem Euangelio capite decimo quarto, Paracletus ille (inquit Chriſtus) qui eſt ſpiritus ſanctus, quẽ mittet pater nomine meo, ille uos docebit omnia. Recenſentur & hoc loco tres perſonę, Pater qui mittit, Filius, qui loquitur, & cuius nomine mittitur, & Spiritus ſanctus, qui mittitur. Apud Matthæum cap. ultim. Baptiſantes eos, inquit, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Quid de tribus perſonis poſſet magis perſpicue dici? Reliquum igitur nunc eſt, ut oſtendamus unamquamq̃ harum trium perſonarum, eſſe natura ſua uerum ac ęternum Deum, hoc eſt, unum tantum eſſe uerum & ęternum Deum. Ac de patre quidem ꝙ ſit uerus & æternus Deus, nulla nec eſt dubitatio, nec controuerſia. Hęc eſt uita ęterna, (inquit Chriſtus) ut cognoſcant te ſolum uerũ Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Et Paulus, Benedictus, inquit, Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt pater miſericordiarum, & Deus omnis conſolationis. Et in Actis apoſtolicis, capite tertio ait Petrus: Deus Abraham & Iſaac & Iacob, Deus patrum noſtrorum glorificauit filium ſuum Ieſum, quem uos tradidiſtis. Sed quid opus eſt in re manifeſta, & ab omnibus qui modo non negant eſſe diuinam naturam, conceſſa, ſollicite teſtimonia ſcripturę commemorare. De filio autem Dei, qui eſt Ieſus Chriſtus DOMINVS noſter, ꝙ ſit uerus ab ęterno Deus, & ὁμοούσιος, hoc eſt, coeſſentialis cum Deo patre ſuo, magnę olim fuerunt & adhuc ſunt inter hoĩes cõtrouerſię. Satanẽ uidet hunc eũ eſſe, qui conterat ipſi caput ſuũ, et qui ſeruet oẽs credentes in eum, ad perpetuã uitã. Quare totus in hoc ſtudium incumbit, ut

Perſonæ tres

Pater Deus.

Filius Deus.

bit, ut maiestatem eius aut prorsus ab oculis hominum abscondat, aut obscuret, quo Christus uel ignoratus, uel corrupte ac uitiose agnitus nullam afferat hominibus salutem. Diligenter igitur consideranda sunt testimonia scripturæ, quibus uera & æterna diuinitas filij Dei probatur. Principio, manifestum est, q̃ spiritus sanctus in sacra scriptura tribuat filio, seu Christo Domino nostro nomen Dei. In Euangelio Ioannis cap. uicesimo ait Thomas ad Christum, Dominus meus & Deus meus. Et in actis Apostolicis capite uicesimo. Spiritus sanctus, inquit Paulus, posuit uos episcopos ad regendã Ecclesiam DEI, quam acquisiuit sanguine suo. Vides perspicue Christum uocari Deum. Ac iterum, Paulus ad Romanos scribens. Ex quibus, inquit, est Christus, quantum ad carnem attinet, qui est in omnibus Deus benedictus in secula Amen. Et in Epistola ad Hebræos capite primo, Ad filium dicit: Thronus tuus, Deus in seculum seculi, uirga rectitudinis, uirga regni tui. Accedit his & Ioannes in prima Epistola capite quinto. Sumus, inquiẽs, in uero, in filio eius Iesu Christo. Hic est uerus Deus, & uita ęterna. Sed quid? Num hæc testimonia impijs ita satisfaciunt, ut & ipsi tribuant Christo honorem diuinitatis? Non est nobis nunc sermo de ijs impijs, qui aut uniuersam sacram scripturam damnant, aut etsi agnoscunt autoritatem propheticorum, non tamen agnoscunt autoritatem Apostolicorum scriptorum, quales sunt Iudei. Nec sermo nobis est de impijs Mahumetanis, qui abiectis propheticis & Apostolicis scriptis commenti sunt nouum genus religionis, aut potius impietatis. Sed de his loquimur qui dicunt se agnoscere Prophetica & Apostolica scripta, & tamen negant diuinitatem Christi. Hi sunt Ariomanitæ, autores quondam maximarum turbarum in Ecclesia. Quo hominum genere nullum unq̃ maiorem intulit cladem Ecclesię Christi. Ex his orti sunt Mahumetani, qui quàm graues sint non tantum Ecclesiæ, uerumetiam toti orbi terrarum, manifestius est, quàm quod hoc loco commemorari debeat. Ariomanitæ igitur, tribuebant quidem & ipsi nomen Dei Christo, Sed dicebant nuncupationem magis esse, q̃ naturam & ueritatem Dei. Arius autor huius impietatis, in ea Epistola, quam scribit ad Eusebium, dicit Christum extitisse πρὸ χρόνων τῆς πρὸ αἰώνων, hoc est, ante tempora & ante secula. Et quidem addit de Christo, πλήρης θεὸς μονογενὴς, hoc est, plenus Deus unigenitus. Quid magis pie dici uidetur? Et tamen impius Sycophanta hoc unum agit, ut tribuendo Christo nomen, auferat ab eo rem, naturam & ueritatem diuinitatis. Dicit CHRISTVM fuisse quidem ante secula, non autem ab æterno a' Deo patre suo ex substantia seu essentia eius genitum, Sed

Ariomanitæ

Vide Epiphanium & Theodoritum.

postq̃ aliquando non fuerit creatum. Dicit eum nuncupari quidem Deum, sed non esse ab æterno uerum Deum, patri suo coessentialem. Ostendemus igitur nunc, q̃ Christo non tribuatur tantum nomen Dei, sed etiam res ipsa, hoc est, natura & ueritas diuinitatis. In Genesi capite tertio dicitur: Semen mulieris conteret caput tuum. Hæc est promissio de Christo, q̃ sit oppressurus potentiam Satanæ. Nemo autem potest Satanam opprimere, nisi Deus. Necessario igitur sequitur, q̃ Christus non uocetur tantum Deus, sed etiam sit reipsa uerus Deus. Et in Genesi capite uicesimo secundo. In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Est & hæc promissio de Christo, & intelligenda est de spirituali benedictione, quemadmodum interpretantur eam scripta Apostolica. Benedicere autem spiritualibus donis, est solius Dei opus. Cum igitur Christus afferat spiritualem benedictionem, manifestum est, q̃ sit uerus Deus. In Psalmo octauo omnia subiiciuntur Christo. Habere autem omnia subiecta est diuina maiestate præditum esse. Adorabunt eum, inquit Psalmus septuagesimus primus, omnes reges, omnes gentes seruient ei. Sed quis adorandus est spirituali adoratione, præter solum Deum? Quare cum Psalmus dicat Christum adorandum, palam prædicat eum esse uerum Deum. Et rursum Psalmus centesimus nonus ait: Dixit DOMINVS domino meo, sede à dextris meis. Sedere à dextris Dei, est æqualis esse cum Deo maiestatis. Deus autem non tribuit alteri, iuxta Esaiam, gloriam & maiestatem suam. Et tamen tribuit eam Christo. Quare sequitur Christum uerum esse Deum, unius & eiusdem cum patre suo essentiæ. Esaias dicit, Iustificabit ipse seruus meus iustus multos. Cum autem solus Deus iustificet, nihil aliud reliquũ est, q̃ quod Christus, qui iustificat, uerus sit Deus. Quid multis opus? Tota sacra scriptura eo tendit, id agit, ad eum exitum properat, ut tribuat Christo benedictionem, iustificationem, uiuificationem, salutem, & redemptiõem, quæ sunt solius Dei opera. Hæc etsi manifeste probant diuinitatem Christi, Satan tamen, qui est perpetuus hostis Christi & organa Satanæ, homines impij & conscelerati nunq̃ non inueniunt, quod eludant, quod cauillentur & calumnientur. Sicubi enim scriptura testatur Christum ab omnibus gentibus adorandum, partim exponunt de ciuili adoratione, quali Monarchę huius seculi adorari solent, partim affirmant adorandum quidem eum, ut plenum Deum, non tamẽ esse ipsum natura ab æterno Deum. Hic est Arianorum furor. Alij dicunt, Si ex adoratione probari posset diuinitas Christi, tunc & scabellum pedum Dei (sentiunt autem arcam seu propitiatorium sic dici) esset Deus. Scriptum enim est: Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Et quanq̃ in hebrgo textu non simpliciter dicatur: Ado-

tur: Adorate ſcabellum, Sed adorate AD ſcabellum, ſicut & aliàs: Adorabo Ad templum ſanctum tuum in timore tuo, tamen cum eſt ſermo de adoratione, hebræus textus eadem utitur uerborum ſyntaxi, ſiue de adoratione quæ exhibenda eſt ſoli uero Deo, ſiue de adoratione, quæ homini exhiberi ſolet, loquatur, quemadmodum perſpicue uides in priori libro παραλειπομένων capite uiceſimo nono. Dicit enim ſcriptura: Inclinauerunt ſe & adorauerunt DOMINVM, & regem. Vbi iuxta grammaticam legendum eſſet: Incuruauerunt ſe Domino, & regi, uel, Adorauerunt ad DOMINVM, & ad regem. Quare contendunt ex adoratione non poſſe probari diuinitatē Chriſti. Deinde ſicubi ſacræ literæ tradunt Chriſtum eſſe uiuificatorem, iuſtificatorem, & redemptorem, nugantur iſti impij Chriſtum hæc opera perficere, non ut autorem, ſed ut ſeruum, non ut natura Deum, ſed ut miniſtrum Dei. Nam ſcriptura uocat etiam Chriſtum, ſeruum ac miniſtrum Dei. Ecce ſeruus meus (inquit DOMINVS per Eſaiam) ſuſcipiam eum, complacuit ſibi in illo anima mea: Ac certum quidem eſt, ꝙ cum ante conſtiterit, Chriſtum eſſe natura ab æterno uerum Deum, tunc conſtabit etiam, eum uiuificare & iuſtificare ut autorem, ac Deum ipſum. Si quis autem negauerit Chriſtum eſſe natura Deum, & obijciantur ei teſtimonia de uiuificatione & iuſtificatione, uociferatur nondum ſibi ſatisfactum, quippe ꝙ & prædicatio Euangelij, & aqua baptiſmi, & Apoſtoli, atqꝫ eccleſiaſtę dicantur homines uiuificare & iuſtificare, & tamen nihil harum eſt natura Deus. Prętera, cum recitatur Chriſtum hinc probari uerum eſſe deum, ꝙ ſcriptura dicat, credendum eſſe in Chriſtum. Omnis, inquit, qui credit in eum, non perit, Sed habet æternam uitam, obijciunt illud è poſteriori libro παραλειπομένων capite uiceſimo: Credite in DOMINO Deo ueſtro, & ſecuri eritis, credite prophetis eius, & cuncta euenient proſpera. Vbi iuxta hebræum textum ſic legitur: Credite in DOMINVM Deum ueſtrum, & firmi eritis, Credite in prophetas, & proſpere agetis. Qua cohortatione iubet rex Ioſaphat Iſraelitas non ſolum in Deum, ſed etiam in prophetas credere. Et tamen ex hoc probari non poteſt, ꝙ prophetę ſint natura ueri dij. Quomodo ergo ex ijs locis, quę concionantur de habenda fide in Chriſtum, probari poteſt, Chriſtum eſſe uerum natura Deum? Hęc uidētur quidem imperitis habere quandam ſpeciem non omnino falſæ ſapientiæ, & apparent humanæ rationi à uero non abhorrere, præſertim cum teſtimonia ſacræ ſcripturæ ab iſtis citentur, Sed ſunt uere ignita, ac uenenata & mortifera tela Satanę, qui hoc unum agit, ut maieſtatem Chriſti in terra obſcuret, aut prorſus è terra tollat. Quare accingamus nos gladio ſpiritus, quod eſt uerbum Dei, & aſſumamus ſcutum fidei, ut

possimus resistere, & tam ignita ac pestifera tela Satanæ extinguere. Perquiramus igitur & inuestigemus euidentia & perspicua testimonia, quibus Christum esse uerum ac naturalem ab æterno Deum ita ostendatur, ut nullus siue hominum siue diabolorum (Si modo sua sacræ scripturæ autoritas inuiolata constiterit) quicq̃, quod uerisimile aut probabile uideatur, contradicere queat. Sed priusq̃ id aggredi amur, initio obseruandum est, q̃ scriptura noui testamenti sit Apocalypsis, reuelatio, & commentarius ueteris testamenti, & quod in Veteri testamento obscure traditur, hoc in Nouo perspicue explicetur. Dixit enim Mose de Christo. Ipsum audite. Christus autē iussit nos audire Apostolos. Qui uos, inquiens, audit, me audit. Et testatur de apostolis, q̃ spiritus sanctus sit ducturus ipsos in omnem ueritatem. Vaticinatur etiam Esaias de perspicuitate doctrinæ Euangelij in Nouo testamento. Ibunt, inquens, populi multi & dicent: Venite ascendamus ad montem Dei Iacob, & docebit nos uias suas & ambulabimus in semitis eius, quia de Zion exibit lex, & Verbum DOMINI de Hierusalem. Et iterum: Dabo omnes filios tuos doctos a' DOMINO. Ac rursus: Repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris operientis. Et Hieremias: Non docebit ultra uir proximum suum, & uir fratrem suum dicens: Cognosce DOMINVM. Omnes enim cognoscent me a' minimo eorum usq̃ ad maximũ, dicit DOMINVS. Hæc omnia intelligenda sunt de perspicuitate doctrinæ Euangelij, quæ extat in libris Noui testamenti. Nec fieri potest, ut scripta prophetica, clare & aperte absq̃ scriptis Apostolicis, seu Noui testamenti intelligas. Christus enim, quem Apostolica scripta explicant, est interpres Veteris testamenti. Si credidissetis, inquit, Mosi, credidissetis utiq̃ mihi, De me enim ille scripsit. Et iterum: Necesse fuit impleri oĩa quę scripta sunt in lege Mosi & prophetis & psalmis de me. Et aperuit mentem illorum, ut intelligerent scripturas. Et ad Corinthios: Ad hunc usq̃ diem, inquit Paulus, cum legitur Moses, uelamen cordibus illorum impositum est. At ubi conuersi fuerint ad DOMINVM, tolletur uelamen. Quare tum demum habebimus certa ac firma testimonia diuinitatis Christi, cum lucem Euangelij, seu scripturæ Apostolicæ inferimus in scripturam propheticam, & alteram alterius splendore illustratam diligenter intuemur. Deinde hoc etiam obseruandum est, q̃ ubicunq̃ prophetica scriptura uocat Deum hoc nomine יְהוָה quod legunt quidem Adonai, Sonat autem iuxta literas & puncta, Iehoua, ibi intelligit uerum ab ęterno Deum. Nam alia uocabula Dei apud Hebręos, solent etiam aliquoties creaturis tribui, hoc autem uocabulum Iehoua, quod uocant Tetragrammaton, non tribuitur nisi soli uero & ęterno Deo, rerum omnium creatori & conseruatori.

Scriptura noui testamenti

conseruatori. Quæ cum ita se habeant, recitabimus nunc dicta Apostolicæ scripturæ, quæ allegatione & interpretatione dictorum prophetticorum manifeste & euidēter demonstrant, Iesum Christum esse uerum & æternum Deum Zebaoth.

Lucas Euangelista, in ij. cap. Euangelij sui scribit Symeonem Mariæ de Christo filio suo, sic concionatum esse. Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel. Cum hac concione conuenit & illud, quod Petrus in priori sua epistola ca. ij. de Christo scribit: Hic cepit esse caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali. Reuertamur ergo nunc ad prophetica scripta, & quęramus, num quispiam prophetarum scripserit hęc, quæ Symeon & Petrus de Christo concionantur. Inuenimus autem in Esaia cap. viij. ita scriptum: DOMINVM (Iehoua) Zebaoth ipsum sanctificate, & ipse pauor uester, & ipse terror uester, & erit uobis in sanctificatiōem, in lapidem autem offensionis & petram scandali duabus domibus Israel. In hoc loco nullum est dubium, quin Esaias loquatur de uero omnipotenti & ęterno Deo, quem uocat Iehoua Zebaoth, hoc est, DOMINVM exercituum. Symeon autem & Petrus interpretantur hunc locū Esaiæ de Christo. Quare perspicuum est, ꝓ Christus, teste Esaia, & interpretibus Symeone ac Petro, sit Iehoua Zebaoth, Dominus exercituum, uerus ab æterno Deus.

In Matthęo, cap. xi. Christus ipse citat locum Malachiæ de Ioanne Baptista: Hic est, inquiens, de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum, ante faciē tuam, qui pręparaturus est uiam tuam ante te. Idem scribit & Marcus, initio Euangelij sui. Non est autem obscure, ꝓ Ioannes Baptista missus sit ante faciem Christi, & præparauerit uiam ante Christum. Quare, quod ex Propheta Malachia dicitur: Ante faciem TVAM, & uiam TVAM, ante TE, intelligendum est de Christo. Recedamus igitur ad libellum ipsum Malachiæ, & uideamus quis hæc uerba dicat, & quomodo dicantur. Sic autem legitur, cap. iij. Ecce ego mittam angelum meum, & præparabit uiam ante faciem meam. Et statim ueniet ad templum suum dominator quem uos quæritis, & angelus testamenti, quē uos uultis. Ecce uenit, dicit DOMINVS (Iehoua) Zebaoth. Primum, habes hic manifeste, ꝓ Dominus uerus Deus hæc uerba loquatur. Deinde, quod in Euangelistis scribitur, Ante faciem tuam, hoc in Propheta dicitur, Ante faciem MEAM. Quę cum sint uerba Domini Zebaoth, ueri Dei, & ab Euangelistis de Christo recitentur & exponantur, profecto manifestum est, ꝓ testentur Christum esse uerum Deum, DOMINVM Zebaoth. Accedit huc, ꝓ etiam in hoc Malachiæ loco duæ personæ in una diuina natura haud obscure significentur: Nam hæc uerba: Ecce

ce ego mittam angelum meum, & præparabit uiam ante faciem meam, loquitur Christus, uerus Deus ac DOMINVS Zebaoth. Sed ne existimemus, ꝓ quemadmodum est eiusdem essentiæ cum patre, ita etiam sit eadem cum patre persona, additur, Statim ueniet ad templum suum dominator, quem uos quæritis, & angelus testamenti, quem uos uultis. Hæc sunt dicta de persona filij, qui assumpsit hominem, & confirmauit testamentum seu pactum, quod Deus cum Abrahamo inierat. Quare concionatur in hoc loco Malachias duo maxime omnium de Christo obseruanda, Alterum, ꝓ Christus sit essentia sua unus cum patre Deus, Alterum, ꝓ Christus sit alia a' Deo patre persona. Itaq; cum pater & filius sint duæ personæ, unus tamen est uerus Deus DOMINVS Zebaoth.

Ioannes Euangelista capite duodecimo admirans stupendam incredulitatem Iudæorum, allegat illud Esaiæ cap. sexto: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua. Et addit, Hæc dixit Esaias, quando uidit gloriam eius (uidelicet Iesu Christi, de hoc enim manifeste fit sermo) & locutus est de eo. Quis autem ignorat Esaiam eo loco dicere se uidisse DOMINVM (Iehoua) sedētem super solium excelsum & eleuatum, ac audiuisse Seraphim clamantes, Sanctus, Sanctus, Sanctus DOMINVS Deus Zebaoth? Cum igitur Euangelista clare testetur Esaiam uidisse eo loco gloriam & maiestatē Christi, quis nunc dubitaret, non solum Euangelistam, sed etiam Prophetam sensisse Christum esse uerum sanctum illum Deum, DOMINVM Zebaoth, cuius gloria plena sit omnis terra, per Euangelion suum?

Idem Euangelista describens cap. decimo nono confossionem lateris Christi, allegat propheticum dictum, & ait: Facta sunt hæc omnia, ut scriptura impleretur. Videbunt in quem transfixerunt. Hoc autem scriptum est in Zacharia capite xij. Quem locum, si diligenter perpendas, manifeste uidebis eum dici de uero DOMINO Deo nostro. Sic enim ait Propheta, In die illa proteget Dominus (Iehoua) habitatores Hierusalem. Et erit qui offenderit ex illis in die illa, quasi Dauid, & domus Dauid, quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu eius. Et erit in die illa quæram conterere omnes gentes, quę ueniunt cōtra Hierusalem, & effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem, spiritum gratiæ & precum. ET ASPICIENT AD ME QVEM CONFIXERVNT. Perspicuum est, ꝓ illa uerba, Quæram conterere omnes gentes. Et, Effundam spiritum gratiæ & precum, loquatur uerus Deus DOMINVS Zebaoth. Quare perspicuum etiam est, ꝓ idem DOMINVS Zebaoth loquatur hæc uerba, Aspicient ad me quem confixerunt. Euangelista autem interpretatur ea de Christo, & dicit in Christo impleta esse.

Non

Non est igitur dubium, quin Christus, teste Zacharia, & interprete spiritu sancto in Ioanne, sit uerus DOMINVS Deus noster.

Sed audiamus etiam testimonia Pauli, qui est electum Dei organon, qui non accepit nec didicit Euãgelion suum ab homine, sed per reuelationem Iesu Christi. Is in priori epistola ad Corinthios capite decimo scribens, Necq; tentemus, inquit, Christum, sicut & quidam illorum tentauerunt & a' serpentibus extincti sunt. Hic dicit Paulus, q; Israelitę tentauerint Christum in deserto. Moses autem dicit q; tentauerint DOMINVM, (Iehoua) hoc est, uerum Deum. Cur, inquiens, tentatis DOMINVM? Et in Nume. capite decimo quarto, Dominus ipse ad Mosen ait, Tentauerunt me iam per decem uices. An nõ ex hoc manifestum est, q; Christus, teste Mose, & interprete Paulo, sit uerus ille Deus, qui populum Israel ex Aegypto eduxit, & tot miracula in deserto edidit.

Idem Paulus ad Ephesios capite quarto de ascensu Christi in cœlum scribens, allegat illud è psalmo sexagesimo septimo. Cum ascendisset in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Non est autem obscurum, q; psalmus loquatur hęc uerba de uero DOMINO Deo Israel. Etenim DOMINVS, inquiens, habitabit in finem. Currus Dei, decem millibus multiplex, millia lętantiũ, Dominus in eis, in Sinai in sancto. Quem in his uersiculis psalmus dixit DOMINVM Deum, ad hunc mox uertit sermonem suum, ob stupescens & admirans insignem eius uictoriam, ac triumphum. Ascendisti, inquiens, in altum, cœpisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Cum igitur Paulus doceat hęc de Christo dicta esse, manifestum est, q; psalmus, imo Dauid, imo spiritus sanctus sentiat pronunciet, ac promulget Christum esse uerum DOMINVM Deum nostrum.

Quid autem de uera diuinitate Christi apertius dici potest, q̃ q̃d Paulus ad Romanos capite decimo quarto scribit? Omnes, inquiens, statuemur apud tribunal CHRISTI. Scriptum est enim, Viuo ego, dicit DOMINVS, Mihi sese flectet omne genu, & omnis lingua cõfiteatur ei. Quæramus ergo, in quo propheta hoc sit scriptum. Ecce autem in medium procedit Esaias, Christo Domino nostro non solũ spiritu, sed etiam carne (uocat enim Christum, patruelem suum) coniunctus. In hoc propheta Deus ita loquitur cap. quadragesimo quinto, Nunquid non ego DOMINVS, & non est ultra Deus absq; me? Deus iustus & saluans non est pręter me. Conuertimini ad me & salui eritis omnes fines terræ, quia ego Deus & non est alius. In memetipso iuraui, egredietur de ore meo iustitię uerbum, & non reuertetur, quia Mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua

Hactenus recitaui uerba ex Esaia. Nihil autem certius est, q̃ q̃ uerus Deus hæc uerba loquatur. Vnde & diserte ait, Nunquid non ego DOMINVS & non est ultra Deus absq̃ me? Quare manifeste docet Christum esse uerum Deum, & præter hunc, non esse alium Deum. Fingant, eludant, peruertant impij uerba scripturæ, quoquo modo uelint ac possint, certe hic locus Pauli de diuinitate Christi ex Esaia tam apertus, tam clarus est, ut si agnoscis autoritatē Pauli, (Quis autem eam tam cœlestibus ac diuinis testimonijs approbatam non agnosceret?) necesse habebis fateri & Paulum & Esaiā tribuere Christo diuinam naturam & maiestatem.

Epistola ad Hebræos confert in capite primo angelos cum Christo & ait: Cum inducit primogenitum in orbem terrarum dicit. Adorent eum omnes angeli. Hic uersiculus continetur in psalmo nonagesimo sexto. Et manifestum est q̃ hic psalmus proponat dijs, ut habet hebræus textus, seu angelis Dei adorandum uerum Deum DOMINVM (Iehoua), a' cuius facie montes sicut cæra fluunt, & cuius aspectu commouetur omnis terra. Apostolus autem exponit hoc de Christo, & docet psalmū iubere omnes angelos adorare Christum. Docet igitur Christum esse uerum illum Deum, qui, cum uidet, commoueatur terra, & montes fluant sicut cera. Deinde addit Apostolus: Ad angelos quidem dicit: Qui creat angelos suos spiritus, & ministros suos ignis flammam. Ad filium autem: Thronus tuus Deus in seculum seculi, uirga rectitudinis, uirga regni tui, Dilexisti iustitiā & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lęticię prę consortibus tuis. Hoc scriptum est in psalmo quadragesimo quarto: Et cum apostolus testatur spiritum sanctum sic alloqui Christum, perspicuum est, q̃ sentiat Christum esse uerum deum, cuius thronus sit perpetuo durabilis. Et ne quis possit hoc cauillari, addit ex psalmo centesimo primo: Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut uestimentum ueterascent. Non est autem dubium, quin psalmus loquatur de DOMINO uero Deo, quemadmodum ex tota psalmi serie manifestum est. Quare cum apostolus referat hoc in Christum, & interpretetur de Christo, nihil manifestius est, q̃ q̃ doceat Christum esse uerum ab æterno Deum creatorem cœli & terrę.

Possem & alia id genus testimonia in medio ponere, sed puto ex his, quæ recitauimus, satis perspicuum & firmum esse, quod uera & perpetua diuinitas DOMINI nostri Iesu Christi, non sit humana superstitione excogitata, sed propheticis scriptis, iuxta Apostolicam interpretationem per spiritum sanctum clarissime tradita. Non ignoro quidem Apostolicam autoritatem nihil habere ponderis apud Rabinos Iudęo-

nos Iudæorum, & alios impios. Sed quid ad nos uanissimi illi nugatores, & homines prorsus cæcati? Moses iussit nos audire Christum, Christus iussit nos audire Apostolos suos. His certe ita credendum est, ut si angelus è cœlo aliud nos doceret, anathema haberi debeat. Postquam autem diuinitas Iesu Christi filij Dei manifeste comprobata est, non possunt impij ea testimonia eludere, quæ è sacra scriptura de adoratione, dominatione, uiuificatione, iustificatione, & fide in Christũ habenda, colligi solent. Nam si Iesus Christus natura uerus est ab æterno Deus, quemadmodum ante demonstrauimus, perspicuum est, q̃ non sit tantum ciuiliter, ut politicus Monarcha, sed spiritualiter, ut uerus Deus adorandus, & quod uiuificet ac iustificet, non ut minister ac seruus Dei, nisi si consideres eum iuxta humanitatem, sed ut autor ac Deus ipse, quemadmodum & Petrus uocat eum diserte, AVTOREM uitę, quódq̃ credendum sit in ipsum, non ut in prophetam hominem tantum, sed ut in prophetam uerum ac æternum Deum. Longior fortassis fuj, q̃ temporis ratio ferat, sed quæso te, quis sermo de maiestate Christi seruatoris nostri nimis longus pijs esse queat? Angeli laudant eum continuata & perenni uoce, & pigeret nos una & altera hora in laude nominis eius commorari? Si autem instituimus hanc concionem maxime omnium ad demonstrandam ueram diuinitatem Christi filij Dei, qui est secunda persona in diuina natura, tamen quemadmodum supra de patre quædam diximus, ita adijciemus etiam pauca de spiritu sancto, qui est tertia persona, ne in explicanda diuinitate Christi, uideamur spiritum sanctum è maiestate diuinitatis deijcere. Postquam igitur ostendimus Christum filium Dei, esse uerum ab æterno Deum, eiusdem essentię cum patre, non erit nunc difficile ostendere spiritum sanctum eiusdem esse naturæ, essentiæ, & maiestatis cum patre & filio, hoc est, aliam quidem esse personam spiritus sancti, sed unum tãtum esse Deum. Nam Christus ipse assumit spiritum sanctum in maiestatis suæ æqualitatem, cum ait: Baptisantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti: Et apud Ioannem ait: Cum uenerit ille, qui est spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Non loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit, loquetur (hoc est, nullum dicet mendacium, sed certissimam ueritatem) & quæ futura sunt, adnunciabit uobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet & annunciabit uobis. In hoc loco, cum Christus affirmet spiritum sanctum de suo accipere, manifeste tribuit ei maiestatis suę æqualitatem.

Actorum 5.

Spiritus sanctus est Deus

In Actis Apostolicis, cum Petrus dixisset ad Ananiam, Cur impleuit Satanas cor tuũ, ut mentireris spiritui sancto? mox addit. Non es mentitus hominibus, sed Deo, aperte uocans spiritum sanctum,

Deum. Paulus in posteriori epistola ad Corinthios cap.xiij.ait, Gratia DOMINI Iesu Christi, & caritas Dei, & communicatio spiritus sancti sit cum omnibus uobis. Hic coniungit Paulus spiritum cum Deo patre & filio significans spiritum sanctum eiusdem cum ipsis maiestatis esse.

Similiter in priori epistola ad Corinthios capite xij. Diuisiones donorum sunt,, idem spiritus, & diuisiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus, & diuisiones operationum sunt, sed idem Deus efficiens oīa in oībus. Adiungitur & hoc loco spiritus cum Deo patre & Domino filio, ut doceatur, unam & eandem esse naturam ac maiestatem patris filij & spiritus sancti.

Et in eadem epistola capite vi. Nescitis ꝙ corpus uestrum templū est habitantis in uobis spiritus sancti? Mox autem sequitur, Glorificate iam Deum in corpore uestro. Vides, ꝙ quem ante uocauit spiritum sanctum, eum statim uocat DEVM.

Esaias ait cap.vi. Et dixit Dominus ad me, Vade dic populo huic, aure audietis, & nō intelligetis. Etsi autem Esaias utitur hoc loco uulgari nomine Domini, & non illo Iehoua, quod soli Deo tribui solet, tamen manifestum est, ꝙ intelligat uerum Deum. Quod igitur Esaias adscribit uero Deo, hoc Paulus adscribit spiritui sancto. Bene, inq̄ ens, spiritus sanctus locutus est per Esaiam prophetam ad patres nostros dicens, Vade ad populum istum, & dic auribus audietis, & non intelligetis. Itaq̄ manifeste significat spūm sanctum esse uerū Deum.

Adhæc scriptura tribuit spiritui sancto potentiam & autoritatem creandi, uiuificandi & regenerandi, idq̄ non ut ministro Dei, sed ut Deo ipsi, qui sit ęqualis naturę & maiestatis cum patre & filio, quemadmodum è testimonijs modo recitatis manifestum est. De creatione dicitur in psalmo ciij. Emitte spūm tuum & creabuntur. Et apud Mathęum cap.i. Inuenta est Maria habens de spiritu sancto. Dictum em̄ erat, Spūs sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Et in psalm.xxxij. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. De uiuificatione habes in epistola ad Romanos capite octauo. Si spiritus eius, qui suscitauit Iesum Christum a' mortuis, habitat in uobis, uiuificabit & mortalia corpora uestra per inhabitantem spiritum eius in uobis. De regeneratione dicit Paulus ad Titum capite tertio, Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis spiritus sancti, quē effudit in nos opulente per Iesum Christum. Quare cum spiritus sanctus sit creator, uiuificator & regenerator, manifestum est, ꝙ sit uerus ab ęterno Deus, procedens quidem a' patre & filio, unius autem cum ipsis essentiæ & maiestatis, ut etsi tres sunt distin-

distinctæ personæ, unus tamen solus sit uerus & æternus Deus. Reliquum igitur est, ut adoremus & inuocemus obedienti fide DOMINVM Deum patrem nostrum, per Iesum Christum filium eius, in spiritu sancto, & summas ei gratias agamus, q̃ patefecerit nobis immensam suam clementiam ac donauerit nobis filium suum, ut consequamur per ipsum ueram & eternam salutem, qui est, ut iam planum fecimus, unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA IIII.

QVGRESSI SVMVS SVPERIORIBUS diebus extra hunc mũdum, ad contemplandam maiestatem filij Dei, & cognoscendam diuinam eius naturam. Etsi enim filius Dei habitat unà cum patre & spiritu sancto, lucem inaccessam, datur tamen diuina liberalitate pijs, ut in hac uita tãtam huius lucis scintillam per uerbum Dei uideant, ac per fidem apprehẽdant, quanta ad euadendas mortis tenebras, & ad consequendum ueræ uitæ splendorem sufficit. Reuertamur igitur nunc ad nos in hunc mundum, & cum ante ex Ioanne didicerimus, quid natura sua sit VERBVM, seu filius Dei, discamus modo, quid filius Dei faciat, quæ sit operatio, quod sit officium eius. Non licet autem nobis de uniuersa eius actione, & de omni officio, quo semper ab æterno apud patrẽ suum functus est, differere. Quis enim posset tantum mysterium captu suo comprehendere & explicare? De duobus tantum officijs eius dicemus, quæ ipse uoluit esse manifesta & decantata. Alterum est, q̃ filius Dei, omnia condiderit. Alterum, quòd homines, assumpto homine, à peccatis & morte liberauerit, quorum illud Creationem uocant, hoc Recreationem uocare libet. De officio igitur, & opere creationis, Ioannes ait, Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est, nihil, quod factum est. Hic primum omnium considerari debet, quòd Ioannes doceat, mundum non fuisse ab eterno. Etsi enim sapientes huius seculi, commenti sunt rationes quasdam, quibus probare conantur mundum fuisse ab eterno, tamen hæ non sunt tam firmæ, ut possint sententiam spiritus sancti, & certitudinem uerbi Dei, de creatione mundi euertere. Hi enim sapientes existimant nihil certius esse, quàm quòd ex nihilo, nihil fiat. Itaq̃ senserunt, mundum semper fuisse. Ac siquidem de humanis & naturalibus uiribus sermo est, certe uerissimum est, ex nihilo, nihil fieri posse. Si autem assurgamus ad

Christi officia.

Mundus non fuit ab eterno.

contemplandam diuinam potentiam, ibi tam facile est Deo ex nihilo, aliquid, cũ ex aliquo aliquid facere. Vocat ea, inquit Paulus, quæ non sunt, ut sint. Quare fugienda sunt nobis commenta humanæ rationis de ęternitate mundi, tenendum autem est firma fide, quod de cõdito & creato mundo, spiritus sanctus in scriptura tradidit. Deinde cum Ioannes ait, Omnia per ipsum facta sunt, significat VERBVM seu filium Dei nec factum nec creatum esse. Si enim omnia per ipsum facta sunt, quomodo ipse esset factus aut creatus? Omnia, inquit Paulus, per illum, & in illum creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia per illum consistunt. Nam, cũ Ioannes maluit dicere, Omnia per ipsum facta sunt, cũ, Ipse fecit omnia, nõ significat, omnia facta esse per filium Dei, tanũ per seruum aut uilem ministrum, sed distinguit tantum personam filij, a' persona patris. Etsi enim una est essentia diuina, alia tamen est persona patris, alia filij. Vnde & additur, Sine ipso factum est nihil quod factum est. Nam, quẽadmodum cum Christus aliãs dicit ad Apostolos, Sine me nihil potestis facere, docet se esse autorem omnis fructus, quem Apostoli prędicatione Euangelij allaturi sint, ita & hoc loco docemur, non solum omnia per filium Dei facta esse, sed etiam ipsum Dei filium omnia fecisse, & creasse. Omnia enim facta sunt per ipsum, ut filium, & secundam personam, in diuina natura. Omnia autem fecit, ut uerus Deus. Cæterum, cũ nulla hic fiat mentio spiritus sancti, non idcirco fit, cũ spiritus sanctus nihil negotij habeat cum creatione rerum, sed cũ Ioannes susceperat tantum describendum hoc loco officium seu actionem filij. Et tamen, cum dicitur, Deum esse omnium rerum conditorem, intelligitur etiam spiritus sanctus. Pater enim & filius, & spiritus sanctus, unus est Deus. Et Pater creauit omnia uirtute uerbi seu filij sui, ac firmauit ea sanctificatione spiritus sui. Itacũ & tres personę ad rerum creationem conueniunt, & tamen unus tantum est creator, quia unus tantum Deus. Sed audiamus nunc, quæ sunt illa OMNIA, quæ per ipsum facta sunt? De hac re Paulus ita scribit: Per illum creata sunt omnia, quę in cœlis sunt, & quę in terra, uisibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Quare nomine omnium, comprehenduntur primum, Visibilia, quæ sunt, Cœlum, terra, & oĩa quæ in his sunt. In principio, inquit Moses, creauit Deus cœlum & terram. Et in psalmo, Tu initio DOMINE terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Deinde intelligũtur Inuisibilia, Hi sunt Angeli de quibus psalmus ait, Qui facis angelos tuos, spiritus, & ministros tuos ignem urentem. Ac certum quidem est, Angelos nõ fuisse ab æterno, sed a' Deo creatos esse. Sacrę aũt litere non definiunt perspicue quando creati sint. Alij em̃ sentiũt eos creatos antẽ

Colossen. 1.

Colossen. 1.

Psalm. 101.

Psalm. 103.
Hebræo. 1.

Angelorum creatio.

cœlum,

cœlum, alij cum cœlo, alij secundo die, postq̃ cœlum conditum esset. Et uidetur unusquisq̃ probabiles sententiæ suę coniecturas habere, Sed utcunq̃ hæc se habeant, manifestum est, Angelos a' Deo conditos esse, non q̃ Deus indigeret auxilio angelorum ad conseruandam suam maiestatem, sed ut essent spirituales creaturæ, quę bonitate Dei fruerentur, & ut essent spirituales custodes hominum, præsertim piorum. Omnes enim, inquit Apostolus, sunt administratorij spiritus, qui in ministerium emittuntur, propter eos, qui hæredes erunt salutis. Et, Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. Porro, cum de creatione sermo est, non sic intelligenda erit, q̃ Deus condiderit initio omnia, post autem discesserit a' rebus conditis, & sinat eas pro suo arbitrio ferri, Sed q̃ quę condidit, ea etiam administrat & conseruat. Non enim, ut faber ędificata domo discedit, ita & Deus a' condito mundo abit, sed qua uerbi sui potentia initio omnia creauit, eadem & nunc percurrit omnia, & efficax erit, dum hic mundus finiatur. Naturam, aiunt esse communem rerum omniũ parentem, & omnia continentem, quęso autem te, quid Natura aliud est, q̃ uis & efficatia uerbi dei, qua ut initio omnia sunt creata, ita de inceps continentur & conseruantur? Nam, quemadmodum sphęra, si quis eam impulsu agitauerit, & protruserit, tantisper mouetur, dum terminum suum attigerit, ita omnes res uerbo Dei concitatæ & impulsę, pergunt semper eo ire, quo pręsenti adhuc & efficaci uerbo ducuntur. Vide mihi uerbum ac mandatum hominis cuiuspiam, amandantis seruum suum, exempli gratia, ad Romam, aut urbem Hierusalem. Hoc enim mandatum non solum tunc efficax est in seruo, cum excitat ipsum, ut accingat se itineri, & commouet in ipso manus ac pedes, quo egrediatur domum, uerumetiam efficax est in seruo, cum est in itinere, ut & progrediatur, & confecto negotio reuertatur, quanto maior est potentia & efficatia uerbi Dei, ut sentiamus non tantum omnia initio per ipsum condita esse, Sed adhuc administrari & conseruari, præsertim cum uerbum Dei non ita in auras euanescat, ut hominis uerbum, & Deus nunq̃ separetur a' uerbo suo, ut homo. Quare, q̃ sol & luna adhuc luceant, hoc inde adeo est, q̃ uerbum dei, quo dictum est, fiant luminaria in firmamento cœli, ut luceant & illuminẽt terram, adhuc sonet in sole & luna, q̃q̃ nondũ cessauit hoim generatio, acceptũ ferendum est, nõ humanę uirtuti aut industrię, sed uerbo Dei adhuc efficaci, quo dictũ est, Crescite, multiplicamini, & replete terrã. Itaq̃ Verbum, quo initio oia sunt creata, oia adhuc continet & conseruat, cõseruabitq̃ unũquodq̃ pro sua conditiõe & ordinatiõe. Pater meus, inq̃t Christus, usq̃ modo operat', & ego operor. Et Paulus, In ipso uiuimus, mouemur & sumus. Ac iterum, Moderatur oia

Hebræ. 1.

Creationis usus.

Basilius, Νόησον ἐνέμαθε οὐ διὰ τῆς κτίσεως τέχνον, ἡ τοῦ τεχθέντος καὶ μεχρὶ νῦν ἐνεργοῦν, ἡ εἰς τέλος διεξιὸν ἐωσόᾶν κόσμος συμπληρώθῃ.

Et iterum. Νόησον, ὅτι θεοῦ φωνὴ, φύσεως ἐστὶ ποιητική.

Ac rursus. Θεῖος λόγος, φύσις, ἐστὶ τῶν γινομένων.

uerbo potentiæ suę. In Matthæo quoq; dicitur, Nonne duo passerculi minuto asse ueneunt? & unus ex illis non cadet in terram sine patre uestro. Vestri uero etiam pili capitis omnes numerati sunt. Et in psalmo. Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam. Qui producit in montibus fœnum & herbam seruituti hominum. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Quid ergo nos, inquies, faciemus? si Deus adhuc omnia administrat & conseruat, quid opus est nostra opera & labore? Ociabimur ergo, & quia frustra uigilat, qui custodit ciuitatē, nisi Dominus custodierit eam, & uanus est labor eorum, qui ædificant domum, nisi Dominus ædificauerit eam, nec ædificabimus nec conseruabimus ædificia & ciuitatem? Hic considerandę nobis sunt caussæ creationis rerum. Deus enim condidit, & conseruat creaturas, non ut nos ociemur, & cessatione torpeamus, nec, cp ipse indigeat earum ope & auxilio, sed primū, ut homines admoniti admirabili illo opificio mūdi, & pulcherrimo rerum ordine assurgerent in cognitionem Dei conditoris, & discerent intelligere aliquo modo maiestatem Dei creatoris. Inuisibilia Dei, inquit Paulus, uidelicet ęterna potentia eius, & diuinitas, conspiciuntur ab opificio mundi, animaduersa ex operibus. Et iterum, Deus non sinebat seipsum esse expertem testimonij, dum beneficia conferret, de cœlo nobis dans pluuias, ac tempora fructifera, implēs cibo & lętitia corda nostra. Quare Deus non sustentat creaturas, ut nos ignauia torpeamus, sed ut per eas maiestatem eius agnoscere discamus. Deinde administrat & conseruat eas, ut nostrum quisq; suum in cooperatiōe officium faceremus. In Genesi, tulit Deus hominem, quem creauerat, & posuit eum in paradisum, ut operaretur & custodiret illum. Quid? an non Deus ipse conseruare potuit paradisum, nisi homo esset custos? potuit, sed uoluit habere cooperatorē. Nam quēadmodum Christus, qui est caput Ecclesiæ, semper conseruat spirituali potentia Ecclesiam suam, & tamē exigit, ut ministri suam operam ad conseruationem Ecclesię conferāt. Sumus Dei σύνεργοι, hoc est, cooperarij, inquit Paulus. Et, Ego plantaui, Apollo rigauit, ita etsi in administratione huius mundi Deus potenter omnia agit, & conseruat, requirit tamen, ut homines sint cooperarij eius, quo incrementū suum accipiant. Creauit enim terram, creauit agrum, creauit granum frumenti, & adhuc conseruat ea, ac facit, ut frumētum crescat in agro, sed quomodo, aut qua cooperatione? Non indiget Deus opera agricolę, sed agricola indiget deo, & necesse habet suum facere officium, ad quod a Deo uocatus & ordinatus est, ut colat agrę, & ut spargat sementem. Potest em̄ Deus non tm̄ sine opera agricolę, uerę etiā sine agro frumentum creare, Sed sic uisum est ipsi, ut quod sine hoibus creauit,

Creationis caussæ.

Romano. 1.

Actorum 14.

auit, per officium & laborem hominum fortunet. Nam quod Ioab cũ Syris pugnaturus, ad fratrem ait, Confortare & agamus uiriliter pro populo nostro, & pro urbibus Dei nostri, Dominus autem quod in conspectu suo bonum est, faciet, idem nobis in omnibus negotijs usurpandum est, uidelicet, ut nos nostrum officium & uocationem, omni qua possumus diligentia et industria faciamus, reliqua aũt Dño deo nostro permittamus. Quare etsi Deus adhuc omnia conseruat & administrat, tamen quia uocat nos Deus ad cooperationem, uocationi Dei omnino obsequendum erit. Sed est adhuc quiddam, inquies, quod in hac creationis cogitatione sollicitum me torquet, Nã, si Deus omnia per uerbum suum creauit, nũquid etiam creauit peccatum? Minime omnium. Quęcunqꝫ enim Deus creauit, bona sunt. Vidit Deus, inquit scriptura, cuncta quę fecerat, & erãt ualde bona. Peccatũ autem malum est. Quõ igitur posset peccatum a' Deo creatum esse? Huc accedit, ꝙ Deus odio habet iniquitatem, & non solum uetat peccare, sed etiam punit peccatum tam externis ꝗ ęternis supplicijs. Quare nihil minus potest Deo tribui, ꝗ creatio peccati. Omne, quod est in mundo, inquit Ioannes, uelut concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & fastus uitę, non est ex patre. Vnde ergo est? Sequitur, Sed est ex mundo. Sunt autem duo huius mundi principes, quantum quidem ad hoc nostrum institutum attinet. Alter est Homo, ad quem dictum est, Replete terram & subijcite eam, & dominamini piscibus maris & uolatilibus cœli, & uniuersis animãtibus quę mouentur super terrã. Alter est Satan, qui expugnato homine, factus est princeps mundi. Hic ergo Satan, qui initio una cum alijs angelis, bonus a' Deo creatus est, non permansit in ueritate, sed defecit ab ea, & factus est autor peccati. Ille, inquit Christus, homicida erat ab initio, & in ueritate non stetit, quia ueritas in eo non est. Cum loquitur mendatiũ ex propriis loquitur, quia mendax est, atqꝫ mẽdacis pater. Et Ioannes in epistola sua, Qui peccatum, inquit, committit, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Porro, Satan non fuit contentus excogitatione peccati, sed quod ipse male excogitauerat, male in hominem transfudit, ac effecit, ut, ipso autore, peccatum etiam ex uoluntate hominis oriatur. Per unum, inquit Paulus, hominem peccatum intrauit in mundum. Itaqꝫ Deus, qui natura bonus est, non est autor peccati, sed Satan, bonus quidem a' bono Deo creatus, malus autem sua ipsius iniquitate factus, excogitauit peccatum. Quis autem nunc propter autorem peccati, non abhorreret à peccato? Quid enim Satana fœdius, quid turpius, quid eo abominabilius est? Multa quidem sunt, quæ nos a' designando peccato absterrere debent, primum, ꝙ peccatum Deo displiceat, & Deus pctõ iraſcatur, deinde ꝙ

1. Paralip. 19.

Peccatum unde sit.

1. Ioannis 2.

Mundi principes duo

Ioannis 8.

1. Ioannis 3.

Satanae turpitudo.

Deus puniat peccatum uarijs supplicijs in hoc seculo. Adde, ꝙ puniat etiam peccatum ęterno igni. Sed etiamsi nulla alia caussa existeret, tamen autor peccati, qui est Satan, tam fœdus, tam turpis est, ut uel propter hunc solum honestus animus peccatum uitare deberet. Quęso te, finge mihi prędonem quendam, qui ex latrocinio adhuc sangui nolentas manus habeat, inuitare te ad epulas, splendide quidē apparatas, hominum autem cede partas, an non tale conuiuium maximo tibi horrori esset? an non statim te è medio proriperes? Non est autem horribilior prędo, q̃ Satan, cuius fœditas, etsi non patet oculis corporalibus, patet tamē oculis spiritualibus. Et is inuitat te ad suas epulas, cum sollicitat ad peccatum. Quid igitur non horres? quid non fugis? profecto, etiamsi peccatum deo & hominibus futurum esset semper ignotum, tamen tanta est, ex autore, turpitudo eius, ut omnes merito fugere debeant. At enim, si Deus non creauit peccatum, sed intrauit in hunc mundum per Satanam & hominem, cur Deus tolerat peccatum in regno suo? cur non pellit peccatum è finibus imperij sui? Tanta certe est potentia eius, ut posset peccatum uno momento è medio tollere, nec tolerabit perpetuo tyrannidem peccati. Erit enim aliquando in regno Dei, & inter filios eius, finis peccati & mortis, Sed ꝙ interim tolerat peccatum, in caussa est, summa bonitas eius. Primum enim, si ante centum aut mille annos sustulisset peccatum è medio, cessasset generatio hominum, & fuisset finis huius mundi. Quo modo igitur nos & posteri nostri, qui nondum eramus, consecuti essemus salutem? Itaq; Deus tulit hactenus peccatum in mundo, ut perdurante mundo, nostræ ac eorum qui nos sequentur, saluti consuleret. Deinde, etsi peccatum natura sua est pernities, tamē Deus tam industrius est, ut possit eo ad illustrandam gloriam nominis sui, & ad benefaciendum uti. Et, quemadmodum Paulus ait, Vbi exuberauit peccatum, ibi magis exuberauit gratia, ita quo pernitiosius est peccatum, eo illustrior fit bonitas Dei, quæ malitia peccati optime uti potest. Vide mihi peccatum fratrum Ioseph. Hi enim peccabant horribiliter, non inuidia tantum, sed etiam meditato homicidio, quod in iuditio Dei à perpetrato nihil differt. Et tamen Deus hoc peccato optime usus est, ac uertit illud, ut scriptura loquitur, in bonum, ut seruaret populos multos. Quid peccato Iudæ proditoris potest dici sceleratius? attamen Deus hac occasione usus, imposuit Christo filio suo crucē & mortem, ut nos perpetuo seruaremur. Peccabimus ergo plurimum, ut bonitas Dei ualde illustretur, dicet quispiam? Hoc autem, quid aliud est, quàm si quis dicat, Vulnerabo pedem aut manum meam, ut industria medici probetur. Quid furiosius fieri posset? Nam, ut maxime peritus & industrius sit medicus, quid si dum tu temere

Peccatū cur Deus toleret

uulnerares

uulnerares te, aut non esset domi, aut uocatus nollet ad te curandum accedere? Sic maxima quidem est industria Dei, qua pessimo peccato, optime uti potest, nos tamen non debemus Deum tentare, sed peccatum fugere, & opera iustitiæ facere. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo posthac uiuemus in eodem? Et opus Dei sumus, conditi in Christo Iesu, ad opera bona, quæ præparauit Deus, ut in eis ambulemus. Sectemur igitur conditionem nostram, & quia Deus non solum omnia initio creauit, uerumetiam omnia adhuc præsens conseruat & administrat, non dubitemus, quin nobis per unigenitum filium suum recõciliatus, respiciat ac tueatur nos in omnibus aduersis, & deducturus nos sit per mortem ad ueram & sempiternam uitam, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Rom. 6.

Ephesi. 2.

HOMILIA V.

QVM DVO PRÆCIPVA SINT officia Domini nostri Iesu Christi, quorũ alterum est, Creatio, alterum, Recreatio, seu humanæ salutis restauratio, de priori illo, satis supra, quãtum ad institutum nostrum attinet, disseruisse uidemur. Nunc igitur ad explicandum posterius, diuina fauente clementia, aggrediemur. Initio enim Deus omnia per filium suum creauit ualde bona. Inter quę creauit & hominem ad suam imaginem & similitudinem, ac ornauit eum pulcherrimis, adeoq; diuinis donis. Fecit eum iustum, sapientem, immortalem & perpetuo fœlicem. Sed ecce, quem Deus tanta maiestate excoluit, eum paulopost Satan ita seduxit, ut primum quidem abiecto spiritu sancto Dei, plus fidei adhiberet mendacijs Satanę, q̃ ueritati Dei, deinde uiolaret mandatum dei, ac conijceretur per inobedientiam in conditiõem mortis & perpetuæ damnationis. Nec id uni tantum Adamo accidit, sed omnibus etiam posteris eius, qui ablato per peccatum spiritu sancto, facti sunt mancipia Satanæ, & filij gehennæ. Quanq̃ autem Deus potuisset optimo iure hominem in sua internitione relinquere, miseratus tamẽ tantum casum tantamq; calamitatem eius, cum ante creauerat omnia per filium suum bona, uoluit etiam hominem iam à bonitate & salute sua lapsum, per eundem filium suum recreare atq; à peccato & morte redimere, & iustitię, ac uitæ restituere. De hoc igitur officio filij Dei Ioannes nũc scribit, & ait, In ipso uita erat, & uita erat lux hominum,

,, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehenderunt. Sunt, qui hoc loco per uitam intelligant generaliter conseruationem omnium rerum. Horum sententia non est damnanda. Nam, quemadmodum per filium Dei omnia sunt creata, ita etiam per ipsum omnia cõseruantur, ut supra dictum est. Alij per uitam intelligunt specialiter uitam omnium animantium. Nec horum sententia reijcienda est. Vt enim omnia animantia sunt initio per filium Dei uiuificata, ita & adhuc uiuificantur, & in uita iuxta suam cuiusq; conditionem conseruãtur. Omnia, inquit Psalmus, a' te expectant, ut des illis escam in tempore suo, Dante te illis colligent. Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auertente te faciem turbabuntur. Auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Quare piè docent, qui dicunt uerbum seu filium Dei esse omnium animantium uitam & conseruationem. Sed quia Ioannes describit nunc recreationem & redemptionem hominis, quæ per filium Dei facta est, idcirco hoc loco per uitam aptius intelligitur, uiuificatio, liberatio & redemptio a' peccatis et morte. Postquam enim homo factus est Deo inobediens, & defecit per peccatum a' bono suo creatore, non est in homine aliud, q̃ mors & internitio. Quocunq;, inquit, die comederis ex eo, morte morieris. Porro, mortis nomine, primum intelligemus docendi gratia peccatum, non solum crassum illud, & externum, quod hominum oculis patet, sed quod uocant, Originale. Homo em̃ destitutus spiritu sancto, obnoxius est spiritui Satanę, qui cũ totum hominem occupet, & in seruitutem suam abducat, excitat in ipso ignorationem Dei, contemptum Dei, incredulitatem, & omnia genera uiciorum. Hæc est impietatis Ierna, & prima mors, quam semper caro & sanguis secum in hoc seculo circumfert, & quæ tenet omnes homines captiuos. Vocant autem eam spiritualem. Deinde mortis nomine continetur corporalis mors, quæ est illius prioris stipendium, & cum oẽs homines sint peccato obnoxij, sunt & huic corporali morti obnoxij. Postremo mortis nomine continetur ęterna mors & internitio, cuius ianua est mors corporalis. Et quia omnes homines necesse habent corporaliter mori, necesse etiam habent per corporalẽ mortem ingredi propter peccatum in ęternam mortem & internitionem. Itaq; homo factus Deo inobediens, nihil aliud ab ineunte sua ætate secum circumfert, prętер mortem, hoc est, peccatum, & perpetuum interitum. Quid hac miseria calamitosius? Ad hunc certe modum tam infantes nostros, q̃ nos ipsos iam adultos cõsiderare debemus. Nam cum infantes offeruntur Ecclesię & baptismo eius, non est sentiendũ, infantes esse innocẽtes, & nulla peccati macula sordidos. Ac sunt, qui conspectis infantibus, optare solent, se tanta innocẽtia præditos esse,

Mortis duo genera.

Infantes non sunt sua natura innocẽtes.

quanta

quanta infantes prēditos putant. Recte quidem illi, si id de externis peccatis sentiunt. Nam quantum attinet ad humanum iuditium, & externa atqꝫ crassa illa peccata, infantes dici possunt, innocentes. Nondum enim peccauerunt in humanas leges, nec designarūt furta aut adulteria. In iudicio autem Dei, & quantum ad peccatum originale q̄d uere damnat eos, qui non renati sunt in Christo, attinet, tantum abest, ut infantes sint natura sua innocentes, ut quod scriptura dicit, Omnis homo mendax. Et iterum, Non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens, non minus de infantibus, q̄ꝫ de maioribus natu intelligendum sit. Quare oblato infante ad Baptismum, cogitandum est eum obrutum esse triplici morte, spirituali, uidelicet, corporali, ac perpetua, & tanto diligentius est Domino pijs precibus commendandus, ut inseratur corpori Christi, quanto magis egens est ueræ salutis. Non solum autem de infantibus sed & de nobis ipsis sic cogitandum est, nimirum, q̄ quantum ad naturam nostram attinet, circumferamus nobiscum in sinu nostro semper hanc triplicem mortem, qua nobis merito tam in hoc, quam in uenturo seculo pereundum esset. Quæ cogitationes idcirco suscipiendæ sunt, partim ut agnoscamus naturalem nostram impietatem, & compescamus carnalem nostram arrogantiam, qua homo nunq̄ꝫ non affectat Deus ipse esse, & ex se habere salutem, partim ut impellamur ad inquirendam ueram uitā, qua ex omni genere mortis seruemur. Vbi ergo inueniemus ueram uitam? Audi, quid Ioannes dicat, In IPSO est uita. Nam in homine non est nisi mors. In IPSO autem, hoc est, in VERBO, in filio Dei, in Iesu Christo Domino nostro, est uita. Et quę, obsecro, est illa uita? primum est, Iustitia. Hęc quidem uita, quam nūc iustitiam uocamus, etiam in lege est. Qui enim fecerit ea, inquit, uiuet in eis. Et, Proposui tibi uitam & bonum, Elige ergo uitam, ut tu uiuas & semen tuū, Sed nullus unquam hoīm potuit hāc uitam ex lege consequi. Omnes eīm peccauerunt, & non potuerunt præ peccato legi dei pfecte satisfacere. In Iesu autem Christo sic est iustitia, ut non ipse tm̄ sit uere & perfecte iustus, sed etiam is qui in ipsum credit, consequatur in eo uera & perfectam iustitiam, ac participet eam. Filius enim Dei, ut natura iustus est, quia uerus Deus, ita postquam hominem induit, fecit omnem iustitiam diuinę legis, cui sic satisfecit, ut ne apicem quidem aut iota uiolauerit. Qui peccatum, inquit Esaias, non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Qua iustitia & obedientia tantum beneficiū hominibus a' deo patre suo impetrauit, ut quotquot in ipsum credūt, reputentur propter ipsum coram Deo tam iusti & sancti, q̄ꝫ si suis ipsorum operibus diuinę legi satisfecissent. Quod legi, inquit Paulus, impossibile erat, propterea q̄ nō poterat fieri per carnem, hoc Deus

Leuit. 13.
Deuter. 30.

præstitit, misso proprio filio in similitudine carnis peccati, & per peccatum damnauit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis. Etsi autem pij nondum sentiunt reipsa hanc iustitiam, quam habent in Christo per fidem. Nos enim spiritu ex fide, spem iustitię expectamus. Et, Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid futuri sumus, tamen ea sic nostra propria est, ut & ipsa in iudicio Dei constare queamus, ac non solum in futuro seculo in nobis reipsa reuelanda sit, sed etiam in hoc seculo excitet in nobis, autore spiritu sancto, obedientiam, qua bonos fructus iustitiæ, quantum in hac carne possibile est, proferamus, & mortificato affectu carnis, in nouitate uitæ ambulemus. Deinde in filio Dei, non solum est uita spiritualis, quæ uocatur iustitia, sed etiam uita corporalis. Non loquimur autem nūc de ea corporali uita, quam in hoc externo seculo uiuimus, quę & ipsa nobis datur per filium dei, propterea ꝙ omnia per ipsum facta sunt, sed loquimur de ea uita, quam homo consequitur per resurrectiōem à morte. Nam quemadmodum Christus filius Dei resurrexit à mortuis nunq̃ amplius moriturus, ita quotquot in Christum credunt, resurgent per ipsum, cum corporibus suis, incorruptibiles & immortales. Quemadmodum per Adam, inquit Paulus, omnes moriuntur, ita & per Christum omnes uiuificabuntur, unusquisq; in suo ordine, primicię Christus, deinde hi, qui sunt Christi in aduentu eius. Resurgent & impij, sed alius est finis resurrectionis impiorum, alius resurrectionis piorum. Veniet hora, inquit Christus, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient uocem filij Dei, & prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem uitę, qui uero mala egerunt, in resurrectionem condemnationis. In hoc quidem externo seculo uita corporalis queri & sustentari solet, cibo & potu, aliquoties queritur etiã medicinis. Etsi autem debemus pro humana necessitate & Christiana sobrietate cibum & potum capere, ac licet ordinaria medicina uti, tamẽ non possumus perpetuo his rebus uitam corporis cõseruare. Dies annorum nostrorum, inquit Psalmus, sunt septuaginta anni, aut ad summum, octoginta, è quibus quod optimum est, molestia est & labor. Fuerunt & prophetæ, Elias ac Elizęus, qui mortuos reuocarunt ad hanc uitam, sed qui sic excitabantur, non consequebantur hac excitatione perpetuam in hoc seculo uitam. In solo autem VERBO, in solo filio Dei, Iesu Christo Domino nostro uera est uita, quippe quod in ipso mortui consequentur uitam corporis, non caducam, sed perpetuam. Ego sum, inquit, resurrectio & uita. Qui credit in me, etiãsi mortuus fuerit, uiuet, & omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in ęternum. Postremo, in filio Dei non est tantum perpetua uita corporis, sed etiam summa & sempiterna fœlicitas. Hæc est, quam proprie

Galat. 5.

Ioannis 5.

Psalm 89.

Idem scribit Herodotus in Thalia.

ὀγδώκοντα δ' ἔτεα ζόης πλήρω μαι ἀνδρὶ μακρότατον πρόσεδς.

uitam

uitam uocant, qua impij non uiuent etsi resurgent. Soli autem pij, qui in Christum crediderunt, uiuent, impijs omnibus perpetuo morientibus, hoc est, infœlicissime uiuentibus. Quid enim uita continenter infœlix, aliud est, cũ perpetua mors? Ac alij quidem in alijs rebus cõstantem quærunt fœlicitatem. Hic in diuitijs huius seculi, ille in maiestate dominatiõis, iste in uoluptate corporis. Nullus autem unquam potuit in his rebus durabilem inuenire fœlicitatem. Ea enim est in solo filio Dei, DOMINO nostro Iesu Christo. Quare nihil prius nobis agendum est, cũ ut filium Dei, ueræ uitæ, hoc est, iustitiæ, resurrectionis, & perpetuæ ac cœlestis fœlicitatis autorem & possessorẽ recte per fidem cognoscamus, quo & nos hãc uitam in ipso consequamur. Nam cũ filius Dei, non retineat hanc uitam suæ tantum personę, sed communicet eam cum omnibus hominibus, qui eam agnoscere & accipere uolunt, Ioannes perspicue explicat, cum ait. Et uita erat lux hominum. Hic enim obserua mihi, Ioannem non dicere, Vita erat lux Iudæorum, sed hominum, ut cõplectatur simul Iudęos & Gentes, circumcisos & incircumcisos. Filius enim Dei, Iesus Christus, etsi iuxta promissiones patriarchis dictas uenit in hunc mundum & assumpsit hominem è sola Abrahę posteritate, non tamen pertinet tantum ad Iudæos, sed etiam ad Gentes. Item contra, non solum Gentes, sed & Iudæi, quamuis legem & iustitiam eius habentes, indiguerunt luce filij Dei. Omnes enim homines quocunq; nomine uocentur, sunt natura sua TENEBRÆ. Non est nobis nunc sermo de externis tenebris in humano corpore. Non enim omnes homines sunt corporaliter cęci. Nec est nobis sermo de tenebris humanę ratiõis in rebus huius seculi. Non oẽs homines sunt, iuxta humanam rationem, in humanis negotijs stulti. Alij in administranda repub. alij in administranda re priuata sapiunt. Alij sapientes sunt philosophi, alij sapientes opifices. Est & sua quędam humanę rationis lux, quam πρόληψιν uocãt, de Deo. Notitia enim quædam de Deo, naturaliter est insita menti, uidelicet cũ sit Deus, & cũ sit ęternus, potens, sapiens, iustus, seruans iustos, & puniens iniustos. Notum etiam est naturaliter humanæ menti discrimen honestorum & turpium. Hęc lux, etsi per se illustris est, & magnifacienda, tamen collata ad filium Dei, obscurissimę & crassissimę sunt tenebræ, primum enim naturalis lux humanæ rationis de deo, & diuinis rebus iacet oppressa & obscurata peccato originali, ut etiamsi nonnullam habeat cognitionem Dei, tamen detinet hanc ueritatem, ut Paulus ait, in iniustitia. Deinde humana ratio prorsus est ignara Euangelij de Iesu Christo, nec potest naturalibus suis uiribus excogitare & assequi, cũ Deus sit propitius propter Christũ filium suum, his, qui credunt in ipsum. Itaq; quantum attinet ad cog-

Homines sunt Tenebræ.

noſcendam & conſequendam ueram & certam ſalutem, ibi omnes homines natura ſua ſunt cęcitas & tenebrę. Quid enim eſt obſcurius & tenebricoſius mendatio, ac peccato? Omnis autem homo mendax. Et,
Ephe. 4. Omnes peccauerunt. Et, Gentes, inquit Paulus, ambulant in uanitate mentis ſuę, dum mentem habent obtenebratam, propter ignorãtiam
Ephe. 5. quæ in illis eſt, & excęcationem cordis eorum. Ac paulo poſt, Eratis quõdam tenebrę. Vides, homines natura ſua dici, Tenebras. Et quanquam hoc cognomen hoĩm non extaret diſerte in ſcriptura, res tamen ipſa palam declarat, hoĩes natura humanæ ſuę rationis eſſe tenebras. Nullus enim hominum poteſt natura, aut ratione ſua uidere ac perſpicere, ut ambulet in perfecta legis obedientia, & legi uere ſatisfaciat. Nullus item hominum ratione ſua uidere poteſt, Deum etiam nihil meritis, eſſe clementem propter Chriſtum filium ſuum. Adhæc, nullus hominum natura ſua perſpicere poteſt, ut ambulet illæſus, & ſaluus per mortem. Nam mors, multo tenebricoſior ſpecus eſt, cũ ut homo queat per illum luce rationis ſuæ penetrare. Et, ut breuiter dicam, nullus hominum poteſt ſua induſtria euadere tenebras infœlicitatis, & ad claritudinem fœlicitatis peruenire. Quid igitur aliud reliquum eſt, cũ hominem eſſe ſummam caliginem, & craſſiſſimas tenebras? Solus autem filius Dei, qui eſt uera uita, lux eſt hoĩm. Lucet enim omnibus his, qui credunt in ipſum, ad perfectam iuſtitiã, & plenam legis ſatisfactionem, propterea cũ clementer donet illis ſuam ipſius iuſtitiã, quę eſt perfecta & abſoluta, ac ornat quocũ eos ſpũ ſancto, ut faciant opera iuſtitię, quę etſi per ſe non ſunt perfecta, nec placant iram dei, tñ ſunt deo grata, propter Chriſtum, qui ſuam illis perfectam iuſtitiam donat. Deinde lucet ad conſpiciẽdas latebras animi Dei, & illuſtrat eas, ut cognoſcamus, cũ etſi lex nos maledicit, & pronunciat nos reos perpetuę damnationis, tñ Deus cõplectatur nos ſummo fauore propter Chriſtum, & uelit nos propter ipſum, ſeruare. Deum, inquit Ioannes, nemo uidit unquã, unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Pręterea, lucet per mortem ad ueram uitam, & fœlicitatẽ. Quid hac luce ſuauius? quid iucundius? Adhibeamus igitur ſtudium, ut hæc lux in nobis accendatur & accenſa cõſeruetur. Sed ubi, inquis, inueniam hanc lucem, aut quid faciam, ut in me accẽ
Deuter. 29. datur? Num conſcendam in cœlum, aut peregrinabor trans mare, ut inueniam eam? Non neceſſe habes magnum peregrinationis laborẽ ſuſcipere, ſed prope te lucet, in hac terra, Sequitur em̃. Et lux in tenebris lucet. Quæ ergo ſunt hę tenebrę? Ioannes ſua quadam phraſi intelligit hoc loco per tenebras, hũc externum mũdum, & hoĩes qui in eo ſunt. Poſtquã enim homo peccauit, Satan factus eſt princeps huius mundi, & cũ hic dicatur etiã princeps tenebrarũ, manifeſtũ eſt, hunc

mundum

mundum recte uocari tenebras. Sunt & hoīes, pręcipua huius externi mundi pars, qui cum sint peccato excęcati, nec uideant sua ratione uerā uitam & lucem, recte & ipsi dicuntur Tenebrę, quemadmodum supra ostendimus. Quare, cum Ioannes dicit, lucem in tenebris lucere, sentit filium Dei lucere, hoc est reuelatum esse, ac prędicari, & illustrari in hac terra, in hoc mundo, inter homines huius seculi. Non est autem sentiendum, ꝙ hęc lux tunc primum inceperit lucere in hac terra, cum assumpsit hominem. Vidimus quidem tunc gloriam, tanq̄ unigeniti à patre, uidimus pręsentem eius maiestatem, cum assumpto hoīe, illustraretur doctrina, miraculis, resurrectiōe, ascensu in cœlū, & diuulgatione Euangelij in totum orbem terrarū, attamen luxit etiā suo quodam modo in terris, inter hoīes, anteq̄ assumpsit hoīem. Nā quemadmodum, si accenderis lucernam, non protenditur lux eius ad unam tātum aëris partem, sed spargitur circumquaq̄, in lōginquum etiam, ut oīa loca circum circa illustrentur, ita postq̄ Deus in animo statuit emittere suo tempore filium suum, ut fieret homo ex muliere, accensa est cœlestis lucerna, quę non hoc tantum tempore, spargit lucem suam prędicatione reuelati Euāgelij, inter huius seculi hoīes, sed incepit lucere promissionibus & uaticinijs, iam inde ab initio huius mundi. Filius eīm dei reuelatus est Adę, & prędicatus in familia eius: Semen mulieris, inquit DñS, conteret caput serpentis. Hoc est Euangelion, quo filius Dei, qui est uera lux, manifestatus est in hoc mundo, & luxit in tenebris, in familia Adę, & inter posteros eius. Deinde hęc lux clarius reuelata est ea promissione quæ dicta est ad Abrahamum, In semine tuo benedicentur oēs gentes terrę. Cum autē hęc promissio non constiterit in familia tantum, & posteritate Abrahę, sed fama eius peruenerit etiam ad alias gentes, quid hoc aliud fuit, q̄ lucem in tenebris lucere? Postea luxit eadē lux promissionibus ad Dauidem dictis, & per prophetas illustratis. Quę promissiones non in Iudęa solum publice tractabantur, sed uulgabantur etiā in exteras nationes, pręsertim ijs temporibus, quo Iudęi dispergebantur exilio Assyriaco & Babylonico in uarias totius orbis terrarū regiones. Itaq̄ uerē dicit, ꝙ & ijs tēporibus lux in tenebris luxerit. Sed maxime & clarissime oīm illuxit eo tēpore, quo ueniens in hunc mundū, assumpsit hominē, & prędicauit Euangelion suum, ac ęditis magnis & stupendis miraculis, expiauit pctā nostra morte sua, deinde resurgēs à mortuis, & sedens ad dexteram Dei, uulgauit Euangelion suū per Apostolos, in uniuersum mundum, inter omnes homines, siue Iudæos, siue Gentes, siue circumcisos siue incircumcisos. Ite, inquit, in uniuersum mundum, & prædicate Euangelion omni creaturæ. Et iterum. Eritis mihi testes, non solum Hierosolymis, uerumetiam in uniuersa

Iudęa, Samariaq;, deniq; ad extrema terrę. Quod autem Christus futurum affirmat, hoc Paulus testatur sua etiam ętate impleri. Non dimoueamini, inquiens, à spe Euangelij, quod audistis, quod prędicatum est apud uniuersam creaturam, quæ sub cœlo est. Ac rursus. An non audierunt? Atqui, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Quęso te, quid hoc aliud est, q̃ lucem in tenebris lucere? Non est igitur opus, ut ad hanc lucem inuestigandam in hoc splendidum & illustre cœlum conscendas, sed inuenies eam in tenebris huius terræ, in hoc mundo, inter homines huius seculi. Nam quemadmodum ab initio luxit in terra promissiõibus, ita nunc lucet diuulgatione Euangelij inter omnes gentes, quæ, ut supra dictum est, tenebrarum nomine ueniunt. Videamus autem, quomodo Tenebrę, hoc est, Gentes, seu homines comparauerint sese ad hãc lucem excipiendam, Sequitur. Et tenebrę eam non apprehenderunt. Rem admirabilem. Lux luxit in tenebris, Filius Dei reuelatus est Euangelio suo hominibus in terra, ut discuteret cęcitatem eorum, & ad duceret eos ad cœlestem splendorem. Sed ecce, tenebrę non apprehẽderunt lucem, hoc est, homines semper fastidierunt & abiecerunt lucem, & quod horribilius est, etiam condemnarunt & persecuti sunt eam. Etsi enim pauci quidam pij exceperunt hãc lucem gratissimo animo, & consecuti sunt per eam omnia cœlestia bona, tamẽ tanta semper fuit & est multitudo impiorum, & fastidientium hanc lucem, ut prę maxima illorum turba, pij in nullo numero reponantur. Hæc lux lucebat in familia Adę, Sed tenebrę, hoc est Cain & posteri eius, qui soli uidebantur homines & hęredes terrę, non apprehenderunt eam. Hęc lux lucebat in familia Abrahę, & inter Gentes. Sed nec Iudęi nec gentes apprehenderunt eam. De Iudęis Stephanus dicit: Quem prophetarum non sunt persecuti patres uestri, & occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iusti illius? De Gentibus autẽ, q̃ sectatæ sint idola, manifestius est, q̃ ut nunc pluribus commemoretur. Hæc lux lucebat in Iudæa & Galilęa, quando Christus ipse, qui erat illa lux, prædicauit Euangelion, de quo & Esaias ait. Populus qui ambulabat in tenebris uidit lucem magnam, habitantibus in regiõe umbrę mortis, lux orta est eis. Sed hanc lucem tanto odio prosecuti sunt, ut etiam Christum ipsum crudelissime occiderint. Hæc lux lucebat postea per diuulgationem Euangelij tam inter Iudęos, q̃ inter Gentes, in toto orbe terrarum. Sed quid multa? Tenebræ non apprehenderunt eam. Nec Iudæi nec Gentes acceperunt filium Dei fide sua, sed tm̃ impetum ad opprimendam lucem Euãgelij fecerunt, perinde ac si incendium totius orbis restinguendum esset. Lucet & hoc tempore lux in tenebris. Sed ut tenebrę nec superioribus seculis, ita nec nunc

Coloß. 1.
Romano. 10.

apprehendunt

apprehendunt lucem. Quid enim dicam de Iudeis, de Turcis, de Saracenis, qui ex professo sunt hostes Christi? uide mihi, inter ipsos Christianos, quot Euangelion contemnunt, quot etiam persequuntur? Stat enim sententia Ioannis, imo spiritus sancti, Tenebrę eam nõ apprehendunt. Ecquid, obsecro, caussæ est, quod hic mundus, tenebrę, aut homines, tanto fastidio abijciant filium Dei, qui tamen est uera lux & salus nostra? Non est difficile caussam huius rei intelligere, primum enim, filius Dei, non est lux corporalis sed spiritualis & cœlestis. Animalis autem homo, (quales sunt omnes gentes natura sua) non percipit ea quæ sunt spiritus. Deinde, Satan factus est propter peccatum, princeps huius mundi, & gerit irreconciliabile bellum aduersus filium Dei. Quare totis uiribus, quantus quantus est, enititur, ut sensus hominum excecentur, ne illucescat ipsis lumen Euangelij glorię Christi, qui est imago Dei, quemadmodum Paulus ait. Cũ autem institutum Satanæ non sit nobis ignotũ, & nos clementia Dei facti simus filij lucis, non offendamur crassicie tenebrarum, nec dimoueamur de agnitione filij Dei, impiorum multitudine & magnitudine, sed pergamus constanti fide in hac luce ambulare, ut in splendorẽ perpetuę fœlicitatis penetrare queamus, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen. 2. Corinth. 4.

HOMILIA VI.

MAGNA sunt, & pręclara, ac plane cœlestia, quæ Euãgelista hactenus de filio Dei docuit. Non est autem contentus, maiestatem filij Dei simpliciter exponere, sed confert eum nũc cum pręcipuis heroibus, qui post patriarchas, quibus Christus promissus est, in populo Dei fuerunt. Etsi enim nullus unquam hominũ fuit, aut erit, qui possit merito cum Christo conferri, & qui idoneus sit, quemadmodum recte affirmat Baptista, ut soluat corrigiam calciamenti Christi, tamen, cum uera cognitio Christi sit nostra iustitia & salus, confert Euãgelista Christum cum pręstantissimis omnium sanctorum, ut ex hac collatiõe maiestas Christi illustrior reddatur, & ut perspicue intelligamus, quantum sit discrimen inter Christum & alios homines, quantauis sanctitate & excellentia admirabiles. Fuerunt autem post patriarchas duo magni Heroes, qui in populo Dei tantam autoritatem habuerunt, ut unusquisque eorum a nonnullis habitus sit uerus ille seruator & redemptor, qui pa-

triarchis promissus erat. Horum alter fuit Moses, Alter, Ioannes Baptista. Quid ergo? dices. An non fuerunt & alij multo his illustriores Heroes tam inter Iudæos ꝗ inter Gentes? Quid desideras in Dauide? Quid in Elia? Quid in Esaia? Inter gentes autem, quot obsecro numerantur potentissimi Monarchę, & sapientissimi philosophi? Fecte dicis. Fateor, multos prestantissimos fuisse Heroes inter gentes et Iudęos. Sed qui fuerunt inter gentes, hi etsi habuerunt sua quædam dona Dei, suaq; commendatione digni sunt, tamen potentia & sapientia eorum non profuerunt ad alia, ꝗ ad commoditatem huius corporalis uitę, & ad negotia huius externi ac interituri seculi, nec attulerunt hominibus aliquam ueram, certam & firmam salutem. Huc accedit, q; Gentes erant, ut Paulus ait, extranei à testamentis promissionis, spem non habentes, deoq; carentes in mundo. Soli autem Israelitæ erant populus Dei. Non fecit taliter, inquit Psalmus, omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Ac iterum: Tantummodo uos cognoui, ex omnibus nacionibus terræ. Quare, etsi fuerunt excellentissimi Heroes inter Gentes, tamen non habent locum inter eos, qui hominibus attulerũt uera & cœlestia beneficia. Inter Israelitas autem, Dauid & propheræ fuerunt quidem magni & excellentes uiri, non superarunt tamen autoritate sua Mosen, quippe q; Dauid rex necesse habuit Mosen omnibus diebus uitę suę, præceptorem suum agnoscere. Describet, inquit, sibi deuteronomium legis huius, in uolumine, & leget illud omnibus diebus uitę suæ. Prophetę autem fuerunt Mosi interpretes, nec instituerunt uel noua religionis sacramenta, uel nouam in populo Dei πολιτείαν, Sed tantum ea, quæ per Mosen instituta erãt, doctrina sua tuebantur. Soli uero hi duo Moses & Ioannes Baptista instituerunt noua in populo Dei. Moses enim instituit ecclesiasticam et ciuilem politian in Israel. Baptista instituit concionem Euangelij & baptismum. Ac tãta fuit autoritas eorum, ut primum Moses, quia liberauit Israelẽ ex Ægypto, & perduxit eos saluos per mare rubrum, ac tulit eis diuinam legem, & dedit ipsis Manna in deserto, habitus sit uerus seruator. Sic enim Christus ait: Est qui accusat uos Moses, in quo uos speratis. Deinde, quia uiderũt Ioannem Baptistam maxima sanctitate pollere, putauerunt & hunc esse uerum seruatorem ac Messiam. De alijs uel regibus uel prophetis, nihil tale constanter creditum fuit. Quare Euangelista producit nunc hos duos in medium, & opponit eis Iesum Christum DOMINVM nostrum, ut cognoscamus, q; non illi duo, sed hic solus sit uerus filius Dei, seruator & Messias noster. Ac postea quidem confert Euangelista Mosen cum Christo, cum ait, Lex per Mosen data est. Gratia & ueritas per IESVM CHRISTVM exorta est. Nunc autem con-

Heroes Moses & Baptista.

autem confert inter se Ioãnem Baptistam & Christum, Sic inquiens, Erat homo missus à Deo cui nomen Ioannes. Hic uenit ad testificandum, ut testaretur de luce, ut omnes crederent per ipsum. Non erat ille lux illa, sed missus erat, ut testaretur de luce. Dicet enim quispiam, Tu tribuis omnia Iesu filio Mariæ. Facis eum ęternum Dei uerbum aut filium, rerum omnium creatorem, uitam et lucẽ hominum. Quid ergo sentiendum est de Ioanne baptista? an non & is pro Messia habitus est? Cui autem adscribitur honor Messiæ, huic certe adscribenda quoq; erit ea maiestas, quam tu hactenus tribuisti Iesu filio Mariæ? De hoc respondet nunc Euangelista, cuius responsionis hæc est sentẽtia, Fateor, Baptistam fuisse insignem uirum, & diuinitus missum, Non tamen fuit uerus seruator & Messias. Magnus fuit, non tamen maximus. Illustris fuit, non tamen lux ipsa. Heros fuit, non tamen Deus ipse. Missus quidem à Deo, non tamen ut autor & magister, sed ut minister salutis. Fuit, inquit, homo à Deo missus, cui nomen Ioannes. Videamus igitur, quibus argumẽtis perspicuum fiat, q̃ Ioannes Baptista fuerit à Deo missus? Nam cum plurimum sit situm in testimonio eius, quod perhibuit Iesu filio Marię, uocatio eius debet esse probe confirmata. Ac primum, testatur Archangelus Gabriel oraculo suo, q̃ uocatio Baptistę sit diuina. Erit, inquiens, magnus coram Domino, & spiritu sancto replebitur iam inde ab utero matris suæ. Deinde idem confirmat miraculum obmutescentiæ, qua Zacharias pater Baptistę punitus fuit, propterea q̃ non adhibuerat fidem cœlesti oraculo. Accedit mox & aliud miraculum, q̃ etsi Zacharias pater Baptistæ, fuit senex, & uxor eius sterilis ac prouectę ætatis, diuina tamen clementia factum est, ut Elizabeth è Zacharia, anus è sene, Baptistam conciperet. Est & hoc inter miracula ponendum, q̃ Baptista exultauerit prę gaudio in utero matris suæ. Postq̃ Maria iam Christo pręgnans, salutasset Elizabetham. Deinde cum natus esset Baptista, lingua Zacharię iterum sic soluta est, ut statim prorumperet in laudẽ Dei, & impleretur spiritu sancto. Hęc certe tam conspicua fuere miracula, ut omnes finitimi, qui fuerunt horum miraculorum testes, confessi sint, Baptistam diuinitus missum esse. Quod autem in infantia eius inchoatum erat, hoc postea ipse, cum adoleuisset, tantis uirtutibus, & tam admirabili uitę suę sanctitate ita confirmauit, ut iam non tantum insignis quispiam uir, sed etiam Messias haberetur. Etsi uero imperiti homines nimium tribuebant Baptistæ, (humanum enim ingenium nunq̃ fere mediocritatem seruare potest) hoc tamẽ satis luculentum est testimonium, q̃ uocatio Baptistę fuerit diuina. Quæ cum ita se habeant, uideamus nũc, in quẽ usum, & ad quod officium missus ac uocatus sit Baptista. Nũ missus erat ut ipse esset uerus Messias?

Ioannis Baptistæ uocatio.

Nihil minus. Nõ erat (inquit) ille lux uera, ſed miſſus erat ad teſtificandum, ut teſtaretur de luce, quo omnes crederent per ipſum (hoc eſt) Baptiſta uenit, non ut eſſet ipſe Meſſias, ſed ut eſſet teſtis & miniſter Meſſiæ, quo homines per teſtimonium & miniſterium eius agnoſcerent uerum Meſſiam, & crederent in ipſum. Quid ad hæc dicemus? Num Chriſtus tam egens autoritate fuit, ut neceſſe habuerit teſtimonium ab homine petere? De hac re nihil opus eſt, ut nos multa uerba faciamus, ſed audiamus Chriſtum ipſum, qui apud hunc Euangeliſtam capite quinto ita ait, Vos miſiſtis ad Ioannem, & is teſtimonium reddidit ueritati. Ego autem non accipio teſtimonium ab homine, ſed hæc dico, ut uos ſalui ſitis (hoc eſt) Ioannes miſſus eſt, ut teſtimonium perhiberet de me, non quidem propter me, aut ꝗ ego aliena autoritate indigerẽ. Habeo enim teſtimonium maius teſtimonio Ioannis. Opera, quę dedit mihi pater, ut perficiam ea, teſtificantur de me, ꝗ pater miſerit me, Sed miſſus eſt, ut teſtimoniũ diceret de me, propter homines, ut excitati teſtimonio tam ſancti uiri conciperent ueram fidem, & conſequerentur ſalutem. Nec fuit alienum ab inſtituto Chriſti, ꝗ non dedignatus eſt uti teſtimonio hominis. Nã ſi propter nos aſſumpſit hominem, & non abhorruit nec à cruce nec à morte, quæ ſunt humanorum peccatorum ſupplicia, quomodo abhorruiſſet à teſtimonio hominis, quod modo aliquid ad noſtram ſalutem faceret? Cæterum, ex hoc loco diſcendus eſt uerus uſus Sanctorum, ne de ipſis pluſq̃ par eſt ſentiamus. Etſi enim Apoſtoli dicuntur alibi, Lux mundi, & Ioannes, Lucerna ardens, adeoq̃ omnes in Chriſtum credentes uocãtur Luminaria. Lucete, inquit, tanq̃ luminaria in mũdo. Et lux eſtis in Domino, tamen ex hoc loco interpretandum eſt, ꝗ ſancti non ſint uera lux, nec ſit ipſis tribuenda maieſtas Meſſiæ, ſed quòd tantum ſint indices, & teſtes uerę lucis, ac miniſtri & doctores ueri Meſſiæ. Nam, ſi de Baptiſta, quo tamen non eſt maior exortus inter natos mulierum, ſcriptum eſt, Non erat ille lux, ſed miſſus erat ut teſtaretur de luce, & ut omnes crederent per ipſum, hoc eſt, ut teſtimonio eius excitati, fidem Chriſto adhiberent, multo magis de alijs Sanctis ſentiendum eſt, quòd non ſint uera lux, nec transferẽdum ſit in ipſos proprium officium, & maieſtas ueri Meſſiæ. Maieſtas autẽ Meſſiæ eſt, quòd ſit patronus noſter coram Deo, quod ſit reconciliator noſter, quod ſit ſeruator in morte, adeoq̃ adiutor in ſummis dolorum inferni neceſſitatibus. Nullus igitur Sanctorum inuocandus eſt ut patronus, ut reconciliator, ut ſeruator & adiutor in morte, ſed quicquid hoc eſt bonorum, à ſolo Ieſu uera luce & Meſſia expectandum eſt: Habent quidem Sancti ſuam laudem, & facienda eſt mentio eorũ in Eccleſia honeſtiſſime, is aũt honor qui ad ſolum Chriſtũ pertinet,

Sanctorum uſus.

Philip. 2. Epheſi. 5.

non

non est ipsis tribuendus. Maiores nostri proposuerunt pueris suis imaginem quandam extremi iudicij, ac pinxerunt Christum sedentem in iride, Mariam & Ioannem Baptistam astantes, Apostolos autem assidentes. Certe qui ueram Christianę doctrinę cognitionem habuerunt, non senserunt uel tam crassum fore spectaculum extremi iudicij, uel Mariam aut Ioannem Baptistam aut Apostolos esse patronos coram tribunali summi iudicis, Sed significare uoluerunt, ꝙ is solus sit uerus iudex noster, qui natus est ex Maria, et de q̃ Baptista testatus est, Iesus Christus, ꝙ & iuditium pronũciabitur, non iuxta leges uel Mosaicas uel Romanas, sed iuxta Euangelion, quod Apostoli prædicauerunt, ut quicunqꝫ credidit, consequatur salutem, qui autem non credidit, condemnetur. Cum igitur in hoc Euangelio quod Apostoli adnunciarunt, Christus prædicetur patronus, reconciliator & seruator omnium credẽtium in ipsum, manifestum est, eundem Christum esse & iudicem & patronum fidelium suorum, nec ullum aliũ patronum è sanctorum numero adoptandum esse. Porro, postꝗ Euangelista exposuit officium Ioannis Baptistæ, reuertitur ad descriptionem Christi. Erat, inquiens, lux illa, lux uera, quę illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, hoc est, Ioannes Baptista, non est uera lux, sed Verbum illud, quod est æterni Dei æternus filius, per quem omnia condita sunt, & qui assumpto homine uenit in hũc mundum, uera est lux, quæ non sibi tantum lucet, sed illuminat omnes homines in toto mundo. Quid hoc rei est, inquies? Si Christus illuminat omnes homines, cur tot sunt impij? cur tot scelerati? cur tot sempiterna internitione pereunt? Sunt, qui per hanc lucem Christi, intelligunt naturale lumen humanæ rationis, omnibus hominibus diuinitus concessum, quo homines cognoscant illa, quorum scientia perduceret eos ad fœlicitatem, si exequerentur. Etsi autem lumen naturalis rationis, diuinum est donum, & habet cognitionem quandam Dei, tamen natura sua prorsus ignorat Christum seruatorem, & homo peccato originis ita fractus est, ut nec ea quæ ratione sua de Deo cognoscit, exequatur. Cum Deum, inquit, cognouerint, non ut Deum glorificauerunt. Quare Euangelista non intelligit per hanc lucem, humanam rationem, quin potius cum dicit Christum illuminare omnem hominem, ut non sentit omnes homines habere natura sua perfectam scientiam perueniendi ad fœlicitatem, ita nec sentit omnes homines in toto orbe terrarum fieri pios, & seruari, sed primum reprehendit & damnat eorum opinionem, qui sentiebant Christum pertinere tantum ad Iudæos, & ad eos qui susciperent Iudaismum. Etsi enim manifestæ erant promissiones in prophetis, ꝙ Christus esset etiam Gentium seruator, Iudæi tamẽ putabant Gentes non seruari per Christum,

Iudicij extremi pictura.

nisi susciperent circumcisionem, & fierent Iudæi. Itaq; , cum Petrus baptisasset Cornelium, & alios ex gentibus, reprehensus fuit ab his qui erant è circumcisione, q; introijsset, ut ipsi loquebantur, ad uiros præputium habentes. Et postea. Nisi circumcidamini, inquiũt, secundum morem Mosi, non potestis esse salui. Quare Ioannes reijcit nunc uanam opinionem Iudęorum, de suo Iudaismo, & docet Christum illuminare omnem hominem, hoc est, non pertinere tantum ad Iudæos, sed etiam ad gentes. Ac idem hoc dicto significatur, quod aliâs in Marco scribitur. Ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelion omni creaturę. Et Paulus, Prędicatum est, inquit, apud uniuersam creaturam, quę sub cœlo est. Ac rursus. Non est Iudęus, neq; Gręcus, non est seruus, neq; liber, non est masculus ac fœmina. Omnes enim uos unus estis in Christo Iesu. Et iterum. Vbi non est Gręcus & Iudęus, circumcisio & pręputium, Barbarus, Scytha, seruus, liber, sed omnia in omnibus Christus. Cum autẽ spiritus sanctus docet, Christum pertinere ad omnes homines, uidelicet, non ad Iudęos tantum seu circumcisos, sed etiam ad Gentes, populum incircumcisum, intelligit Christum pertinere non solũ ad honestos homines, quales Iudęi propter legẽ Dei, & sacra eius sibi uidebantur, uerumetiã ad inhonestos, & peccatores, quales incircumcisę Gentes à Iudęis reputabantur. Nõ ueni, inquit, ad uocãdos iustos, sed peccatores ad pœnitẽtiam. Et Paulus. Certus sermo & dignus, quem modis omnibus amplectamur, q; Christus Iesus uenit in mundum, ut peccatores saluos faceret. Itaque Christus lucet oĩbus hominibus, & offert lucem salutis suę tam honestis hominibus, q; inhonestis & sceleratis, non ut hi perdurent in suis sceleribus, & illi abijciant uitæ suę honestatem, sed ut ueram utriq; iustitiã in Christo per fidem consequantur, & illi honeste uiuere pergant, hi aũt scelera uitent, ac opera iustitię faciant. Deinde consideranda est, q; etsi Christus uera lux pertinet ad oẽs homines & illucescit oĩbus hominibus siue Iudęis siue gentibus, siue honestis siue inhonestis, in toto orbe terrarum, tamen non omnes recipiũt hanc lucem. Tenebrę, inquit, non apprehenderunt eam. Et mox. Mundus non cognouit eum. Nam quemadmodum corporalis sol publice oĩbus lucet, & tamen non omnes accipiunt, nec fruũtur ea luce, nimirum alijs dormientibus, alijs obstruentibus fœnestras, alijs cęcis aut excęcatis, ita & Christus, quantum in ipso est, omnibus lucet, cum autẽ alij contemnant eum impie, alij persequantur ipsum crudeliter, non oẽs capiunt fructum huius lucis. Quare, cum Euangelista dicit, Christum illuminare omnem hominem uenientem in hunc mundum, non sentit, omnes impios hoĩes fieri pios, sed docet lucẽ Christi oĩbus offerri, quã tamen non omnes accipiunt. Postremo, Christus eiuscemodi lux est, ut

est, ut nullus hominum illustretur ad consequẽdam iustitiam coram Deo, ueram uitam & fœlicitatem, nisi per hanc lucẽ, & ubicunq; hęc lux non lucet, ibi nõ sunt nisi crassissimę & perpetuæ tenebrę mortis ac inferni. Hoc certe cognitu necessarium est. Prudentes enim huius seculi existimant unũquemq; in sua religione seruari, si modo credat Deum esse summam mentem, ęternam, omnipotentem, creatricem & gubernatricem rerum omnium, remuneratricem pietatis, ultricẽ impietatis. Ac nihil referre putant, quo nomine illa mens appelletur, mundus, natura, Iuppiter, aut alio quocunq; nomine, & haud obscure significant, se diuersas religiones, non nisi diuersos ritus ueri Dei colendi iudicare. De qua re extitit lex Cęsaris Maximini, qua permittitur, ut quo quisq; uelit ritu, deum colat. Itaq; sentiunt posse esse lucem iustitiæ & salutis absq; Christo, & Iudæos, Ethnicos, Christianos, Turcas & Saracenos salutem consequi, si modo in suæ quisq; religiõis ritibus, unum Deum omnipotentem credat, & inculpatam uitam ducat. Hęc est magna impietas, & extrema ueritatis ignorantia. Etsi enim ad salutem necessarium est, ut cognoscatur Deus omnipotens, remunerator pietatis, & ultor impietatis, quippe q; hæc cognitio naturaliter sit humanę menti insita, et percipiatur ex opificio mundi, quemadmodum Paulus docet, tamen nisi accesserit cognitio misericordię Dei, per Iesum Christũ, nihil aliud fieri solet, q̃ q; cum homines cognoscant Deum, non tamen glorificent ut Deum, quemadmodum idem Paulus perspicue exponit. Non enim difficile est ingenioso homini extra periculum mortis & inferni, in rerum fœlicitate speciosas cogitationes de immensa Dei potentia, qua nihil nec maius sit nec melius, suscipere, at si quis absq; Christo obiciatur tentationibus peccati, mortis & inferni, ibi certe fieri non potest, quin aut Deũ prorsus contemnat, aut sentiat eum esse longe omniũ crudelissimum, aut quærat sibi alienos deos. Nulla em̃ est lux, nulla salus absq; Christo, nec id solum hoc tempore, quo post aduentum Christi Euangelion prędicatum est in toto orbe terraꝝ, sed etiam ante aduentum Christi, usq; ad initium mundi. Ac tunc quidem ea erat temporis ratio, q; cognitio Christi non fuerit tam perspicua, q̃ nunc est, reuelato Euangelio eius, necessaria tamen erat talis cognitio Christi, qualis erat diuinis promissionibus reuelata, uidelicet, q; Deus esset clemens propter semen mulieris, propter semen Abrahę, propter filium Dauidis. Sic enim tunc de Christo prędicatum fuit. Non dubito, quin quondam ante aduentum Christi multi non solum inter Iudęos, sed etiam Gentes seruati sint. Nullus autem eorum potuit seruari, cognitione illa naturali de Deo, q; sit ęternus, & rerum omnium gubernator, sed necessariũ fuit cognoscere & credere, q; Deus sit misericors, propter

Eusebius in Ecclesi. histo. lib. 9. cap. 9.

Rom. 1.

eum, qui patriarchis diuinitus promissus erat. Quod si innumeri inter gentes non habuerunt ullam huius diuinę misericordiæ cognitionem, sed perierunt, non certe Deo sed ipsorum impietati imputandū est. Prędicatio enim misericordie dei per semē mulieris, aut Abrahæ & Dauidis, non in unum tantum terrę angulum conclusa fuit, sed uulgata est etiam inter gentes, partim per patriarchas, a' quibus Gentes suam originem duxerunt, partim per Israelitas, qui uarijs exilijs dispersi fuerunt in prędipuas terrę Monarchias, & regiones. Non est aliud nomen, inquit Petrus, sub cœlo datum inter hoīes, in quo oportet nos saluos fieri, prętercp̄ Iesus Christus. Hoc autem non est intelligendum de illis tantum hoībus, qui post aduentum Christi in terrā, & reuelatum eius Euangelion per apostolos, in orbem terrarę, uitam agunt, sed etiam de his, qui fuerunt ab initio conditi mundi. Per gratiam, inquit iterum Petrus, Dñi Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quemadmodum & illi. Quare cum Euangelista dicit, cp̄ Christus illuminet omnem hoīem uenientem in hunc mundū, docet Christum talem esse lucem, sine qua nullus hoīm unq̄ aut potuerit, aut possit ueram salutem consequi, & omnes eos hoīes etiamsi fuerint sapientissimi & honestissimi, perpetuis tenebris interire, qui non fuerint hac luce illuminati. Habes quāta, & cp̄ necessaria lux sit Christus. Videamus nunc hoīm impietatem, & cęcitatem, qua tantam lucem repulerunt. In mūdo, inquit, erat, & mūdus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Nota est phrasis, in hoc prętertim Euangelista, qua mūdus non solum pro cœlo & terra, sed maxime oīm pro hominibus accipitur. Obserua igitur mihi, quanta sit hominum in hoc mundo impietas, & ingratitudo. Filius Dei erat in mundo, non tantum rerū oīm gubernatione, sed etiā assumptione hoīs, Factus enim est homo, & egit humanam uitam inter homines. Nec uixit obscure, Docuit enim publice Euangelion suum, edidit maxima miracula, quibus ueritatem Euangelij sui confirmauit. Morti traditus, resurrexit a' mortuis, & comprobauit uarijs argumentis se a' mortuis uere resurrexisse. Ascendit in cœlum, ac misso spū sancto, diuulgauit Euangelion suum per apostolos inter omnes gentes terrę, adhibitis interim in testimonium ueritatis multis ac magnis miraculis. Nihil certe defuit filio Dei, ad reuelationem & confirmationem maiestatis suę. Ecce aūt, in hoc tanto splendore, mūdus non cognouit eum, hoīes non receperunt eum. Quid hac seu stupiditate seu cęcitate horribilius? Etsi em̄ cum uniuersus mundus, tum etiā terra & hoīes creati sunt per filium Dei, tamen cum uenisset in terram, & ageret uitam inter hoīes, tantū abest, ut hoīes concederēt ei, uel tantillum terrę ubi pedem poneret, aut caput reclinaret, ut etiam de terra sustulerint eum in crucem, indignissimum

Euāgelion de Christo uulgatum inter gentes, etiam ante aduentū Christi.

Acto. 15.

dignissimum iudicantes, qui in hac terra uiueret. Ac filius quidem Dei is est, qui & instituit Monarchias in terra, & ordinauit imperia, atq; regna inter hoïes, ut constituta & conseruata publica tranquillitate, uerbum Dei in terra prędicari, & Christus per Euãgelion suum agnosci posset. Cum autem uenisset in regna huius seculi, & uulgaret in ipsis Euangelion suum, reges & principes tãto furore grassati sunt in ipsum, ut maluerint ipsi perire, q̃ eum non perdere, tantum abest, ut tradidissent ei uel uillulam, in qua dominaretur. Non affectauit Christus regna huius seculi, sed obtulit hoïbus siue illis regibus, siue subiectis, ueram & perpetuam salutem, prędicatione Euangelij sui, et tñ ne sic quidem potuerunt eum ęquo animo ferre. Quid indignius, quid iniquius, aut etiam magis impium? Sed hi, inquis, fuerũt impij & increduli Ethnici, Quid autem de Iudęis, qui sunt populus Dei, & quibus Christus fuit promissus? fortassis hi agnouerunt & tractauerunt eum pro sua dignitate. Audi ergo de Iudęis. In sua uenit, & sui eum non receperunt. Iudęi dicuntur populus Christi, primũ, q̃ Christus patriarchis Iudęorum promissus fuit. Deinde, q̃ Deus selegerit Iudęos ex oïbus gentibus, ut in hoc populo conseruarentur promissiones de Christo. In hunc enim usum Iudęi liberati sunt tyrannide Ægyptiaca, data est eis terra Canaan, & instituta sunt inter ipsos sacra, ad quorum conseruationem ordinatę fuerunt decimę frugum, & multa id genus alia, ut esset gens & politia, in qua promissiões de Christo ad patriarchas dictę conseruarentur, donec Christus ipse ueniret. Hic ergo uide mihi admiranda & stupenda. Cũ Christus in suã regionem, quam Iudęis tradiderat, & ad suum populum, quem elegerat, uenisset, tanta fuit huius populi ingratitudo, ut non solum non exceperint Christum obedienter, sed etiam interfecerint ipsum crudelissime. Leuitę & sacerdotes acceperunt beneficio Christi, multis annis, decimas, primitias, oblationes, et libamina, Sed cũ uenisset Christus, tantum abest, ut fecerint eum horę bonorę participem, ut etiã in summa eius siti potauerint eum felle & aceto. Quid potest dici horribilius aut sceleratius? At enim dices. Quod siue Gentes, siue Iudęi aduersus Christum commiserunt, hoc ignoranter fecerunt. Si eum cognouissent, inquit Paulus, haud quaq̃ Dñm glorię crucifixissent. Nam hoïes huius seculi solent se libenter coniungere cum his, qui maiestate pręditi sunt. Quare si cognouissent, non tãto furore persecuti eum fuissent. Recte uero dicis, q̃ non cognouerint eũ. Et hoc illud est, de quo spiritus sanctus cõqueritur. Potuissent aũt eum cognoscere, si uoluissent, & non tam impij fuissent. Reuelauit enim maiestatẽ suã, non doctrina tm̃, sed & magnis miraculis, idq̃ tam inter Iudęos, q̃ inter gentes, ac multis & firmissimis argumẽtis comprobauit se eum esse,

Iudei populus Christi.

quem Moses iussit audire, & quem prophetę seruatorē promiserunt. Sed ipsi hoc fecerunt, quod Christus aliquot parabolis significauit. Alij neglexerunt & abierunt ad uillas ac negociationes suas. Alij tenuerunt tam ipsum, ꝗ ministros eius, & contumelijs affectos occiderunt. Quare nullam habent prorsus excusationem ignorantię suę, sed perierūt merito suę impietatis. Nostra res hic agitur. Iudęi, gens Dei electa, uiderunt lucem magnam, sed fuerunt ingrati, & repulerunt lucem. Abiecti igitur sunt in perpetuas tenebras & perierunt. Eadē lux etiam nobis nunc beneficio dei lucet. Expergiscamur igitur, & excipiamus eam grato animo, ut cōseruemus eam & ut luceat nobis per peccata ad iustitiam, per mortem ad uitam, per tenebras inferni, ad cœlestem splendorem, in Christo Iesu DOMINO nostro, qui est unā cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA VII.

IN MVNDO ERAT, inquit Euangelista, & mundus per ipsum factus est, & mundus eū non cognouit. In sua uenit, & sui eum non receperunt. Quid igitur? Nullus ne hoīm, nec inter Gentes, nec inter Iudęos cognouit & recepit Christum? Dicemus ergo Christum frustra in hunc mundū uenisse? De hac re audiamus nūc Ioannem differentē. Sic enim ait: Quotq̄t aūt receperunt eum, dedit eis potestatem, ut filij Dei fierent (uidelicet) his, qui credunt in nomen eius. Hęc est una ē prącipuis sententijs totius sacrę scripturę. Quare diligentissime consideranda est, Ioannes aūt initio significat, ꝙ etsi maxima & prącipua hoīm pars tam inter Iudęos, ꝗ inter Gentes, non agnouerunt, nec receperunt Christum, multi tñ in utraq̄ gente receperunt eū obedienter. In Actis Apostolicis, agnouerūt Christum uno die circiter ter mille Iudęi, Et ab eo die Ecclesia Christi mirę in modum in quauis natione congregata & aucta est, adeoq̄ cœptum est impleri, quod spūs sanctus per Esaiam de Ecclesia Christi uaticinatus est. Leua, inquiens, in circuitu oculos tuos, & uide, oēs isti congregati sunt, Venerunt tibi. Ac mox. Ecce leuabo ad gentes manum meā, & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabūt. Et itere. Filij tui de longe ueniēt, & filię tuę de latere surgent. Tunc uidebis, & afflues, & mirabitur & delatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gētium uenerit tibi. Etsi enim aliquoties nulla, aut exigua uidet Ecclesia, qualis fuit Arrianis quondā, & nunc Turcis latissime dominantibus, qualis etiā est regnante Pontifi-

Pontificia impietate, tñ Dñs Deus noster, cum ad Eliam ait: Dereliqui mihi in Israel septem milia uirorum, quorum genua non sunt curuata ante Baal, haud obscure significauit, se Ecclesiam suam mirabiliter conseruare, & sua semper septem milia reliqua esse, quę etsi habitant in medio impię nationis, non tñ consentiunt in impietatem, nec adorant aut inuocant alium seruatorē, prēter Iesum Christum DñM nostrum. Hęc non eo dicuntur, ꝙ liceat reclamante corde, Christum ore negare. Credendum eñ est corde, & ore confitēdum, sed ꝙ Christus, iuxta uaticinia spūs sancti, suam semper habeat Ecclesiam, etiam in medio impiorum, quæ ipsum agnoscat, & obedienter uenerētur. Manifestum igit̄ est, Christum haud quaq̄ frustra in hūc mundum uenisse. Deinde exponit Ioannes, quid beneficij contingat his, qui cognoscunt & recipiunt Christum. Hæc est necessaria expositio. Nam Iudęi spe sua expectarūt eiusmodi Messiam seu Christum, qui afferret populo externā fœlicitatem, ut sub uite quisq̄, & ficu sua, securus habitaret, & qui faceret oēs subditos suos, diuites ac principes in hac terra. Quęso aūt te, quid magni attulisset Christus in hūc mundum, si tñ externam & corporalē fœlicitatē attulisset, & creasset oēs subditos suos, reges ac principes in hoc seculo? Quid prodesset hoī uniuersa terra, & quicqd in ea est, si interim careret ueris cœlestibus ac perpetuis bonis? Hęc si defuerint, terrena bona nihil iuuant. Si adfuerint, terrena bona iudicantur prę his reiectamenta, ac damna magis, q̄ lucra. Quare Christus posthabitis corporalibus & terrenis bonis attulit populo suo cœlestia, ac ea, quę uere sunt, quod audiunt, bona. Hęc oīa Ioannes, breuissimo quidem cōpendio, sed quod pręciosissimi thesauri loco conseruandum est, comprehendit. Quotquot, inquiens, receperunt eum, dedit eis ἐξουσίαν, hoc est, ius, potestatem, & prerogatiuam, ut fiant filij Dei, ac fecit compromissum, ꝙ adoptent̄ in filios Dei. Hoc est summum & maximū oīm beneficium. Etenim, nec diuina lex, nec humana iustitia potuerunt unq̄ cuiq̄ hoīm hanc potestatē, aut ius, aut prerogatiuā seu dare seu impetrare, ut fieret filius dei. Diuina eñ lex, semper perdurat in sua seueritate, & exigit perfectam ac summā iustitiā. Quā nisi quis prestiterit, nō pōt à lege impetrare, ut adoptet̄ in filiū Dei, sed potius maledicit̄, & tradit̄ Satanę, ut fiat Satanę filius. Maledictus, inqt, qui non pmanet in sermonibus legis huius, nec eos opere pficit. Nullus aūt hoīm satisfacit diuinę legi, nec ullus est, qui plenā & exactā iustitiā perficiat. Quare nec diuina lex, nec humana iustitia potestatem ulli hominum faciunt, ut fiat filius Dei. Solus autem Iesus Christus impetrauit hoc ius, ac fecit compromissum omnibus recipiētibus ipsum, ꝙ etiamsi non satisfecerint diuinę legi, tñ fiāt ꝓpter ipsum filij dei. Nihil debuit nobis Christus

Ecclesiā semper habet Christus, etiam in medio impiorum.

Εξουσία ἐστὶν ἐπιτρόπωσις νόμου.

ac potuisset permittere, ut nobiscum iuxta seueritatem legis ageretur. Nec nos ullum ius aut potestatem habebamus, ut fieremus filij Dei, sed quemadmodum arbiter quispiam, cum non habet ex se iurisdictionem eius rei de qua litigatur, accipit iudicandi potestatem ex cõpromisso litigatorũ, ita & nobis nulla prorsus fuit potestas, ut fieremus filij & heredes Dei, Sed Christus Dominus noster tanta nos beneuolentia complexus est, ut non simpliciter, sed facto compromisso, conferat plenum ius filiorum Dei, ad eos, qui recipiunt ipsum. Solus quidem Christus, est naturalis Dei filius, a' patre suo ab æterno genitus, quam etiam gloriam & maiestatem soli sibi retinet, nec dat eam alteri, quemadmodum apud Esaiam loquitur, ex ijs autem, qui ipsum recipiunt, facit filios dei adoptiuos. Inter adoptiuos autem & naturales liberos hoc est discrimen, ꝓ hi ex ipsa patris substantia nati sunt, illi uero ab extraneis personis assumpti. Sed in hoc conueniunt, ꝓ adoptiui eiusdem iuris habẽtur, cuius sunt iustis nuptijs quæsiti, ut legum tabulæ loquuntur. Quare etsi non competit nobis hæc maiestas, ꝓ simus naturales filij dei, tamen maximum oĩm beneficium est, ꝓ efficiamur per Christum filij Dei adoptiui. Accepistis, inquit Paulus, spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater, Idem spiritus testatur una' cum spiritu nostro, ꝓ simus filij Dei. Et iterum. Prædestinauit nos, ut adoptaret in filios, per Iesum Christum. Videamus autem nũc, quale ius, & quale beneficium afferat adoptio his, qui Christum recipiunt. Etsi enim nullus sermo satis digne hoc explicare potest, tamen quia huius rei cognitio, quantum in hac uita fieri potest, nobis necessaria est, pauca quædam, quæ possumus, pro mediocritate nostra perstringemus. Nam cũ Christus uerus & naturalis filius Dei impetrauerit, ut quotquot ipsum recipiunt, adoptentur in filios Dei, perspicuum est, ꝓ suscipiat eos omnes in fratres suos, ac faciat eos coheredes suos. Narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Et aliàs Vade ad fratres meos. Hic uocat Christus eos, qui receperunt ipsum, fratres suos, quod cognomen non tribuit ipsis ciuilitatis, sed ueritatis gratia. Nõ enim sic agnoscit eos fratres, quemadmodum aliquoties legitimi agnoscunt illegitimos, quibuscum non adeunt illi communem hereditatem patris æqualiter, Sed agnoscit eos tales fratres, q̃d uelit oẽs habere paternæ ac cœlestis suæ hæreditatis participes. Audiamus igit', q̃ sit hereditas dei, quã Christus filius dei adijt, ut cognoscamus quantorũ bonorũ sint participes hi, q̃ recipiũt Christũ. Principio, nihil maius, nihil excellẽtius est, fauore & amore Dei. Quid em̃ potest ei deesse, quẽ Deus ipse suo fauore & amore cõplectitur? Deus aũt pater non simpliciter fauet Christo, nec frigide ipsum amat, sed fauet ut filio, & amat ut filiũ. Filius meus es tu, in-

Filij Dei adoptiui.

tu, inqens, hodie genui te. Et. Hic est filius meus dilectus in quo complacitum est mihi. Cum igitur Christus oēs, qui recipiunt ipsum, suscipiat fratres & cohęredes suos, manifestum est, ꝙ Deus non faueat, nec amet ipsos frigide. Sed cōplectatur illos eo fauore & amore, quo pater unigenitum filium suum complectitur. Quid amplius desiderare possent? Sufficit tibi, inquit cœlestis uox ad Paulum, gratia mea. Tametsi enim calamitates multę & magnę sunt, tamē si inuenisti gratiam in oculis Dei, & Deus fauet, ut pater filio, nihil tibi ad ueram salutē deesse potest. Quis ex uobis pater (inquit Christus) à quo si petierit filius panem, num lapidem dabit illi? Aut si piscē, num pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ouum, num porriget illi scorpium? Si ergo uos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis uestris, quanto magis pater uester cœlestis dabit spūm sanctum poscentibus se. Sunt aliquoties crudelissimi parentes inter homines, qui omnem humanū affectum sic exuunt, ut etiam trucidēt liberos suos. DñS autem Deus noster, non mutatur ut homo, sed eundem semper affectum erga eos, qui agnoscunt Christum, retinet. Nunquid potest, inquit DñS, mater obliuisci infantem suum? ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamē non obliuiscar tui. Deinde, Christus, ut est reipsa, ita etiam iudicatur à deo patre suo iustissimus ac sanctissimus. Peccatum enim non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Quotq̄t aūt recipiunt Christum, sunt cohęredes eius, quia fiūt filij Dei, & fratres Christi. Quare, etsi non sunt sua ipsorum iustitia iusti & sancti, tñ iudicantur à Deo propter Christum iusti & sancti. Hoc non tm̄ cognoscendum est, sed etiam in usum transferendum, ut capiamus ex eo cœlestem fructum. Nam, si quis accusatur peccati in conscientia, corā iuditio Dei, & damnatur propter peccatum ęterna morte, debet sibi ob oculos ponere, ꝙ sit adoptatus propter Christum in filium dei, & ꝙ sit cohęres Christi, ut quemadmodum Christus, ita & ipse habeat hęreditatem iustitię. Quod certe, si ex fide in Christum fiat, tm̄ habet momenti, ut seruet credentem ad perpetuam fœlicitatem. Prętterea, deus obiecit quidem Christum uariis aduersis, adeoq̄ cruci & morti, conseruauit aūt eum in oībus calamitatibus, & liberauit eū oībus aduersis. Mors non potuit eum retinere, sed necesse habuit ipsum incolumem dimittere. Hęc est excellēs pars cœlestis hęreditatis, Christus tñ non retinet eam solus, sed quia hi, qui recipiunt eum, sunt filij dei, & cohęredes Christi, participant parē, ut etiāsi maxis calamitatib. opprimant̄, non tñ pereant, sed conseruent̄ perpetuo. Quid igitur horrent aduersa? quid horrent mortem? Etsi nemo facile in his ridere, & cachinari potest, tñ non est ita mœrendū, ut despondeamus animum. Multæ, inquit, tribulationes iustorum, hoc est, credentium in Chri-

Deus factus est per Christum, pater noster.

ſtum,& ambulantium in uocatione Dei, (hi enim ſoli reputantur iu ſti)& de omnibus his liberat eos Dominus. Et iterum. Increpatiõem Domini ne reprobes, quia ipſe uulnerat,& medetur, percutit & manus eius ſanabunt. In ſex tribulationibus liberabit te,& in ſeptima nõ tanget te malum. Deinde, Deus excitauit Chriſtum a' mortuis,& ornauit a' reſurrectione corpus eius tanta maieſtate, ut ſit immortale, incorruptibile, glorioſum, non afficiatur amplius ulla infirmitate, non concludatur loco, non impediatur cœlo, uel terra, uel mari, quo minus penetret, quo uelit. Hanc portionem cœleſtis hæreditatis an non exiſtimas pręclaram eſſe maieſtatem? Chriſtus autẽ non habet alios pro illegitimis fratribus, ut ſoli ſibi, excluſis alijs, tantam hęreditatẽ retineat, ſed uult, ut hi qui recipiunt ipſum, una' cum ipſo hanc hęreditatem adeant. Quare & hi excitabuntur a' mortuis, & ornabuntur corpore ſuo his donis, quæ in reſurrectione corpus Chriſti accepit. Quemadmodum geſtauimus, inquit, imaginem terreni, geſtabimus & imaginem cœleſtis. Et iterum. Noſter municipatus in cœlis eſt, ex quo & ſeruatorem expectamus, Dominum Ieſum Chriſtũ, qui tranſfigurabit corpus noſtrum humile, ut cõforme reddat corpori ſuo glorioſo, ſecundum efficatiam, qua poteſt etiam ſubijcere ſibi oia. Poſtremo Deus extulit Chriſtum filium ſuum, in regnũ cœli & terræ. Data, inqt, eſt mihi ois poteſtas in cœlo & in terra. Qua hęreditatis maieſtate nihil poteſt excellentius & ſublimius cogitari. Sed quos Deus agnoſcit filios ſuos propter Chriſtum, eos etiam facit tãti honoris participes. Cum eſſemus, inquit Paulus, mortui per delicta conuiuificauit nos una cum Chriſto, (per gratiam eſtis ſeruati) ſimulq; cum eo reſuſcitauit,& ſimul cum eo ſedere fecit inter cœleſtes, in Chriſto Ieſu. Hęc certe maieſtas multo ſublimior eſt, q̃ quæ uel humana ratione comprehendi uel uerbis explicari queat. Magna fuit quondam maieſtas regis Babylonici, magna fuit gloria Salomonis, & aliorum regum ac monarcharum in terris, ſed omnes terrenę maieſtates, ſunt mera mendicitas, ſi conferantur cum ea gloria, quæ contingit ijs, qui recipiunt Chriſtum,& fiunt propter Chriſtum filij Dei. Oculus, inquit, non uidit, auris non audiuit, in cor hominis non aſcenderunt, quę præparauit Deus diligentibus ſe. Et Ioannes. Nunc, inquit, filij Dei ſumus,& nondum apparuit, quod futuri ſumus. Scimus autem, quoniam ſi apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam uidebimus eum ſicuti eſt. Quare omne ſtudium noſtrum in hoc ponendum eſt, ut agnoſcamus & recipiamus Chriſtum, quo in filios Dei adoprati, præclaram illam & cœleſtem hæreditatem participemus. Sed quomodo, inquies, recipitur Chriſtus? Num recipitur, ſi quis ſuſcipiat Circumciſionem & Iudaiſmum? Fuerunt quidem nonnulli, qui etſi

Eſa. 64.

Chriſtus quõ recipiatur.

etsi Christum confiteri uidebantur, tamen docebant, neminem posse salutem consequi, nisi circumcideretur secundum morem Mosi, Sed uicissim Paulus, electum Dei organon docet. Si, inquiens, circumcidamini, Christus uobis nihil proderit. Non damnat Paulus circumcisionem per se, quę suo tempore fuit cœleste sacramentum, sed damnat impiam opinionem, qua circumcisio, tanq̃ſ salutis meritum exigebatur. Num recipitur Christus uirtutibus moralibus? Habent quidē hæ uirtutes suam laudem & gloriam, non sunt autem apta & congruentia organa, quibus Christus recipitur. Nam, ut perspicue dicamus, quod res est, Christus recipitur tantum PER FIDEM. Sic enim Ioannes addit, His, qui credunt in nomen eius. Credere autem in nomen Christi, est credere in Christum ipsum. Quid enim aliud est nomen Christi, q̃ſ Christus ipse? Non est, inquit, aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri, hoc est, nō est alius quispiam, qui nos seruet, præter Christum. Quid ergo est, Credere in Christum? An non & impij quidam dicunt se in Christum credere, qui tamen magis suis operibus, q̃ſ Christo fidunt? Credere igitur in Christum, non est tantū nosse Christum, esse crucifixū, & mortuum, atq̃ſ a' mortuis resurrexisse. Hoc enim & dæmones nouerunt. Nec est sentire, q̃ Christus partim expiauerit peccata, partim nos debeamus nostris meritis expiare. Hoc enim est maiestatem Christi minuere, Sed est omnem fiduciam suam in Iesu Christo ponere, q̃ is Iesus Christus, uerus Deus & uerus homo, solus sit expiatio, redemptio & salus nostra. Porro, qui hoc modo recipit Christum per fidē, is, qualis qualis antea fuerit, siue Iudęus, siue Ethnicus, siue Græcus siue Barbarus, siue rex, siue seruus, siue honestus siue inhonestus, siue iustus coram mundo, siue peccator, acceptus est Deo, & adoptatur in filium Dei, ac fit hęres quidem Dei, cohęres autem Christi. Quot quot enim, inquit, receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Non dicit, Iudęis tantum, non, Ethnicis tantum, sed Quotquot, siue Iudęi, siue Ethnici, siue honesti siue inhonesti. Omnis enim, omnis inquam, qui credit in eum, nō perit, sed habet uitam ęternam. Et, Euangelion potentia Dei est ad salutem OMNI credenti, Iudæo primum simul & Græco. Et, Omnis, qui fidit illi, non pudefiet. Non enim est distinctio uel Iudęi uel Græci. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes inuocantes se. Omnis enim, qui inuocauerit nomen DñI, saluus erit. Non potest aūt inuocari, nisi ex fide in Iesum Christū. Quare, qualis qualis fueris, crede tm̄ in Christum, & saluus eris. Quid aūt ad hæc dicemus? An quemadmodum ad accipiendam salutem per fidem in Christum, nihil refert qualis antea fueris, ita etiam nihil refert, qualis postea ad retinendam salutē maneas, aut fias?

Acto. 15.

Circumcisionis sacramentum.

Credere in Christum.

Nihil quidem refert, quod ad politica & ciuilia uitæ genera attinet. Circumcisus, (inquit Paulus) aliquis uocatus est, ne accersat præputium. In pręputio aliquis uocatus est, ne circumcidatur. Et mox: Seruus uocatus es, ne tibi sit curæ, quin si potes liber fieri, potius utere. Etenim, qui in Domino uocatus est seruus, libertus Domini est, Similiter & qui liber uocatus fuit, seruus est Christi. Plurimum autē refert, qualis fias, & qualem uitam ducas, quod ad fructus pœnitentiæ attinet. Postq̃ enim peccator adoptatus est in filium Dei propter Christum, per fidem, non licet ei deinceps peccato seruire, sed necesse habet in nouitate uitæ ambulare. Nam qui in Christum credit, mortuus est peccato. Qui autem peccato mortuus est, quomodo posthac in eodem uiuet? Factus es filius Dei, per fidem. Peccata autem sunt opera filiorum Satanę. Quomodo ergo conueniret, ut in peccatis ambulares, & deijceres te a' maiestate filiorum Dei, ad tam fœdam turpitudinem filiorum Satanæ? Eratis, inquit Paulus, quondam tenebrę, nunc autem lux in Domino, ut filij lucis ambulate. Nox progressa est, dies autem appropinquauit. Abijciamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ut quam claritudinem diuina adoptione accepimus, gratitudine & honestate uitæ perpetuo conseruemus per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est una' cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA VIII.

MAGNA GLORIA, MAGNA fœlicitas est filiorum Dei, & quo maior est, eo ardentiori studio & cupiditate homines ad consequēdam eā flagrant. Non enim Iudæi tantum affectârunt esse filij Dei, uerumetiam aliæ gentes hoc maxime omnium egerunt, ut in deorum seu numerum seu consortium referrentur, & ueram ac perpetuam fœlicitatem consequerentur. Cum enim Deus initio condiderit hominem, ad imaginem et similitudinem suam, humana mens ardet desiderio fruendæ diuinæ maiestatis, nec contenta est possidere regnum terræ, in cœlo etiam dominari cupit. Sed cum uidet sibi ob imbecillitatem suam, aliena auxilia, ad hæc consequenda, necessaria esse, alius homo alium sibi autorem & parentem seligere solet, quo Deus fiat, aut filius Dei nascatur. Adam seligebat sibi pomum arboris scientiæ boni & mali, ut fieret Deus. Alios parentes Iudæi, alios aliæ Gentes sibi fingebant, qui-

bus

bus fierent dij, aut filij Dei. Sed humana ratio magis cęca est, ꝗ ut ue
rum parentem, ex quo ueri filij Dei nascuntur, deprehendere queat.
Quare cum Ioannes ante exposuit, quo intercessore, ac reconciliatore
homines fiant dij aut filij Dei, nimirę, Iesu Christo Domino nostro,
nunc exponit quo autore & parente hi filij nascantur. Qui non ex san « «
guinibus, inquiens, nec ex uoluntate carnis, nec ex uoluntate uiri, sed « «
ex Deo nati sunt. Dicamus autem primum de Sanguinibus. Nam san « «
guines in scriptura aliâs significant crudelitatem & scelera, quæ me- *Sanguines.*
rentur pœnam sanguinis, aut extremum supplicium. Hinc dicuntur
uiri sanguinum. Et, Libera me de sanguinibus. Et, Auferam sangui- *Psalmus 50.*
nes eius de ore eius. In hoc autem loco, circumstantiæ rei, de qua fit *Zacha. 9.*
sermo, (loquitur autem Euangelista de natiuitate filiorum Dei) indi
cant, per sanguines intelligēdam esse Consanguinitatem, seu propin
quitatem & coniunctionem sanguinis, quæ est inter eos, qui sunt
eiusdem cognationis. In hac significatione uidetur & Esaias hoc nomi
ne usus esse. Qui obturat, inquiens, aures, ne audiat Sanguines, in ex *Esa. 33.*
celsis habitabit, hoc est, is iudex iuste facit, & fœlix erit, qui non res-
picit personam consanguinei in iuditio, nec inique de caussa pronun
ciat, propter consanguinitatem. Cum igitur Ioannes dicit, ꝗ filij Dei
non nascantur ex sanguinibus, perstringit Iudæos, qui gloriabantur
de consanguinitate patriarcharum, & refutat uanam ipsorum arro-
gantiam, quam ex cognatione Abraami conceperant. Abraam enim
fuit patriarcha sanctissimus, & Deus promisit ei, ꝗ uelit esse Deus
ipsius, & seminis eius. Statuam, inquiens, pactum meum inter me &
te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempi-
terno, ut sim Deus tuus, & seminis tui post te. Quare, cum Iudæi es- *Abraami con*
sent semen, posteri & consanguinei Abrahæ, existimabant se eo ipso *sanguinitas.*
natos esse filios Dei, ꝗ ex Abraamo nati essent. Patrem, inquiunt,
Abraam habemus, hoc est, Deus nobis est propitius, & sumus filij
Dei, propterea quòd simus filij Abrahę. Non enim erat Iudęis curę,
ut crederent in semen Abrahæ promissum, qui est, Iesus Christus, &
ut sectarentur fidem ac pietatem Abrahæ. Vnum hoc præcipue iacta
bant quod essent consanguinei Abrahæ, & sperabant se hoc solo no
mine filios Dei factos esse. Sed Ioannes hanc uanissimam eorum opi
nionem & arrogantiam perspicue damnat, cum ait. Filij Dei non nas-
cuntur ex sanguinibus. Nullus enim hominum idcirco fit filius Dei,
quòd ducat genus aut sanguinem suum ab Abraamo. Nam filij Dei
non nascuntur humana aut carnali generatione. Promisit quidem De
us, se esse Deum seminis aut posteritatis Abrahæ, & qui inter poste-
ros Abrahæ, adhibuit fidem promissionibus Abrahæ dictis, quem-
admodum & Abraham credidit, is & iustus reputatus est, et in filium

Dei adoptatus eſt, hoc autem non eſt factum, propter carnalem con/ ſanguinitatem cum Abraamo, ſed propter ſpiritualem promiſſiõem Dei, cui is, qui adoptatus eſt in filium dei, fidem adhibuit. Etſi enim Abraam fuit patriarcha per fidem ſanctiſſimus, tamẽ quia natura ſua non fuit niſi caro & ſanguis, quotquot ex ipſo geniti ſunt, carnales & ipſi ſunt. Quod enim, ut Chriſtus ait, ex carne eſt, caro eſt. Et Paulus: Non omnes, qui ſunt ex Iſrael, ſunt Iſrael, neq; quia ſunt ſemen Abra hæ, ſtatim omnes filij. Quare uaniſſima eſt fidutia Iudæorum, qui ſentiunt filios Dei carnali generatione fieri, & Deum ideo eſſe patrẽ ipſorum, q; habeant patrem Abraamum. Non diſſimile eſt, quod hoc tempore Pontifices iactant ſe eſſe ueram eccleſiam Chriſti, prop terea quod ſint ſucceſſores Apoſtolorum. Hac fidutia ita inflati ſunt, ut quicquid inſtituerint, ac decreuerint, etiam alienum a' uerbo Dei, obtrudant ſuis, tanquam inſtitutum & decretum ſpiritus ſancti obſer uandum. Exiſtimant enim Eccleſiam Chriſti conſtare externa ſucceſſi one, hoc eſt, filios Dei naſci ex ſanguinibus. Sed quemadmodum Iu/ dæi non ſunt ideo filij Dei, quod ſint carnales filij Abrahę, ita ponti fices non ſunt ideo Eccleſia Chriſti, q; ſint ſucceſſores Apoſtolorum. Vera enim Eccleſia Chriſti eſt, quæ agnoſcit uerbum Chriſti. Oues, inquit, meæ, uocem meam audiunt. Et ueri ſucceſſores Apoſtolorum ſunt, non ij, qui in illis locis, in quibus Apoſtoli habitarunt, epiſco/ pos agunt, ſed qui Euangelion Apoſtolorum diligenter & fideliter adnunciant. Ite, inquit Chriſtus, in mundum uniuerſum, & prædica/ te Euangelion omni creaturæ. Cum igitur Pontifices perſequuntur Euangelion Chriſti, tantum abeſt, ut ſint uel Eccleſia Chriſti, uel ue/ ri apoſtolorum ſucceſſores, ut potius Chriſtus, cũ ait: Cauete a' pſeu/ doprophetis, iuſſerit ueram Eccleſiam eos fugere, ac uelit anathema deuitare. Deinde addit Ioannes, quod filij Dei non naſcantur nec ex uoluntate carnis, nec ex uoluntate uiri. Sunt, qui per carnem intelli/ gant, mulierem, ſeu uxorem, & per uirum, maritum, & ſentiunt Ioan nem docere, q; filij Dei non naſcantur humana generatione, per ma/ ritum & uxorem, quæ certe ſententia optima eſt. Hoc enim omnino docet Ioannes, q; homines non fiant filij Dei, carnali natiuitate. Sed quia idem antea nomine ſanguinum continetur, & hoc loco non ſim/ pliciter dicitur, ex carne & uiro, ſed ex uoluntate carnis & ex uolunta te uiri, apparet Ioannem his uerbis magis ad ſtudia hominum, q; ad naturalem hominum propagatiõem reſpicere. Voluntas enim eſt ar/ bitrium, inſtitutum, propoſitum & ſtudium animi. Caro autem non tantum mulier, ſed & quiuis homo dicitur. Et Vir, uel pro eo, qui re liquis hominibus, ſapientia, autoritate & potentia antecellit, uel iux/ ta phraſim hebrææ linguæ, pro unoquoq; intelligitur, ut & illud,

Pontifices, num ſint Eccleſia.

Apoſtolorũ ſucceſſores qui ſint.

Caro.
Vir.

Corruet

Corruet uir super uirum, hoc est, unusquisq;. Quare, cum Ioannes dicit, filios Dei non nasci ex uoluntate carnis, nec ex uoluntate uiri, hic est sensus, q; ut filij Dei non fiunt humana generatione, ita nec fiunt humana adoptione aut humano studio & arbitrio, uel uulgarium seu carnalium hominum, uel cuiusq; alterius hominis, quantumcunque sapientia & potentia prestantis. Quod ut magis pspicue explicemus, parciemur homines in tres ordines, quo & melius diuersa eorum studia intelligamus. Primus hominum ordo est Iudæorum, illorum uidelicet, qui non tantum gloriabantur de consanguinitate Abraami, sed multo magis de studio legis suæ. Hi enim, postq; lex diuinitus per Mosen lata fuit, sentiebant opera legis, quatenus ab homine fieri possent, tanti esse meriti, ut ijs autoribus, & tanq; parentibus, fierent filij Dei. Itaq; sacrificabant, lauabantur, abstinebant se à cibis prohibitis, obseruabant festa, dabant decimas, non induebant uestem ex lana & lino confectam, & quæ sunt alia Mosaicæ legis instituta. Faciebant autem omnia hæc opera, ut & expiarent peccata sua coram Deo, & consequerentur meritis horum operum ius filiorum Dei. Sed Ioannes refutat hanc impiam opinionem, & affirmat filios dei non nasci ex uoluntate carnis. Iudei sic affecti, sunt homines carnales, & sectãtur uoluntate ac studio suo carnalem legis iustitiam. Voluntas autem carnis non generat filios dei. Nec carnalis iustitia, est idoneus parẽs, quo filij Dei nascantur. Etsi enim lex Mosi sancta est, & exigit perfecta opera iustitiæ, tamen quia homo non implet eam, tantum abest ut possit ex ipso facere filium Dei, ut potius generet ipsum in seruitutẽ, & conijciat eum in perpetuam maledictiõem. Testamentum, inquit Paulus, a' monte Sina, in seruitutem generat. Et iterum. Quotquot sunt ex operibus legis, maledicti sunt. Quare, quemadmodum Iudæi non sunt eo ipso filij Dei, quod nati sint ex Abraamo, ita nec fiunt filij Dei, quod ponunt omnem uoluntatem & omne studium suum in facienda lege Mosi. In hoc autem ordine, non carnales tantum Iudæi, sed omnes hypocritæ in Christianismo, oẽs sacrificuli & monachi, omnes Sarraceni & Mahumetani numerandi sunt, qui sibi ex meritis sacrorum, quæ lex ipsorum instituit, pollicentur gratiam Dei, & confidunt se studio cerimoniarum suarum filios Dei fieri. Frustra, inquit, colunt me docentes doctrinas, præcepta hominum. Et iterum. Nemo uos seducat, qui suo arbitrio ambulat in humilitate & religione angelorum, quæ non uidit, frustra inflatus sensu carnis suæ. Ac mox. Quid tanquam uiuentes mundo, decretis teneminiʔ (ne tetigeris, ne gustaueris, ne contrectaueris, quæ omnia ipso usu consumuntur) secundum præcepta & doctrinas hominum, quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ, in superstitione & humilitate, & non

Legis studiũ non generat filios Dei.

Esa. 29.

Colos. 2.

parcendo corpori, nec honorem ei habendo, quantum carni ſatis eſt. Cum igitur Deus odio habeat & abominetur arbitrarias hominum religiones, & cultus ab humana ratione, ſine uerbo Dei excogitatos, fieri non poteſt, ut ex ipſis naſcantur filij Dei. Secundus hominum ordo eſt, philoſophorum, aut ſapientum inter Ethnicos, qui ponebāt omne ſtudium ſuum in docendis & exercendis uirtutibus, ut uocant, moralibus, & pollicebantur ſectatoribus ſuis propter has uirtutes ſummam beatitudiuem ac fœlicitatem, quod certe nihil aliud erat, quàm promittere ius filiorum Dei, & ut ipſi etiam loquebantur, diuinitatem. Sed & horum uanitatem reijcit Ioannes, cum ait: Necq; ex uoluntate uiri. Etſi enim morales uirtutes, in ſuo genere, optimæ ſunt, nec ſolum diligenter cognoſcendæ, uerumetiam magno ſtudio ſectandæ. Quæcunq; ſunt uera, inquit Paulus, quæcunq; honeſta, quæcunq; iuſta, quæcunq; pura, quæcunq; accommoda, quæcunq; boni nominis, Si qua uirtus, & ſi qua laus hæc cogitate, quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & uidiſtis in me, hæc facite, tamen hæ uirtutes, non ſunt perfecta coram Deo iuſtitia, propter peccatum, quod homini propagatione inhæret. Non enim iuſtificatur in conſpectu Dei omnis caro uiuens. Et, Natura ſumus filij iræ. Quare uoluntas ſeu ſtudium horum uirorum, non eſt idoneus parens, ex quo generentur filij Dei. In hunc ordinem referri debent ij, qui in Chriſtianiſmo docent & urgent tantum bona opera Decalogi, & uociferantur tantum in publica & ciuilia hominum ſcelera. Ac ſeueriſſime quidem exigenda ſunt opera Decalogi, quatenus Chriſtus & Apoſtoli Decalogum expoſuerunt, grauiſſime etiam reprehendenda ſunt hominum ſcelera. Sed hac doctrina nondum eſt abſoluta doctrina Chriſtianiſmi, nec ſola hæc doctrina poteſt generare filios Dei. Nā, ſi multum affert fructus, efficit homines tantum ciuiliter honeſtos, & ad ſummum, ducit eos in agnitionem peccati, &, ut Paulus ait, operatur iram & occidit. Filij autem Dei non tantum ſunt ciuiliter honeſti, ſed etiam coram Deo iuſti, ac uere coram Deo uiuunt. Quare, etſi hæc doctrina ad pœnitentiam in ſuo ordine neceſſaria eſt, tamen non poteſt ſua uirtute filios Dei generare, ſed niſi addatur doctrina Euangelij de Ieſu Chriſto, non generat niſi ſeruos & mancipia Satanæ. Tertius hominum ordo eſt, principum ac potentum inter Ethnicos, quorum impiam opinionem de tribuenda hominibus diuinitate, apparet Ioannem, cum hæc deſcriberet, ſibi ob oculos poſuiſſe. Romani enim principes, in quorum regno ac ditione Ioannes erat, ſolebant decretis & cærimonijs ſuis homines de repub. benemeritos creare filios Dei, ſeu ut ipſi loquebantur, referre inter diuos. Vnde & Tiberius ad Romanum Senatum detuliſſe dicitur, ut & Chriſtum

Philip. 4.

ἀπόθεωσις Romanorum imperatorū. Vide Tertullianum in Apologetico.

conſecrarent

consecrarent Deum. Ac extant apud scriptores, ritus & cærimoniæ, quibus defuncti imperatores consecrabantur in diuos. Imago defuncto quam simillima ponebatur in uestibulo regiæ super lectum eburneum. Circa lectum, a' leua quidem Senatus, a' dextra autem nobiles matronæ lugubribus uestibus sedebant, accedentibus interim medicis, & inspectum uelut ægrum deterius se habere subinde pronunciantibus. Deinde post septem dies, ubi iam uisus est obijsse diem, deferebatur lectus in forum, & cantatis illic hymnis & carminibus in defunctum, perferebatur lectus extra urbem in campum Marcium, & ponebatur in tabernaculum aridis fomitibus impletũ. Quo, postquam aromata & suffimenta omnis generis effusa erant, adequitauerunt circa tabernaculum uniuersi equestris ordinis, sua quadam lege & motu, circumacti item sunt currus insessi purpuratis rectoribus. His peractis, succendebatur tabernaculum, & simul cum subiecto igni emittebatur è fastigio tabernaculi Aquila, quæ in cœlum credita est defuncti animam deferre. Hoc erat studium, hi ritus & cærimoniæ, quibus Romani sentiebant se principes suos in deorum numerum referre, quos etiam postea ut deos colebant. Sed hanc stultissimam superstitionem damnat Ioannes, cum ait. Nec ex uoluntate uiri. Voluntas enim & studium, ac ritus & cærimoniæ horum uirorum, quamuis potentissimorum, non possunt creare deos, aut generare filios Dei, sed fiunt ex his, diaboli, (ut ita dicam) potius ꝯ dij. Non enim situm est in hominis potestate, ut faciat deos, quos libet. Vide mihi humanam miseriam & fragilitatem. Nullus est hominum, qui sibi ipsi potest hanc corporalem uitam dare, aut ante datam conseruare, ne suo tempore extinguatur. Vnum paruum ulcus, unus haustus ueneni solet etiam robustissimum hominem, non admodum longo interuallo temporis interficere. Quomodo igitur tam imbecillum animalculum, quouis momento morti obnoxium, posset sua uoluntate, suo arbitrio, & studio, immortales deos facere, ac perpetuo fœlices Dei filios generare? Quid autem nunc dicemus? Si filij Dei non nascuntur nec ex sanguinibus, nec ex uoluntate carnis, nec ex uoluntate uiri, hoc est, nec ex humana patriarcharum natiuitate & consanguinitate seu adoptione, nec ex studio carnalium Iudæorum, carnalem legis iustitiam sectantium, nec ex studio uel sapientissimorum uel potentissimorum in terris uirorum, Vnde ergo, aut ex quo, obsecro te, parente nascuntur? Audi mihi Ioannem, Sed ex DEO, inquit ille, nati sunt. Filij enim Dei non fiunt nec naturalibus, nec uoluntarijs hominum uiribus, sed tantum fiunt ex DEO. Non est uolentis, nec currentis hominis, sed miserentis DEI. At hoc, inquies, etiam Iudæi & alij impij fatentur, quod nemo adoptetur in filium Dei, nisi

Herodianus, in uita Antonini.

diuina potentia & misericordia. Quid ergo est, ꝙ Ioannes antea damnauit opinionem ipsorum, & cum ait, filios Dei nasci ex Deo, quid à sententia eorum diuersum affirmat? Hic nobis considerandum est, ꝙ impij uideantur aliquoties pijssime & rectissime loqui, cum interim sentiant impijssime. Deum, inquit Paulus, profitentur se scire, cæterum factis negant. Tametsi enim iactant se sentire, ꝙ filij Dei nascantur ex deo, tamen detinent ueritatem in iniustitia, non glorificant Deum, ut Deum, sed mutant gloriam eius pro cordis sui figmento. Faciunt enim tantum spectatorem ex Deo, & personarum respectorem. Iudæus imaginatur Deum prospicere de cœlo super filios hominum, & si quem uideat natum è genere Abrahæ, ac circumcisum iuxta legem, & sectantem alia legis opera, eum agnoscat pro filio suo. Itaq; Iudæus sentit Deum esse respectorem sanguinis Abrahæ, & carnalis atq; externæ iustitiæ. Ethnicus imaginatur Deum respicere uel ciuiles uirtutes hominum, uel sacra, & cærimonias, quas peragunt, & propter has suscipere homines in numerum filiorum Dei. Turca, & hypocrita in Christianismo, sentiunt Deum mirum in modum delectari excogitaticijs suis sacris & ritibus, ac si quem uiderit inter homines sacra illa diligenter peragentem, eum eligere & adoptare in filium suum, ac reddere ipsum perpetuo beatum. Hoc autem non est Deum habere & agnoscere pro parente filiorum suorum, sed tantum spectatorem, & iudicem. Sic enim de Deo sentire, magis est dignitatem & maiestatem parentis tribuere sanguini, meritis operum, cærimonijs, & ritibus ab humana ratione excogitatis, q̃ Domino Deo nostro, imo, ut rectius loquar, hoc plane est gloriam ueri Dei mutare in sanguinem, merita operum, cærimonias & ritus humanos. Hæc est manifesta & perspicua idololatria, etsi impijs nihil minus uidetur. Quare facessat impiorum gloriatio de Deo. Nostrum est, ut obseruemus, non quid impij iactent, sed quid spiritus sanctus per Apostolum Christi, Ioannem loquatur. Cũ enim Ioannes dicat filios Dei non nasci ex sanguinibus, nec ex uoluntate carnis, nec ex uoluntate uiri, sed ex Deo, opponit inter se ex diametro, ab altera quidem parte, Sanguines, uoluntatem carnis & uiri, hoc est, merita uel generis carnalis, uel iustitiæ ciuilium uirtutum & cærimoniarum, ab altera uero parte, DEVM. Quid autem aliud in Deo cum humanis meritis pugnat, quàm libera eius uoluntas, & clementia atque misericordia eius? Vbi enim sunt merita, ibi nullus relinquitur locus liberæ uoluntati, & misericordiæ, sed necessitas iustitiæ exigit, ut debita merces persoluatur. Cum igitur Ioannes opponit Deum sanguinibus & uoluntati carnis ac uiri, hoc est, merito & arbitrio humano in genera

Merita pugnant cum libera Dei uoluntate.

tione

tione filiorum Dei, manifeste docet, quod filij Dei non nascantur ex ullo merito, aut libero arbitrio hominis, sed tantum ex libero arbitrio & gratuita misericordia DOMINI Dei nostri. Ad Mosen enim dicitur: Miserebor, cuiuscunque misereor & commiserabor, quemcunque commiseror. Nam, cum Deus prospicit de cœlo super filios hominum, ut uideat, si est intelligens aut requirens Deum, inuenit omnes homines declinasse, simul inutiles factos esse, ac ne unum quidem, qui bonum perfecte faciat. Itaq; omnes homines, sunt una magna turba non tantum peccatorum, sed etiam filiorum Satanæ, qui omnes sunt obnoxij perpetuæ damnationi. Magnum quidem discrimen est huius turbæ, si inter se conferantur. Alius est circumcisus, alius incircumcisus, alius peragit sacra Leuitica, alius sacra Pontificia, alius sacra Mahumetica, alius ducit uitam honestam, alius inhonestam. Deus autem non respicit personas, sed quia per unius hominis delictum, propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem, iudicantur etiam omnes homines quacunque externa specie præditi sunt, peccatores coram Deo. Posset igitur Deus pro summa sua iustitia omnes homines in peccato & damnatione relinquere, ac sua fœlicitate solus frui. Sed hic uide mihi immensas & imperscrutabiles diuitias bonitatis & clementiæ Dei. Etsi enim omnes homines obnoxij sunt perpetuæ damnationi, nec Deus in quoquam hominum quicquam meriti inuenit, quod fauore suo dignum sit, tamen ex hac turba seligit quosdam, quos adoptat in filios suos, & quos facit heredes omnium cœlestium bonorum, in qua electione non respicit cuiusquam uel personam, uel meritum, uel dignitatem, Sed eligit tantum, quos libet, libera sua uoluntate, & mera misericordia. Cui enim uult, inquit Paulus, miseretur, & quem uult indurat. Atque hoc illud est, quod Ioannes dicit, Filios Dei non ex sanguinibus, nec ex uoluntate carnis, nec ex uoluntate uiri, sed ex DEO nasci. Quid ergo? inquies, Si filij Dei non fiunt ex humanis meritis, sed tantum ex diuina misericordia, ociabimur nos, aut egemus nostra negotia, pro carnis libidine, & expectabimus interea temporis, dum Deus apprehendat nos capillis, & seligat ex hac damnatorum turba, in numerum filiorum & hæredum suorum? Nihil certe minus nobis licet, quàm ut ociosam & ignauam, ac impiam uitam ducamus. Hic enim cognoscendum est, quomodo filij Dei nascantur ex Deo. Nam quemadmodum generatio filiorum Dei non est humana sed diuina, ita nec fit humano sed diuino modo. Hoc autem Ioannes mox significat, cum addit. Et uerbum, ca-

Electio Dei ex misericordia, non meritis.

ro factum est. Deus enim unum tantum habet naturalem filium ab æterno genitum, Iesum Christum DOMINVM nostrum. Homines autem sunt natura filij iræ, hoc est, filij Satanæ. Cum igitur Deus statuisset ex misericordia suscipere homines in filios suos adoptiuos, promisit initio, ac post, suo tempore misit quoque filium suum unigenitum, in hanc terram, ut omnis, qui crederet in ipsum, non maneret filius Satanæ, sed fieret propter Christum filius Dei. Itaque unigenitus filius Dei factus est filius hominis, ut homo propter ipsum fieret filius Dei. Non enim sentiendum est, q̃ Deus adoptet homines in filios suos, nulla prorsus re intercedente. Sed tradidit omnē potestatem unigenito filio suo, ac proposuit eum intercessorem, ut ex Euangelio eius cognoscatur, & per fidem concipiatur. Quare Deus adoptaturus ex hominibus filios suos, respicit in uniuersam hominum turbam, & in quocunq̃ homine, siue circumciso siue incircumciso, siue Græco, siue Barbaro, siue nobili siue ignobili, siue honesto, siue inhonesto, inuenit Christum filium suum, per fidem ex Euangelio acceptum, eum suscipit in filium suum adoptiuum, & agnoscit ipsum fratrem Christi, atq̃ cohæredem eius. Renati, inquit Petrus, non ex semine mortali, sed ex immortali per uerbum uiuentis Dei, & manentis inæternum, quod per Euangelion ad nos delatum est. In quocunq̃ autem homine non inuenit Christum per fidem acceptum, eum ita prorsus negligit, ut siue fuerit rex, siue pontifex, siue summus siue infimus, siue operibus iustus, siue uirtutibus honestus, necesse habeat, nisi Christum uel denuo agnoscat, perpetuo interire. Itaq̃ filij Dei nascuntur è sola Dei misericordia, qua Christus filius Dei nobis donatur, & per Euangelion reuelatur, ut in ipsum credamus, & in filios Dei propter ipsum adoptemur. Nulla igitur ratione permittitur nobis, ut ociemur, & ignauiam sectemur, sed omni, quo possumus (possumus autem per spiritum sanctum) studio contendendum est, ut Euangelion Christi discamus, & ex Euangelio Christum per fidem concipiamus, quo & ius filiorum Dei consequamur, & consecutum, honestate uitæ ornemus atque retineamus per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Electio filiorum Dei fit per Christum filium.

HOMILIA IX.

DICTVRVS DE INCARNATIONE, (sic enim maioribus nostris loqui uisum est) DOMINI nostri IESV CHRISTI, precor, ut ea uirtus

ea uirtus altissimi, quę Marię uirgini, ad concipiendum filium Dei, obumbrauit, animum nostrum illustret, ut & de mysterio incarnacionis recte sentiamus, & beneficijs eius fœliciter fruamur. Etsi enim hoc mysterium non est nobis propositum, ut humano captu perscrutemur, sed ut fideliter credamus, tamen necessitas salutis nostræ exigit, ut cognoscamus, quid uere de tanto mysterio credendum sit. Cõmendat quidem & requirit spiritus sanctus obedientem fidem, non approbat autẽ nec agnoscit stupidam imperitiam & uecordem ignorationem earum rerum, quę fide tenendæ sunt. Malitia, inquit Paulus, pueri sitis, sensibus uero perfecti. Quare Dominus Deus noster diligenter inuocandus est, ut mentem nostram spiritu sancto illuminet, quo eius fidei, quę de incarnatione Christi, filij dei, habenda est, ueram & rectam cognitiõem capiamus, atq; retineamus. Ac ante quidem exposuit Ioannes generationem filiorum Dei, uidelicet q; homines non nascantur filij Dei ex hominum uel naturali procreatione, uel arbitraria uoluntate & studio, sed tantum ex Deo, propter Christum unigenitum filium dei. Nunc autem exponit Ioannes, quo modo, aut qua ratione unigenitus filius dei impetrauit ac effecit, ut homines ad optarentur a' Deo in filios suos. Dicit enim. Et Verbum caro factum est. Quod est illud uerbum, inquis, & quæ caro illa? Hoc nimirum uerbum illud est, de quo hactemus a' principio commemorauit Ioannes, q; sit apud Deum, hoc est, persona subsistens in diuina natura, q; sit lux & uita hominum, q; dederit ἐξουσίαν filios Dei fieri omnibus qui recipiunt ipsum, & credunt in nomen eius, unigenitus & æternus filius Dei. Caro autem, etsi aliquoties accipitur pro altera tantum externa & uisibili parte hominis, tamen frequenter usurpatur in scriptura pro toto homine. Benedicat, inquit Psalmus, omnis caro nomini sancto eius, in seculum & in seculum seculi. Et in Esaia. Veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit DOMINVS. Sic & in hoc loco, caro pro toto homine, anima uidelicet & corpore hominis, intelligenda est. Quare cum Ioannes dicit, Verbum factum est caro, hanc habet sententiam, Vnigenitus filius Dei, factus est homo. Maluit autem Ioannes carnem quàm hominem dicere, ut significaret filium Dei, suscepto homine, suscepisse etiam omnes humanas imbecillitates, (absque tamen peccato) & fragilitates, quæ carnis nomine significantur. Hic ergo primum omnium considera mihi, quàm uarijs conatibus Satan ad oppugnandam humanitatem filij Dei coortus sit. Nam quemadmodum Satan omnes adhibuit machinas ad labefactandam ueram diuinitatem Christi, ut supra indicauimus, ita nullus modus est, quem non tentauit Satan ad

Carnis nomẽ

Christi humanitas à Satana impugnata.

euertendam ueram Christi humanitatē. Hic enim Christus, ille ipse, est, quo cum Satan irreconciliabile bellum gerit, & quem prorsus toto animi desiderio extinctum cupit, quippe quē audierit ordinatum esse, ut conterat caput ipsius, destruat omnem potentiam eius. Itaque non cessat ipse uicissim mordere, iuxta diuinum oraculum, calcaneū Christi, si quo modo fieri posset, ut cursum eius, si non totum impediat, tamen remoretur. Quare oppugnata diuinitate oppugnauit etiam humanitatem eius. Ac excitauit alios quidem, qui dicerent filium Dei non assumpsisse uerum hominem, sed phantasma seu spectrum, alios, qui affirmarent eum non assumpsisse totum hominem sed tantum corpus, diuinitatem autem fuisse loco animę, alios, qui docerent eum non assumpsisse hominem in unam cum ipso personam. Fuerūt & alij, qui senserunt, filium Dei ita assumpsisse hominem, ut duæ illæ distinctæ naturæ, diuina & humana, in unam tantum naturam cōmixtæ fuerint. Alij existimarunt filium Dei nihil accepisse ex Maria uirgine, sed substantiam corporis sui de cœlo traduxisse. Alij etiam nugati sunt, filium Dei non esse conceptum de spiritu sancto, nec Mariam mansisse uirginem, sed concepisse de Ioseph. Quis autem posset omnia Satanæ commenta, & blasphemias enumerare, quibus conatus est, ueram & sanctam humanitatem Christi, uanam & impurā facere, ut & a' nobis ueram salutem auferret. Nam si Christus non assumpsisset ueram humanam carnem, sed omni peccato liberam, fieri non posset, ut nostra caro, a' peccato liberaretur, & in cœlestem gloriam assumeretur. Hoc uidit Satan, hoc intellexit spiritus mendax & homicida. Quare nihil non excogitauit, quo ueritatem & sanctitatē humanitatis Christi nobis obscuraret, ac sordidaret. Sed facessant blasphemię Satanæ, quæ iam ante a' pijs & eruditis scriptoribus, in Ecclesia, uerbo Domini, diligenter refutatæ sunt. Sentiendum enim & credendum est, iuxta perspicua testimonia sacræ scripturæ, quę est ipsa spiritus sancti sententia, ꝙ filius Dei assumpserit uerum, totum & perfectum hominem, conceptum de spiritu sancto, natum ex Maria uirgine, qui nobis per omnia, excepto peccato, similis factus est. Non enim assumpsit, ut Apostolus ait, angelos, sed semen Abrahæ. Et Esaias: Ecce, inquit uirgo cōcipiet, & pariet filium. Ac Paulus. Vbi uenit plenitudo temporis emisit Deus filium suum, factum ex muliere. Christus enim Dominus noster, ut perfectus est Deus, ita perfectus est homo, non tamen duo, sed unus est Christus. Vnus autem, ut recte habet symbolum Athanasij, non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumpcione humanitatis in Deo. Vnus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Etsi autem nulla est similitudo, quæ possit unionem seu coniunctionem filij Dei, & hominis,

sufficienter

sufficienter explicare, tamen Ecclesiastici scriptores conati sunt eam si militudine ferri candentis utcunq; adumbrare. In ferro enim candenti conueniunt duę diuersæ naturę, ferrum uidelicet, & ignis, in unam laminam, & quanq; propter coniunctionem, altera natura communicet cum altera suas proprietates, tamen altera non mutatur in alteram, ita in Christo sunt duæ diuersæ naturæ, diuinitas & humanitas, ac non mutatur quidem diuinitas in humanitatem, penetrat tamen sicut ignis ferrum, totam humanitatem, & confert sua in commune, sicut & uicissim accipit in commune ea, quę sunt humanitatis. Itaq;, etsi natura diuinitatis nec patitur, nec moritur, tamen quia filius Dei assumpsit hominem, qui naturà sua passioni & morti obnoxius est, in unā personam, recte ac uere dicitur, filium Dei pro nobis passum & mortuum esse. Et quanq; maledictus sit, qui confidit in hominem, tamen quia homo, quem assumpsit filius Dei, coniunctus est cum Deo in unam personam, summa pietas, imo summa salutis nostræ necessitas est, ut confidamus in hominem Christum, & adoremus eum, uerum seruatorem nostrum. Hæc omnia perspicue docet & confirmat Ioannes, cum ait. Verbum caro factum est. Sed ut ex scriptura manifestum est, & obedienti fide agnosci debet, q; filius Dei coniunctus sit cum homine in unam personam, ita in hoc seculo non potest ab humano captu perfecte comprehendi, quomodo hæc coniunctio facta sit aut constet, intelligemus autem rationem eius, in futuro seculo, si nunc apprehendamus eam fide. Tunc, inquit Paulus, cognoscam, quemadmodum & cognitus sum. Et Ioannes: Si apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum, sicuti est. Quare reponemus exactam de tanto mysterio disputationem in alterum seculum. Videamus autem nunc, quem fructum, quam utilitatem, & quod beneficium afferat nobis huius imperscrutabilis coniunctionis mysterium. De hoc em̃ nobis cogitandum, de hoc disputandum est. Et ut hoc assequamur, nullum studium intermittendum est. Verbum, inquit, factum est caro, filius Dei factus est homo. Quęso te, propter quam caussam? & in quē finem? num ut filius dei sibi ipsi aliquod beneficium consequeretur? aut potius ut nobis aliquod beneficium afferret? Non opus est, ut nos ipsi nobis hic solicitudinem struamus, quandoquidem Ioannes id paulo ante perspicue docuit: Quotquot, inquiens, receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quare manifestum est, quod filius Dei factus sit homo, ut homo fieret filius Dei, adeoque Deus ipse. Quid enim filius Dei aliud est, q; Deus? Cum ergo dicitur hominem fieri filium dei, certe idem est ac si diceretur hominem fieri Deum. Ego dixi, inquit, dij estis, & filij excelsi omnes. Proponitur autē hic nobis optima & certissima ratio, qua licet hoi animum

Christi humanitas coniuncta cum diuinitate.

Incarnatiōis Christi beneficia.

ſuum explere. Nam ſitis cupiditatis nunquam expletur, nec ſaciatur his terrenis bonis. Quo enim homo plura conſecutus eſt, eo maiora appetit, nec expletur inſaciabilis eius cupiditas, niſi deus factus. Itaq; poſtquam parauit ſibi dominationem in terra, non contentus hac maieſtate, ad diuinos honores aſpirat, & Deus ipſe eſſe affectat. Nebucad Nezar ſummus erat in toto orbe terrarum Monarcha, nondum tamen erat animus eius expletus, ſed dicebat, In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſimilis ero altiſſimo. Alexander Magnus, non contentus dominatione totius terrę, Deus etiam uideri uoluit, unde & ſe Iouis filium uocabat. Quid autē dicam de Romanis Imperatoribus. Caligulæ non ſatis fuit habere imperium humani generis, ſed etiam uendicauit ſibi diuinam maieſtatem. Itaq; ſæpe medius inter deorum ſimulacra conſiſtens, adorandum ſe adeuntibus exhibuit, & templū numini ſuo, ac ſacerdotes & exquiſitiſſimas hoſtias inſtituit. Domitianus non contentus audire, Imperator Romanus, quo epitheto nihil tunc inter homines erat auguſtius, uoluit etiam audire, Dominus & Deus noſter. Sic enim ipſe epiſtolas dictabat: Diocletianus non affectauit tantum, ſed & præcepit diuinos honores Imperatoribus habendos, ac obtruſit adeuntibus pedes ſuos adorandos & exoſculandos, q̄d & Romani pontifices facere ſolēt. Sed hi, inquis, monſtra pocius ſunt, & portenta, q̄ homines. Alij autem homines ſunt modeſtiores. Fateor, modeſtiores ſunt externa ſpecie, ſed idem eſt omnium hominum affectus, qui in animorum latebris abſconditus, tunc prodit, cum ſuam occaſiōem nactus fuerit. Recedit quidem in animis tenuiorum & abiectorum hominum ad interiora, & fingit ſe paucis iugeribus contentum eſſe, ſed cum hæc conſecutus eſt, ſtatim adijcit oculum pluribus, & ſi datur ei progredi, nō reſiſtit in terra, ſed in cœlum etiam uolat, ut Deus fiat. Nec eſt, q̄ hæc cupiditas, qua animus tenetur, conſequendæ diuinitatis, per ſe ſit impia. Homo enim initio creatus ad imaginem & ſimilitudinem dei, factus eſt, ut ita dicam, deus, non quidem natura (Vnus enim ſolus deus eſt natura) ſed fœlicitate, & ut ſcriptura loquitur, imagine Dei. Poſtq̄ autem peccauit, factus eſt ex deo, ut ita dicam, Satan, non q̄ ſubſtantia hominis mutata ſit in ſubſtantiā Satanę, ſed q̄ amiſſa diuina fœlicitate, particeps factus ſit Satanicæ infœlicitatis. Natura uero ipſa fert, ut quod bonum amiſeris, iterum recuperare cupias, nec humana mens quieſcere poteſt, donec quod perdidit bonum recipiat. Cum igitur homo amiſerit diuinam illam maieſtatem, in qua initio conditus fuit, natura ipſa excitatur, ut eam iterum recuperet. Itaq; affectus conſequendæ diuinitatis non eſt per ſe impius, ſed naturalis. Hoc autem longe omniū impijſſimum eſt, q̄ homines peccato excęcati, non

Homines optant eſſe dij.

arripiunt,

arripiunt, nec apprehendunt rectam, legitimam, et diuinitus propo/ sitam ratiõem, qua amissa diuinitas iterum uere reparari potest. Non enim reparatur, si te alijs hominibus adorandum proponas, si numi/ ni tuo templa & sacerdotia instituas, si pedes tuos adeuntibus exoscu landos proponas. Hęc est execrabilis idololatria, qua Satan potius q̃ Deus efficieris. Quęso igitur te, quę est illa recta et legitima ratio, qua amissa diuinitas recuperatur? De hac re cõcionatur nobis Euan gelista, cum supra de Verbo seu filio Dei dixit. Dedit potestatem fi/ lios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. Et nunc ait. Verbum caro factum est. Nam uerus, naturalis & ęternus filius Dei assum/ psit humanam carnem, tanta coniunctione, ut filius Dei, et caro seu homo, facti sunt una persona. Quare, quanta est sublimitas filij Dei, in tantã etiam sublimitatẽ subuexit carnem suam, seu hominẽ, quem assumpsit. Quid autem sublimius, quid excelsius, quid etiã excellen tius filio Dei? Sedet enim à dextris dei, & dominatur eadẽ maiestate & potentia, qua Deus pater, non in cœlum tantum et terram, sed etiã in angelos, ac omnes cœlestes uirtutes. Quare, cum assumpserit ho/ minem in eandem personam, extulit etiam eum ad dextram Dei, et ad dominationem in omnes creaturas. Non mutauit quidem substan/ tiam hominis, quem assumpsit, (manet enim semper, uerus, quod ad substantiam attinet, homo) sed contulit ad eum diuinam maiestatẽ, & ornauit eum cœlesti ac diuina gloria. Adhęc, in diebus carnis suę, quibus inter homines in hac terra uitam egit, non ostentauit maiesta tem suam. Etsi enim miraculis, et alijs argumentis testatus est omnem deitatis plenitudinem habitare in ipso corporaliter, in oculis tamen mundi nõ apparuit tantus externa specie, quantus reuera est, et in no uissimo die reuelabitur, maluit autem tempore carnis suę humilem ac obedientem usque ad mortem crucis seipsum prebere, q̃ statim glo/ riosus uideri, ut hac humiliatione & obedientia fieret omnibus, qui ipsi fide obediunt, causa æternę salutis. Sed postquam resurrexit à mortuis, non amplius erat tempus dissimulandæ maiestatis, sed pa/ lam reuelandę. Itaq̃ maximis ac certissimis argumentis declarauit co ram his testibus, quos ad hoc delegerat, se hominem quem assumpse rat, secũ ad dextrã Dei extulisse, ac in thronum diuinę maiestatis po/ suisse. Figura, inquit Paulus, repertus ut homo, humilẽ p̃buit semet ipsum, factus obediens usq̃ ad mortem, mortẽ autẽ crucis. Quaprop ter & Deus illum in summã extulit sublimitatẽ, ac donauit illi nomẽ, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat cœlestiũ terrestrium, ac infernorum. Ac iterum. Credimus secundum efficaciam roboris fortitudinis eius, quã exercuit in Christo, cum sus citaret eum ex mortuis, & sedere fecit ad dextram suam in cœlestibus,

Diuinitas amissa, quõ recuperetur.

Christi maiestas.

ſuper omnem principatum ac poteſtatem & uirtutem & dominium, & omne nomen quod nominatur, non ſolum in hoc ſeculo, uerum etiam in futuro, & omnia ſubiecit ſub pedes illius, & dedit eum caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ, quæ eſt corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet. Habes, quàm ſublimis factus ſit homo, & q̃ gloriosa facta ſit caro. Sed hoc, inquis, intelligendũ eſt de eo homine, & de ea carne, quã filius Dei aſſumpſit. Quid autem de me, aut mea carne fiet? Caro enim filij Dei tota ſancta eſt, mea autem eſt peccatrix, nec habitat in ea bonũ. Quomodo igitur ſperare poſſum, quòd ut Deus factus eſt homo, ita ego homo ſeu caro fiam Deus? Hic conſiderandũ eſt nobis, quod filius dei factus ſit homo, non tantum propter eũ hominem, quem ipſe in unam perſonam aſſumpſit, ut illum ſolum hominem extolleret in cœleſtem maieſtatem & fœlicitatem, ſed etiam propter illos homines, qui ipſum recipiunt, & in nomen eius credunt. Aſſumpſit humanam carnem, & poſuit eam ad dextram Dei, ut & noſtra humana caro tantam maieſtatem participaret. Etſi enim caro noſtra eſt peccatrix, tamen ipſe carne ſua expiauit peccatum, ut nobis peccatum carnis non imputaretur, ſed ſanctitate eius frueremur. Nam, quotquot recipiũt ipſum, & credunt in nomẽ eius, hi ut fiunt per fidem filij Dei, & fratres Chriſti, ita etiam fiunt membra corporis eius. An neſcitis, inquit Paulus, quod corpora ueſtra, membra ſint Chriſti? Et iterũ. Qui ſanctificat, & qui ſanctificãtur, ex uno ſunt omnes. Quemadmodum enim in coniugio, uxor eſt pars carnis & oſſium mariti, ita & Eccleſia eſt ex carne & oſſibus Chriſti. Membra ſumus, inquit Paulus, corporis eiuſdem, ex carne eius & ex oſſibus eius. Huius rei gratia, relinquet homo patrem ac matrem, & adiungetur uxori ſuæ, atq; è duobus fiet, una caro. Myſterium hoc magnũ eſt. Verum ego loquor de Chriſto & Eccleſia. Quid poteſt manifeſtius dici? Maritus & uxor ſunt una caro. Mulier quãprimum fit uxor, nomen habet à uiro. Si uir ciuis fuerit, continuo habet & uxor ius ciuitatis. Si uir rex eligitur, ſtatim & uxor regina electa eſt, quia ſunt una caro, unũ corpus. Multo uerius, multo certius de Chriſto et Eccleſia eius ſentiendum eſt, quod è duobus facta ſit una caro. Cum igitur filius Dei extulerit eam carnem, quam aſſumpſit, in ſupremam Dei maieſtatem, fieri non poteſt, ut cum Chriſtus & Eccleſia ſint una caro, non eodem etiã extulerit Eccleſiam, et quoduis membrum eius. Deus qui diues eſt, inquit Paulus, in miſericordia propter multam caritatem ſuam, qua dilexit nos, etiam cum eſſemus mortui per delicta, cõuiuificauit nos una cum Chriſto, (per gratiam eſtis ſeruati) ſimulque cum eo reſuſcitauit, & ſimul cum eo ſedere fecit in cœleſtibus, per Chriſtum Ieſum. Vides, Chriſtum ita ſedere ad dextram Dei

Homines fiũt dij per Chriſtum.

Coniugij ratio.

tram Dei, in omnibus cœlestibus bonis, ut etiam uniuersam Ecclesiam suam secum sedere fecerit. Etsi enim hoc in nobis adhuc humi degentibus, nondum externis oculis uidetur, tamen scimus, quod si apparuerit Christus, (ut Ioannes ait) similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est. Et Paulus. Noster municipatus in cœlo est, ex quo & seruatorem expectamus, Dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso. Quid ergo nunc est, quod formidas, quid horres? Si peccatum accusat conscientiam, attollendi sunt oculi mentis in cœlum, ubi caro nostra regnat in throno Dei. Nam quemadmodum ea caro tota sancta est, & absque omni peccato, ita et propter ipsam reputatur nostra caro, sancta & sine peccato. Si paupertas affligit te, pone tibi ante oculos dextram Dei, ad quam sedet caro tua, possidens omnes diuitias in cœlo & in terra. Quare etsi paupertas te premit, non tamen potest te Christo adhærentem perdere. Si morbus, si mors ipsa te inuadit, si horres cogitationem uel putrefactionis in terra, uel cineris in igne, uel denique ipsius inferni, subijce sub aspectum mentis tuę maiestatem cœlestem, quam nunc caro tua in Christo possidet. Fieri enim nõ potest, etiãsi flãma inferni ignis pertingat ad animam in hac uita, & corpus postea in terra putrescat, aut igne absumatur, ut non conseruetur homo in Christo constans, ad participandam cœlestem maiestatem. Habes nũc, quę sit recta ratio, qua homo fiat Deus. Non enim potest fieri Deus seu filius Dei impietate gentium aut superstitione hypocritarũ, sed tantũ fide in filiũ Dei Iesum Christum, qui idcirco factus est homo, ut homo in ipsum credens, fieret Deus. Maximum omnium hoc est beneficium. Maxima igitur omniũ cura adhibenda est, ne amittamus illud, sed diligentissime retineamus. Amittimus autem impietate, blasphemijs, helluatione, scortatiõe, inuidia, imposturis, & alijs id genus sceleribus. Retinemus autem, obedientia fidei, honestate uitę, pudicitia, sobrietate, caritate, adeoque optimis quibusque uirtutibus. Nam si per Christum facti sumus dij, non certe nobis ut diabolis, sed ut dijs uiuendum est, quo eam fidem & spem, quam habemus de cœlesti hereditate & maiestate, etiam in hoc seculo cœlestibus uirtutibus declaremus per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula. Amen.

Ecclesia sedet cum Christo ad dextram Dei.

HOMILIA X.

Redo uos nõ mediocriter admirari, ꝙ in explicanda breui admodum pericopa Euangelij Ioannis tanto tempore uerser. Hæc enim iam decima est homilia, qua initiũ tantum huius Euangelij interpretor, et paucas quasdam periodos perstrinxi. Sed desinetis admirari, si uobiscũ reputaueritis, quanta sit maiestas huius Euangelij, & quãta utilitate in Ecclesia tractetur. Nam quę Ioannes scripsit, nõ sunt humana somnia, sed sunt diuina oracula, quorum uerba non numeranda tantum, uerumetiam diligentissime ponderanda sunt. Et Euangelion Christi, cœlestis est thesaurus, in quo considerando & conseruando, ne ramenta quidẽ abijci debent. Huc accedit, ꝙ penè singula huius Euangelij uerba, singula sint organa spiritus sancti, quibus nobis uera salus de cœlo affertur. Quare, cum uos multis in expositione huius Euangelij teneo, sic existimetis uelim, uos si animum uestrum ex fide aduerteritis, tanto clariorem cœlestis thesauri cognitionem adsequi, quãto prolixior est oratio. Porro, cũ Ioannes antea exposuerit paucissimis quidẽ uerbis, sed maxima autoritate, filiũ Dei factum esse carnẽ, cõmemorat nunc, habitationem eius in terris. Et habitauit, inquiens, in nobis. Postꝗ enim filius Dei assumpsit hominem, in unam personã, certe sustulit secum hunc hominem, in eam, quam ipse habebat, sublimitatẽ. Sedebat autem à dextris Dei, super omnem principatũ, potestatẽ, uirtutẽ, & dominium, ac super omne nomẽ, quod nominatur, non in hoc tantum seculo, uerumetiam in futuro. Quare potuisset statim ab initio incarnationis immensam illam maiestatem coram uniuerso mundo ostentare, aut se mox ex hominum oculis subducere, & cœlesti fœlicitate in cœlo frui, quemadmodum nunc ea, post ascensum suum in cœlum fruitur. Sed absoluendum erat in hac terra mysterium redemptionis nostræ. Non igitur subduxit se statim ab incarnatione humanis oculis, sed ἐσκήνωσεν, hoc est, posuit tentorium seu tabernaculum suum inter homines, & assumpsit unà cum homine, omnes etiam humanas (solo peccato excepto) imbecillitates. Ponere enim tentorium suum inter homines, est inter homines habitare, et eadem cũ hominibus pericula subire. Nam hi, qui figunt tentoria sua in castris militaribus, uocantur in idem cum toto exercitu periculum ac discrimẽ, ac necesse habent quouis momẽto incursionem hostis, direptionem castrorum, & cõmunem stragem, cedemꝗ expectare. Delicatus miles est, & indignus,

Euangelion, cœlestis thesaurus.

Christum habitasse inter homines quid sit.

dignus, cui locus in tētorijs & castris relinquatur, qui tantū uult prędæ partē accipere, non itē pericula militię sufferre. Non sic delicatus fuit filius Dei, sed postēq assumpsit hominem, & fixit tabernaculum suum in castris hominum, suscepit etiam omnes humanas imbecillitates, & subijt omnia humana pericula. Epicuræi hoc unum agūt, ut etiamsi sint inter homines, nō tamen sint in labore hominum, quemadmodum psalmus loquitur, & cum hominibus non flagellentur. Christus autem, ut assumpsit hominem, ita & assumpsit humanas infirmitates & pericula. Potuisset ab initio incarnationis omnium uirorum fortissimus esse, & in aula clarissima habitare, sed suscepit infantiam, & reclinatus est in presepi. Potuisset omnibus tam corporis ēq animi uoluptatibus in hac terra frui, sed esurijt, sicijt, sudauit, alsit, timuit, trepidauit, doluit. Potuisset liberrime in toto orbe terrarum palari, & semper externam uitam uiuere, sed captus est, cęsus est, flagellatus est, crucifixus est, mortuus est. Breuiter, potuisset inter homines, Deum agere, sed uoluit inter homines, nihil humani (prēter peccatum) à se alienum esse. Qui cum esset, inquit Paulus, in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ęqualem se Deo esse, sed exinaniuit semetipsum, forma serui sumpta, in similitudine hominū constitutus, & figura repertus ut homo, humilē prębuit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortē autem crucis. Hęc, de exinanitione & humiliatione Christi, cōmemorantur nobis, nō ut sciamus tantum, (nam & Satan nouit) sed ut uerum usum eius discamus, ac fructum eius capiamus. Christus enim habitauit quidem inter nos, & suscepit omnes humanas infirmitates, adeo ut etiam sustinuerit abominabilem & horribilem mortem crucis, sed Deus suscitauit ipsum à morte, & extulit eum in summam sublimitatem, ut cum ante, reipsa in se, omnia humana pericula expertus est, & nunc potenter in tanta maiestate habitat, omnes homines in ipsum credentes, adiuuet ac perpetuo seruet. Natura enim fieri solet, ut ijs faueamus, qui eadē pericula, quibus nos perfuncti sumus, subeunt. Quare, cum Christus perfunctus sit omnibus periculis humanis, & nouerit sua experientia, quanta sit afflicti hominis miseria, fieri non potest, quin sit facilis & promptus ad succurrendum omnibus afflictis. Non sic afflictus est, quemadmodum homines ἄσοργοι & plane inhumani facere solent, qui cum è sordibus & miserijs ad claritudinem & fœlicitatem quandam emerserint, non afficiuntur alienis miserijs, sed prę se quosuis miseros et abiectos contemnūt. Longe alius est sensus animi Christi. Hic enim idcirco suscepit in se omnes humanas sordes & miserias, ut exaltatus in cœlestem maiestatem, miseros & abiectos adiuuet. Debuit, inquit Apostolus, per omnia fratribus similis reddi, ut misericors esset, & fidelis ponti

Christus afflictus, ut afflictos adiuuet.

fex in his, quę apud Deum forent agenda, ad expiandũ peccata populi. Nam ex hoc, quod ipsi contigit tentatũ esse, potest & his, qui tẽtantur succurrere. Et iterum. Nõ habemus pontificẽ, qui nõ possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum per omnia, iuxta similitudinem, absque peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratię, & si quis uel esurit, uel formidolosus est, uel captus est, uel moritur, aut occiditur, optime confidat de salute, in Christo, qui cum eadem sit passus in terris, non potest teneri, quin similia, aut etiam grauiora patientes, & in ipsum sperantes, de cœlis conseruet. Etsi enim peccata nostra solent in nobis dubitationem excitare, & à bona spe auocare, tamen bene considerandum, ac mordicus per fidem retinendum est, ꝓ Christus peccata nostra expiauerit, & nobis suam iusticiam donauerit. Quare si in Christo constiteris, nullum peccatum tanti est momenti, ut possit Christum Dominum nostrum, à pręstanda uera salute auertere. Cęterum, ne exemplum quidem Christi, in hoc loco oscitanter nobis pręterendũ est. Habitauit em̃ inter nos, non ut perpetuum sibi inter homines, in hac terrena uita, tabernaculum figeret, sed ut confecto negotio suo, ad quod Deus pater eum miserat, rediret ad patrem suũ in cœlis. Hoc exemplum etiam nos imitari oportet. Creati sumus à Deo, & uenimus in hunc mundum, non ut habeamus hic manentem ciuitatem, sed ut inqramus futuram. Non sumus ciues, sed hospites & peregrini huius terrę. Peregrinus non hoc agit, ut cesset in diuersorijs, sed ut quamprimum fieri potest, suas res peragat, & ad patriam redeat. Hæc terra, nostrum est diuersorium, in quod intrauimus, non ut ibi diu desideamus, sed ut quę Deus iussit, cito perficiamus. Iussit autem, ut Christum, filium suum cognoscamus, & uocationi eius obediamus. Quare hoc unum nobis agendum est, ut Christũ discamus, & in uocatione eius ambulãtes, ad cœlestem patriam nostram festinemus. Sed reuertemur ad nostrum propositum, Filius Dei habitauit inter nos, & suscepit nostras infirmitates, quomodo ergo, inquies, agnitus est? Si fuit tectus & obductus humanis imbecillitatibus, quomodo in tam densa caligine potuit uideri, quòd sit filius Dei, ꝓ sit uerus Messias & seruator? Sequitur. Et uidimus gloriam eius, gloriam uelut unigeniti à patre. Sed quæ est illa gloria, quandoquidem apud Esaiam de Christo dicatur, Non est forma ei, nec decor. Vidimus eum, sed nulla erat species, quæ faceret, ut desideraremus eum. Despectus & nouissimus uirorum, plenus doloribus & infirmitatibus, adeo contemptus, ut auerterentur uultus ab eo? Si Christus tam fœdo aspectu deformatus fuit, quęso te, ex qua gloria cognitus est? De hac re ita sentiendum est, quòd coram hoc mundo nondum perspicue apparuit ea cœlestis gloria & maiestas, qua Christus

Homines sunt peregrini in terra.

qua Christus in se præditus est, & quę in nouissimo die publice reuelabitur. Hæc enim tam illustris est, ut nullus hominum splendorem eius in hac terra ferre posset, sed Christus, in extrema illa despectione & humilitate, quam susceperat, & de qua Esaias concionatus est, exhibuit aliquot certa & firma, & manifesta argumenta ac testimonia, quod etsi apparuit nouissimus uirorum, tamen non sit simplex homo, sicut alij homines, sed sit uere unigenitus filius Dei. Vidimus, (inquit) nos Apostoli & discipuli, gloriam eius, hoc est, argumenta & testimonia gloriæ & maiestatis eius, uidelicet, quod habeat talem maiestatem, quæ plane digna sit unigenito Dei filio. Non uidimus gloriam eius, tanquam gloriam alicuius Patriarchę aut Prophetæ, sed gloriam tanquam unigeniti, (quod uere erat) filij Dei. Vidimus quidem eum despectum hominem, sed interim uidimus etiam maxima & certissima argumenta, ꝓ sit uere unigenitus Dei filius, adeoque cum Deo patre suo ὁμοούσιος. Quæ sunt autem illa argumenta? Primum, doctrina & miracula, quæ ad confirmationem doctrinę edidit. Etsi enim Prophetæ ediderunt etiam miracula, tamen Christus alia docuit de sua persona, quàm Prophetæ de suis, quippe quòd hi docuerunt se esse ministros tantum Messiæ, ille autem docuit se esse ipsum Messiam, & addidit miracula, quæ tanto maioris sunt momenti, quam prophetarum miracula, quãto Christus excellentiora de sua persona docuit, quàm Prophetæ de suis personis docuerunt. Deinde, argumentum gloriæ Christi, est apparitio spiritus sancti, cum in Iordane baptisabatur, & uox patris de cœlo, quæ audita est, ad Iordanẽ, & in trãsformatione. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bñ cõplacitũ est, Hũc audite. Similiter et ea uox qua dictũ est. Et illustraui, & rursus illustrabo. Accedit huc, transformatio ipsa, qua se Christus tribus discipulis suis, Petro, Ioanni, & Iacobo, ita uisendũ proposuit, ut facies eius splẽduerit, sicut sol, & uestimẽta illius facta sint candida sicut lumẽ. In ore duũ aut triũ stat oẽ testimonium. Est et Resurrectio à mortuis, quam maximis argumentis reuelauit, & cõprobauit, certissimũ gloriæ eius testimonium. Declaratus fuit filius Dei (inquit Paulus) cum potentia, secundũ spiritum sanctificationis, ex eo, quòd resurrexit è mortuis. Deinde quantam uim testificandi de gloria Christi habet ascensus eius in cœlum? quantam missio spiritus sancti in die Pentecostes? Quid, quòd postea Euangelion Christi diuulgatum est, iuxta uaticinia prophetarum, in totum terrarum orbem, & confirmatum est, maximis miraculis ab Apostolis, in nomine Christi editis? Hæc profecto omnia imo etiam singula manifeste testificantur de gloria & maiestate Christi. Nec sunt obscura testimonia, sed uiderunt ea Apostoli & reliqui discipuli, ac mani-

Christi gloria quomodo reuelata.

Prophetarũ miracula.

festata sunt publice in hoc mundo. Pontifices præcipiebant Apostolis, ne omnino loquerentur neque docerent in nomine Iesu. At Petrus & Ioannes respondebant. An iustum sit in conspectu Dei, uos potius audire, quàm Deum, iudicate. Non enim possumus, quę uidimus & audiuimus, non loqui. Et postea Petrus dicit. Hunc Deus suscitauit tertio die & exhibuit eum, ut manifestus fieret, non toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis à Deo, nimirum nobis, qui comedimus & bibimus unà cum illo, posteaq̃ resurrexit à mortuis. Et Ioannes, in epistola sua. Quod erat, inquit, ab initio, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostrę contrectauerunt, de sermone uitę, & uita manifestata est, & uidimus, etiam testamur, et adnuntiamus uobis uitam æternam. Etsi enim nec impij Iudæi, nec crudeles Turcæ, his testimonijs fidem adhibēt, quid tamen illorum impietas ad nos? Scimus, mundum semper persecutum esse Christum, & nihil tam absurde dici posse, quod non ab impijs dicatur. Ac si nobis de religione sentiendum esset, quod aut humana ratio somniat, aut uanissimi quique nugantur, quid nobis miserius? quid inconstantius? Nunc, res ipsa probat, testimonia Apostolorum & aliorum discipulorum, qui uiderunt gloriam Iesu Christi, certissima atque uerissima esse, primum enim, manifestum est, Messiam seu Christū Patriarchis esse diuinitus promissum, & Prophetas de Christo uaticinatos esse. Deinde, manifestum est etiamsi carnales Iudæi reclament, regnum Messiæ, non esse corporale, sed spirituale. Cum enim Prophetę docent Christum passurę & moriturum, & tamen regnū eius perpetuū fore, perspicue significant, regnū Christi non esse numerandum inter regna corporalia, & externa huius seculi, quippe quę sunt mutationi & internitioni obnoxia. Adhęc, manifestū est, q̃ ratio tēporis aduētus Christi, quod à Daniele in septuaginta hebdomadis suis definitū est, incidat in illud tēpus, quo Iesus Nazarenus, filius Marię, in terris fuit. Deinde, manifestum est, q̃ eo tēpore, nullus alius eam doctrinam docuerit, & ea miracula ędiderit, dę quibus Prophetæ uaticinati sunt, prętereq̃ Iesus Nazarenus, filius Marię. Prętera manifestum est, quòd in nomine Iesu Euangelion uulgatum sit in uniuersum mundum, & in nomine Iesu uaria miracula ab Apostolis ędita sint. Postea, manifestū est totam πολιτείαν & gloriam Iudęorum cōcidisse. Deinde, manifestum est omnes Deos gentiū ita euanuisse, ut uix nomina eorum supersint. Postremo, manifestum est, impiam Mahumetis religionem esse recens excogitatam, ac omnino nullis firmis & certis testimonijs comprobatam. Et quanquam Satan excogitauerit eam ad abolendū Iesum Christum, tamē diuina potētia coactus fuit,

IESVM Nazarenum esse uerum Messiam.

fuit, etiã de Iesu Christo testimonium ferre, quòd & docuerit Euangelion, & ediderit miracula, quemadmodum scripta Alcorani, quæ extant, indicant. Non indigemus testimonijs Satanę et impiorum hominum, sed admiramur imperscrutabilem maiestatem Domini Dei nostri, qui tanta potentia & industria efficit, ut aduersarij necesse habeant gloriam Iesu Christi eo ipso confirmare, quo ipsi eam maximo studio suo conantur infirmare. Nihil ergo manifestius est, quàm ꝙ iuxta testimonia Apostolorum, & reliquorum discipulorum, Iesus filius Marię, sit uerus Messias seu Christus, unigenitus filius dei, quo uno & solo seruamur. Nos, qui hoc tẽpore uitã agimus, nõ uidimus quidem externam personam Christi, nõ uidimus Christũ post resurrectionẽ suam ostentantem uestigia clauorum, quemadmodum Apostoli uiderunt, nihil tamen infœliciores sumus. Videmus enim maiestatem Christi, qua Euangelion eius uulgatum est in totum orbem terrarum, uidemus & habemus de manu, ut aiunt, in manum nobis tradita certissima Apostolorum testimonia, quibus si eam quam debemus, fidem adhibuerimus, nihil prorsum nobis ad ueram fœlicitatem cõsequendam deerit. Thoma, (inquit) quia uidisti me, credidisti, beati qui non uident, & credunt. Et, Non pro eis rogo tantum, sed & pro ijs, qui credituri sunt per sermonem eorum in me, ut omnes unum sint, sicut & tu pater in me, & ego in te. Quare facessant omnia hominum somnia & impietates, nos gloriam Domini nostri Iesu Christi, tam ab Apostolis, ꝙ diuulgatione Euangelij Christi in omnes partes mundi, manifestissime testificatam, diuino spiritus sancti auxilio perpetua obseruãtia & ueneratione amplectemur. Sed pergit Ioannes maiestatem Christi describere, & ait. Plenum gratia & ueritate. Posset fortassis de alijs quoque sanctis dici, ꝙ essent pleni gratia, quemadmodum Stephanus uocatur plenus fide & uirtute, sed ut sancti dicuntur lux, etiamsi non sint uera lux, sed tantum uel testes lucis, uel à uera luce illuminati, ita sancti possunt dici pleni gratia, non quòd ipsi sint thesaurus gratię, sed quòd gratiã aliunde pro sua mensura consecuti sint. Solus autem Iesus Christus, unigenitus filius Dei uere plenus est gratia, primũ, quia Deus pater pleno & perfecto fauore cõplectitur filium suum, & effudit in eum omnem diuinitatis suæ plenitudinem. Alijs datur spiritus ad mensurã, huic autem non est datus ad mensuram, sed superabundantissime. Pater, inquit, diligit filium & omnia dedit illi in manum. Et, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Deinde plenus est gratia ꝙ non ipse tantum gratiosus est apud Deum patrẽ, sed gratia in ipso ita superabundat, ut deus propter ipsum faueat etiã omnibus in ipsum credentibus. Sic enim postea sequitur. De plenitudine eius accepimus oẽs.

Sancti pleni gratia.

Et iterum. Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum filium suum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitã æternam. Postremo dicitur etiam plenus gratia, quod attulerit prędicationem Euangelij sui hominibus longe omnium gratissimam, & confirmauerit ueritatem eius miraculis, quę omnibus afflictis fuerunt acceptissima. Nulla enim unquam conscientijs propter peccatum & mortem turbatis gratiosior doctrina in terram uenit, quàm doctrina Christi, nec miseri & calamitosi homines gratiora unquam acceperunt beneficia, quàm ijs miraculis, quæ Christus in ipsis edidit. Quare, huic soli tribuitur optimo iure & merito hoc epitheton, cp sit plenus gratia. Sed & plenus ueritate dicitur, non tam hoc nomine, quod cum antea Pharisęi docuissent uana somnia, ipse docuerit certissimam ueritatem, quàm quod in ipso uere impleta sunt omnia, quæ ante promissa erãt, & attulit ad nos uera bona. Post patriarchas uenit Dauid, & multa prędclara strategemata fecit, sed per eum non sunt uere impleta, quę fuerunt Patriarchis promissa. Venit & Hiskia, qui defendit urbem Hierusalẽ ab expugnatione hostiũ. Venit & Cyrus, qui concessit exulibus libertatem reparandi templi, sed nec per hos uere impleta sunt uaticinia de salute populi Dei, Solus autem Iesus Christus plenus est ueritate, propterea cp quicquid unquam salutis populo Dei diuinitus promissum fuit, per hunc solum uere impletum sit. Promissa fuit uera iusticia, Ac Moses docuit quidem legem in qua continetur perfecta insticia, sed quia nullus hominum potuit iustitiã legis perfecte facere, Moses attulit magis iniustitiam (lex enim est agnitio peccati, Et, per legem peccatum fit mirum in modum peccans peccatum) cp iustitiam. Solus autem Iesus Christus attulit uerã & perfectam iustitiam. Omnis enim qui credit in ipsum, reputatur uere coram deo iustus. Promissum fuit regnum & fœlicitas regni. Ac datum quidem est populo Dei regnum Canaan, in quo aliquoties non infœlicem, quantum ad corporalia bona attinet, uitam egerunt, sed nec hoc regnum fuit firmum, nec fœlicitas eius stabilis. Solus Iesus Christus attulit uerum regnum, quia cœleste, & ueram ac stabilem fœlicitatem, quia perpetuã. Quare hoc epitheton, Plenus ueritate, nulli alteri uel patriarcharum, uel prophetarum, uel Regum uel Monarcharum uere competit, prętercp Domino nostro Iesu Christo. Sed de hac re postea, si Dominus dederit copiosius cum ad hunc locum, Lex per Mosen, gratia autem & ueritas per Iesum Christũ, peruenerimus. Nunc huic concioni extremam manum imponemus, si prius admonuerimus uos, ut cum solus Christus sit plenus gratia & ueritate, nullam uobis gratiã, nec in sanctis hoibus, nec in sanctis operibus, corã iudicio Dei quæratis, sed tm̃ in solo Iesu Christo Dño nostro per fidem.

Habent

Habent quidem sancti homines suam laudem, habent sancta opera suam commendationem, sed in iudicio Dei, ut non ualet patrocinium Noë, Iobis, & Danielis, ita multo minus ualet patrocinium bonorum operum. Nec uscq; minor salus est, cq; in operibus nostris, quæ ut necessario facienda sunt in hac uita, quemadmodum aliâs copiose ostendimus, ita nihil minus fieri potest, cq; ut ea patrocinentur nobis in iudicio Dei. Nam, cum semper habeant aliquid uicij admixtum, et caro nunquam non concupiscat aduersus spiritum, non sunt perfecta iusticia, nec possunt Deo pro patronis & defensoribus nostris obtrudi. Solus Iesus Christus, plenus gratia & ueritate, defensor noster est, & patronus, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula. Amen.

HOMILIA XI.

Vę hactenus Euangelista de Domino nostro Iesu Christo prędicauit, ea nunc publico testimonio Ioannis Baptistæ confirmat. Etsi enim doctrina Apostolorum, in quorum numero Euangelista noster prącipuum locum tenet, munita est autoritate spiritus sancti de cœlo exhibiti, tamen quia Baptista, primus fuit, qui prącente iã Christo docuit Christianismum, & maximę fuit apud omnes Iudęos autoritatis, testimonium eius affert Euangelicę doctrinę de Iesu Christo plurimũ commendationis & confirmationis. Quare Euangelista oportune recitat concionem Baptistę de Christo, & ait. Ioannes testificatur de ipso & clamat dicens. Hic erat, de quo dicebam, Qui cum me sequeretur, antecessit me, quia prior me erat. Sententia autẽ Euangelistę hęc est. Scripsi hactenus magna & admiranda de Iesu Christo. Ea omnia dico esse certissima & firmissima. Non solum enim nos Apostoli & discipuli uidimus miracula, & argumenta, quibus Iesus manifeste suam maiestatem testatus est, sed etiam Baptista eadem plane testificatus est de ipso, priusq; prędicatione & miraculis suis reuelatus esset, & quę nos uidimus post prędicationem & miracula eius, rebus ipsis, ea uidit Baptista in illo ante prędicationem eius, spiritu sancto. Sic enim concionatur de ipso. Hic est, qui cum me sequeretur, antecessit me, quia prior me erat. Eadem scribunt & alij Euangelistę, Ioannem docuisse. Venit, inquit, is, qui fortior est, post me, cuius nõ sum idoneus, ut procumbens soluã corrigiam calciamentorũ. Ego quidẽ baptisaui uos aqua, ille uero baptisabit uos spiritu sancto. Dicitur autem Iesus Ioannem Baptistam secutus, propterea q; postq; Baptista incho

asset iam officiũ baptisandi & prædicandi Euangelij, Iesus susceperit prędicatiõe & miraculis suum officium, ad quod missus erat. Rabbi, inquiunt, Qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce is baptisat, & omnes ueniunt ad eum. Et Petrus: De quo, inquit, sermone diuulgatũ fuit in tota Iudęa, & rumore primũ orto à Galilęa post baptisma, q̃d prędicabat Ioannes, ut Iesum Nazarenum unxerit Deus spiritu sancto & uirtute. Et tamen antecessit me, inquit Ioannes, qa prior me erat. His breuissimis uerbis Baptista omnia ea complectitur de Iesu Christo, quę ante de ipso cõmemorauit Euãgelista, uidelicet, quòd sit unigenitus Dei filius, q̃ sit ab æterno apud Deũ, uerus Deus, quòd omnia per ipsum facta sint, quòd sit lux & uita hominũ, denique quòd sit plenus gratia & ueritate, propter quẽ, quotquot ipsum per fidẽ recipiũt, adoptẽtur in filios Dei. Hoc certe uoluit Baptista significare, cum affirmauit Iesum Christũ antecessisse ipsum, & baptisaturũ spiritu sancto. Quis autem parui pẽderet, quis fastidiret testimoniũ Baptistę: Deus enim de cœlo confirmauit magnis miraculis autoritatem eius, iã tum in ipsius natiuitate. Ac in tanta fuit postea existimatione, ut habitus sit pro ipso Messia. Quare, cum nõ solũ nos Apostoli & discipuli uiderimus manifesta argumẽta maiestatis Iesu, sed etiam Baptista eadem de ipso, antecq̃ publice reuelarentur, concionatus sit, nullus plane dubitationi locus relinquitur, quin Iesus talis sit, qualem nunc eum descripsi. Pergo igitur ad reliqua. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus. Hęc ita recitari uidentur, perinde ac si essent adhuc concio Baptistę, sed quia Euangelista mox distinguit testimonium Baptistę ab hac concione, sentiamus Euangelistam redire ad id, quod ante instituerat. Dixit enim de Iesu Christo, quòd sit plenus gratia & ueritate. Nunc ergo explicat usum huius plenitudinis. De plenitudine, inquiẽs, eius accepimus nos omnes. Nam Christus non sic plenus est gratia & ueritate, ut soli sibi hanc plenitudinem retineat, sed ut homines participent eam & fruantur ipsa. Primũ enim plenitudo Christi hęc est, quòd Deus maxima omnium gratia & fauore eum complectatur. Et hæc plenitudo tanta est, ut abundet & affluat, quo & homines de ea accipiant. Nam tantus est fauor Dei erga Christum filium suum, ut et Deus propter Christum faueat omnibus credentibus in Christum, id quod Spiritus sanctus in Aherone, qui fuit typus Christi, adumbrare uoluit. Aheron enim, summus pontifex, in cõsecratione sua, ita perfusus est caput balsamo, ut deflueret in barbam & uestimenta eius, ac spargeret suauissimum odorem ad omnes spectatores. Sic & Christus unctus est balsamo diuini fauoris tanta abundantia, ut effluat in omnia mẽbra eius, et faueat Deus propter ipsum omnibus credentibus in eum. In pontificia

Christi plenitudo.

tificia & monastica hypocrisi, Sancti in cœlo, habẽtur eo loco, cp Deus tanta gratia complectatur Sanctos, ut propter ipsos, seruet omnes qui colunt eos officijs suis, & reddunt illos sibi sacris suis propitios. Hinc sunt sanctorum cultus & inuocationes. Ac Sancti quidẽ in cœlo, suam habent in Ecclesia laudem & usum, impium autem est, tribuere ipsis eam plenitudinem diuini fauoris, quę est in solo Christo. Euangelista enim nõ dicit. Accepimus omnes de plenitudine Sanctorum, sed de plenitudine filij Dei. Et de hac plenitudine tantũ acceperunt sancti qui sunt in cœlo, quantũ ipsis satis fuit ad salutẽ, non autẽ acceperunt tantum, ut & Christum exhauserint, & ipsorum copia succurrat mortalium inopiæ. Solus enim Iesus Christus est, & manet uera & affluẽs plenitudo diuini fauoris, ut quotquot ambiunt gratiam Dei, necesse habeant eam ex plenitudine Christi accipere. Neque enim Deus cuiq; hominũ uere & perpetuo fauet, nisi propter Iesum Christum unigenitum filium suum. Deinde Christus plenus est, & abundat iustitia. Maiorem enim & affluentiorẽ habet iustitiã, quàm humana mens comprehendere potest. Tantam autem affluentiã non sibi tantum habet, sed habet eam etiam propter homines, ut & ipsi de ea accipiant. Ea enim est iustitia Christi, ut propter ipsum reputẽtur coram Deo iusti, omnes hi, qui credunt in eum. Itaque iustitia eius effluit in omnes credentes. Hic autem uide mihi monachorum impietatem & blasphemiam. Hi enim solent homines adscribere in suam, ut ipsi loquuntur, fraternitatem, & uendere eis merita totius ordinis sui. Adhęc, fateruli assistentes agentibus animam, & sollicitis de salute sua, sic fere consolati sunt eos: Bono animo esto, En dono tibi omnia mea, & ordinis mei merita, quibus comitatus ac defensus, horrendum illud iuditium Dei effugere possis. Quid autem hoc aliud est, quam sibijpsi plenitudinem iustitiæ adscribere, & sese in throno & maiestate Christi collocare? Quid est blasphemia in Christum, si hęc non est? Scilicet, monachi eam habuerunt affluentiam iusticię, ut non indiguerint tanta, in iudicio Dei, sed potuerint multas partes etiam alijs hominibus dare. Quid ergo illud est. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens? Et, Gratia estis seruati per fidem, idque non ex uobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Nam hoc loco dicitur: Accepimus omnes de plenitudine filij Dei, Non autem dicitur, De plenitudine monachorũ. Quare fugiendę sunt impietates monachorum, & solus Christus agnoscẽdus est, plenus iusticia, ut & nos propter ipsum, coram Deo iusti reputemur. Postremo, Christus plenus est, & abundat omni cœlesti fœlicitate. Maior em̃ est fœlicitas eius, quàm ut possit mensura humanæ rationis capi. Abundantia autem

eius effluit in homines. Quotquot enim credunt in eum, consequuntur propter ipsum, cœlestē, & perpetuam fœlicitatem. Quod ut illustrius reddatur, cōferemus cum Christo, Adamum primū parentem nostrum. Habet enim & Adam plenitudinem, & de plenitudine eius nos omnes accepimus. Quę ergo est plenitudo Adę? Adam factus est propter inobediētiam plenus peccatis, morte & damnatione, quę plenitudo tam abundans est, ut effluat in omnes posteros eius, oēs enim posteri Adę nascuntur peccatores, morti & dānationi obnoxij. Propter unum hominem (inquit Paulus) peccatum in mundū introijt, & per peccatum mors, & sic in omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauimus. Ad eundem modū sua etiam est Christi plenitudo & abundantia. Sed interim maximū est in ipsis rebus discrimen. Quod ad plenitudinē attinet, Adam gerit typum illius futuri, nimirum Christi. Quod autē attinet ad eas res, ex quibus constat plenitudo, immensa est differentia. Quęso enim te, quātum differūt inter se peccatū, & iusticia, mors & uita, damnatio & salus? Nunc, Adā propagator est peccati, mortis & damnationis. Christus autē propagator est iusticię, uitę & salutis. Et si Adā tantę fuit potentię, ut effunderet plenitudinem suam in posteros suos, quomodo Christus unigenitus filius Dei nō esset tanta potentia prędītus, ut & suam plenitudinē in posteros suos, qui sunt, Credētes in ipsum, effunderet? Non ut peccatum, inquit Paulus, ita & donū. Nam si unius peccato multi mortui sunt, multo magis gratia dei, & donum per gratiā, quę fuit unius hominis Iesu Christi, in multos exuberauit. Et mox. Si per unius delictū mors regnauit per unū, multo magis ij, qui exuberantiā gratię & doni iusticiæ accipiunt, per uitā regnabunt, autore uno Iesu Christo. Itaque sicut per unius delictū propagatum est malum in omnes homines ad cōdemnationē, ita & per unius iustificationem propagatur bonū in oēs homines ad iustificationē uitę. Habes plenitudinē Christi, collatam cū plenitudine Adami. Etsi aūt plenitudine Adami, de qua oēs accepimus, perijmus, tamen si nūc de plenitudine Christi accipiamus, seruabimur perpetuo. Non est autem sentiendum, q̃ plenitudo Christi, talis sit thesaurus, quales sunt terreni. Hi em̄ tantum deficiūt, quantū singulis diebus ex ipsis sumpseris, donec tandē nihil prorsus reliquum fiat. Thesaurus autem Christi nunq̃ deficit, nec plenitudo eius exhauriri potest. Nam quemadmodū qui lumē de alieno lumine accēderit, nihil illi aufert, sed relinquit ei suam abundantiā, cum interim & ipse accēso suo lumine fruatur, ita Christo nihil abstuleris aut minueris de sua plenitudine, si de ea tuā partē accipias, sed quāto plures de ea accipiunt, tanto magis abundat. Agite ergo, amicissimi, accedamus ad tantam omnium cœlestium bonorum abundantiam & plenitudinem,

Ade plenitudo.

nitudinem, ut ea perfundamur, & seruemur. Sed quomodo, inquis, accedendum est? & quid nobis faciendum est, ut tantam affluentiam bonorum participemus, et de plenitudine eius accipiamus? Hoc idcirco proponere uolui, ut discamus uerã Christianismi rationem. Nam homines falsa doctrina in religione põtificia seducti, existimãt Christum commendasse plenitudinem & thesaurum gratiæ suæ Romano Pontifici, cum ad Petrũ dicit. Tibi dabo claues regni cœlorũ. Quodcunque solueris super terram, erit & solutum in cœlis. Itaque sentiunt Pontificem habere in sua potestate scrinium gratię Christi, ac posse ex thesauro illo distribuere, cuicunque uoluerit. Hinc est, ꝙ cum Pontifex indiget pecunia, tunc aut instituit annum Iubilęum, in quo aperiat scrinium plenitudinis Christi, aut emittit legatos ad circunferendas, quas uocant, indulgentias, ut quisquis numerauerit pecuniam, & redemerit literas indulgentiarẽ, consequat aliquid de plenitudine Christi. Vnde et hoĩes putãt se numeratiõe pecunię abundantiã thesauri Christi participare. Alij sentiunt, ꝙ plenitudo & thesaurus Christi redimatur meritis bonorũ operum, quæ nos nostro arbitrio facienda suscipimus. Hę sunt impiæ opiniones, & execrabiles imposturę. Nam plenitudo Christi, nec est Romano pontifici, eo modo, quo Pontificij nugantur, dispensanda commendata, nec potest redimi, & ad participandum, ac fruendum attrahi numeratione pecuniæ, aut meritis nostrę iusticię. Nam, quod Christus ad Petrum ait. Tibi dabo claues regni cœlorum, non commendat uni petro, & successoribus eius, Romanis Pontificibus, liberam & arbitrariam potestatẽ dominandi pro sua libidine, in thesauro gratię Christi, sed commendat omnibus Apostolis ministerium prędicandi Euangelij de remissione peccatorum propter Iesum Christum, in toto orbe terrarum, & docet solam prędicationem Euangelij esse clauem, qua cœlum aperitur & clauditur, quemadmodum aliãs copiose demonstratum est. Quid autem dicam de meritis nostrę iusticię? Hęc enim iusticia, aut est humanitus excogitata, sed hanc Christus perspicue reijcit. Frustra, inquiens, colunt me, docentes doctrinas, prącepta hominum, aut est uerbo Domini mandata, sed hęc, etsi lex eam perfectam exigit, tamen non perfecte ab homine prętatur. Si autem non est perfecta, non potest benedictionem mereri, iuxta illud: Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus sermonibus legis. Quare plenitudo Christi, nec dispensatur Romanis indulgentijs, nec redimitur meritis humanę iusticię. Cui ergo dispensatio plenitudinis Christi commendata est, & quomodo accipitur? Hic nobis probe considerandum est, quid Christus ipse de hac re doceat. Nam cum dicit, sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertio die, & prædicari nomine eius pœni-

Christi plenitudo cui dispensatori cõmendata sit.

Claues regni cœlorum.

Humanæ iusticiæ merita

tentiam ac remissionem peccatorum in omnes gentes, haud obscure significat, ꝙ dispensationem plenitudinis suę, commendauerit prędicationi Euangelij, & distributioni Sacramentorum eius. Et quod plenitudo eius accipiatur tantum per fidem. Nam apud Marcum per spicue ait. Ite in uniuersum mundum, & prędicate Euangelion omni creaturę. Hęc est plenitudinis Christi dispensatio. Et addidit. Qui credidierit & baptisatus fuerit, saluus erit. Hęc est plenitudinis acceptio. In Euangelio enim Christi & sacramentis eius offertur & proponitur nobis thesaurus Christi accipiendus. Fide autem accipitur quod per Euangelion & sacramenta oblatum atque propositum est. Crede, inquit Paulus ad custodem carceris, in Dominum Iesum, & saluus eris tu et domus tua. Quare ubicunqꝫ prędicatur Euangelion Christi syncere, & distribuuntur sacramēta eius, iuxta ordinationem & institutionem Christi, ibi et plenitudo ac thesaurus Christi dispensantur, etiamsi nulla Romani Pontificis autoritas accesserit. Et quicunque adhibet fidē Euāgelio, & accipit sacramēta eius per fidem, is etsi nullā prorsus habet pecuniam, aut merita humanæ iustitiæ, tamen tantū accipit de plenitudine ac thesauro Christi, ut & reputetur iustus coram Deo, & fiat heres omnium cœlestium bonorum, propter Iesum Christum, Quid igitur? nihil ne aliud boni faciendum est, q̄ credendum? Certa omnia bona opera, quæ Deus prędcepit, obedientissime facienda sunt, non autem hac opiniōe facienda sunt, ut merearis partem plenitudinis Christi. Sed ut partem tuam iam fide acceptam non abijcias. Qui enim peccatis seruiunt, abijciunt Christum, quem fide acceperunt. Ambulandum igitur est in bonis operibus ne ingratus sis in benefactorem Christum, sed ut beneficium conserues. Qua de re aliās sępe tractatum est. Quare non erimus nunc longiores. Cæterum, ut
,, Ioannes usum plenitudinis Christi adhuc clarius explicet, addit. Gra
,, tiam pro gratia. Nam si intelligamus Gratiam, pro fauore Dei, tunc, quod dicit, Accepimus gratiam pro gratia, hanc habet sententiam. Nos accepimus fauorem Dei, pro fauore Christi, hoc est, Deus idcirco fauet nobis, quia fauet Christo filio suo. Itaqꝫ sumus in gratia Dei, non propter merita nostra, sed tantū propter gratiā, qua Deus pater complectitur Christum filiū suum. Gratia Dei, inquit Paulus, & donum per gratiā, quę fuit unius hominis Iesu Christi, in multos exuberauit. Hoc beneficiū maius est, q̄ꝫ quod aut aīo agnoscere, aut uerbis explicare queamus. Quid enim superat hanc Dei beneuolentiam, ꝙ cum de salute hominis ita actū sit, ut non possit suis uel uirtutibus uel meritis iuuari, donet tamē Deus homini Iesum Christū, unigenitum filium suum, ut qui non possit suis operibus seruari, alieno beneficio seruetur, & ueram salutem propter Christum, in quem credit, consequatur.

quatur. Quod si uero intelligamus hoc loco Gratiam pro donis, quę Deus ex gratia & fauore largitur, tunc quod Euangelista dicit. Accepimus gratiam pro gratia, hāc habet sententiam. Deus contulit olim multa & magna beneficia in maiores nostros, idq̃ ex gratia, propter Christum. Hęc abstulit quidem hoc tempore, sed pro illis accepimus nunc propter Christum, multa maiora & excellentiora, q̃ nobis oblata sint. Olim dedit Dominus maioribus nostris terram Canaan, & dedit eam, non propter ipsorum iustitiā, sed propter semen Abrahæ promissum, hoc est, propter Iesum Christum, ut esset regio in terris, in qua promissiones de ipso conseruarentur & adnunciarentur, ac homines per fidem iustificarentur. Nunc autem ablata est illa gratia, & adempta est posteris nostrorum Patriarcharū (nam cum Ioannes hoc Euāgelion scripsit, Hierusalē erat per Romanos deuastata, & Iudęi in exiliū eiecti) terra Canaan. Sed pro hac gratia, pro hac terra, olim ex gratia donata, accepimus nūc in Christo cœlū. Olim dedit Deus populo nostro legem & cultum diuinum, ex qua cōsecuti sunt iustitiam externam & carnalem. Et cōtulit in eos hanc gratiā, propter Christū, ut ex lege agnoscerētur pctā, quo cogerentur Christū inquirere, et ut Christus sacris Leuiticis adumbraret, quo in ipsum crederent. Nunc hæc gratia ablata est. Lex Mosaica, & sacra Leuitica, expulsis Iudęis ē Hierusalē, abrogata sunt, sed pro hac gratia accepimus multo maiorem & prestantiorem gratiam, nimirum, Christum ipsum, ueram iusticiam, accepimus & in Christo, uerum Dei cultum, quia adoramus nunc patrem in spiritu & ueritate, & clamamus Abba pater, qui cultus dei longe omnium maximus est, & Deo gratissimus. Olim dedit Deus maioribus nostris regnū terrenū, & uictoriā super hostes finitimos, idque ex gratia, propter Christū. Nunc ablata est hæc gratia, quia Romani dominantur in terra nostra, & hostes nostri potiūtur uictoria, sed pro hac gratia, reddidit Dominus nobis in Christo multo maiorem gratiā, uidelicet, uictoriam in morte & inferno, ac regnum ipsum cœleste. Quid hac commutatione melius? quid ea fœlicius? Quod autem Ioannes de beneficijs olim genti Israëliticæ prestitis, & nunc per Christum compensatis, concionatur, hoc idem nobis, qui ex gentibus sumus, pro nostra conditione optandum erit. Deus dat nobis gratiam uitæ, opum, dignitatis, & aliorum donorum, siue corporis siue animi, & dat ea nobis propter Christum, ut hūc per fidem cognoscamus & ei seruiamus, sed paulo post aufert hanc gratiam, & nunc adimit quidem opes, nunc dignitatem, nunc sanitatem, nunc etiam uitam ipsam. Quęso igitur te, quo id consilio facit? Num ut pereamus? nequaquam, sed ut reddat nobis gratiam pro gratia. Donauit enim nobis Iesum Christum filiū suum. In hunc si credimus, pro

Eadem loquendi forma extat in Ἑλένῃ, quæ inscribitur Euripidi: χάρις γὰρ ἀντὶ χάρις τοῦ ἐλθέτω

terrenis opibus donantur nobis cœlestes, & pro corporali uita, donatur nobis perpetua & semper fœlicissima uita. Nam, quemadmodum ager nõ dat gratiam suam, ut ita loquar, agricolę, nec profert frumentum, nisi ante auferat ab agricola gratiam, hoc est, frumenti grana, pro semente. Nisi enim agricola spargat sementem, ac quodammodo perdat, non recipit messem. Qui sementem, inquit Paulus, facit parce, is parce messurus est, ita Dominus Deus noster solet nobis auferre dona sua, non ut relinquat nos oibus beneficijs nudatos, sed ut maiora nobis restituat, ac pro una ablata gratia reddat nobis nunc trigecuplam, nũc sexagecuplam, nunc centuplam. Aufert corporalia, quæ dedit, ut restituat spiritualia. Aufert terrena, quæ ex gratia donauit, ut reddat nobis cœlestia. Aufert caduca, ut retribuat perpetua. Hanc tam fœlicem commutationem, non sumus nos nostra iusticia meriti, sed accipimus eam propter Christum. Solus enim Christus meritus est, ut quotquot in ipsum credunt, accipiant gratiam pro gratia. Quare nihil nobis prius, nihil posterius agendum est, quàm ut fide cognoscamus Christum, & obedienter sectemur uocationem eius, qui est unà cũ patre & spiritu sancto deus bẽdictus in secula, Amen.

HOMILIA XII.

Vm Euangelista susceperit gloriam Christi exponendam, non est contentus simplici maiestatis eius descriptione, sed confert eum cum clarissimis heroibus, ut ex collatione magis illustretur. Fuerunt enim duo præcipui, quantum quidem ad religionem attinet, heroes in orbe terrarum. Alter Ioannes Baptista, qui tantę fuit inter suos antoritatis, ut habitus sit pro Messia ipso. Alter est Moses, qui inter omnes prophetas, etiam Dei ipsius testimonio, excellit. Si quis fuerit, inquit Dominus, inter uos prophetа Domini, in uisione apparebo ei, uel per somniũ loquar ad illum. At non talis seruus meus Moses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ei. Palam, & non per ęnigmata & figuras, Deum uidet. Quare, cum Euangelista contulerit antea Christum cum Ioanne Baptista, quemadmodũ supra demonstratum est, confert nunc Christum cum Mose, ut doceat, Iesum Christũ maiestate sua superare omnes sanctos prophetas, adeoque omnes, qui unquam fuerunt, sunt, aut erũt homines, nec apud ullum alium quęrendam esse ueram salutem, prętęrquàm apud Dominũ nostrum Iesum Christum. Nam dicet quispiam ad ea, quæ Euangelista hactenus de Iesu Christo exposuit. Quid tu ita extollis Iesum, ut tribuas ei omnem diuinæ gratię plenitudinem, ac diuinitatem quoqꝫ ipsam? Num tibi prę Iesu Christo sordet

Heroes in religione.

sto sordet Moses? Num tibi Moses contemnendus & abijciendus uidetur? Magnus certe uir fuit Moses, & Deus magna beneficia cõtulit in homines, per Mosen. In quem ergo locũ Moses reponendus erit? Huic, quisquis est, respõdet Euãgelista. Lex inquiẽs, per Mosen data est. Gratia autem & ueritas per Iesum Christũ facta est. Hęc est collatio Christi & Mosi. Nam Moses suũ habet honorẽ, & sua sunt bũficia, per Mosen prestita. Sed Iesus Christus superat Mosen, tã persona, cũ beneficijs. Quod enim ad personas attinet, Moses preditus quidem fuit diuino spiritu, homo tamẽ dumtaxat fuit, & nõ Deus. Iesus Christus aũt non est tantum homo, sed est unigenitus filius dei, adeoque uerus et ęternus Deus. Quod autem ad beneficia attinet. Lex allata est per Mosen de monte Sinai. Gratia aũt et ueritas per Iesum Christum, de cœlo. Cęterum, cũ Euangelista opponat Gratiam et ueritatẽ, legi, haud obscure significat, quæ officia legis intelligi uelit. Quare considerãda nobis est doctrina legis, & officia eius perspiciẽda sunt, ut et magnitudo beneficiorũ Christi nobis magis perspicua fiat. Principio enim lex Mosi, cuius epitome est, Decalogus, docet quidẽ & exigit perfectam iustitiã. Lex em̃ sancta est, inquit Paulus, & precep- *Mosi officia.*
tum sanctum, ac iustum & bonũ, sed homo peccato sic uiciatus est, ut non possit legẽ sanctã implere. Affectus enim carnis, inquit Paulus, inimicitia est aduersus Deum, nã legi Dei non subditur, siquidẽ ne potest quidẽ. Quare lex, occasione per peccatum accepta, nõ iustificat hominem, sed ostendit ei iniusticiã, non delet peccatum, sed auget, non promittit gratiã Dei, sed reuelat irã Dei, non uiuificat, sed mortificat, nõ saluat, sed dãnat. Hic est precipuus usus legis, hoc precipuum eius officiũ. Etsi enim lex instituit quandã politicam honestatem coram hominibus, tamen nos loquimur nunc de spirituali officio legis, quales uidelicet homines fiãt per legem, coram Dño deo nostro. Non fiunt aũt per legem iusti, sed peccatores. Non fiũt per legẽ salui sed dãnati. Per legẽ, inqt Paulus, agnitio peccati. Et iterũ. Lex operatur irã. Ac rursus. Vt appareret peccatum, per id quod erat bonũ, mihi gignere mortẽ, ut fieret maiorẽ in modũ peccans peccatũ per preceptum. Et aliãs. Virtus peccati, lex est. Nam, cũ lex inuenit peccatum in hoĩe, id plane agit, quod aqua calci infusa. Vt em̃ hęc excitat latentem in calce igneum calorem, ita illa excitat latẽs in hoĩe peccatum, & ad cognitionem ac sensum educit, ut cõscientia terreatur, & ex terrore moueatur dubitatio, diffidẽtia, & indignatio aduersus Deũ. Itaq; lex non aufert peccatũ, sed multo magis augere dicitur. Hoc officiũ legis uidetur quidẽ iniucundum, & explodendum, sed quo in loco sunt res nostrę, prorsus est necessariũ. Homines enim nõ uident magnitudinẽ peccati & corruptionẽ naturę suę, ac existimant externa sua opera esse perfectam legis impletionem & ueram iusticiam coram Deo, ideoq;

non cogitant, quàm necessarius sit Iesus Christus ad consequendam ueram salutem. Decalogus autem, qui est epitome legis, ostendit nobis & peccatum, & naturæ nostræ corruptionem, ut perspicue uideamus nos non posse implere legem, nec iustitiam nostram esse perfectam, sed necesse habere omnem nostram iustitiam aliunde petere. Quare Decalogus ponitur nobis ob oculos, ut officio eius retineamur in cognitione peccati & damnationis nostræ, ut excitemur ad inquirendam ueram iusticiam & salutem. Habes beneficium, quod confert in nos Moses per legem suam, uidelicet, agnitionem peccati, & diuinæ iræ, adeoque perpetuæ nostrę damnationis. Videamus nunc beneficiũ Christi. Hoc autem longe diuersum est à beneficio Mosi. Per Mosen enim data & reuelata est ira Dei, Per Iesum autem Christum, exhibita est gratia Dei, quæ opponitur iræ. Etenim Dominus noster Iesus Christus impetrauit hominibus tantam Dei gratiam, ut quemadmodum Deus pater complectitur ipsum summo omnium fauore, ita etiam complectitur fauore suo propter Christum, omnes homines, qui credunt in ipsum. Hac gratia, quæ est per Christum, nihil potest excellentius aut utilius excogitari. Cui enim fauet Deus propter Christum, eum etiam adoptat in filium, remittit ei omnia peccata, reputat eum iustum, & donat ei cœlestem hæreditatem, propter Christum. Hæc certe omnia attulit nobis Christus, quia attulit gratiam Dei. Sed imperiti Christianæ doctrinæ ijsdem plane uerbis docent ꝙ lex data sit per Mosen, & gratia sit per Christum, deprauant autem ueram sententiam spiritus sancti. Nam per gratiã intelligunt caritatem in nobis, & dicunt Christum sic attulisse gratiam, quòd det nobis donum spiritus, seu caritatem, qua legem impleamus & ei satisfaciamus. Itaque uocant caritatem in nobis, gratiam, quam qui habet, legem perficiat. Ac uerissimum quidem est, ꝙ caritas erga Deum & proximum sit donum spiritus sancti. Verissimum etiam est, ꝙ Christus donet eos, qui credunt in ipsum, spiritu obediendi & benefaciendi. Non enim potest ferre, ut sui in peccatis ambulent, & peccatis seruiant. Sed quamdiu homo est in hoc mortali corpore, non potest, etiam spiritu sancto præditus, legem suis operibus perfecte implere, nec ullus, etiam sanctissimus uir, in hac terra, perfecte in se iustus est. Semper enim Sanctis suis etiã quibusqꝫ id accidit, q̃d Paulus ait: Noui, ꝙ nõ habitet in me, hoc est, in carne mea bonum. Nam uelle adest mihi, at ut faciã bonum, non reperio. Et iterum. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hęc autẽ inter se mutuo aduersantur, ut non quæcunqꝫ uolueritis, eadem faciatis, hoc est, ut bona opera quę facitis, non sint perfecte bona, sicut uelletis, ut essent perfectissima, & sine oĩ uicio. Nec sentiendũ est, ꝙ Christus attulerit

Christi beneficia

Sancti habẽt peccatum.

nobis

nobis hanc gratiam, ut per ſpiritum eius tollatur in nobis, quamdiu hic uiuimus, pugna carnis & ſpiritus. Caro enim in hac terra ſemper manet caro, & ſemper pugnat cum ſpiritu in pijs, & credentibus in Chriſtum. Quare pij nunc ſunt in ſe & ſuis operibus perfecte iuſti, ſed hac nobis gratiam attulit, cp etſi habemus adhuc peccatū in carne, tamē ſi credimus in Chriſtū, ſumus in gratia dei, ſumus Deo accepti, ac reputamur corā eo uere & perfecte iuſti propter Chriſtum, quo etiam donamur ſpiritu ſancto, non ut caro mutetur in hoc ſeculo in ſanctitatem, ſed ut affectus carnis ſemper in hac uita manentes, mortificentur, & nos opera iuſticię pro uirili ſectemur. Hæc fortaſſis uidentur indigna propter quæ audienda tempus teramus, & algeamus, ſed profecto maiora ſunt, cp quę humana ratio æſtimare poteſt. Ea enim ſunt, qbus poſſumus expugnare omnia peccata, omnes afflictiones, omnia mortis genera, denique Satanam ipſum & infernum. Si quis principibus Romani imperij oſtenderet compendiariam uiam, & facilem rationem, qua poſſent Turcam perpetuum & anniuerſariū hoſtem uincere, ac Conſtantinopolim expugnare, quantam, obſecro, iniret gratiam? & quantum beneficium iudicaretur toti Romano imperio prestitiſſe? Et tamen, nec iuſtiores nec fœliciores coram Deo eſſemus, etiamſi Conſtantinopolis expugnata eſſet. Optanda quidē ſummis uotis eſt uictoria, & unicuique pro ſua uirili & uocatione conandum eſt, ut tentoria tam imperij Romani, cp Eccleſiæ Chriſti dilatentur, ſed expugnata Conſtantinopoli, nondum eſſet expugnata mors. Adhuc eſſemus obnoxij peccatis, morbis, morti & internitioni. Quare, etſi maximum eſt beneficium, oſtendere facilem rationem uincendi externi hoſtis, hoc tamen longe maius eſt, quo oſtenditur uera & certa ratio uincendi peccati, ſuperandę mortis & inferni. Hæc autem nobis, quaſi digito monſtratur, cum illud Euangeliſtæ, Lex per Moſen data eſt, Gratia autem & ueritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, perſpicue explicatur. Nam cum ſenſus mortis obtruditur cōſcientię, tunc reuelatur etiam iudicium peccati, & audimus horrendam illam diuinæ legis uocem. Tu maledictus & damnatus es, quia grauiſſime peccaſti. Hic ſi reſiſtamus & dicamus, Deus eſt miſericors, Inuocabo Deum, & propicius erit, ſtatim reſpondetur nobis. Deus certe miſericors eſt & clemens, Sed his, qui obedierunt legi ſuę, & compleuerunt eam opere. Scriptum eſt enim. Faciens miſericordiam in milia his qui diligunt me, & cuſtodiunt mandata mea. Et iterum. Venient ſuper te uniuerſæ benedictiones iſtæ, & apprehendent te, ſi tamen præcepta eius audieris, & omnia mandata eius cuſtodieris. Tu autem non cuſtodiſti mandata eius, id quod conſcientia tua, quę eſt, mille teſtes, nouit. Quare miſericordia dei prorſus nihil ad te attinet.

Opera humana non ſunt perfecte bona

Homilia in hyeme dicta, cum magna eſſent frigora.

Mortis expugnandæ ratio.

Quo nunc te uertes? quo te proripies? Hic certe captiui ſumus mortis & inferni. Sed bene habet, Euangeliſta noſter oſtendit nobis in hoc loco uiam ad conſequendam eam uictoriam quæ nobis multo magis neceſſaria eſt, quám expugnatio ſexcentarum Conſtantinopoleων: Lex, inquit, per Moſen data eſt. Gratia autem per Ieſum Chriſtum facta eſt. Agnoſcimus enim nos eſſe peccatores, id quod docet nos Moſes per legem ſuam. Agnoſcimus etiam nos meritos eſſe irã Dei, & indignos miſericordia & clementia Dei, quippe qui legẽ eius non ſeruauerimus, id quod ſimiliter nobis per Moſen indicatũ eſt. Non ſolus autem Moſes dominatur in orbe terrarum, ſed uenit Ieſus Chriſtus, unigenitus filius Dei, in hunc mundum, per quem facta eſt gratia. Is enim iratũ Deum placauit, & impetrauit, ut quiſquis in ipſum credit, etſi non ſatisfecit legi operibus ſuis, tamen ſit propter ipſum in gratia Dei, & habeat propitium Deum, qui & peccata clementer remittat, & donet gratis cœleſtem hęreditatem, propter Ieſum Chriſtum filiũ ſuum. Quare ſi opponamus Chriſtum irę Dei, per fidem, & obijciamus eum iuditio peccati, fieri non poteſt quin & mors & infernus cedant, ac dent locũ perpetuę ſaluti, & cœleſti fœlicitati. Hæc eſt certa mortis & inferni expugnatio. Et hactenus quidem de gratia quæ facta eſt per Chriſtum, & quam Euangeliſta opponit legi, hoc eſt, irę Dei per legem reuelatę. Audiamus etiã nonnihil de ueritate, quã ſimiliter Euangeliſta opponit legi. Lex, inqens, data eſt per Moſen. Gratia autem & VERITAS, facta eſt per Ieſum Chriſtũ. Quid ergo dicimus? An, quia ueritas opponitur legi, Moſes docuit in lege ſua mendatium? Nihil certe minus. Nam ueritas hoc loco non opponitur mendatio, prout eſt peccatum, ſed opponitur umbris, figuris, rebus caducis & inſtabilibus. Nam lex inſtituit uaria ſacrificia ad expianda peccata, ad hęc inſtituit politειαν, ad cõſeruandam trãquillitatem in terra Canaan, ac pollicita eſt ciuibus, ſi ſeruauerint eam politειαν, Deum daturum ipſis ſanitatem, longitudinem uitę, & uictoriam ſuper hoſtes ſuos. Hæc ſunt quidẽ magna bona, ſed nec ſunt VERA, nec maxima, Nam VERITAS per Ieſum Chriſtum facta eſt. Primum enim, etſi ſacrificia habuerunt ſuo tempore ſuũ uſum, quem aliàs copioſe explicuimus, tamen non ſunt ueritas, non ſunt uera peccatorum expiatio coram Deo, ſed ueritas eſt per Ieſum Chriſtũ, quia Chriſtus eſt uerum ſacrificium pro peccatis noſtris, & ea uere ira expiauit, ut quotquot in ipſum credunt, conſequantur propter ipſum remiſſionẽ peccatorũ coram Deo, & reputentur tam iuſti, in iudicio dei, cũ ſi ipſi operibus ſuis legi perfecte ſatisfeciſſent, Deinde ciuilis honeſtas in lege inſtituta, nõnihil quidẽ eſt, et habet ſuã cõmendationẽ, ſuamque laudẽ, ſed non eſt uera honeſtas, nec eſt uera iuſtitia, quę

In Leuitico libro.

coram

coram deo constet. Veritas autem est per Iesum Christum, quia Christus attulit de cœlo ueram honestatem, ueramq; iustitiam. Nam propter Christum reputantur credentes uere coram deo iusti, & accipiunt spiritum adoptionis, per quem clamant ad Deum Abba pater. Hęc inuocatio est uerus Dei cultus, cuius autor in nobis est solus Iesus Christus. Huc accedit, cp tranquillitas in terra, & longitudo huius uitæ, quæ lex promittit obseruantibus πολιτείαν suam, sunt quidem iucunda bona, sed non sunt uera & durabilis fœlicitas. Veritas autē est per Christum, quia Christus impetrauit & donauit credētibus in ipsum ueram tranquillitatē, & durabilem, hoc est, perpetuo fœlicē uitam. Hęc sunt maxima beneficia, quibus nihil excellentius dici, nihil melius accipi potest. Sed quanto maiora sunt, tanto plus debēt nos excitare ad gratitudinem, & ad obedientiam Dei. Sunt enim, qui ex commendatione gratuitorum beneficiorum Christi patrocinantur suę ignauię & impietati, ac dicunt, quid opus est, ut multum laboris suscipiam ad facienda bona opera, quando Christus impetrauit mihi omnem cœlestem gloriam, ac donat mihi eam gratis, si tantū credidero in ipsum? Hęc est impia cessatio. Quis enim ferret filium amplissimi patrimonij hęredem, suam erga patrem seu ignauiam seu inobedientiam ita excusantem. Quid necesse est, ut multa officia tibi patri meo prestem, cum non possim mereri patrimonium, sed iam factus sim hęres natiuitate? at hæc prącipua caussa est, quę filiū à cessatione expergefacere debet, propterea cp nullo suo labore, sed tantum, quia legitimus filius est, tantam patrimonij amplitudinem consequatur. Sic & nostri erit officij, ut cum nō possimus mereri cœlestem hęreditatem, sed gratis nobis donetur propter Iesum Christum per fidem, tanto simus obedientiores Deo, quanto beneficia Christi magis gratuita sunt. Apud Matthęum, Serui accipiunt gratis bona domini sui, & alius accipit quinque talenta, alius duo, alius unū. Porro, qui accepit unum, nihil est per illud negotiatus, sed fodit in terram & abscondit pecuniam domini sui. Audit ergo, Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium. Quare si tantā supplicij grauitatem horremus, expergiscendum est, & quo plura beneficia consecuti sumus gratis per fidem propter Christum, eo diligentius & fidelius uocationi Christi obediendum est in Iesu Christo DOMINO nostro, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula Amen.

HOMILIA XIII.

Contulimus heri legislatorem Mosen cum Domino nostro Iesu Christo, ac perspicue uidimus Iesum Christum longissime anteponendum esse Mosi. Per Mosen, inquit Euãgelista, data est lex, hoc est, agnitio peccatorum, ira Dei, damnatio, euanida sacra, euanida bona, quę etsi in suo ordine suum habent usum, tñ per se nõ afferunt uerã & perpetuo durabilẽ fœlicitatẽ. Per Iesum Christum autem facta est gratia & ueritas, hoc est, gratuita remissio peccatorum, clementia Dei, uera ac perpetua iusticia, uita & fœlicitas. Quare quantum superat magnitudinem peccati, condonatio eius, ac mortem uita, & damnationem salus, tantũ merito superat Mosen Dominus noster Iesus Christus. At enim dicet quispiã. Non inuideo quidem Christo suum honorem, non est autem ferendum, quòd Moses prorsus abijciatur & pedibus cõculcetur. Etsi enim non excellit Christum, tamen est ipsi, ut minimum, æqualis, quippe, qui cum Deo familiariter, & ut scriptura ait, ore ad os collocutus sit, ac Deum palam, & nõ per ęnigmata, nec per figuras uiderit. Ad hãc seu obiectionem seu dubitationẽ respõdit nunc Euangelista, ut Christum & beneficia eius magis illustret. Deum, inquiens, nemo uidit unquàm. Scio quidem de Mose iactari, ꝙ uiderit deum, & ꝙ hoc nomine excellat omnes alios homines, sed manifestum est, quod nullus unquam hominum in hac terra Deum, ut est natura & essentia sua, uiderit. Tametsi enim scriptura dicit, Mosen uidisse Deum palam, & Dominum locutum esse ad Mosen facie ad faciẽ, sicut solet homo loqui ad amicum suum, tamen paulopost audit Moses à Deo. Non poteris uidere faciem meam. Non uidebit me homo, & uiuet. Huc accedit & Paulus, de Deo sic scribens. Qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam, quem uidit nemo hominum, neque uidere potest. Deus enim natura sua inuisibilis est humanę carni, & maiestas eius illustrior, ac splẽdidior est, quàm ut possit humanis oculis ferri. Nam si oculi nostri non possunt sustinere fulgorem huius externi solis, si recte & incõniuenter in eum intueantur, quanto minus sustinerent tantam diuinæ maiestatis claritudinem. Quare fieri non potuit, ut Moses in hac terra ueram Dei substantiam, aut essentiam uiderit. Pręterea, Moses fidelissimus quidẽ fuit in domo Dei, seruus tamen creatus, non autem filius è substantia dei ab æterno genitus. Primum igitur,

Deus natura inuisibilis.

igitur, Moses non potuit Deum uere uidere aut cognoscere. Nemo enim, inquit Christus, nouit patrem, nisi filius. Deinde ut Moses nõ uere uidit Deũ, ita non proposuit Deum populo suo conspiciendum & manibus tractandum. Non enim fuit persona Deus, aut filius dei, sed tantum seruus Dei, admirandis quidem donis spiritus sancti ornatus, homo tamen, aut etiam filius Dei, sed adoptiuus, non autem naturalis ab æterno genitus. Postremo, nec Moses satis perspicue enarrauit & exposuit populo uoluntatem Dei. Etsi enim, quod ad legem attinet, Moses luculenter tradidit, quæ sit Dei uoluntas, & quid Deus à nobis exigat, aut si id, quod exigitur, nõ prestiterimus, quanta sit seueritas Dei, & quæ nos maledictiones Dei maneant, tamen quod ad Euangelion æternæ salutis attinet, non Moses ipse hoc enarrauit, sed uaticinatus tantum est alium uenturum, qui hoc sit palam enarraturus. Prophetam, inquiens, de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, IPSVM AVDIES. Quare, etsi Moses suum habet usum & honorem, tamen nec persona eius, nec ministerium legis eius satis est uel ad cognoscendam uoluntatem Dei, uel ad consequendam ueram & cœlestem salutem. Cæterum, quod de Mose diximus, etiam de alijs uel patriarchis, uel prophetis intelligendum est. De patriarcha enim Iacob scriptum est: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Esaias dicitur uidisse Dominum sedentem super soliũ excelsum & eleuatum. Ezechiel quoq; et Daniel uiderunt maiestatem Dei. Sed quemadmodum nec Moses, ita nec hi seu patriarchæ seu prophetæ uiderunt in hac corporali uita propriam & inaccessam illam substantiam ac maiestatem Dei. Quid ergo, inquis, uiderunt? Non certe uiderunt naturam ipsam Dei, sed argumenta quędam maiestatis, & testimonia prę sentiæ eius. Iacob uidit Dominum facie ad faciem, quia filius Dei, qui luctabatur cum ipso, & benedicebat ei, proposuit ipsi imaginem uiri, & perfudit animum eius maxima consolatione & cœlesti lætitia, quæ non fuerunt ipsa Dei substantia, sed tantum præsentiæ eius testimonia, & clementię eius dona. Rubus Mosi, & propitiatorium, è quo Moses audiuit uocem Dei, non fuerunt Deus ipse, sed miracula, & signa, quibus præsentia Dei reuelabatur. Quę autem uiderunt alij prophetæ, similitudines quædam diuinę maiestatis fuerunt, non maiestas, aut diuinitas ipsa. Firmus enim & certus est sermo, quem dixit Euangelista. Deum nemo uidit unq̃. Porro, ut Deum nemo unquam uidit corporalibus oculis, ita nemo uidit eum oculis humanæ mentis aut rationis. Etsi enim humana ratio habet naturaliter quandam Dei cognitionem, uidelicet, q̃ sit Deus, & q̃ Deus sit sapiens & iustus, rerum gubernator, qui delectetur pietate ac iustitia, abomi

netur autem impietatem & iniustitiam, hæc tamen cognitio perexigua est, quippe quæ sit obscurata per peccatum, quod uocant, originale. Quid autem uere sit Deus, nulla unquam ratio perscrutari potuit. Nec ulla est humana mens, quæ ex se potuit cognoscere, quæ sit uere uoluntas Dei in condonando peccato, & in seruandis perditis hominibus. Paulus uocat hanc Dei uoluntatem, mysterium æternis temporibus tacitum. Et aliâs: Loquimur, inquit, sapientiam Dei in mysterio, quæ est recondita, quam præfinierat Deus ante secula, in gloriam nostram, quam nemo principum seculi huius cognouit. Ac rursus: Animalis homo non accipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Quare ut nec Moses nec prophetę uiderunt ueram & perfectam maiestatem ac naturam Dei, in hoc seculo, ita nulla unq̃ humana ratio tam perspicax fuit, quæ potuerit peruidere essentiam Dei, & misericordem eius uoluntatem erga immeritos aut male meritos. Quæso igitur te, quis nobis aut Deum uidendum ostendit, aut uoluntatem dei cognoscendam enarrat? Nisi enim Deum uiderimus & uoluntatem eius erga immeritos, quales sunt omnes homines, cognouerimus, non consequemur ueram & cœlestem salutem. Sequitur ergo. Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Moses pecijt quidem, ut uideret faciem Dei, quo posset eam Israelitis suis uisibilem proponere: Si inueni, inquiens, gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te. Hoc autem non fuit Mosi, sed soli Domino nostro Iesu Christo concessum. Moses enim seruus tantum Dei fuit, Iesus Christus autem est filius Dei. Fuit quidem & Moses filius Dei, sed adoptiuus. Iesus Christus autem est unigenitus, & naturalis Dei filius. Ac Moses collocutus est quidem familiariter cum Deo, sed non fuit ei datum, ut esset in secretissimo diuinæ naturæ adyto, non fuit in sinu patris, non fuit de natura patris. Solus autem Iesus Christus est in sinu patris, hoc est, uere unigenitus Dei filius, ac uerus Deus de uero Deo. Quare solus Christus ἐξηγήσατο, hoc est, exposuit nobis Deum uisibilem. Sed quomodo? primum, Filius Dei est natura uerus et eternus Deus, & assumpsit hominem, in unam personam. Quare filius Dei assumẽdo uisibilem hominem, sibi unitate personę coniunctum, exposuit, eduxit in lucem, patefecit & ostentauit nobis palam uisibilem Deum. Nam, qui Christum uidit, qui audiuit, qui tetigit, is uidit, audiuit, tetigit personaliter & corporaliter uerę Deum. Filius enim Dei, & homo assumptus, sunt una persona, & ut Paulus ait. In illo inhabitat oĩs plenitudo Dei corporaliter. Nec extra Christum, alius est Deus. Sunt quidem aliæ duæ personę, pater uidelicet, & spiritus sanctus. Sed extra Christum nulla est alia diuina essentia, aut natura. Quare perspicuum est, q̃ unigenitus filius Dei, homo factus, eduxe-

ctus, eduxerit uerum Deum in lucem, & fecerit nobis deũ uisibilem, adeoq; rectissime à Christo aliâs dictum est. Qui me uidet, uidet & patrem meum. Itaque hac in parte superat Christus non tantũ uulgares homines, sed etiam omnes patriarchas, omnes prophetas, denique summum prophetarũ, Mosen. Qui enim hos uidit, is uidit magnos quidem heroas, sed non uidit Deum. Qui autem Christum uidit, is uerum uidit Deum. Deinde, Iesus Christus non tantum exposuit nobis persona Deum uisibilẽ, sed etiam exposuit & patefecit nobis prędicatione arcanam uoluntatem Dei, alioqui prorsus incognitam. Etsi enim diuina uoluntas legis aliquo modo cognita est humanę rationi, & comprehensa fuit monumentis literarum, non tantum per Mosen & prophetas, uerũ etiam, sua quadam ratione, per philosophos gentium, tamen ea diuina uoluntas, q̃ est ꝓpria Euangelij, hoc est, gratuita dei clementia & misericordia, hominibus natura sua omnino incognita est. Solus autem Iesus Christus patefecit nobis hanc uoluntatem Dei, uidelicet, quod Deus uelit propter Christum, omnes in ipsum credentes perpetuo seruare, idq; nullo humanæ iusticiæ merito, sed mera & gratuita sua clementia & bonitate. Sunt & patriarchæ & prophetæ de hac dei uoluntate ab initio orbis terrarum contionati, non sunt autem id ex seipsis commenti, sed Christus patefecit eis, & de Christo locuti sunt. Reportantes, inquit Petrus, finem fidei uestræ, salutem animarum, de qua salute exquisierunt, & scrutati sunt prophetę qui de uentura in uos gratia uaticinati sunt, scrutantes ad quem aut cuiusmodi tẽporis articulum significaret, qui in illis erat SPIRITVS CHRISTI. Itaque solus Christus unigenitus Dei filius is est, qui & antea ꝑ Patriarchas & Prophetas patefecit nobis gratuitam Dei misericordiam, alioqui omni homini abscõditam, & postea homo factus, ꝑsonali sua ipsius prędicatiõe explanauit. Hęc, inqens, est uoluntas eius qui misit me patris, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam ęternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Et iterẽ. Sic Deus dilexit mũdum, ut filium suũ unigenitũ daret, ut oĩs qui credit in eũ, non pereat, sed habeat uitã æternam. Qui hanc uoluntatem Dei cognoscit, certe multo magis deum uidet, quam si uideret rubum Mosi, aut propitiatorium tabernaculi, aut Seraphim Esaię. Cũ igitur Christus filius Dei, patefecerit nobis hanc uoluntatem dei tam reuelationibus propheticis, quã sua ipsius prędicatione, rectissime dicitur, quod non solum persona sua, sed etiam uerbo prędicatiõis suę proposuerit nobis deum uisibilem. Quę cum ita se habeant, agitedum transferamus nunc hoc quod Euãgelista dicit, Deum nemo uidit unquam, Vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit, in uerę ac legitimum suum usum. Paucissima sunt uerba, sed epitome sunt totius E-

Euãgelion de Christo hominibus natura incognitum.

uangelij, & usus eorum latissime patet. Ac initio ueritas Christianæ religionis hoc dicto ita explicatur, ut interim omnes aliæ religiones refutentur, & impietatis atq; mendacij arguantur. Hoc eo diligentius considerandum est, quod ignari ueritatis soleant existimare unumquemque in sua religione seruari, si modo honestam ducat uitam. Non enim est ulla gens tam immansueta atque fera, quę non glorietur de deo, & iactet se uerum deum colere. Ethnicus dicit se credere in summum deum, omnia gubernantem. Iudęus ait se credere in Deum creatorem cœli & terrę. Turca affirmat se unum deũ colere et timere. Sed uanissimę horum iactationes omnes uno hoc dicto, Deum nemo uidit unquam. Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit, retunduntur. Qui enim aut ignorant, aut contemnunt & persequuntur Christum, hi nec possunt deum uidere, nec clementem & misericordem eius uoluntatem cognoscere. Solus enim Christus unigenitus filius, qui est in sinu patris, exposuit, & patefecit deum, ac uoluntatem dei. Et extra Christum, non est deus. Quare qui non agnoscit Christum, sed contemnit eum, is nullum habet deum, nec seruari potest, etiamsi alioqui sanctitate omniũ hominum prędituS esset. Accedit huc, q̃ hoc dicto omnes superstitiones, omnes ordines monastici, omnia missarum sacrificia in Christianismo, refutentur. Etsi enim hypocritę, monachi & sacrifices gloriantur non de deo tantum sed etiam de Christo filio dei, tamen quantum in ipsis est, abolent officium Christi, nec sinunt eum esse uerum Christum. Nam uerus Christus is est, per quem solum agnoscimus uoluntatem dei, alioqui incognitam, & per quem solum possumus uidere deum & accedere ad deũ alioqui inuisibilem & inaccessum. Verum item officiũ Christi est, quod propter ipsum solum habeamus remissionem peccatorum apud deum, & quod propter ipsum tantum consequamur ęternam fœlicitatem, per fidem. Hypocritę autem & monachi faciunt ex Christo deum ipsum inaccessum, ex Maria autem uirgine, ex sanctis demortuis, & ex bonis suis operibus, faciunt Christos, hoc est, tales per quos liceat accedere ad seuum illum, quem fingunt, & truculentum Christum, prius nobis inaccessum. Sentiunt enim se uel sanctorum uel suorum operum meritis impetrare à deo remissionem peccatorum & uitam sempiternam, Hęc est magna impietas, quæ & manifeste hic refutatur. Nemo enim unquam uidit deum. Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et alias, Scimus, inquit Ioannes, quod filius dei uenit, & dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum, qui uerus est, & sumus in uero, in filiò eius Iesu Christo. Hic est uerus deus & uita ęterna. Quid enim potes tibi de deo polliceri absq; Christo, filio eius? Accedendum est ad deum fide, & credendum est in De-

Christi officium aboletur hypocrisi.

1. Ioannis 5.

in deũ. Sed nisi in Christũ credideris, nõ potes inuenire deũ. Nõ em̃ est Deus absq; Christo. Credite mihi, inquit, q̃ ego in patre sum, & pater in me. Et iterꝝ. Nemo uenit ad patrẽ, nisi p̃ me. Si cognouissetis me, & patrem meũ utique cognoscetis. Accedendũ item est ad Deum oratione, & inuocandus est Deus per fidem. Sed nisi Christũ in oratione attuleris, Deus nequaq̃ te ad conspectum suum admittit. Si mãseritis, inquit, in me, & uerba mea in uobis manserint, quicquid uolueritis, petetis, & fiet uobis, quia sine me nihil potestis facere. Accedendum est etiam ad Deum bonis operibus, non q̃ mereamur aliqd humana iusticia coram Deo, sed q̃ obediendum sit uocationi Dei, & ambulandum in uia Dei, at nisi Christum non tam bonorum operum, q̃ totius salutis tuę autorem habueris, nullus patebit tibi accessus ad Deum. Necessarium enim est, ut ante cum Deo per Christum reconciliatus sis, q̃ Deo tua opera placeant. Si enim placent, propter Christum, propitiatorem, non propter tuam iustitiã placent. Postremo accedendum est ad Deum morte. At nisi Christus te comitetur, crassiores sunt tenebrę mortis, q̃ ut per eas ad splendorẽ diuinę lucis peruenire possis. Hęc certe oĩa uno hoc dicto continentur, Deum nemo uidit unquam. Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Quare memoria eius perpetuo nobis conseruanda est, ut ad uidendum Deũ, & ad consequendam uerã salutem, cognoscamus beneficium unigeniti filij Dei domini nostri Iesu Christi, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula Amen.

HOMILIA XIIII.

Vę hactenus ex Euãgelista Ioanne ab initio recitauimus & explicuimus, ea sunt epitome & compendium totius Euãgelij de dño nostro Iesu Christo. Verꝝ enim Euangelion de Iesu Christo hoc est, q̃ ipse sit uerus Deus, & uerus homo, ab æterno quidem Deus de deo patre genitus, in plenitudine aũt tẽporis, homo de muliere natus, quod oĩa per ipsum sint creata, quod nullus hoĩm nisi per ipsum seruetur, quod per solum ipsum cognoscamus deum, q̃ propter solum ipsum si crediderimus in eum, habeamus deum propitium, & consequamur iusticiã ac fœlicitatem. Hęc oĩa paucis quidem sed perspicuis uerbis, hactenus exposuit Ioannes. Nunc igitur, quod faustũ, fortunatũq; sit, accedit ad describendam historiam doctrinę, cõcionũ, & miraculorꝝ Iesu Christi, idq; in hũc, quẽadmodũ ipse fatetur, usum, ut credamus, q̃ Iesus sit Christus ille filius dei, & ut credentes uitam habeamus per nomen eius. Voluit aũt Christus inchoaturus prædicationẽ Euangelij sui ante innotescere mundo per testimoniũ seu conciões Ioannis Baptistę. In prophe-

Mala 3. & 4 ta em̃ dictũ est. Ecce ego mittã angelum meũ, & præparabit uiã ante faciem meã. Ac iterꝝ. Ecce ego mittã uobis Eliã prophetã antecꝗ ueniat dies Dñi magnus & horribilis. Hic angelus & Elias, est Ioãnes Baptista, quemadmodũ & Gabriel & Christus ipse interp̃tantur. Sed & Paulus de Ioanne Baptista in Antiochia Pisidiæ sic concionat. Deus

Acto. 13. adduxit Israeli è semine Dauidis, ita ut promiserat, seruatorẽ Iesum, cum ante p̃dicasset Ioannes ante faciẽ introitus eius baptismum pœnitentię Israeli. Quare Euangelista, recte atcꝗ ordine hoc facit, quod primum oim recitet testimoniũ Ioannis Baptistę de Iesu Christo, cu-
,, ius et antea mentionẽ fecerat. Et hoc (inqens) est testimoniũ Ioannis,
,, quando miserant Iudęi ab Hierosolymis sacerdotes & Leuitas, ut in-
,, terrogarent eũ, Tu qs es? Dignum aũt est, ut diligentissime obserue

Ioannis Baptistæ testimonium de Christo. tur testimoniũ Ioannis Baptistę, qppe cꝙ plurimum faciat, ad uerã cognitionẽ Iesu Christi, seruatoris nostri. In propheticis em̃ cõcionib. non solũ hoc extat, cꝙ Christus, uerus populi seruator sit uenturus in hunc mundũ, Sed etiã signa q̃dam & argumenta proponunt, quibus aĩaduerti potest, q̃ tẽpore sit expectandus. Ac prętęr alia, etiã hoc signum aduẽtus Christi traditũ fuit, cꝙ tunc Christus sit in propinquo, cum audiãt uocẽ clamantẽ in deserto, ut parẽt uiã Dño, hoc est, ut resipiscant, & excipiant Christũ obedienter. Sic em̃ in Esaia scriptũ est: Loquimini ad cor Hierusalẽ, & aduocate eã, qm̃ cõpleta est militia

Esai. 40. eius, dimissa est iniqtas illius. Suscepit de manu Dñi duplitia pro oĩbus pctis suis. Vox clamans in deserto. Parate uiã Dño, rectas facite in solitudine semitas dei nostri, hoc est, Tunc certi sitis, Messiã illũ, per quẽ dimittet iniquitas, & qui afferet oẽm consolationẽ & salutẽ, prope adesse, cum exortus fuerit concionator in deserto, qui uocet auditores ad pœnitentiã, ut suscipiant Dñm iam aduenientẽ. Hic aũt cõcionator & hęc uox clamans fuit Ioannes Baptista, quẽadmodũ res ipsa declarat, & postea explicabit. Quare dignissimum est, ut testimonium Baptistę magna obseruatione cõsideret, quo & cognoscat, nõ esse nobis alium Messiã, alium seruatorẽ expectandũ, cꝙ eum, quem nobis Baptista demõstrauit. Nihil quidẽ harꝝ rerꝝ, quę nobis de certitudine uerę religiõis tradunt, iucũdum est contẽptoribus pietatis. Hi mallent certitudinẽ diuitiarꝝ, & abundantiã uini ac frumẽti (Beatum em̃ populum dicunt, cui hęc sunt,) cꝙ certitudinẽ religionis, & abundantiã testimoniorꝝ de uero Christo ac seruatore nostro. Amatoribus autẽ pietatis cognitio testimonij Ioannis nõ solum est iucundissima, sed etiã utilissima, propterea cꝙ tanto certiores reddant de uero Messia & uera sua salute per Messiã, quanto clarius cognoscunt testimoniũ Baptistę. Quod igit attinet ad hãc Iudęorꝝ legationẽ, corã qua Baptista testificatus est de Iesu Christo, res ita sese habet. Postcꝙ hõ factus est ꝓpter pctũ obnoxius nõ solum oĩbus corporalib. affli

ctionib. & morti, uerꝫ etiam ꝑpetuę internitiõi, Promisit Deus ab initio orbis terrę Christũ filium suum, seruatorẽ. Et hęc promissio, quę diuinitus ad Patriarchas dicta fuit, illustrata est postea magis ac magis per prophetas. Porro, spũs sanctus nõ tm̃ reuelauit Christum seruatorẽ in hunc mundũ uenturꝫ, sed etiã indicauit manifesta q̃dam signa, quibus notari & aĩaduerti posset tẽpus, tẽpus inquã, aduentus huius seruatoris. In Gen. em̃ ca. 49. dicit, Non auferet sceptrꝫ de Iuda, & scriba de pedibus eius, donec ueniat Saluator, ad quẽ ꝑtinet iustificatio populorꝫ. Et in Daniele ca. ix. abbreuiant̃ ab exitu uerbi, hoc est, ab inchoatione ꝑdicationis ꝓphetarꝫ Aggęi & Zachariæ, q̃ facta est, anno secundo Darij Longimani, septuaginta hebdomades annorum, quę faciunt quadringentos nonaginta annos, usqꝫ ad Christum ducẽ & confirmationẽ pacti seu Euangelij eius. Quo aũt tẽpore Baptista ꝑdicabat pœnitentiã in deserto, ablatũ erat a Iuda, non regnũ tantum, sed etiã autoritas publici iudicij. Ad hæc, complebant̃ hebdomadę Danielis. Cum igit̃ Baptista initio natus esset magnis miraculis, deinde uir esset admirabili sanctitate illustris, ꝑterea haberet summã in toto populo autoritatẽ, ac institueret quoqꝫ nouũ sacramẽtũ religiõis, uidelicet baptismũ, existimauerũt Iudęi, ipsum esse uerꝫ illũ Messiã, qui ante ꝓmissus erat, et cõgregata synodo in Hierusalẽ, decernunt suffragijs suis Baptistã in Messiam eligendũ, si modo ipse cũ hac publica electione & sententia cõsentiat. Itaqꝫ miserũt ad ipsum legatos, nõ quosuis è media plebe, sed sacerdotes & Leuitas, qui professione sua erãt Pharisęi, & qui summũ autoritatis locũ obtinebant in populo, ut non solũ animũ eius cognoscerẽt, sed etiã certi aliquid statuerẽt. Meminit & Christus huius legationis postea, cum ait. Vos misistis ad Ioannẽ, & is testimoniũ reddidit ueritati. Et mox. Ille erat lucerna ardẽs, & lucẽs. Vos aũt uoluistis ad tẽpus exultare ĩ luce eius. Hęc est grauis rep̃hensio Iudęorꝫ, ac ꝑfecto merito rep̃hendẽdi sunt imperitię, & malitię in hac legatione. Etsi em̃ erãt Sacerdotes & Leuitę, adeoqꝫ Pharisęi, hoc est, duplici noĩe professores sacrarꝫ literarꝫ, tm̃ qa statuunt se Baptistã in Messiã electuros, & pro Messia habituros, perspicue significãt se aut nullã habere curã sacrę scripturę, aut non intelligere ueram scripturæ sententiam. Primum enim, manifestum erat Baptistam natum esse è genere Sacerdotali. Messias autem non erat promissus de Sacerdotibus, hoc est, de tribu Leui aut Aheronis, sed de tribu Iuda, seu Dauidis, nisi forte senserint etiam eos posse dici de familia Dauid, qui erant de familia Sacerdotum, propterea ꝙ hę familiæ cõiugijs inter se cõmixtę fuerunt, sed hoc magis argutũ erat, q̃ꝫ simplicitati scripturę cõueniens. Deinde, manifestum erat Baptistã in alio loco, q̃ in Bethlehem natum esse. De Messia aũt

decantatum & uulgatum erat è propheta Micha, q̃ nasciturus esset in Bethlehem. Quid ergo hac inscitia & incogitantia stupidius? Sed sic occæcari solent ij, qui neglecta uere sacra scriptura, conferunt se totos ad studium carnalis sapientiæ, & humanarum traditiõum. Quid autem dicam de impietate & malitia illorũ? Scriptura haud obscure significauit, Messiam uenturum, ut expiet peccata, & afferat iustitiã, hoc est, regnum Messię non fore corporale sed spirituale & cœleste. Consummabitur, inquit Daniel, prẽuaricatio, finem accipiet peccatum, delebitur iniquitas, & adducetur iusticia sempiterna, Et Esaias: Ipse, inquit, uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Iudęi aũt, & sacerdotes ac Pharisęi eorum, student cognoscere, num Baptista sit Messias, non ut per ipsum consequantur remissionem peccatorũ & iustitiam. Sed potius ut per ipsum excutiant a se iugum Romanorum prẽsidum, ac fiant domini huius mundi. Existimant eũ se sua industria posse parare sibi iustitiam, si modo habeant regna, diuitias, & fœlicitatem huius seculi. Hoc certe uulgare est ingeniũ hominum, quod magis quærant fœlicitatem huius seculi, quam ueram iusticiã, ac sentiant, se facile iustos fore, si modo consequantur diuitias & imperia. Det uitam (inquiũt) det opes, animum mi ęquum ipse parabo. Sed ut hęc opinio summa est stulticia, ita magna etiã est impietas. Nulla enim est certa & durabilis fœlicitas in hoc mundo. Nec Christus promissus est, ut afferat corporalia bona, & externã in hoc seculo fœlicitatem. Huc accedit, quod uera iustitia, quam isti putãt humana industria parabilem, sit cœleste donum Dei, quod non consequimur uiribus carnis, sed ex mera tantum misericordia dei, propter Iesum Christum, per fidem, quæ est opus Spiritus. Cum enim de uera iustitia loquimur, nõ est nobis sermo, de externa uitę honestate, sed de ea iustitia, qua cõstamus in iuditio dei, quæ est, solus Iesus Christus, Dominus noster, & remissio peccatorũ propter ipsum. Christus autem est Iudęis, hoc est, honestis & ijs qui uidentur sancti homines, offendiculum, Grẽcis uero, hoc est, sapientibus, stulticia. Quare ad hanc iustitiã consequẽdam impotentes sunt humanę uires, sed opus est spiritu sancto, qui ut datur nobis per Euãgelion Christi, ita maxima cura conseruandus est, quo et Christus, uera iusticia conseruetur. Iam, et hoc mihi considera, quod Iudęi trãsferant in Baptistam honorem Messię, quia uident in eo admirabilem uitę sanctitatem. Hoc enim est humanę seu cęcitatis seu impietatis ingenium, quod uel quę opera uident esse iusta, uel quas aflictioẽs uident esse graues, uel quos homines uident esse sanctos, ijs tribuant Messię honorem. Sentiunt enim iusta hominum opera, & graues eorum afflictiones esse expiationes peccatorum coram deo ac homines

Iustitia uera in iuditio dei quæ sit.

sanctos

ſanctos eſſe mediatores inter deum & peccatores. Hic eſt honor, qui ſoli Chriſto competit. Nihil autem magis impium eſt, q̃ quod ad ſolum Chriſtum pertinet, in homines, aut humana opera transferre. Quare, ut hypocritę q̃ confidunt ſua operum iuſtitia, & aliorum hominum ſanctitate, grauiſſime peccant, ita Iudæi, qui transferre ſtudent honorem Meſſiæ in Ioẽm Baptiſtam propter ſanctitatem eius, impiſſime errant. Sed dicamus nunc de teſtimonio Baptiſtæ. Et confeſſus eſt, & non negauit. Et confeſſus eſt, nõ ſum ego Chriſtus. Hoc ut breuiter ſimpliciterq̃ narratur, ita non eſt ſimpliciter prętereundum. Paucis enim uerbis maxima & excellentiſſima Baptiſtæ uirtus prædicatur. Nam legati Hieroſolymitani haud obſcure ſignificant, uniuerſum Iudaicum populum in eo eſſe, ut Baptiſtã eligant, ac habeant Meſſiam, ſi modo ipſe tãtam maieſtatem ſuſcipere uelit. Baptiſta aũt ingenue & publice confeſſus eſt ueritatem, ac perſpicue negauit ſe eſſe Chriſtum, nec potuit autoritate uel Concilij uel Legatorũ perpelli, ut maieſtatem Meſſię ultro delatam ſuſciperet. Hæc ueritatis, & conſtantiæ uirtus maior eſt, q̃ quæ uerbis digne explicari queat. Nam ut maieſtas Meſſię ita etiam ptãs eius prędicata eſt à prophetis longe omnium maxima in toto orbe terrarũ. Gloria, inqt pſalmus, & honore coronaſti eum. Conſtituiſti eũ ſuper opera manuũ tuarũ. Oĩa ſubieciſti ſub pedibus eius. Et iterũ. Dñabitur à mari uſq̃ ad mare, & a flumine uſq̃ ad terminos orbis terrarũ. Corã illo ꝓcident Æthiopes, & inimici eius terrã lingunt. Ac mox: Adorabunt eũ oẽs reges, oẽs gentes ſeruient ei. Quęſo te, quis unq̃ ſummorũ in terris monarcharum tantam habuit maiſtatem et poteſtatem, quantam in his locis ſpiritus ſanctus tribuit Meſſiæ? Cum igitur Ioannes Baptiſta recuſauit oblatum honorem Meſſiæ, quid, obſecro, aliud feciſſe uidetur, quam monarchiam non dico terræ tantum, ſed totius creaturæ, hoc eſt, ſummam rerum maieſtatem & fœlicitatẽ recuſaſſe? Huc accedit, q̃ penes hos, qui offerebant Baptiſtę honorem Meſſiæ, erat ſumma autoritas & poteſtas Iudęorum, q̃ tunc iudicabantur electus populus dei, ac periculoſiſſimum uidebatur tãtorum, uirorum autoritati & uoluntati obſiſtere. Quare, cum baptiſta palam negat ſe eſſe Chriſtum, & liberrime fatetur ſe non uelle honorem Meſſię in ſe transferre, q̃d tamen Iudæi maximo ſtudio contendebant, certe exponit ſe inuidiæ tam Põtificum, quam totius Iſraelitici uulgi. Itaq̃ ueritatis confeſſio conſtitit Ioannem Baptiſtam non ſolum priuatione dñationis totius creaturæ, ſed etiam periculo famæ & uitæ ſuę. Et tamen ut eſſet uerax & faceret ſuum offitium, maluit ſummũ honorẽ, ſummã in terris maieſtatẽ reijcere, & ſeſe difficillimis periculis obijcere, q̃ mendax fieri, & uocationẽ dei derelinq̃re. Hęc tãta fuit uirtus, ut Chriſtus ipſe com

Baptiſtæ conſtantia

mendet eam aliquoties pleno ore. Vos misistis, inquit, ad Ioannem, & is testimonium reddidit ueritati. Ille erat lucerna ardens & lucens. Ac rursus. Quid existis in desertũ, ut uideretis? num arundinem, q̃ agitatur uento? Immane, quantum nos ab hac uirtute absumus. Sunt enim, sunt proh dolor homines tam sordidi, qui propter unum & alterum numum non mendaces tantum, sed & peiuri fiãt. Et quanq̃ inueniantur aliquot generosioris ingenij homines, q̃ ut propter paucos quosdam numulos, aut propter mediocrem quendam honorem & dominationem ius uiolent, tamen si inuitentur spe magni lucri, ibi tum uideas eos omnem iusticiæ rationem posthabere, ac illud Eteoclis aut Iulij Cæsaris impudenter usurpare. Si uiolandum est ius, imperij gratia uiolandum est. Alijs rebus pietatem colas. Etsi autem hoc uitium ac scelus dignissimum est, quod copiosa & graui oratione reprehẽdatur, tamen quia in proposito insistendum nunc est, contenti erimus commemoratiõe unius dicti Christi. Sic enim ait. Quid prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, animæ uero suæ iacturam fecerit? Aut quid dabit homo, cuius permutatione redimat animam suam? Cain sperabat se fratricidio consecuturum dominationem totius terrę. Sed uide rei exitum. Cain uidetur quidem solus cum posteritate sua in orbe dominari, interim autem & ipse desperatus interit, & tota posteritas eius in diluuio miserrime suffocatur. Iulius Cæsar, cuius ante fecimus mentionẽ, lucratus est bello Monarchiam totius Romani Imperij. Sed tantam fecit animæ suę iacturam, ut paulo post a suis crudeliter confoderetur, & perpetua morte obrueretur. Quid igitur profuit ei tanta Monarchia, tot Romanorũ ciuium cedibus parta? Finge mihi Ioannem Baptistam affirmasse, se Christum esse, & hoc mendatio subiecisse imperio suo uniuersum Iudaicum populum, ac eiecisse Romanos presides è finibus Iudaicis, quid, obsecro, fuisset lucratus? Quid? Illi ipsi, qui nunc deferunt ei honorem Messiæ, paulo post trucidassent eum, si impiæ eorum uoluntati aliquando obstitisset, ipse autem perpetuo unà cum mendatio suo interijsset. Sed bene habet. Ioannes reputans secum, dominationem totius orbis terrarum non posse persoluere & compensare eum cœlestis fœlicitatis thesaurum, qui amittitur mendatio & impietate, constitit forti animo in confessione ueritatis, & consecutus est non solum maximam laudem, sed etiã summã in cœlo fœlicitatẽ propter Iesum Christum, quem cõfessus est. Quare expergiscamur exẽplo Ioannis ad fatendã ueritatem tã in confessione Christi, cũ in omnibus negotijs nostris, ut uerã & cœleste lucrũ consequamur. Sed pergamus ad reliqua. Et interrogauerunt eũ. Quid ergo? Elias es tu? Et dicit. Non sum. Ioannes non tm negat se esse Messiam, sed etiã Eliã. Quid ad hęc dicemus? Nã Ioannes uere est

Eteocles in Phœnissis Euripidis. Εἰ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ Τυραννίδος περὶ κάλλιστον ἀδικεῖν, τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρή.

re est Elias ille, de quo uaticinatus est propheta Malachias, cum ait. Ecce ego mittam uobis Eliam prophetam, antequam ueniat dies Domini magnus & horribilis & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres ipsorum. Hęc enim de Ioanne Baptista dicta esse, interpretatur primũ, angelus Gabriel, cum annunciaret cõceptionem Baptistæ apud Lucam, deinde & Christus ipse, cum ait. Si uultis recipere, ipse est Elias ille, qui uenturus erat. Et iterum. Dico uobis Eliam iam uenisse, & nõ agnouerunt eũ, sed fecerũt in eo, quęcunque uoluerunt. Cur igitur uerax ille & cõstans Ioannes negat hic coram legatis Concilij Hierosolymitani, se esse Eliam? Sed nullũ hic est mendatiũ, nulla responsionis uanitas in Ioanne. Legati enim interrogant de Elia Thesbita, qui sub rege Ahab in Israel uixit. Sentiebant enim Eliam illum Thesbiten, persona sua, prius igneo curru auectum, postea rediturum, ante messiam. Addunt & Iudæi, qui nunc sunt, aliam fabulam, quod is ille Elias adhuc semper pręsto adsit in circũcisione infantis. Quare ornant ei propriam sedem, quam interim dum circũcisio peragitur, nemo contingere audet. Hę sunt uanissimæ ac uere Iudaicę nugę. Nam quòd Malachias uaticinatur Eliam uenturum ante faciem Domini, nõ sentit Eliam Thesbitam, persona sua rediturum. Sed alium in uirtute & spiritu illius Elię uenturum, quemadmodum Gabriel apud Lucam interpretatur. Quare Ioannes, etsi intelligitur nomine Eliæ, in Malachia, tamen uere & recte negat se esse Eliam, illum uidelicet, de quo imperiti Legati interrogabant. Negat autem hoc, ne uideatur uanas Iudæorum nugas de Elia approbare. Docet igitur nos suo exemplo, ut non solum non mentiamur ipsi, uerumetiam ut nõ consentiamus alienis mendacijs, nec approbemus uana aliorum figmenta. Digni sunt morte, inquit Paulus, non solum, qui iniqua faciunt, uerumetiam qui assentiuntur facientibus. Sed legati pergũt interrogare Ioannẽ. Es tu Prophta? Et respondit. Non. Hic hęrere quispiam posset, & cogitare, quomodo Baptista neget se esse prophetam, cum Christus aliàs testetur eum non prophetã tantum, sed etiam pręstantiorẽ Propheta. Quid existis, inquiens, uidere? Num prophetam? Certe dico uobis excellentiorem propheta. Sed si cõsideraueris de quo aut quali propheta legati interrogẽt, non erit amplius, in quo hæreas. Sunt, qui sentiant legatos interrogare Ioannem, num sit prophera ille, de quo Mose scripsit. Prophetam, inquiens, de gẽte tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi dominus Deus tuus. Horum sententia non est absurda, & facit eam uerisimilem Iudęorũ imperitia in exponẽda sacra scriptura. Si enim legati de hoc Mosaico propheta interrogant, perspicue significãt, se nomine prophetę apud Mosen intelligere non Messiam seu Christum, sed alium quendã prophetam.

Ioannes est Elias.

Deuter. 18.

Ante enim interrogauerāt Ioannem, num esset Messias. Quod cum negauerit, & nunc interrogent, num sit propheta ille à Mose promissus, certe sentiunt Mosen de alio propheta, cp̃ de Messia uaticinari. Sed hæc est magna imperitia & cæcitas Iudæorum. Etsi enim alij exponunt hunc Mosi locum de Iosua, alij de Hieremia, alij de alijs prophetis, tamen perspicuum est ex ipsis uerbis Mosi, per hunc prophetam, intelligendum esse Christum, & utcunq; nugentur Iudæi, spiritus sanctus tamen manifeste per Apostolos, quorũ autoritas de cœlo confirmata est, interpretatur, cp̃ Mose de Christo sit locutus. Petrus in Actis Apostolicis ait, Mose ad patres dixit, Prophetam suscitabit uobis Dominus Deus uester de fratribus meis, mei similem. Audietis eum, iuxta omnia, quæcunq; locutus fuerit uobis. Futurum est autem, ut omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminetur è populo. Quin & omnes prophetæ à Samuele & deinceps, quot quot locuti sunt, etiam adnunciauerunt dies istos. Hactenus Petrus, qui manifeste indicat Mosen loqui de Christo. Idem etiam significat Stephanus in ea concione, quam habuit in concilio Pontificum. Quare ut Baptista respondet uere, se non esse prophetam illum Mosaicum, ita legati declarant perspicue, se longe à sententia Mosi, imo spiritus sancti aberrare. Quid si uero legati interrogent de propheta quodam à mortuis suscitato? Nam quemadmodum Iudæi de Iesu Christo, quem uidebant magnis miraculis illustrem esse, sentiebant, cp̃ esset propheta quispiam à mortuis resuscitatus. Alij em̃ dicebant, eum esse Eliam, alij Hieremiam, ita uerisimile est Iudæos sensisse Ioannem Baptistam, quem uidebant maxima uitę sanctitate prędituṁ, non esse prophetam recens natum, sed unum quempiam è ueteribus resuscitatum. Hic est error, quem confinxit humana curiositas. Solēt enim homines contemnere & fastidire pręsentes & uiuentes prophetas ac scripturas iam olim cōfirmatas, optare autem & expectare prophetas à mortuis suscitatos. Si quis (inquit diues apud Lucam) ex mortuis ierit ad eos, resipiscent. Sed Dominus Deus noster habet suum excitandi mortuos tempus, & iam ante excitauit à mortuis unigenitum filium suum, in quo etiam ad perpetuam fœlicitatem excitabit suo tempore omnes credentes in ipsum. Nec est nobis in hoc seculo expectandum, ut prophetæ & Apostoli olim mortui ad hanc corporalem uitam reuocentur, quo nos religionem doceant, Sed clementia & prouidentia Dei factum est, ut conciones eorum scriptis mandatę fuerint. Has si non audierimus, necq; si quis ex mortuis resurrexerit credemus, quemadmodum recte Abraham diuiti respondit. Cum igitur Iudæi impie errarent de prophetis à mortuis in hāc externam & corporalem uitam excitādis, Ioannes recte negat se talem esse prophetam, qua-

Messias propheta per Mosen promissus

Actorum 3.

Actorum 7.

Matth. 16.

phetam, qualem uidelicet legati intelligebant, nimirum, quendam ex ueteribus à mortuis resuscitatum. Sed ponamus legatos nec de Propheta Mosaico, nec de Propheta à mortuis resuscitato, sed de nouo quodam, nuper nato propheta interrogare, uidelicet, num Ioannes sit nouus quispiam Propheta, quales olim fuerunt Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, & alij, certe ne sic quidem Ioannes mēdaciter negat se esse Prophetam. Alius enim est ordo prophetarum, alius est ordo Apostolorum & Euangelistarum. Prophetæ dicuntur qui de Christo lōge post uenturo uaticinantur. Apostoli & Euangelistę proprie dicuntur, qui Christum iam pręsentem aut reuelatum adnunciant. Ioannes autem baptista primum tenet locum inter Apostolos & Euangelistas. Quare recte negat se esse Prophetam, ne si uocasset se Prophetam, Christus non adesse hoc tempore, sed adhuc longe abesse uideretur. Hoc enim pręcipuum Ioannis officiū fuit, ut testaretur, Christum iam uenisse, & pręsto adesse. Sic enim sequitur, Dixerunt ergo ei. Quis es, ut respōsum demus his, qui miserunt nos? Quid dicis de teipso? Ait. Ego uox clamantis in deserto. Dirigite uiam Domini, sicut dixit Esaias Propheta. Hęc est iterum ingenua ueritatis confessio. Quod autem Ioannes dicit, hanc habet sententiam. Esaias uaticinatus est, ꝙ in aduentu Messię, qui solus est cōsolatio populi, & per quem solū contingit nobis remissio iniquitatis, et liberatio ab oibus malis, uox sit clamatura, & concionator prędicaturus in deserto, ut populus resipiscat, & paret se ad suscipiendū Messiam seu Christū, non adhuc procul remotū, sed iam pręsentem. Nam spiritus sanctus tam sollicitus fuit de reuelando Christo & docenda salute nostra, ut non tantum promiserit, Christum uenturum, sed etiam constituerit & prędixerit certa signa, quibus notari posset tempus aduentus Christi. Inter hæc autē signa, illud haud quaq̄ postremū est, ꝙ iuxta Prophetā Esaiam eo tēpore, quo Christus in propinquo est, uox sit clamatura, hoc est, concionator sit docturus in deserto, qui ex uocatione diuina uocet homines ad pœnitentiam, & iubeat eos parare uiam, complanare montes & ualles, ut Christus tamdiu & tantopere expectatus, expedite aduenīat, & honorifice obuijs, quod aiunt, manibus excipiatur. Ego igitur (inqt Ioannes) nec sum Christus nec sum Elias Thesbites, nec sum Propheta ille Mosaicus, nec Propheta quispiam ex mortuis resuscitatus, nec ex ordine eorum Prophetarum, qui Christum adhuc delōge uenturum adnunciant, sed sum uox illa, sum concionator ille, quem Esaias dixit prędicaturum in deserto de Christo iam præsente. Quare hoc unum reliquum est, ut posthabitis omnibus alijs negocijs, ad cognoscendum & excipiendum uerum Christū, seruatorem nostum festinetis. Etsi aūt uox illa uidetur tyrannide Herodis sublata, tamen

Prophetarū & Apostolorum diuersi ordines.

crudelitas impij principis non potuit tantum efficere, ut non adhuc sonaret, idq; multo suauius, q̃ quondam uox sanguinis Abel. Hęc enim clamabat peccati uindictam, illa autem clamat peccati condonationem, quia ostendit Christum, uerum peccati condonatorem, hęc clamabat perpetuum interitum impij propter desperatiõem, illa autem clamat perpetuam salutem per pœnitentiam, hæc testificabatur certitudinem inferni propter impietatem, illa autem testificatur certitudinem cœlestis regni propter Christum. Audiamus igitur uocem illã, ut de uero seruatore nostro certiores facti resipiscamus, & salutẽ consequamur in Christo Iesu Domino nostro, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XV.

E longo uos procemio, amicissimi, teneam, protinus uerba ipsa Euangelistę, quę interpretanda suscepi, aggrediar. Et qui missi (inquit) fuerant, erant ex Pharisæis. Videtur quidem hoc interiectum, quasi nihil aut parum ad rem, quæ tractatur, pertinẽs, Sed si propius intuearis, nõ est temere & inconsiderate interpositum. Euangelista enim recitat hoc, ut tanto magis commendet fidem atq; constantiam Baptistę in dicenda ueritate, quanto maioris fuerunt autoritatis Legati. Nam Pharisęi in maxima erant apud Iudęos existimatiõe, ac uidebatur tota Iudęorum religio, Pharisęorum autoritate stare. Et tamen Ioannes Baptista, ne per tales quidem ac tantos uiros, moueri potuit, ut uel ueritatem negaret, uel delatum sibi honorem Messię susciperet. Recte igitur prędicat Christus Ioannem, q̃ nequaq̃ sit conferendus cum arundine, quæ uento agitatur. Sed interim Euangelista perstringit quoq; uana & superstituosa Iudæorum instituta. Hi enim Legati erant ex ordine Sacerdotũ & Leuitarum, quemadmodum supra dictum est, et hi ordines fuerũt diuinitus instituti, Sed his non contenti, contulerunt sese ad Pharisaicum ordinem, qui humana prudentia excogitatus erat, perinde ac si absoluissent iam omnia sacerdotalis & Leuitici ordinis officia. Quale exẽplum etiã Christiani aliquoties imitãtur, qui cum in baptismo susceperint professionẽ Christianismi, paulo post conferunt se ad ordines monasticos, quasi ordines monastici uel superent dignitate sua professionẽ Christianismi, uel sint cõpendiaria uia, qua perueniat ad Christianismi cõseruationẽ. Sed q̃d hac superstitiõe uanius? Putasne

Monastici & Pharisaici ordines.

diuina

diuina instituta conseruari nõ posse, nisi humanis inuentis fultiãtur? Diligentissime considerandum est, quod Christus apud Mattheum ad Pharisęos ait. Quare uos transgredimini pręceptũ Dei propter traditionem uestram? Et addit grauissimam contionem ex Esaia. Hypocritæ, inquiens, recte de uobis prędixit Esaias dicens. Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labijs me honorat, cæterum cor eorum procul abest à me, sed frustra me colunt, docentes doctrinas, pręcepta hominum. Ordines igitur Pharisaici & monastici, ab hominibus inuenti & instituti, non solum sunt, testimonio Christi, inutiles cultus Dei, uerumetiam impedimenta ad obediendum legi Dei, & ad faciendos ueros ac legitimos Dei cultus, tantum abest, ut conferant opem aliquam, ad obseruandam legem. Deinde, cum Euangelista dicit, legatos fuisse è Pharisæis, haud obscure reprehendit imperitiam eorum uirorum, qui uidebantur inter Iudæos esse doctissimi sacræ scripturę professores. Etsi enim Ioannes Baptista perspicue responderat ex Esaia se esse uocem clamantem in deserto, & hortantem, ut homines amplectantur fide sua Christum iam præsentem, ex quo responso, Pharisæi, si uere in scriptura eruditi fuissent, facile potuissent intelligere, cur, aut qua autoritate Ioannes baptisaret, tamen palam declarant, se diuinarum rerum imperitos esse, & pergunt interrogare, ac etiamnum exprobrare. Cur ergo, inquiunt, baptisas, si tu non es Christus, nec Elias, nec Propheta? Non fuit inusitatus apud Iudæos baptisandi, hoc est, lauandi ritus. In Marco dicitur. Pharisæi & omnes Iudæi, nisi crebro lauerint manus, non capiunt cibum, tenentes instituta maiorũ, et à foro uenientes, nisi loti fuerint, non comedũt. Mat. 7.
In Epistola quoq; ad Hebręos fit mentio ablucionum, hoc est, baptismatum, & iustificationum carnis, quæ usq; ad tempus correctionis imposita erãt. Hebræ. 9. Et in Nehemia dicitur. Non deponebamus uestimenta nostra, unusquisq; tantum nudabatur ad baptismum, uel ut alij legunt, Nullus, ne ad baptismum quidem deponebat uestimenta sua. Hebræ. 4. Et tamen, quod Ioannes faciebat, uidebatur pharisęis nouus ritus religionis, propterea q̃ hæc lauatio non fiebat priuatim, sed publice, accurrente maxima hominum multitudine non ad spectandam tantum, sed etiam ad suscipiendam lauationem, seu baptismum à Ioanne. Egressa est, inquit Mattheus, ad illum Hierosolyma, et tota Iudęa, totaq; regio undique finitima Iordani, & baptisabantur in Iordane ab illo, confitentes peccata sua. Dicunt ergo. Cur baptisas? cur instituis nouum ritum religionis? Nulli enim licet noua sacra instituere, nisi aut diuinitus uocato, aut, ut nos iudicamus, à summis nostris Pontificibus iusso. Prophetę sacrificarunt aliquoties in alijs locis, q̃ lex permittebat, sed hoc fecerunt singulari prærogatiua, & personali Dei

uocatione. Cum igit tu affirmas, te ne Prophetã quidẽ esse, qua fron te, qua impudentia audes noua sacra religionis instituere, cũ sciamus etiam, te nec hanc autoritatem à nostris Pontificibus accepisse? Itaq; quod facis, hoc nec diuina nec humana autoritate facis. Ac recte quidem sentiunt Pharisæi, q̃ nulli nisi diuinitus uocato, liceat nouum Dei cultum instituere, sed quod eandem potestatem tribuant etiam Pontificibus, ac sentiant eos posse pro sua uoluntate, absq; certo uerbo Dei, noua sacra instituere, hic demum est impius error. Etsi enim lex tribuit Sacerdoti iudicium inter sanguinem & sanguinem, inter lepram & non lepram, tamen non concedit ei abolere sacra diuinitus instituta, & noua sine certo uerbo Dei mandare. Nam lex diserte addit, Facies, quodcunq; docuerint te iuxta legem Domini, non ait, iuxta arbitrium ipsorum, sed iuxta legem Domini. Et alias. Quod pręcipio tibi, hoc tantum facias Domino, nec addas quicq̃ nec minuas. Ad Apostolos quoq; dicitur. Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, quorumcunq; retinueritis, retenta erunt, his autem uerbis non datur Apostolis libera potestas abolendi uerbi Dei pro suo arbitrio. Quod dico, inquit Christus, uobis in tenebris, dicite in luce, & quod in aurem auditis, prædicate in tectis. Non iubet eos prędicare, q̃d libet, sed quod ipse dixerit. Et iterẹ. Prędicate Euangelion omni creaturę. Non ait, prædicate somnia uestra. Ac rursus. Docentes eos seruare omnia, quęcunq; præcepi uobis. Quare Christus non tradit Apostolis, his uerbis, (quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis) liberam potestatem quodcunque pro sua libidine in Ecclesia constituendi aut abrogandi, sed mandat eis ministerium prędicandi Euangelij sui, quo remittuntur peccata his, qui credũt (Qui enim crediderit, inquit, & baptisatus fuerit, saluus erit) & retinentur his, qui non credunt. Qui enim non credit, condemnabitur. Quare longe errant, qui sentiunt Pontificibus cõcessam esse potestatem condendi sacra in Ecclesia populi Dei, pro sua uoluntate. Sed audiamus
» nunc quid Ioannes legatis responderit. Ego, inquit, baptiso aqua, sed
» in medio uestrum stat, quem uos nescitis. Ipse est, qui cum me seque-
» retur, antecessit me, cuius ego non sum dignus, ut soluam corrigiam
» calciamenti. Vide, obsecro, non solum quam mansuete, sed etiam quàm constanter ac fortiter Pharisæis respondeat Ioannes, Ego, inquiens, baptiso quidem aqua, non autem propria, sed aliena autoritate. Baptiso, ut seruus, ut minister. Non usurpaui mihi hanc potestatem temere, nec suscepi hoc officium, ut autor salutis, sed ut seruus saluatoris, non ut Messias, sed ut minister Messiæ. Nam qui est autor salutis, & uerus Messias, is etsi agit iam uitam inter uos, nondum tamen publice agnoscitur, nec est adhuc illustris doctrina & miraculis.

Pontificibus non licet noua sacra instituere.
Deuter. 17.

Veniet

Veniet quidem post me, hoc est, inchoabit posterior me officium suum prędicandi Euangelion & ędendi miracula. Sed fuit ante me, qa est uerbũ Dei, quod in principio erat apud Deum, & Deus erat uerbum, ideoq; tanta est autoritate, dignitate, maiestate & potestate prędictus, ut non sim dignus, qui soluã & purgem calciamenta eius. Hic initio q̃dam de baptismo Ioannis dicenda sunt. Quęrunt em̃ nonnulli, num baptismus Ioannis sit alius à baptismo Christi et Apostolorũ. Ac siquidẽ per baptismũ Christi intelligamus baptismũ ignis, quo apostoli in die Pentecostes baptisati sunt, tunc alius est baptismus Ioannis, alius Christi. Solus em̃ Christus est, qui baptisauit discipulos suos cœlesti igni, q̃ ornauit eos admirabilibus donis spiritussancti, quẽadmodum testant̃ Acta Apostolica. Si aũt uocauerimus baptismum Christi, eum baptismum, quo Christus iussit Apostolos suos baptisare oẽs gentes, et quo Ecclesia Christi adhuc utit̃, uteturq; usq; ad nouissimum diẽ, tunc idem est baptismus Ioannis, Christi, apostolorũ, & Ecclesię. Nam Ioannes fuit ex diuina uocatione primus minister eius baptismi, quẽ postea Christus mandauit distribuendum oibus gentibus, & quo Ecclesia adhuc, ex mãdato Christi utitur, unde & cognomen Baptistę reportauit. Hic em̃ baptismus cõstat aqua, Sic & Ioannes baptisabat aqua, hic baptismus distribuitur in noĩe Christi, ad remissionem pctõrum. Sic & Ioannes baptisabat in noĩe Christi, ad remissionem pctõrum. Prędicabat em̃ perspicue de Christo. Hic est agnus Dei, qui tollit pctũm mundi. Et Marcus dicit, Baptisabat Ioannes in deserto, prędicans baptismum pœnitentię in remissionem pctõrum. Ioannes fortassis non est usus hac loquendi forma: Baptiso te in noĩe patris & filij, & spiritus sancti, attamẽ, quia docuit remissionem pctõrum propter solũ Christum contingere, & abluit auditores sacramento baptismi, ut de promissa pctõrum remissione in Christo confirmarent̃, manifestum est, eum baptismũ non hoĩs, sed Dei patris & filij & spiritus sancti baptismum fuisse. Nã, cum dicit: Ego baptiso aqua, non est sentiendum, q̃ significet, suũ baptismum esse uilem, ac p̃ter aquã nil amplius habere, nec sordes mẽtium abluere, sed significat, se baptisare tm̃ ut ministrũ Messię, non ut Messiam ipsum. Quod enim attinet ad sacramẽtum baptismi, cum Ioannes baptisauerit in remissiõem pctõrum, quę habet̃ in Christo, certe baptismus ille non fuit tm̃ lauatio corporis, sed etiã animi. Et quod Paulus ait de apostolico baptismo, Christum sanctificasse Ecclesiã mundatã lauacro aquę per uerbum. Ac itemũ. Saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis, & renouationis spũs sancti. Et Petrus. Cuius figurę nunc respondens baptismus, nos quoq; saluos reddit, idẽ etiã merito dicendum est de baptismo Ioannis, propterea q̃ Ioannes baptisauerit auditores suos in noĩe agni Dei, tollentis pctũm mundi. Quare qui bapti

Baptismus Ioannis.

Baptistæ cognomen.

ſati fuerunt baptiſmo Ioannis, etſi non accipiebant eo baptiſmo admirabilia illa ſpiritus ſancti dona, qualia in die Pentecoſtes in Apoſtolos effuſa ſunt, Sicut nec hoc tempore ea accipimus, tñ quia baptiſati fuerunt in remiſſionem pctōrum propter Chriſtum, ſentiēdum eſt, eos uerę & Chriſtianum baptiſmum, qui eſt lauacrę regenerationis, accepiſſe. Sed in diſputatiōe de diſcrimine baptiſmi Ioannis & Chriſti, obijci ſolet illud, quod in Actis Apoſtolicis cap. xix. ſcriptum eſt. Cum cm̄ Paulus interrogaret Epheſios, num accepiſſent ſpūm ſanctum, & quo baptiſmo baptiſati eſſent, ac illi reſpondiſſent, ſe baptiſatos eſſe baptiſmo Ioannis, dicit ſcriptura eos poſtea baptiſatos eſſe in noīe Dñi Ieſu. Ex hoc loco aiunt manifeſtum eſſe diſcrimen inter baptiſmum Ioannis & Chriſti. Sed qui hoc ſentiunt, non uidentur diſerte de baptiſmo Chriſti loq. Multę em̄ ſunt ſpecies baptiſmi Chriſti. Vocat enim Chriſtus etiā paſſionem ſuam, baptiſmum. Poteſtis ne, inquit, baptiſari baptiſmate, quo ego baptiſor? Sed quantum ad inſtitutum noſtrę ſatis eſt, duplex eſt baptiſmus Chriſti, quemadmodum & ante commemorauimus. Alter eſt baptiſmus ignis, quo Chriſtus baptiſauit diſcipulos ſuos in die Pentecoſtes, & dedit eis publica & admiranda dona ſpūs ſancti. Inter hunc baptiſmū & Ioannis baptiſmum, magnum eſt diſcrimen. Ioannes em̄ nullum, inquiunt, ſignum ędidit. Itaq; etſi baptiſauit hoīes, tñ eo baptiſmo nō conferebantur talia dona ſpiritus ſancti in hoīes, qualia collata ſunt in diſcipulos Chriſti in die Pentecoſtes, dona uidelicet linguarum & ſanationum. Alter eſt baptiſmus aquę, q̄ Chriſtus ipſe in Iordane baptiſatus eſt, & quem iuſſit Apoſtolos ſuos circumferre per totum orbem terrę. Euntes, inquiens, docete oēs gentes, baptiſantes eos in noīe patris & filij & ſpiritus ſancti. Si ergo de hoc baptiſmo ſermo eſt, profecto nullum prorſus eſt diſcrimen inter baptiſmum Ioannis & Chriſti, id q̄d ſupra & aliās copioſe indicauimus. Cum igitur Epheſij dicūtur poſt baptiſma Ioannis, baptiſati eſſe in noīe Dñi Ieſu, nō eſt ſentiendū, q̄ baptiſati ſint iterę aqua, ſed q̄ baptiſati ſint igni, quēadmodū Apoſtoli in die Pentecoſtes, & acceperint admiranda dona ſpūs ſancti, id q̄d & Lucas ipſe haud obſcure ſignificat, cū addit: Cū impoſuiſſet illis manus Paulus, uenit ſpūs ſanctus ſup eos, & loquebant linguis & prophetabant. Atq; hęc quidē de baptiſmo Ioannis hoc loco ſatis dicta uidētur. Deinde, q̄d Ioannes de Chriſto ait. Qui cū me ſequeret, anteceſſit me, pauca quidē loqtur uerbis, ſed cōprehendit oīa ea, quę Euāgeliſta ante de Chriſto commemorauit, uidelicet, q̄ Chriſtus ſit uerbū dei, q̄ ſit uerus deus, ab ęterno à deo patre genitus. Hoc em̄ uere eſt antecedere non Ioannē tm̄, quo tñ inter natos mulierę nō eſt maior, ſed etiā oēs patriarchas & prophetas, nō tēpore tm̄, hoc enim parę eſt, ſed q̄d maxim eſt, dignitate. Hos aūt antecedere, eſt etiā oēs angelos antecedere, q̄ppe q̄ angeli ſint miniſtri patriarcharę, & ꝓphe-

tarę. Angelos aũt antecedere, q̃d aliud est, q̃ deũ ipsum esse? Quare manifestũ est Ioannẽ hoc loco, cũ ait: Antecessit me, tribuere Christo diuinã maiestatẽ. Postremo, q̃d addit, Cuius non sum dignus, ut soluã corrigiã calciamenti, monet unumquẽq̃, q̃uis excellentem, q̃uis magnũ in hoc seculo, ut non pudeat eũ etiã abiectissima officia Christo & Ecclesię eius prestare. Nam si Ioannes, quo non est maior inter natos mulierum, non arbitratur se dignum, qui procumbat, ut soluat aut purget calciamenta Christi, quis uel diues, uel sapiens, uel etiam Monarcha terrę p̃ponat se Ioanni, dignitate? Etsi enim regnũ Christi non est de hoc mundo, tamen cum Christus rex sit, & caput Ecclesię suę, habet etiã regnum suum in hac terra, quod est Ecclesia. In aula aũt huius regni non oẽs possunt esse Cancellarij, quos ita uocant, nõ oẽs magistri equitum, non oẽs magistri curię, quę sunt prę cipua principalis aulę officia, quales in Ecclesia dicere posses Apostolos, Euangelistas, Episcopos, ac etiã principes, & reges, qui sunt nutricij Ecclesię, Sed necesse est quosdam esse, qui soluant corrigiã calciamentorũ, qui purgent calceos, qui detrahant soccos, & faciant alia his similia officia, quę etsi uidentur uilia, tamen nullũ genus officij, quod Christo & Ecclesię eius prestatur, tã abiectum est, quod non iudicetur coram Deo excellentissimum & sanctissimum: Elegi, inquit psalmus, abiectus esse, in domo dei mei, q̃ habitare in tabernaculis pctõrum, hoc est, prestantius corã Deo officium iudicatur, esse ędituũ in Ecclesia piorũ, q̃ esse episcopũ aut regẽ inter impios. Et alias. Quicunque ad bibendum, inqt Christus, dederit uni ex pusillis his poculũ aquæ frigidę tm̃, noĩe discipuli, amen dico uobis, non perditurus est mercedẽ suã. Hoc, etsi abiectum uidetur officium, tm̃ quia Ioannes dicit, se non dignũ qui soluat calciamentum Christi, nullus certe inter monarchas huius terrę est, q̃ uere audeat se fateri dignũ, ut poculũ aquæ frigidę tm̃ prębeat discipulo Christi, quandoquidẽ Christus sibij̃psi fieri iudicat, q̃d hoĩes uni de minimis suis faciunt. Sed q̃d loẽs de seipso confitet, hoc non tm̃ monet, ut neminem in hac terra pudeat sua Christo & Ecclesię eius officia, q̃uis uideant abiecta, prestare, uerę etiã admonet nos, ut caueamus ab impia illa Sãctorũ inuocatiõe, qua plurimi faciũt ẽ sanctis in Christo quiescentibus deos auxiliares. Nã cũ loẽs sit maxĩus oĩm inter natos mulierũ, & ingenue confiteat se indigniorẽ esse, q̃ ut soluat corrigiã calciamẽti Christi, sentiendũ est, hãc esse cõfessionẽ oĩm sanctorũ patriarcharũ, pphetarũ, apostolorũ, martyrũ, et aliorũ piorũ, nõ tã adhuc in hoc seculo uiuentiũ, q̃ in Christo dormientiũ. Quęso igit̃ te, aĩaduerte mihi diligenter, q̃d Sanctus quispiã, in Christo quiescens quidẽ, à te aũt inuocatione tua, ut ita dicam, sollicitatus, respondeat. Quid enim facis? inquit: An nescis, me non esse dignum, qui soluam corrigiam calciamenti Christi? En hic

Regni Christi aula.

Sanctorum inuocatio.

pręsto adest Christus Dñs tuus. Cur igitur, hoc relicto, & posthabito, me inuocas? cur maiestatem huic soli debitã in me trãsfers? Putas ne me tam impudentem esse, qui hoc ęquo aĩo, Christo Dño & seruatore meo pręsente, uidente & audiente, ferre queam? Apage, hic non honor, sed contumelia est, quam totus, quantus, quãtus sum, horreo. Sed enim dices mihi. Non audeo prępctis meis ad tantam maiestatẽ accedere, et cum toties prouocauerim sceleribus meis Christum ad iram, te cupio aduocatum. O pręposterа uerecundia. Et hęc sane altera est contumelia. Existimas ne me Christo esse clementiorẽ? Scilicet, ego, qui fuerim hoĩm miserrimus, maiorem habeo uirtutẽ misericordię, ꝗ Christus Dñs meus. Quę est hęc tua insania? An nõ Christus in hunc usum uenit, ut tua sicut & mea pctã expiaret, ac deum patrem suum placaret? An non se tibi ipse aduocatum proponit? quin & iam nunc uide, ꝗ sedens ad dextram dei, pro te intercedat, ac te quoꝗ extenta manu ad se uocet, iubens ut confidenter ad thronum gratię accedas. Cum Christus adhuc uitã ageret humanã inter hoĩes, uocauit ad se oẽs afflictos, & promittit eis liberationẽ. Venite, inquiens, ad me oẽs, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Existimas ne eum nunc ad dextrã dei sedẽtem, & tã in cœlo ꝗ in terra dominantem huius uocis oblitũ esse? Clementior ne fuisset in infirmitate sua in terris, ꝗ nũc in maiestate sua in cœlis? Christus nõ est sicut homo uarij & mutabilis ingenij. Hi sunt hoĩm mores, ut cum extollunt in altum, obliuiscant pauperẹ. At non talis est Christus, qui quanto altior factus est, tanto propinqor, tantoꝗ clementior est oĩbus inuocantibus ipsum in ueritate. Ascẽdisti, inqt, in cœlum, cepisti captiuitatẽ. Quid ergo? num Christus sedet in cœlo ociosus, & in res humanas negligens? Minime oĩm. Sequitur em̃. Accepisti dona in hoĩbus. Ascendit em̃ Christus in cœlum, ut credẽtes in ipsum seruaret in oĩbus aduersis, & secum in cœlum eueheret. Dñs, inquit, in altis habitat, et humilia respicit in cœlo & in terra. Quid? cum dicit. Ego sum uia, ueritas & uita, patiet ne ęquo aĩo, ut aliã uiã sequaris, ꝗ seipsum? lubet quidem, ut fidem & bona exempla sanctorẹ suorẹ, qui in ipso obdormierũt, iuxta tuã uocationẽ sequaris, non potest aũt ferre, ut te inuocatione tua ad ipsos conuertas. Quare abijce hanc superstitiosam impietatẽ, & quem solum Sancti ipsi inuocarunt, in quemoꝗ solum confisi sunt, eum etiã tu reuerenter precibus tuis ex fide accedas, ut salutẽ consequaris. Cętera, nec hoc, quod sequitur, frustra ab Euãgelista adiectum est. Hęc in Bethabara facta sunt trans Iordanẽ, ubi Ioannes baptisabat. Meminit em̃ loci, in quo hęc gesta sunt, ut maior rei fides habeat. Sunt, q scribãt, hũc locũ postea tã celebrẽ factũ, ut mlti ad Christianismũ cõuersi, magnis itinerib. eo pfecti sint, q̃ ibi baptismũ susciperẽt. Nõ laudo eorẹ supstitionẽ, q senserũt baptismũ eo loci acceptum, me-

Hieronymus de locis hebraicis.

tum, meliorem & prestantiorē esse baptismo in sua regione & patria accepto. Sed eorum pietatem laudo, quibus uoluptati fuit, ea loca, in quibus & Ioannes baptisauit, & tam preclarum testimonium de Christo dixit, in quibus etiam Christus ipse baptisatus est, corā oculis suis intueri. Alij delectantur spectaculis chorearum, & ludorum, pius, etsi non nouit nunc Christum secundum carnem, tamen gaudet ea oculis cōtemplari, quę scit Christum seruatorem nostrum, cum adhuc in carne uersaretur, suis humanis oculis cōtemplatum esse. Et hęc minime sectatur, ut more hypocritarum his inhęreat, sed ut eorꝝ admonitione assurgat, ad quęrēdum superna, ubi Christus est ad dextram Dei sedens. Videre enim Iordanē, & lauari in eo, per se nihil magis prodest, cū in alio fluuio lauari, & quod ad hoc attinet, non omnino absurde dixit Naaman Syrus. Nunquid non meliores sunt Abana et Pharfar fluuij Damasci, oībus aquis Israel? Sed Christum uere cognoscere, in Christo delectari, in Christo spūali gaudio exultare, & uerbum Christi sectari, hęc demū uera est salus, & fœlicitas. Quare hoc unum nobis agendū est, ut quocunq; loco, quacunq; regione simus, inquiramus per fidem, oī, qua possumus, diligentia Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Baptismum in Bethabara accepit.

4. Reg. 5.

HOMILIA XVI.

DE agno Dei hodie nobis dicendum est, non de illo, quem hypocritę cæra expressum, & serico inclusum uel argento seu auro insculptum gestant, Sed de eo, quem Ioannes publico suo testimonio nobis cōmendauit. Nam, Ioannes ante significauit quidē in concionibus suis, Messiā seu Christum adueniſse, & prēsto adesse, nondū aūt noīatim indicauit, nec demonstrauit, quis inter hoīes esset Messias ille tamdiu & tantopere expectatus. Nunc ergo, o tempora longe oīm fœlicissima, Messias publice noīatur, & demonstratur, ut manifeste cognoscamus, in quo sit uera nostra salus quęrenda. Sic em̄ scribit Euāgelista. Postero die uidet Ioannes Iesum uenientē ad se, & ait: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Hoc est egregium illud, & obseruatione dignissimum testimonium, quod Ioannes de Iesu filio Marię publice dixit. Maiores nostri sępe ac multum iterarunt hanc uocem in sacris suis, ut esset uulgatissima & decantatissima. Nō approbo impietatē, qua monachi fœdarunt ecclesiastica sacra, sed laudo iuditiū maiorꝝ, q̄ tā p̄clare de hac Ioannis uoce senserint, et uoluerint eā Ecclesię notissimā esse. Pauca quidē uerba audis, sed sunt epitome et cōpendiū totius Euangelij de Iesu Christo, & patēt latissime.

Agnus Dei.

Primum enim, Ioannes indicat & testatur hoc dicto, quem hominum debeamus uerum Messiam, patriarchis promissum, & per prophetas adnunciatum habere, uidelicet, non alium, q̃ Iesum natum ex Maria uirgine, in ciuitatula Bethlehem, & postea crucifixũ pręside Pontio Pilato in urbe Hierusalem. Cum hoc Ioannis testimonio cõuenit & illud Petri, imo omnium Apostolorum, in die pentecostes. Certo sciat tota domus Israel, q̃ Dominum et Christũ fecerit Deus, hunc Iesum, quem uos crucifixistis. Vanissima igitur est spes Iudæorum, qua expectãt alium Messiam, eumq̃ externum Monarcham terrę, ut duplici errore cõdemnati pereant. Mendacissima etiam est gloriatio Mahumetis, quod successerit Iesu Christo, ut legem corrigeret. Non enim uenit Iesus Christus, ut legislator, & regnũ Christi, est regnum perpetuum, ut plane nullum habeat successorem, in regno suo. Deinde Ioannes interpretatur hoc dicto summa & prǫcipua sacrificia legis Mosaicæ. In hac enim lege institutum erat sacrificium agni paschalis, cuius sanguine postibus illito existimabant Iudæi sese tutos à Diabolo, & omnibus afflictionibus. Institutum etiam fuit quotidianum sacrificium duorum agnorum in holocaustum, alterum matutinum, alterum uespertinum. Et cum horum sanguis spargeretur per circuitum altaris, putabant Iudęi se ex eo sanctificatos, & à peccatis purgatos. Ioannes autem interpretatur hæc sacrificia, & manifeste dicit, Iesum esse agnum Dei, uerum pro peccatis holocaustũ, quod ante per illos agnos Mosaicos adumbratum fuit. Hic (inquiens) Iesus est agnus Dei, qui tollit peccatum mũdi. Hic ille est, de quo Esaias ait, Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrorum. Ac uetera illa agnorum sacrificia, bona quidem suo tempore fuerunt, non autem ex se, sed propter significationem. Non enim potest sanguis agnorum, taurorum & hircorum auferre peccata, hic autem agnus, qui est Iesus Christus, per agnos legis adumbratus, una pro peccatis oblata uictima, perfectos efficit in perpetuum eos, qui sanctificantur, quemadmodum Apostolus ad Hebræos scripsit. Quare hoc Ioannis dictum habendum est pro commentario omnium penè sacrificiorum, quę in lege Mosi usitata fuerunt. Huc accedit, q̃ Ioannes hac uoce non interpretatur tantum, sed etiam abrogat uetera sacrificia legis. Ostendit enim manifeste, uerum agnum iam adueniſſe, & prǫsto adesse. Quis ergo amplius usus esset agnorum illorũ umbraticorum? Hi agni erãt quidem in nocte legis loco lucernarum, quibus pij utcunq̃ uidebãt aliquam salutis suę rationem, sed ut orto sole, extingui solent lucernę noctis, ita lucescente iam Christo, uero sole, non amplius lucẽt agni, qui fuerunt legis lumina. Hęc umbra sunt, inquit Paulus, rerũ futurarum,

Exodi. 29.
Nume. 28.

rum, corpus autem Christi. Quare, cum corpus sit nūc perfectum & absolutum, necesse est, umbram non solum obscuratā, sed etiam prorsus deletam esse. Deinde Ioannes refutat hoc dicto omnem Pharisæorum & hypocritarum fiduciam, quam habent in merita suorum operum. Facienda quidem sunt bona opera, quæ deus præcepit, non autem sunt facienda, ut tollentia & expiantia peccatum, propterea ꝙ ut ab hominibus fiunt, non sint perfecte bona. Solus agnus Dei, qui est Iesus Christus, tollit, & expiat peccatum mundi. Quare ad cōsequendam peccati remissionem, necesse est, ut non confidamus nostra iustitia, sed ut confidamus solo Iesu Christo, seruatore nostro. Præterea, et si Missa Pontificia, quæ habetur pro expiatione peccati uiuorum & mortuorum, nondum fuit eo tempore, quo Ioannes in deserto prædicauit Euangelion, instituta, tamen tanta est autoritas huius dicti Ioannis de agno Dei, ut impiam Missam longe postea institutam & confirmatam damnet, & aboleat. Pontificij enim & monachi obseruant Missam, ut ex merito operis tollat peccatum mundi, hoc est, ut ipsi exponunt, tam uiuorum ꝗ mortuorum, & ut sit remedium aduersus omnes afflictiones. Ioannes autem de Iesu Christo concionatur, ꝙ is sit agnus tollens peccatum mūdi, uidelicet, non si sacrificetur in Missa pontificia, sed si semel in cruce sacrificatus, fide concipiatur. Qui enim edit (inquit) meam carnem, & bibit meum sanguinē, hoc est, qui credit meum corpus pro peccatis traditum, & sanguinem meum pro peccatis effusum, habet uitam æternam. Sentiamus igitur, ꝙ quo sæpius sacrificuli repetunt carmen de Agno Dei in Missa pontificia, eo frequentius dānent seipsos impietatis. Quod de abrogatione pontificiæ Missæ dictum est, hoc idem intelligendum erit de abrogatiōe omnium monasticorum ordinum. Existimant enim monachi, ꝙ horum operum merita tollant peccatum mundi: Ioannes aūt affirmat, ꝙ solus agnus Dei, qui est Iesus Christus tollat peccatum mundi. Vide ergo mihi rem admirabilem. Monachi & sacrificuli innumerabiliter iterant in sacris suis carmen de agno Dei, & tamen quo sæpius id decantant, eo frequentius clamant, sed ignari & nolentes, iustissimum & dignissimum esse, ut omnia Pontificia monasteria & collegia sacrificulorum, abrogentur & deuastentur. Quid autē multa? Hoc breue dictum Ioannis de Agno Dei refutat omnes uanas & falsas religiones Gentiū, Iudeorꝝ, qui nunc sunt, & Turcarꝝ. Horꝝ enim religio in eo consistit, ꝙ Deus placet meritis humanæ iustitiæ. Sed solus ille agnus, quē Ioannes p̄dicauit, & quē illi impie contemnunt, placat irā dei, & quēadmodū Ioannes loquitur: tollit pctūm mūdi. Quare hoc unū dictum euertit oēs aliarꝝ gentium superstitiones & impietates, docet autē nos ut breuissime, ita etiam clarissime ueram religionem & pietatem. Quod ut certius cognoscamus, agite, amicissimi, singula

Missa Pontificia abrogatur contione Ioannis Baptistæ de Agno DEI.

uerba paulo diligentius expendamus, Ecce, inquit, AGNVS DEI: Iesus Christus enim etsi assumpsit hominem, & natus est ex Maria homine, tamen dicitur dei agnus, primum ꝙ sit ęternus Dei filius, ac uerus Deus, deinde ꝙ sit conceptus homo à Maria uirgine, non de semine uiri, sed de spiritu sancto. Spiritus (inquit) sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Adhæc, ꝙ etsi sustinuit in hac carne humanas imbecillitates, tamen non fuit humanis peccatis sordidatus, sed omnibus Dei uirtutibus prędituS. Qui peccatum, inquit, non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Postremo, quòd quemadmodum agni Paschales, & agni ad quotidianum sacrificium deputati, non amplius hominum, sed Dei agni dicebantur, quippe quòd Deo offerendi erant, ita Iesus Christus, diuinitus ad sacrificium mortis ordinatus, ac Deo in altari crucis oblatus est. Optimo igitur iure, dicendus est, non hominum, sed Dei agnus. Deinde sequitur, QVI TOLLIT, hoc est, qui suscipit in se, qui fert, qui portat, qui sustinet & qui expiat peccatum mundi. Nam hoc illud est, quod Esaias de Christo cõcionatur. Posuit Dñs in eo iniquitatem oĩm nostrum. Et iterũ. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Dictum quidem est de agnis legis, qui offerebantur in holocaustum, ꝙ essent odor suauissimus Domino, & portarent ac expiarent peccatum hominum, hæc autem oblatio non fuit uera coram Deo expiatio, sed partim ciuilis tantum reconciliatio, partim futuræ ac reuelandę ueritatis significatio. Solus Iesus Christus agnus ille dei est, qui in holocaustũ oblatus, tam suauis odor Domino fuit, ut propter ipsum remittatur peccatum coram deo oĩbus credentibus in eum. Christus tradidit, inquit Paulus, semetipsum pro nobis oblationem ac uictimam Deo in odorem suauitatis. Ac omnes alij homines, peccato quidem obnoxij sunt, non possunt autem peccatum ferre aut portare, sed deprimuntur hoc grauissime onere, non tantum in mortẽ, sed etiam in infernum. Solus Iesus Christus, ut nõ est peccato obnoxius, ita potuit peccatum ferre & portare, quo uere coram Deo sic expiaretur, ut non solum non potuerit ipsum, sed nec ullum in ipsum credentem in morte & doloribus inferni detinere. Nam cum audis, Christum tollere peccatum, non est sentiendum, ꝙ Christus ita tollat peccatum, ut nõ amplius in hac mortali carne sentiamus. Manet enim actio peccati, in carne et sanguine, donec in hoc seculo uixerimus. Caro, inquit, concupiscit aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnẽ. Et iterum. Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum, nam legi Dei non subditur. Siquidem ne potest quidem. Sed ita tollit, primum, ꝙ suscepit in se supplicia peccati, & expiauit peccatum coram Deo, sanguine suo, atque placauit Deum. Itaque, etsi manent in pio reliquiæ peccati,

inter prætes trãstu lerunt aliquo ties φέρειν aliquoties ἄιρειν.

peccati, tamen reatus eius ſublatus eſt per Chriſtum, ut peccatum coram Deo non amplius imputetur. Donat enim Chriſtus credenti ſuam iuſtitiam, ut poſſit & debeat de ea in iuditio Dei non aliter gloriari, ꝗ ſi ipſe eam ſuis ipſius operibus perfeciſſet. Deinde, Chriſtus donat credentem ſpiritu ſancto, ut queat reliquias peccati compeſcere, ne regnent in mortali noſtro corpore. Preterea cũ aduenerit Chriſtus in maieſtate ſua, abolebit etiam peccatum in credentibus, non ſolum imputatione, ſed etiam reipſa, ut deinceps nullum ſentiatur peccatum, ſed ſit deus omnia in omnibus. Quare, tollere peccatum, ea eſt maieſtas, quæ ſoli Ieſu Chriſto uere cõpetit, & quæ in ſolo Ieſu Chriſto per fidem quærenda eſt. Cæterum, ꝗ Ioannes maluit dicere, Tollit PECCATVM, ꝗ PECCATA, non eſt ſentiendum, Chriſtum tollere tantum peccatum, ut uocant, originale, reliqua autem quæ uocant actualia peccata, noſtris ipſorum meritis tollenda eſſe. Nam peccati nomine comprehendit Ioannes omnia genera peccatorum. Chriſtus enim paſſus eſt non ſolum pro originali, ſed etiam pro actualibus peccatis. Ac uerum quidem eſt, ꝗ Chriſtus non maneat in his, qui ſecundum carnem uerſantur, & in quibus peccatum dominatur, attamen paſſus eſt etiam pro horum peccatis, & remittuntur eis peccata, propter Chriſtum, ſi reſipuerint. Suſcepit, inquit Propheta, de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Et apud Michæam. Proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra. Et ad Corinthios ſcribit Apoſtolus. Necꝫ ſcortatores, necꝫ cultores ſimulacrorum, necꝫ adulteri, necꝫ molles, necꝫ qui cõcumbunt cum maſculis, necꝫ fures, necꝫ auari, necꝫ ebrioſi, necꝫ maledici, necꝫ rapaces, regni Dei hæreditatem accipient. Hæc certe ſunt peccata, ut uocant, actualia, & fructus peccati originalis. Et tamen remiſſa ſunt reſipiſcentibus propter Chriſtum. Sequitur enim apud Paulum. Atꝫ hæc eratis quidam, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis per nomen Domini Ieſu, & per ſpiritum Dei noſtri. Huc facit, quod Ioannes in Epiſtola ſua ſcribit. Filioli mei, inquiens, ne peccetis, &, ſi quis peccauerit, aduocatum habemus, apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum. Hic manifeſte ſignificat, ꝗ propter Chriſtum contingat nobis remiſſio non ſolum originalis ſed etiam actualis peccati. Quare, cum Baptiſta dicit, Chriſtum tollere peccatum, complectitur uocabulo peccati, non unum tantum, ſed omnia peccati & iniquitatis genera. Iam, nec hoc oſcitanter prætereundum eſt, ꝗ addit, MVNDI, Qui tollit, inquiens, peccatum MVNDI. Docet enim Chriſtum tollere peccatum non ſolum Iudæorꝫ, ſed etiam Gentium. Chriſtus enim non pertinet tantum ad Iudęos, uerum etiam ad gentes, hoc eſt, ad totum mundum. Ipſe eſt, inquit, propitiatio pro peccatis no-

ſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Etſi enim non omnes hoīes in mundo accipiunt fructū paſſionis Chriſti, quia non credunt omnes in Chriſtum, tamen is fructus toti mundo ita expoſitus eſt, ut quicūq;, ſiue circumciſus, ſiue incircumciſus, ſiue rex, ſiue ſubulcus, ſiue honeſtus ſiue inhoneſtus, ſiue diues, ſiue pauper, ſiue ſanus ſiue ęgrotus, ſiue ſenex, ſiue adoleſcens, ſuſceperit Chriſtum per fidem, iuſtificetur coram Deo, & ſeruetur perpetua ſalute. Poſtremo, cum dicitur, q̃ Chriſtus tollat peccatum mundi, manifeſtum eſt, q̃ etiam tollat & auferat ea, quę propter peccatum intrauerunt in hunc mundum. Intrauerunt autē afflictiones, morbi, mors & infernus. Expiato igitur peccato per Chriſtum, neceſſe habent oīa mala propter peccatum exorta, ſeſe fuga è medio proripere. Quid ergo nunc horres ad grauitatē morbi? quid te affligit aſpectus mortis? Fateor, hęc apparent quidem adhuc terribilia, & formidabilia, Sed expiato peccato, nullam prorſus habent amplius uim nocendi. Ego ſum, inquit Chriſtus, reſurrectio et uita. Qui credit in me, etiāſi mortuus fuerit, uiuet, & oīs, qui uiuit & credit in me, non morietur in ęternum. Quare amplectamur fide noſtra hunc agnum dei, per quem tot cœleſtia beneficia accepimus, ut (quemadmodum liber Apocalypſeos loquitur) regat nos, & deducat ad uiuos fontes aquarum, & abſtergat omnem lachrymam ab oculis noſtris, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XVII.

Rauiſſimum eſt teſtimonium, quod Baptiſta de Ieſu filio Mariæ dixit, uidelicet, q̃ ſit agnus dei, qui tollit peccatum mundi, Sed non minus graue eſt, quod in eadem concione ſequitur. Hic eſt (inquit) de quo dicebam. Poſt me uenit uir, qui me anteceſſit, quia prior me erat. Si hæc uerba oſcitanter percurras, non uidētur ualde pręclara tribuere Ieſu filio Marię. Quid enim? an non multi fuerunt uiri in Iſrael, qui ut erant grandioris ętatis q̃ Ioannes Baptiſta, ita poſtq̃ Ioannes ab Herode occiſus fuit, honeſta officia in Iſrael adminiſtrarunt? Sed ſi diligenter ea expendas, & cum alijs teſtimonijs conferas, certe non poſſet Ieſu excellentior maieſtas tribui, q̃ hæc uerba ei tribuunt. Sentit enim Ioannes, q̃ Ieſus, quantum quidem ad functionem prædicandi Euangelij attinet, ſequatur ipſum. Sed is tamen ſit, quem non ſolum prophetæ uen

turum

turum adnunciaueruut, et Messiam uocârunt, sed etiam, qui sit uerus filius Dei, ab ęterno a' Deo patre suo genitus. Qua maiestate, quid potest pręclarius dici? Non dubito autem, quin nõnullis uideatur superuacaneum esse, si inter Christianos sollicite doceas & urgeas, ꝙ non sit alius Messias, q̃ Iesus filius Marię, quem Ioannes Baptista demonstrauit. Quid enim inter nos tam tritum, & tam celebratum est? Sed res ipsa declarat, nihil difficilius, nihilq̃ rarius esse, q̃ Iesum filium Marię agnoscere pro uero Messia, & in ea fide, in ueris tentationibus perdurare. Non ut hic sermo inter homines peruagatur, ita etiam a' quibusuis uera fide accipitur & conseruatur. Iudæi tot cladibus affecti, & tanto exilio afflicti, ne adhuc quidem agnoscunt hunc Iesum, uerum esse Messiam, sed alium expectant. Sarraceni existimãt Iesum uenisse, ut legislatorem, & cum sentiant legem eius grauiorem esse, q̃ ut homines ferre queant, receperunt, abiecto eo, Mahumetẽ, quem nunc & Turcæ agnoscunt. Nondum centum sunt anni, ꝙ expugnata sit Constantinopolis a' Turcis, quo factum est, ut iam maxima orbis pars, sectetur, contempto Iesu Christo, impietatem Mahumeticam. Quid autem dicam de illis ipsis, qui Christiano nomine appellantur? Inter hos enim, alij sunt hypocritę, ijq̃ innumerabiles, qui neglecto Iesu, uero Christo, tot Christos colunt, quot Sanctos inuocant, alij sunt conscelerati & impœnitẽtes, etiam ipsi innumerabiles, qui ne requirunt quidem hunc Iesum, sed pergunt pręfracte, posthabita omni cura religionis, in suis sceleribus. Detrahe nunc de tãta hominum summa, omnes Iudæos, omnes Sarracenos, omnes Turcas, omnes hypocritas & sceleratos inter Christianos, quota, quæso, orbis pars reliqua est, quę hunc Iesum agnoscit uerę suum Messiam & seruatorem? Quod cum ita se habeat, quis iudicaret, superuacaneum esse, sollicite docere & urgere, quod hic Iesus, solus sit uerus Messias et seruator noster, ut si non omnes, saltem pauci quidam uel ex impietate liberentur, uel in uera pietate conseruentur. Vides, quanta sollicitudine Ioannes Baptista, uir tantus, testetur de Iesu, ꝙ sit uerus Messias. Et quanq̃ Iesus eo tempore, quo Ioannes testimonium de ipso dixit, nondum fuerit glorificatus, tamen tanta est nunc inscitia & oscitantia, etiam eorum, qui uidentur sibi esse frequentes uerbi Dei auditores, ut non minus post glorificationem necessarium sit diligenter urgere & explicare hunc Iesum solum esse uerum Messiam & seruatorem nostrum, nec in alio quærendam esse cœlestem salutem. Sed, ut ad institutum reuertamur, quis, obsecro, Ioannem docuit, hunc Iesum, esse uerum Messiam? a' quo hoc didicit? quis ipsum de hoc certiorem reddidit? Sequitur. Et ego nesciebam eum, Sed ut manifestus fiat Israeli, propterea ueni ego aqua baptisans. Quod Ioan-

IESVM pro Messia agnoscere, rarum.

nes dicit, hanc habet sententiam. Equidem nesciebã ipse initio, hunc Iesum esse Messiam, nec potui hoc certo adsequi humana prudentia, & carnali coniectura, sed didici hoc diuina reuelatione & cœlesti testimonio. Hic cogitabit mihi quispiam, quid sibi uelit Ioannes, ꝙ dicat se ignorasse hunc Iesum esse uerum Messiam, sed cognouisse illud cœlesti oraculo, in baptismo, quemadmodum postea magis perspicue sequitur, cum tamen agnouerit eum in utero matris suę: Spiritu sancto, inquit Gabriel, replebitur iam inde ab utero matris suę. Et Elizabeth ait, ad Mariam: Ecce, ut facta est uox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio infans in utero meo. Huc accedit, ꝙ fieri certe non potuerit, quin cum optimi & pijssimi parentes Zacharias & Elizabeth educauerint filiolum suum Ioannem, significauerint ei miracula, quæ in conceptione & natiuitate ipsius contigerunt, & recitauerint ei oraculum Gabrielis, adhęc, exultationem ipsius, in utero matris, cum Maria mater Iesu in domum eorum uenisset, ex quibus profecto facile potuit Ioannes cognoscere, hunc Iesum, filium Mariæ, esse uerum Messiam, præsertim cum Iesus etiam propter cognationem non fuerit ei ignotus. Quid ergo est, quod ait: Nesciebam eum, & postea: Non noueram eum? Hic nobis considerandum uenit, ꝙ aliud sit dubitanter, aliud firma persuasione, & πληροφορίᾳ spiritus quidpiam cognoscere. Non em̃ dubitandum est, quin Ioannes audiuerit ex parentibus suis, quę gesta essent de ipso & Iesu filio Marię, in cõceptione & natiuitate ipsorum, ex quibus uerisimile est eum in hanc uenisse opinionem, ꝙ cogitauerit quidẽ Iesum esse uerũ Messiam, sed id nondum firmum tenuerit. Caro enim offensa humilitate Iesu, reclamabat huic opinioni. Nam Iesus ducebat ab adolescẽtia uitam obscuram, sectabatur opificium non admodum excellens. Vnde et apud Marcum uocant eum τέκτονα, hoc est, fabrum, nec transfigebat ætatem suam in illustri aliquo uitæ genere, ut Pharisaico, aut eremitico, sed agebat populariter, adeoqꝫ humilitas Iesu non uidebatur respondere amplitudini & maiestati, quam prophetæ tribuebant Messiæ. Itaqꝫ Ioannes ab initio ex dictis parentum sic sensit Iesum esse Messiam, ut tamen nondum in ea opinione satis certo & confirmato animo cõstiterit. Etsi enim repletus fuit spiritu sancto ab utero matris, iuxta dictum Gabrielis, tamen cum hic ingenue fateatur, Et ego nesciebam eum, perspicuum est, ꝙ Gabriel loquatur non de eo dono spiritus sancti, quo Ioannes postea certo cognouit Iesum esse uerum Messiam, sed partim de illo dono, quo Ioãnes adhuc embryon, & rerum per se ignarus, exultaturus esset in utero matris, partim de eo, quo Ioannes ab infantia crescebat & corroborabatur, donec uenire dies, quo ostendendus erat apud Israelitas, ut Lucas ait: Quare,

cum in-

cum inquit, Ego nesciebam eum, non negat se nullo modo cogitasse hunc Iesum esse uerum Messiam (id enim non potuit ei esse ignotū, priuata parentum indicatione, & multis alijs coniecturis) sed significat quod uel in hac opinione nondum fuerit propter abiectionem Iesu, animo bene confirmato, uel nondum cognouerit hoc, ut publicus testis. Nam in teste fide digno & publica autoritate prædito, requiritur, ut recitet ea, non quæ ex alienis narrationibus audiuit, sed quę ipse coram oculis uidit, & reipsa probe ac certo cognouit. Pluris, inquiunt, est oculatus testis unus, quàm auriti decem. Et, Oculis magis habenda est fides, quàm auribus. Ioannes autem audiuerat quidem ex parentibus suis, cum quorum narratione conueniebant etiam aliæ coniecturæ, hunc Iesum esse Messiam, Sed nondum erat cœlesti oraculo uocatus, aut confirmatus, ut esset publicus huius rei testis, donec factum est uerbum Domini ad ipsum, in deserto. Itaq; ut maxime hoc sciuerit priuata quadam cognitione, nondum tamen sciuit, publica reuelatione. Videamus igitur nunc seu reuelationem, seu uocationem, qua Ioannes non solum hausit πληροφορίαν suam de Iesu Christo, sed etiam diuinitus designatus est, ut publicum de ipso testimonium diceret. Vt manifestus, inquit, fiat Israeli, propterea ueni ego aqua baptisans. Et testificatus est Ioannes dicens: Vidi spiritum descendentem specie columbæ de cœlo, & mansit super eum, & ego non noueram eum, Sed qui misit me, ut baptisarem aqua, is mihi dixit. Super quem uideris spiritum descendentem, ac manentem super eum, hic est, qui baptisat spiritu sancto. Et ego uidi, & testatus sum, hunc esse filium Dei. Hæc, ut recte intelligamus, primum omnium considerandum est, quod Ioannes Baptista non semper prædicauit & baptisauit, ab ineunte ætate, Sed erat, inquit Lucas, in desertis, donec ueniret dies, quo ostendendus erat apud Israelitas. Anno igitur imperij Cæsaris Tiberij decimo quinto, Pontio Pilato præside Iudææ, Pontificibus Anna & Caiapha, factum est uerbum Domini in deserto ad Ioānem, anno uidelicet ætatis eius tricesimo, quo uerbo iussus est diuinitus, ut baptisaret aqua, hoc est, ut prædicaret pœnitentiam ad consequendam remissionem peccatorum in Messia, & institueret baptismum aquæ, ut quod uerbo prædicabatur, sacramento confirmaretur. Hæc est cœlestis uocatio Ioannis, in qua duo pręcipue reuelata sunt Ioanni. Alterum, quod certo iam aduenerit & præsto adsit uerus Messias. Alterum, quod is sit uerus Messias, super quem uisurus sit spiritum sanctum. De priori illo prius etiam dicamus. Ioannes enim non simpliciter uocatus est ad prædicandum baptismum pœnitentiæ, sed ut hoc ministerio testa-

ὠτίων πιστότεροι ὀφθαλμοί.

Ioannis Baptistæ uocatio.

retur Messiam iam adesse, & coniungeret ei homines, quo consequerentur per ipsum ueram salutem: Vt manifestus, inquit, fiat Israeli, propterea ueni ego aqua baptisans. Baptiso, non quod ego sim uerus Messias, & autor salutis, sed ut hoc meo ministerio reuelem uerum Messiam, & inseram homines Messiæ, tanquam membra capiti suo, quo unum corpus cum ipso fiant, & ueram in ipso fœlicitatem habeant. Hic nobis discendus est legitimus usus prædicationis Euangelij & baptismi, cuius Ioannes primus fuit, in aduentu Christi, minister. Nam prædicatio Euangelij & baptismus, ac etiam cœna Dominica, etsi necessaria sunt in Ecclesia, & habent magnas utilitates, tamen sicut Ioannes non fuit Messias ipse, sed tantum Messiæ testis & minister, ita hæc non sunt salus ipsa, sed tantum salutis nostræ ministeria, non in hoc instituta & ordinata, ut accipiamus tantum baptismum & cœnam Domini, & audiamus tantum Euangelion, sed ut Messias manifestetur Israeli, hoc est, ut per illa organa uerum Messiam fide cognoscamus, in fide confirmemur, & uocationem eius per fidem sectemur. Hæc est uita æterna, inquit, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti, Iesum Christum. Cum quondam Iudei audirent ex prophetis, fore, ut urbs Hierusalem propter impietatem populi deuastaretur, gloriabantur de templo suo. Existimabant enim impossibile esse, ut ea urbs solo æquaretur, in qua esset templũ diuinitus institutum, & in qua fierent sacra à Deo ordinata. Sed audiunt. Nolite confidere in uerbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini. Sed bonas facite uias uestras & studia uestra, & habitabo in isto loco. Tẽplum enim Dñi suum quidem usum habebat, non autem erat salus ipsa, sed tantum locus, in quo uera salutis uia discenda & cognoscenda erat. Quare, qui derelicta aut contempta uera pietatis cognitione & obseruatione, sectabatur impietatem, huic intantum nihil proderat templum, ut potius esset testimonium damnationis eius. Eodem modo prædicatio Euangelij de Christo, baptismus, & cœna Dominica, magna sunt dona Dei, & Ecclesiæ necessaria, Sed si quis neglecta uera cognitione Christi per fidem, & abiecta obedientia uerbi Dei, quo nos hæc uocant, sectetur cupiditates carnis suæ, & glorietur interim de Euangelio Christi & sacramentis eius, aduersus incursiones uel Satanicas uel Turcicas, is certe tm̃ abest, ut seruetur, ut eo horribilioribus afflictionibus obnũciatur, quo impurius tantis donis Dei abutitur. Quæso te, num sufficit ad consequendam uictoriam, domi habere multa arma reposita, aut etiam, indutum esse armis, interim tamen nec manus nec

Sacramenta nõ sunt salus, sed salutis organa.

nus nec pedes aduersus hostem mouere? hoc profecto non esset victoriam ex hoste reportare, sed potius se hosti uictum & captiuum offerre. Multo stultiores hi sunt, qui cum habeant Euangelion Christi, & accipiant sacramenta eius, non tamen hoc agunt, ut recte his utantur, hoc est, ut Christus ipsis sit manifestus, ac ut Christi sectentur uocationem. Quare enitendum & elaborandum est, ut quæ sunt ministeria salutis, non fiant nostro uitio organa interniti onis. Sed ut ad institutum reuertamur, habes Ioanni, cum ad baptisandum diuinitus uocaretur, reuelatum fuisse, quod Messias iam certo aduenerit. In hoc enim missus fuit Ioannes, ut doctrina & baptismo suo testaretur Messiam præsto adesse, & remissionem peccatorum per ipsum contingere. Videamus nunc quo signo & miraculo diuinum oraculum certiorem redderit Ioannem, quis hominum sit uerus Messias. Qui misit me, inquit, ut baptisarem aqua, is mihi dixit. Super quem uideris spiritum descendentem, ac manentem super eum, hic est qui baptisat spiritu sancto. Et ego VIDI, & testificor hunc esse filium Dei. Quid ergo uidit Ioannes? Vidi (inquit) spiritum descendentem specie columbæ de cœlo, & mansit super eum, nimirum, Iesum illum, quem dixi agnum esse Dei, qui tollat peccatum mundi. Perquiramus igitur, ubi Ioannes hoc spectaculum, cuius nunc mentionem facit, uiderit. Apud Matthæum, quo cum conueniunt & Marcus & Lucas, scriptum est, quod Iesus uenerit a' Galilæa ad Iordanem, ad Ioannem, ut baptisaretur ab illo, & quod Ioannes prohibuerit eum, dicens: Mihi opus est, ut abs te baptiser, & tu uenis ad me? Ergo'ne, inquies, Ioannes certus fuit hunc Iesum esse uerum Messiam, etiam priusquam uidit spiritum descendentem super ipsum? nam spiritus tum demum super Iesum descendit, cum iam a' Ioanne baptisatus esset, ut mox sequitur. Ostendimus supra, Ioannem percepisse quidem ab ineunte ætate, quid in conceptione & natiuitate tum ipsius tum Iesu filij Mariæ factum esset, ex quo potuerit conijcere Iesum esse uerum Messiam, sed nondum fuisse publice uocatum, ut de illo testaretur & concionaretur. Cum autem nunc ferat de Iesu publicum testimonium, ac manifeste testetur ipsum esse Messiam, cum dicit, Mihi opus est, ut abs te baptiser, & tu uenis ad me? & tamen nondum uiderit spectaculum spūs descendentis super ipsum, non dubito, quin spūs sanctus, accedente Iesu ad Ioannem, & petente baptismum, reuelauerit ei, hunc Iesum, illū ipsum esse, in quo uisurus sit spectaculum

antea promissum, & de quo testari atque concionari debeat, quòd sit
1. Regum 9. uerus Messias. Non dissimile est, quod de Samuele in unctione Saulis & Dauidis scriptum est. Nam cum Samueli diuinitus mandatum esset, ut nouum regem in Israel ungeret, reuelauit Dominus auriculam Samuelis ante unam diem, quàm ueniret Saul, dicens. Hac ipsa hora quæ nunc est, cras, mittam uirum ad te de terra Beniamin, & unges eum ducem super populum meum Israel. Cum igitur Saul uenisset, & Samuel aspexisset eum, dixit Dominus ad Samuelem, Ecce uir, quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo. Idem etiam contigit Samueli in unctione Dauidis. Postquam enim Dauid con-
1 Regum 16. stitutus esset in oculis Samuelis, dixit Dominus ad Samuelem: Surge & unge eum. Multo autem maior, multo excellentior unctio agitur in baptismo Iesu Christi, quàm in unctione Saulis & Dauidis. Quare uerisimile est, quòd cum Iesus accederet ad Ioannem, spiritus sanctus excitauerit Ioannem, & dixerit ei, Surge: En hic est uir ille, super quem uidebis spiritum descendentem, Hunc amplectere & uenerare. Itaque factum est, ut Ioannes recusauerit initio se baptisaturum Iesum, Sed Iesus uolens omnem iustitiam implere, & nihil eorum omittere, quæ ad salutem nostram pertinerent, uoluit etiam baptismum suscipere, non quòd ipse indigeret baptismo, sed ut ministerium baptismi suo exemplo confirmaret, atque sanctificaret. Hic ergo audi mihi stupenda miracula. Postquam enim Iesus baptisatus esset à Ioanne, & ascenderet ex aqua, primum uidit Ioannes cœlum diffindi. Deinde uidit spiritum sanctum corporali specie, quasi columbam, descendere super Iesum. Postremo audit uocem de cœlo, quæ diceret: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Hoc est admirabile illud spectaculum, quo Iesus unctus est de cœlo in Messiam, & quo Ioannes plerophorian consecutus est, quòd non alius, præter hunc solum Iesum, uerus sit Messias. Ego, inquit, Vidi, nimirum, his meis oculis, idcirco possum certissime testari hunc Iesum esse filium Dei, ac uerum Messiam. Non sum talis testis, qui ab alijs audita & narrata referam, sed qui testificer ea, quæ his meis oculis uidi, ac reipsa perspexi. Non auritus tantum, sed etiam oculatus testis sum. Nec quicquam potest esse hoc testimonio certius. Audiamus igitur quæ nobis in hoc spectaculo obseruanda ueniant. Non inuestigabimus autem nunc curiose de columba, in cuius specie spiritus sanctus apparuit. Manifestum enim est, quòd spiritus sanctus non sic induerit columbam, quemadmodum filius Dei induit hominem, sed quòd columba fuerit tantum manifestum signum præsentiæ spiritus sancti. Ac potuisset quidem spiritus sanctus

presentiam su-

præsentiam suã alio signo & miraculo testari, quemadmodum in die Pentecostes reuelauit se linguis igneis, sed quia maluit nunc, in specie columbæ, quam iam ante iudicauit auem mundam, & aptam ad diuina sacrificia, apparere, uoluntas eius, summa nobis sit ratio & autoritas. Primum ergo reuelatur & confirmatur hic, quod in Christiana doctrina de tribus personis in una diuina essentia traditur. Reuelatur enim pater uoce, filius carne, spiritus sanctus columba. Hic est unus Deus rerum omnium creator & administrator. Veneremur ergo unum Deum in trinitate, & trinitatem in unitate, neq; confundentes personas, neq; separantes substantiam, quemadmodum Athanasius loquitur. Deinde in hoc spectaculo confirmatur, quod Iesus uerus sit Messias & filius Dei, nec sit in alio quoquam salus querenda. Hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi cõplacitum est. Omnes alios homines uidi peccatores, & filios Satanę. Hunc solum hominem uideo uere meum filium, & mihi ita acceptum, ut quicunque in ipsum credat, adoptetur & ipse in meum filium, & fiat hæres omnium cœlestium bonorum. Quare, qui seruari cupit, is complectatur hunc fide sua, & certissima erit salus. Cæterum, diuinum oraculum non solum dicit de Iesu, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, uerumetiam ait. Hic est qui baptisat spiritu sancto. Quid ergo dicemus? Num Ioannes, Apostoli, & ministri Ecclesiæ, cum distribuunt baptismum aquæ, non baptisant spiritu sancto? certe hoc loco manifeste probatur, quod in baptismo aquæ sit pater, filius, & spiritus sanctus, ac postea Christus ipse iubens Apostolos baptisare, dicit, Baptisantes in nomine patris & filij & spiritus sancti. An nõ Paulus ait: Quicunq; baptisati estis, Christum induistis? Christum autem induere, profecto est perfundi donis spiritus sancti. Et qui baptisantur, accipiunt remissionem peccatorum, per fidem, propter Christum. Remissio autem peccatorum, est donum spiritus sancti. Quare perspicuum est, quod qui accipit baptismum aquæ ex fide, à ministro Ecclesię, hic baptisetur etiam per ministrum Ecclesiæ spiritu sancto. Sed cum hic dicitur, Iesum baptisare spiritu sancto, intelligendum est de baptismo ignis in die Pentecostes, quo Christus effudit publice nomine suo in discipulos suos admiranda dona spiritus sancti, & quo testatus est, se solum esse autorem salutis, propter quem sua spiritus sancti dona conferantur credentibus, in baptismo aquæ. Vnde & Ioannes alias dixit: Ego quidem baptiso uos aqua, ille autem baptisabit uos spiritu sancto, hoc est, ego minister tantum sum salutis, ille autem Iesus, est magister & autor salutis, id quod testabitur magno illo & excellenti miraculo, quo baptisabit in nomine suo apostolos igni in die Pente-

Deus unus personæ tres

Baptismus aquæ est etiam baptismo spiritus.

costes, & ornabit eos admirandis donis spiritus sancti. Sic enim Christus ipse in Actis Apostolicis interpretatus est, Ioannes, inquiens, baptisauit aqua, uos autē baptisabimini spiritu sancto post dies hosce non multos. Et mox: Accipietis uirtutem, posteaquam spiritus sanctus aduenerit super uos, & eritis mihi testes, usq; ad extrema terræ. Hæc manifeste dicuntur, de admirandis illis donis, quæ spiritus sanctus, nomine Christi, in Apostolos in die Pentecostes contulit. Quare, cum diuinum oraculum hoc loco dicit, Iesum baptisare spiritu sancto, non abiicit ministerium Ioannis & Apostolorum, sed commendat magisterium & autoritatem Iesu, uidelicet, quod is solus uerus sit Christus, qui Ioannis & Apostolorum ministerio sua det incrementa. Huc etiam facit, quod additur, Spiritum mansisse super Iesum. Et mansit (inquit) super eum. Non enim intelligendum est, columbam in cuius specie spiritus apparuit, ita sedisse in humeris Christi, ut Christus eam semper circumtulerit, nec est sentiendum, q̃ Christus ante caruerit spiritu sancto. Nam quod ad diuinam eius naturam attinet, unus est Deus cum spiritu sancto. Quod autem attinet ad humanam naturam, conceptus est ex spiritu sancto, & profecit, ut ætate, ita & sapientia & gratia spiritus sancti apud Deum & apud homines. Sed quod dicitur, Spiritum sanctum descendisse & mansisse super Iesum, significat Iesum ante quidem adhuc obscurum, in baptismo autem, publico spiritus sancti miraculo declaratum esse, quod sit uerus Messias, & quod ab eo tempore debeat officium Messiæ, prædicatione Euangelij, & ædendis miraculis inchoare, ac in eo fœliciter pergere, donec opus, quod peragendū suscepit, absoluat. Nam, quēadmodum Dauid unctus quidem erat in adolescentia à Samuele in regem, nondum tamē administrabat regnum, donec ungeretur post mortem Saulis, à uiris Iuda, & postea à Senioribus Israel, ita et Iesus, ut iuxta diuinam naturam est ab æterno uerus filius Dei, ita iuxta humanam naturam fuit ab initio conceptionis & natiuitatis suę uerus Messias. Natus est, inqt angelus, uobis hodie seruator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid, non statim tamen administrauit officium Messiæ publica prædicatione & miraculis, sed tunc primum hanc administrationem & functionem suscepit, cum baptisaretur à Ioanne, et declararetur cœlesti uoce, ac manifesto spiritus sancti miraculo, uerus Messias. Nec suscepit eam inchoandam tantum, sed etiā perficiendam, imo retinendam perpetuo. Spiritus Domini, inquit, super me,, eo quod unxerit me, ad euangelisandum pauperibus misit me, ut mederer contritis corde, prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionē. Nā ab eo tempore quo baptisatus est cœpit Iesus prędicare Euangelion suū, deinde ędidit magna et prędara miracula, ad

Actorum 1.

1 Regum 15.

2. Reg. 2. et 5

racula, ad confirmandam Euangelij sui autoritatem, postea tradidit se captiuum, non Iudæis tantũ, sed & cruci & morti (pertinebat enim & hoc ad officium Messiæ, ut peccata nostra per crucem & mortem expiarentur) deinde resurrexit a' mortuis, ascẽdit in cœlum, misit spiritum sanctum discipulis, sedet ad dextram Dei, & dominatur ut omnipotenter, ita & perpetuo in regno cœlesti. Hoc uere est spiritum manere super Iesum. Cum igitur is solus Iesus, declaratus sit publice uerus Messias, & spiritus ita super eum manserit, ut officium Messiæ fœlicissime absoluerit, ac perpetuo etiamnum retineat, nequaq; sentiendum est, q̃ spiritus, derelicto Iesu, transtulerit maiestatem Messiæ uel in Pontificem Romanum, uel in nebulonem illum Mahumetem, sed q̃ Iesus perpetuo maneat uerus Messias, ut nos credentes in illum, & iusti reputati propter illũ, uindicemur ab interitu ad sempiternam salutem, gratia & misericordia illius, qui est Dominus & seruator noster, unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XVIII.

ON sum ignarus, q̃q; odiosa sit humanę curiositati iteratio, & q̃q; grata atq; iucunda sit nouitas, ac uarietas. Sed qui sunt pietatis studiosi, hi ueritate magis q̃ uarietate delectantur. Nulla, inquiũt, est sacietas rerum honestarum, & bis ac ter, quod pulchrum est, imo bis ac ter, quod uerũ est. Quid enim ueritate pulchrius? Quare, etsi testimonium Ioannis de Iesu q̃d sequitur, idem plane est, cum eo, quod ante explicuimus, tamen quia uerum est, & cognitu necessarium, summa nobis obseruatione excipiendum erit. Ioannes, uir tantus, non grauatur idem discipulis repetere, non grauemur igitur nos idem iterum audire. Euangelista autem sic scribit: Postero die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, & intuitus Iesum ambulantem, dicit: Ecce agnus ille Dei. Habes plane eandem concionem, quę & supra dicta est. Repetit autem eam Ioannes non tam ut excitet discipulos ab ignauia & stupore, nihil enim stupidius est humano ingenio ad conseruandã ueram pietatis doctrinam, q̃q; ut repetitione significet hoc testimonium de Iesu, non esse temere ipsi in ore natum, aut somnio cõceptum, sed certissimum ac uerissimum esse. Ac uidetur quidẽ hęc contiuncula de Iesu, si uerba numeraueris, parui esse momenti. Sed si sententiam expendas, ut est concio uerissima, ita fuit etiam Ioanni corã hoĩbus periculosissima. Ostendimus enim ante, q̃ hæc concio de Iesu, sit epitome totius Euangelij de remissione peccatorum propter Christum,

& cp sit abrogatio omnium sacrificiorꝝ, quę in lege Mosi instituta fuerunt. Non est igitur dubium, quin Ioannes hac una uoce, quasi bellicum, non inter Pontifices & sacrificulos tantum, sed etiam inter sapientes quoscp Iudæos, adeocp in uulgo ipso, cecinerit. Pontifices enim & sacrificuli alebantur ac sustentabantur sacrificijs, quorum tanta offerebatur copia, ut ex ijs non solum famem depellerent, uerumetiam magnum uitæ splendorem consequerentur. Quid ergo mirum, si ad hanc uocem exclamarint, Ioannem habere dæmonium, quippe qui abroget sanctissima sacrificia, quæ Deus ipse instituerit? Nam si Iesus ille faber, portat peccatum mundi, quid opus est sacrificijs? Quid autem sapientes? Si hæc Ioannis concio, quam habet de Iesu, uera est, quis deinceps dabit operam honestis moribus? quis studebit sacris? Nam si unus ille homo portat peccatum, quis se affliget benefaciendo? & quid opus erit, multum sumptum facere, ad expianda peccata? Crede saltem in agnum illum Dei, & habebis continuo peccati remissionem. Quare sapientibus uisa est hæc concio, non solum abrogatio ciuilis honestatis, sed etiam deuastatio totius religionis suæ. Quod cum ita fuerit, quis non intelligit, quòd hæc concio constiterit Ioannem maximo uitæ suæ periculo? Iam, considera etiam mihi, quantam aliarum rerum suarum iacturam fecerit Ioannes hac una concione. Nam Ioannes ipse habebatur Messias, hoc est, agnus Dei, qui tolleret peccatum mundi. Hanc maiestatem, qua non est ulla maior, transfert Ioannes hac uoce à se, in Iesum, & omnino hoc agit, ut non ipse, sed Iesus, agnoscatur uerus Messias. Quid autem hoc aliud est, cp facere iacturam regni cœli & terræ? Rex quispiam huius terrę maximo damno se obijcere uidetur, si alteri cedat è maiestate & potẽtia sua regia, atcp se illi seruum subijciat. Multo certe maius iudicari potest, quòd Ioannes cedat alteri è maiestate Messiæ, qua nulla potest esse illustrior. Habes cp periculosa fuerit Ioanni hæc concio corã hominibus. Et tamen necessario dicenda erat. Hæc enim fuit uocatio Ioannis, & ad hoc missus erat diuinitus, ut testaretur de uero Messia. Moneo igitur te, ne omittas necessarium tuum officium facere, propter pericula, nec auertant te pericula, ab ea uocatione, ad quam sectandam diuinitus ordinatus es. Non iniquum quidem est, uitare pericula, si id abscp præuaricatione diuinæ uocationis fieri queat. Sed si res ita sese tulerit, ut aut pericula subeunda sint, aut uocatio Dei derelinquenda, & aduersus Deum peccandum, tunc uocatio Dei, nulla periculorum ratione habita, sectanda est. Nam si metuendum est periculum, certe plus cauendum est maius cp minus. Nullum autem maius est periculum, cp uocationem Dei derelinquere, & aduersus Deum peccare. In alijs periculis amittitur fama nominis, amittũtur opes & digni-

Pericula uitãda, sed nõ est peccandum.

& dignitates, amittitur aliquocies uita corporis. In peccato autem amittitur ſalus tam corporis quam animę, amittitur Deus ipſe, hoc eſt, omnium bonorum theſaurus. Ne metuatis uobis, inquit Chriſtus, ab his, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed metuite magis illum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehenna. Quid ergo? inquis. Exponam ne me manifeſto periculo, ut tẽtem Dominum Deum meum? Audi igitur uiciſſim. Deus non tẽtatur, ſi ſuſcipiantur pericula ex ipſius uocatione. Tentatur quidem, ſi temere expoſueris te periculis, abſque certa eius uocatione. Si autem Deus id iuſſerit, non iam eſt tentatio, ſed obedientia deo debita. Iſrahelitæ non tẽtabant deum, ſed obediebant deo, cum ingrediebantur in aquas maris rubri. Quia deus id iuſſerat. Apoſtoli nõ tentabant deũ, ſed obediebant deo, cum prędicatione Euangelij exponebant uitam ſuam manifeſtis periculis, quia uocati erant ad prędicandum Euangelion. Martyres confitentes periculo capitis ſui Chriſtum, non tentabant deum ſed obſequebantur deo, quippe qui mandauit, ut in Chriſtum corde credamus, et ipſum ore confiteamur. Itaque quod Ioannes Baptiſta fecit, non fuit tentatio dei, ſed obedientia, ad quam diuino mandato uocatus fuerat. Nec eſt, quod in his periculis, ad quę ſubeunda Deus te uocat, pereas. Quem enim deus ad pericula uocat, eum etiam in periculis ex fide ſuſceptis conſeruat. Non priuabit, inquit, bonis eos, qui ambulant in innocentia Dñs Zebaoth, beatus homo, qui ſperat in te. Et, Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione dei cœli cõmorabitur. Ac mox, Cadẽt a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Quare multo magis eligendũ eſt ut periculoſe, quam ut impie facias, quod illud habeat cõſeruatorem deum, hoc autem afferat ſecum extremam & perpetuam internitionem. Sed redeamus ad Euangeliſtam, qui ſic ſcribere pergit. Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum. Conuerſus autem Ieſus, & conſpicatus eos, ſequẽtes ſe, dicit eis, quid quęritis? Qui dixerunt ei: Rabbi, quod dicitur, ſi interpreteris, Magiſter, ubi habitas? Dicit eis. Venite, & uidete. Venerunt, uideruntque, ubi maneret, & apud eum manſerunt die illo. Hora autẽ erat ferme decima. Principio cognoſcendum eſt, qui fuerint hi diſcipuli, de quibus hic fit mentio. Non enim fruſtra hoc inquiritur, quemadmodum poſtea audiemus. Manifeſtum autem eſt, quod alter fuerit Andreas frater Simonis Petri, ut mox ſequitur, alterius uero nomen, & ſi hoc loco non extat, tamen quia Euangeliſta meminit tam diligenter circumſtantiæ temporis (Erat, inquiens, hora ferme decima) apparet ipſum Ioannem, qui hæc conſcripſit, eum fuiſſe diſcipulum, qui cum Andrea contionem Baptiſtæ de Ieſu, audiuerit, &

Pſalm. 83

Pſalm. 90

interfuerit. Deinde uides Iesum hoc loco manifestum dare specimen officij Messię. De Messia enim scriptum est apud Esaiam. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. In ueritate educet iudicium. Non erit tristis, neq; tumultuosus, hoc est, non erit erga miseros inhumanus, durus, crudelis, & plagosus, sed benignus, clemens, aditu facilis, tranquillus & placidus. Alij reges apparent terribiles & formidabiles. Sedent in ferocibus equis, circundantur magna satellitum caterua, ut non possint adiri. In Persia ne licebat quidem miseris regem uidere. Occulebatur enim sub specie maiestatis. Capitale quoque erat, in conspectum regis non uocatum penetrare, quemadmodum historia Esther docet. Hic autem rex Iesus Christus, ecce uenit tibi mansuetus, ut propheta ait, sedens in asina, ideoque facillimus est aditu, & complectitur quosuis obuios humanissime. Quid queritis? dicit ad hos discipulos. Cur non propius acceditis? Et cum interrogarent ubi diuerteret, non repellit eos duriter, sed inuitat ipsos clementissime. Venite, inquiens, & uidete. Si libet uobis mecum esse, en ego me totum uobis expono. Nec id uerbis tãtum polliceor, sed uere etiam prestabo. Venite igitur, & re ipsa probate. Quid hac mansuetudine humanius? Habeant igitur alij Monarchę suas maiestates, nos inherebimus huic Monarchæ, Iesu Christo Domino nostro, ut ueram & perpetuam salutem in ipso consequamur. Deinde hęc tam diligenter scripta sunt, ut commendetur nobis autoritas & testimonium Apostolorum. Nam qui discipuli hic recitantur, hi postea electi sunt in Apostolos, ut testarentur de doctrina & miraculis Iesu, quibus comprobaretur eum uerum esse Messiam. Ad offitium autem testium fide dignorũ pertinet, ut commemorent, non ab alijs audita, & per famam tantum cognita, sed à se ipsis uisa, comperta, & probe perspecta. Quod cum in examinandis testibus rerum ciuiliũ diligenter obseruetur, multo magis in testibus agnoscendę & constituendę religionis obseruandum erit. Quod enim maius, quod excellentius est negotium, Religione? Quid debet in his terris certius, quid probatius esse, quam Religio? Hęc enim, si uera est, seruat cultores suos, a perpetuo interitu, et affert eis cœlestem ac sempiternam salutem. Si autem falsa est, abducit cultores suos ad extremam interitionem. Necesse igitur est, ut certissimis ac firmissimis testimonijs comprobetur, quę sit uera religio, ne pro uera, falsam amplectamur, & pereamus. Porro, Apostoli, qui in hunc usum electi sunt, ut essent testes Iesu Christi, in quem credere, sola uera est religio, eas habent proprietates, quas homines in testibus fide dignis exigunt. Non enim fuerunt ex eorum numero, qui audiuerunt tantũ ea, quę ab alijs de Iesu Christo narrabantur, sed fuerunt ipsi spectatores omnium re-

Esai. 42.

Reges mũdani aditu difficiles.

Christus rex aditu facilis

Testium fide dignorũ offitium.

Religio certa esse debet.

Apostolorum testimonium.

rum

rum geſtarum, iam inde ab initio baptiſmi Ioannis. Hoc enim pertinere ad apoſtolicam autoritatē, ſignificat Petrus cum ait. Oportet, ut ex ijs uiris, qui nobiſcum uerſati ſunt Toto Tempore, quo dominus Ieſus perpetuam uitę conſuetudinē egit nobiſcum, exorſus a baptiſmo Ioannis, ad eum uſque diem, quo receptus eſt a nobis, unus quiſpiam conſtituatur, qui ſit una nobiſcum teſtis reſurrectionis eius. Dicit & alias Petrus, quod Apoſtoli ea teſtificentur, non quæ audiuerunt ab alijs narrari, ſed quę ipſi coram uiderunt & probe cognouerunt. Non poſſumus, inquiens, non loqui, quæ uidimus & audiuimus. Et Ioannes Euangeliſta. Quod audiuimus, inquit, quod uidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtrę contrectauerunt, hoc teſtamur & adnunciamus uobis. Cum igitur hoc loco deſcribatur, quod hi diſcipuli, qui poſtea in Apoſtolos electi ſunt, fuerint auditores Ioannis Baptiſtę, & didicerint ex doctrina eius Ieſum Chriſtum agnoſcere, ac poſtea ſecuti ſint Chriſtum, non eſt oſcitanter prętereundum, ſed diligentiſſime conſiderandum, quod hic commemoratur, ut tanto magis in fide Ieſu Chriſti confirmemur, quanto certiora ſunt teſtimonia Apoſtolorum de Chriſto. Apage nunc, cum dijs gentium. Hi enim nulla prorſus habent certa & firma teſtimonia, quod ueri ſint dij, imo certa extant teſtimonia, quod fuerint quondam homines, humana ſuperſtitione in deos conſecrati. Quare non eſt mirum, quod maieſtas illorum ficticiorum deorum, potentia Euangelij Chriſti ita euanuerit, uix ut nomina eorum reliqua ſint. Apage etiam cum impio Mahumete, & magis impia ſua religione. Hic enim Mahumetes nec habet diuina, nec humana, quæ quidem certa & fide digna ſint, teſtimonia. Suo tantū teſtimonio ſe laudat, & quod affirmat, id nec miraculis, nec alijs certis argumētis cōfirmat. Sed potius ſignificat ſe à Satana excitatum, ut nouo commēto ueterem eamq; uerā & certo probatam religionem aboleret. Fugiamus igitur Mahumeticam impietatem, deteſtemur Satanicam illam religionem, ne quis ab ea ſeductus inęternum pereat. Apage quoq; cum Monaſtica ſuperſtitione. Hæc enim excogitata eſt, prætextu quidem Apoſtolici teſtimonij, ſed reuera contra Apoſtolicam doctrinam. Apoſtoli enim teſtati ſunt Ieſum eſſe uerum Chriſtum, & ſolius Chriſti maieſtatem eſſe, peccata expiare, & deum placare. Monaſtica aūt ſuperſtitio docet merita humanę iuſtitię expiare peccata, & placare deum. Quæ doctrina pugnat ex diametro cum teſtimonio Apoſtolorum. Quare, caueamus ab omnibus illis religionibus, quæ nulla habent certa & firma teſtimonia, amplectamur autem ſolam eam religionem, quæ conſtat Apoſtolico eoque firmiſſimo teſtimonio, de Ieſu Chriſto, ut ex fide Chriſti iuſtificati, ueram ſalutem habeamus. Cæterum, nec

Act. 4.

1. Ioannis 1.

Dij gentium euanuerunt

Mahumetes, non habet teſtimonia ſuæ doctrinæ

Monaſtica religio

hoc ociosum est, quod additur, fuisse horam ferme decimam, hoc est, uesperum diei. Si enim simplicem sensum consideraueris, meminit Euangelista circumstantię temporis, ut hoc argumento significet, ea quæ hic gesta narrantur, tam diligenter ab ipso obseruata esse, ut etiam tempus ipsum adnotarit, ideoq; uerissima esse. Si arridet allegoria, ut discipuli uenerunt ad Iesum & didicerunt ipsum esse Messiam, uesperi, quæ pars est nouissima diei, ita mysterium salutis nostrę, quod erat tacitum ęternis temporibus, reuelatum & patefactũ est nouissimis temporibus, propter nos, ut fidẽ ac spem habeamus erga Deũ, propter Christum filium eius. Si autem libet hic aliquam uirtutis speciem discere, commendatur sobrietas, & monemur exemplo horum discipulorum, ut & nos sectemur sobrietatem, ad discendam ueram Euangelij doctrinam. Alij enim homines solent uesperi sectari conuiuia, & studere ebrietati, quo fit, ut nullam habeant rationem pię doctrinę. Hi autem discipuli etiam uesperi sobrij sunt, & tempus quod alij impendunt conuiuijs, impendunt ipsi audiendo Euangelio Christi. Magna hæc uirtus est, & ad imitandum proposita, ut non tm̃ una aut altera horula, sed mane et uesperi, interdiu et noctu meditemur sobrij in lege DOMINI. De hac autem re admonuisse nunc satis
» » est. Transeamus igitur ad reliqua. Erat Andreas frater Simonis Petri
» » unus ex duobus qui audierant a Ioanne, & secuti fuerant eum. Reperit hic prior fratrem suum Simonem, & dicit ei Inuenimus Messiam,
» » quod est, si interpreteris, Christus. Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus
» » eũ Iesus, dixit. Tu es Simon filius Iona, Tu uocaberis Cephas, q̃d in-
» » terpretatur, Petrus. Hic initio considerandum est, quanto amore flagret Andreas, in fratrem suum Simonem Petrum. Non est cõtentus, quod agnouerit Messiam, hoc est, summum bonum, sed accelerat & properat, ut quicquid hoc est boni impartiat fratri suo Petro, & communicet cum ipso. Hęc natura est & ingenium fraternę caritatis. Non putat sibi bene esse, nisi & fratri bene sit. Diliges, inquit lex, proximum tuum sicut te ipsum. Diligamus autem nos inuicem, quemadmodum alias Ioannes ait, non uerbo, neq; lingua tantum, sed opere & ueritate. Deinde in Andrea obseruanda etiam est natura fidei in Christum. Vera enim fides in Christum, non potest teneri, quin declaret se confessione nominis Christi, & alijs bonis operibus, quæ Deus pater Domini nostri Iesu Christi exigit. Quare qui negant Christum ore in persecutione & ambulant in peccatis, hi etsi putant se corde in Christum credere, & gloriantur de nomine Christi, tamen fallunt se ipsos, nec habent ueram fidem, nec participant beneficia Christi. Sed audiamus nuntium, quem Andreas, uir, ut ex alijs etiam locis scripturę apparet, magnæ curę & diligentię, affert fratri

Caritatis natura.

Fidei natura.

suo

suo Simoni Petro. Inuenimus, inquit, Messiam. Priusq; autem rem ipsam expendamus, de noie Messię aliquid dicendũ est, præsertim cũ Euangelista ipse non grauatus sit illud interpretari, Messiam igitur Hebræi uocant, qui Græcis, si interpreteris, est, Christus, latinis autẽ Vnctus, aut significantius, REX. Messias enim, Christus, unctus & Rex idem sunt. Nam quos nos nostro more uocamus Reges, hos Hebræi, uocabant suo more Messias, ab unctione. Ad Samuelem enim de Saule, primo Israelitarum rege dicitur. Vnges eum ducem super populum meum Israel. Et de Dauide secundo rege, Imple cornu tuum oleo, & ueni ut mittam te ad Isai Bethleemitam. Prouidi enim in filijs eius mihi regem. Itaq; Reges dicti sunt Messię. Sed scriptura etiam Patriarchas uocat Messias, seu Christos, Nolite, inquiens, tangere Christos meos, quod de Patriarchis qui fuerunt ante electionẽ Regum in Israel, dictũ est. Cum autem nec Patriarchæ, nec Reges in Israel potuerint populum suum uere defendere ac seruare, idcirco hoc semen Patriarchę Abrahę, & Germen Dauidis, de quo prophetę contionati sunt, quod per ipsum uera salus, uera liberatio a peccatis & morte sit uentura, proprie dictum est, Messias seu Christus. Sic enim præcipue à Daniele uocatur. Quare cum audimus nomen Messię seu Christi seruatoris nostri, excitemur ad fidem, & sentiamus nos talem habere Regem, sub quo tuti sumus ab omnibus malis, adeoq; à morte ipsa. Qui enim in me credit, (inquit) etiamsi mortuus fuerit uiuet, & omnis qui uiuit & credit in me, nõ morietur in æternum. Hoc nimirũ illud est, quod animus Andreæ gestiat fratri suo Petro adnunciare, Inuenimus, inquit, Messiam, Quæ est illa, obsecro, Læticia, quæ exultatio, aut quale inuentum? Inuenit Andreas, non quod pueri in faba, non carbones, quod aiunt, sed maximum omnium thesaurum. Quicquid enim aliarum rerum inuenisset, non satis inuenisset. Finge eum inuenisse regnum Romanum, & factum esse externum Monarcham orbis. Finge eum in paupertate, consecutum esse maximas diuitias, & immensam uim auri, finge eum in magna corporis ægritudine recuperasse iucundissimam sanitatem. Hæc sunt quidem magna beneficia Dei. Sed non afferunt ueram ac firmam salutem. Siue enim Monarcha, siue diues, siue sanus fueris, peccatis tamen & morti, adeoque perpetuæ damnationi obnoxius es, nisi inueneris, & habeas Messiam. Inuentum igitur longe omnium utilissimum, & maxime necessarium est inuenire Messiam, Is enim est thesaurus omnium cœlestium bonorum. Nam si explicaueris Messiam, iuxta interpretationem Spiritus sancti, intelliges eum esse qui conterat caput serpentis, hoc est, potentiam Satanæ, qui sit semen illud Abrahæ, in quo benedicantur omnes gentes, qui

Messiæ nomẽ

Christi nomẽ

Psal. 104.

Messias, thesaurus omnium cœlestiũ bonorum

ſit ſalus & expectatio gentiũ, qui iudicet pauperes populi, et ſaluos fa ciat filios pauperum, qui dominetur à mari uſq; ad mare, quẽ neceſ ſe habeant adorare oẽs reges, qui medeatur oĩbus cõtritis corde, qui conſoletur oẽs lugentes, breuiter, (quis enim poſſet omnia prophe tarum dicta de Meſſia, pauco tempore perſtringere) qui iuſtificet omnes credentes in ipſum, coram deo patre ſuo, & ſeruet eos in mor te ipſa ad accipiendã hęreditatem omnium cœleſtium bonorum. En tantum theſaurum inuenit, qui Meſſiam inuenit, quem ſi non habu eris, nihil prodeſſe poteſt uel regnum terræ, uel pecunia, uel ſanitas corporis, Si autem habueris eum, nihil deeſſe tibi poteſt, etiamſi lon ge omnium abiectiſſimus, pauperrimus, ac ipſo etiam Lazaro miſe rior fueris, Sed quomodo, inquies, inueniemus Meſſiã? Hic uide mihi exemplum horum diſcipulorum. Audiunt contiones Ioannis Baptiſtę de Ieſu Chriſto, audiunt & poſtea contiones Chriſti de ſuo Euangelio, & adhibent ei fidem. Itaque inueniunt Meſſiam. Inueni tur ergo Meſſias, AVDIENDO, & CREDENDO. Ite, inquit, prædicate Euangelion omni creaturę, Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Et alias. Qui ſermonem meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet uitam ęternam, & in condemnationem non ue niet, ſed tranſiuit a morte ad uitam. Ac rurſum. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ue niemus, & manſionem apud eum faciemus. Audiamus igitur & nos ſermonem Chriſti, qui eſt Euangelion eius, & ſeruemus eum fide, ut inueniamus Meſſiam, qui eſt theſaurus longe omnium max imus. Nec inueniamus tantum, ſed etiam conſeruemus. Confer uatur autem fideli gratitudine & obedientia. Quare enitendum eſt, ut in uocatione dei obedienter ambulemus. Sed uideamus nunc, quid de Petro fiat. Hunc enim adductum, Ieſus intuetur, & ait, Tu es filius Iona, (quod uocabulum uidetur mutilatum ex Iohanna, uo catur enim alias Simon filius Iohanna) tu uocaberis Cephas, quod Græcis dicitur Petrus, latinis, lapis aut ſaxum. Siue Chriſtus Pe trum antea nec uiſum nec cognitum, pro maieſtate ſua ſic alloqua tur, quemadmodum poſtea Nathanaelem agnouit, ſiue Petrum an tea de facie & familia nouerit, certe hæc nominis eius mutatio non eſt abſque ſingulari conſilio facta. Nam quemadmodum quon dam nomen patriarchæ Abrę, mutatum eſt diuinitus in Abraham, quod ſignificat patrem multitudinis, ut hoc nomen eſſet monu mentum earum promiſſionum, quæ ad Abraham dicebantur, ui delicet, quod deus ſit multiplicaturus familiam Abrahæ, & quod ſit ex ipſo daturus ſemen, in quo benedicendę ſint oẽs gẽtes, ut per hoc Abraham fiat pater multitudinis gentium, & quoties audi atur no-

Cephas Petrus.

Abrahæ no minis muta tio.

atur nomen Abraham, admoneatur tam ipse, quàm posteri eius, de diuina promissione, & de benedictione promissi seminis, ita & Christus hoc loco mutat nomen Simonis, in nomen Cephæ seu Petri, aut lapidis, ut nõ solum significaret, quid futurum esset de Petro & alijs Apostolis, sed etiam institueret monumentum in nomine Petri, quo audito, omnes de firmo fundamento Ecclesiæ admonerentur. Nam Christus missurus erat Petrum & alios Apostolos collegas Petri, in uniuersum mundum, ut prædicarent Euangelion suum, & ædificaturus erat Ecclesiam suam in toto orbe terrarum super doctrinam Apostolorum, tanquàm super Petram, & firmissimum saxũ, quod nulla humana ui euerti posset. Mutauit igitur nomen Simonis in nomen Petri seu saxi, ut monumento huius nominis admonerentur omnes homines, Ecclesiam consistere in fortissima & firmissima petra, nec fieri posse, ut Ecclesia Christi in hoc mundo intereat. Non imposuit Simoni nomen Petri, propter Petri ipsius personam, ut significet ipsum fore dominum Apostolorum, & habiturum potestatem docendi, statuendi, & faciendi quiduis pro sua libidine. Apostolis enim æqua est potestas a Christo tradita, eaque non indefinita, sed certa & suis terminis conclusa, potestas uidelicet prædicandi Euangelij, secundum quod Christus ipse docuit, Docentes, inquit, seruare quæcunque præcepi uobis, Sed imposuit ei hoc nomen propter omnes Apostolos, & propter uniuersam Ecclesiam Christi, ut audito nomine Petri, omnes homines admonerentur de firmitate Ecclesiæ fundata super doctrina apostolica. Dicit enim Christus. Docete omnes gentes seruare omnia quæcunque præcepi uobis. Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Et iterum. Portæ inferni non præualebunt aduersus eam. Siue ergo Iudei, siue Gentes, siue Hæretici, siue Mahumetistæ, siue Pontifices, siue principes insaniant, debacchentur, & grassentur in Ecclesiam Christi, tamen cum Christus ipse imposuerit Simoni nomen Petri seu Saxi, certissimum est, Ecclesiam in Petra Apostolicæ doctrinę tam firmiter fundatam esse, ut nec Satan ipse queat eam subuertere. Instituit quondam Samuel statuam lapideam, ut esset monumentum rerum gestarum aduersus Philistinos, quemadmodum scriptum est, in priori libro Samuelis capite vij. quam statuam, si quis uidisset, admonebatur diuini miraculi, in eo loco aduersus Philistinos æditi, & excitabatur ad gratitudinem, adeoque confirmabat fidem suam de diuino auxilio etiam ipsi in aduersis exhibendo, sic & mutatio nominis Petri est uelut institutio statuæ, qua unusquisque admoneatur, nullam esse potentiam huius mundi tam magnam, quæ Ecclesiam Christi opprimere queat. Videtur quidem

Petri nominis mutatio.

1 Reg. 7.

Ecclesia Christi in hoc mundo infirma, & necesse habet uarias calamitates, uarias afflictiones sufferre, sed quia habet Iesum Christum, regem cœli & terræ, defensorem & seruatorem, non est nobis metuendum ne intereat. Quod autem dicitur de uniuersa Ecclesia, hoc etiam de unoquouis priuato Ecclesiæ membro intelligendũ erit. Quicquid enim credenti in Christum acciderit, constat tamen Ecclesia cuius ipse membrum est, uiuit Christus seruator. Hæc si constant, & uiuunt, nihil erit nec in cœlo, nec in terra, quod possit membrũ Christi & Ecclesiæ perdere. Quare confirmemus, audito nomine Petri, fidem nostram, & agnoscamus doctrinam Euangelij, quod Petrus cum collegis suis de Iesu Christo prædicauit, esse firmum Ecclesiæ fundamentum, ac solum Iesum Christum, esse uerum & perpetuum seruatorem nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XIX.

Philippi uocatio.

DE uocatione Philippi, nondum quidem ad Apostolatũ, sed ad disciplinã Christi, hodie diuina clementia iuuante & gubernante, tractabimus. Aliud enim est Apostolum, aliud discipulum Christi esse. Nam, qui in Apostolum eligendus erat, necesse habuit antea doctrinam & acta Christianismi, iam inde ab initio Baptismi Ioannis Baptistæ diligentissime cognoscere, ut testimonium eius fide dignum esset. Quare Philippus uocatur prius, ut sit discipulus Christi, quam in Apostolum cooptetur. Postero die, inquit Euangelista, uoluit Iesus exire in Galileam, reperit Philippum, & Dicit ei. Sequere me. Erat autem Philippus a Bethsaida ciuitate Andreę & Petri. Paucissima audis uerba, Sequere me, sed maximam efficatiam. Philippus his paucissimis uerbis excitatus, non solum sequitur ipse Christum, sed etiam persuadet Nathanaeli, ut Christum sequatur. Sed an non hæc est, inquies, cæca & inconsiderata temeritas, quod Philippus, relicta sua uocatione, sequatur hominem adhuc ignotum, & nondum miraculis illustrem? Etsi enim uerus Messias seu Christus, nulla tergiuersatione sectandus est, tamen nondum manifestum ac probatum uidebatur, hunc Iesum esse uerum Messiam. Hic licet quidem nobis simpliciter ad occultam Spiritus sancti uim appellare, nec dubium est, quin Philippus, in hac uocatione, potentissimo spiritus tractu excitatus sit, non tamen defuit ei antea cognitio Iesu. Reperit

olim

olim Elias Elizęum arantem duodecim iugis boum, & proiecto su- 3. Regum 19.
per ipsum pallio suo, uocauit eum ad suam disciplinam. Elizęus igitur statim relictis bobus sectatus est Eliam, tractus quidem occulta potentia spiritus, sed ad eum sectandũ, quem ante cognouerat esse uerum DOMINI prophetam. Sic & Philippus a Iesu uocatus, non sequitur temere ignotum. Cum enim postea cooptatus sit in numerum Apostolorum, manifestum est, eum fuisse antea discipulum Ioannis Actorum 1.
Baptistę, quippe quod, ut Petrus ait, Apostolorum erat, cognoscere omnia acta Christianismi iam inde ab initio Baptismi Ioannis. Et, cum Euangelista commemoret patriam Philippi, Bethsaidam, quae erat etiam patria Andręę & Petri, apparet, quod id faciat, non ob eam tantum caussam, ut significet, Deum eligere abiecta & ignobilia, (erat enim Bethsaida, ciuitatula obscura) sed ut significet, quod cum Philippus fuerit ciuis Andręę & Petri, sectatus etiam sit eundem cum ipsis praeceptorem Ioannem. Nihil autem prius, nihil sanctius fuit Ioanni, quam ut discipulos suos doceret, hunc Iesum esse uerum Messiam, & excitaret eos, ut Iesum sectarentur, quemadmodum ante demonstratum est. Quare, quem sectatur Philippus, eum ante cognouit testimonio Ioannis, & cœlesti miraculo, quod in Baptismo Christi ęditum erat, uerum esse Messiam. Haec idcirco commemorare uisum est, ut non discamus hoc exemplo temere quosuis, iactantes se diuinitus missos, sectari, sed ut probemus, quemadmodum Euangelista alias dicit, spiritus, an sint ex deo. Fuerunt aliquot ijs temporis, quibus Iesus, uerus Messias uitam in terris egit, qui & ipsi iactarunt se esse Messias, diuinitus ad liberandum Israelem missos. Thęodas uidelicet, & Iudas Galilęus. Hi multos ad se sectandum uocarunt, sed qui sectati sunt, suam ipsorum internitionem sectati sunt, propterea quod non probauerint, num hi spiritus ex deo fuerint. Quo tempore Adrianus Imperator potiebatur rerum Romanarum, Vide Ecclesiasticam historiam Eusebij lib. 4. cap. 6.
fuit Cochabas quidam Iudaeus, qui praedicabat se uelut salutare sidus. (Cochab enim sidus significat) cælitus delapsum, ut restitueret populo dei salutem. Ac maxima Iudaeorum multitudo adhęserunt ei. Sed quia non probauerunt hunc spiritum, num ex deo esset, perierũt miserrime. In Creta insula, quo tempore Theodosius administrauit Romanum imperium, uagatus est Iudęus quidam, qui affirmabat se Vide historiam Tripar. li. 12. cap. 9.
eum esse Mosen, qui quondam duxisset Israelitas per mare rubrum, ac pollicebatur se simili miraculo Iudęos ex ea insula, per mare illęsos ad patriam suam terram ducturum. Sed qui adhibuerunt ei fidem, & secuti sunt uocationem eius, hi intantum non sunt consecuti, quod sperauerunt, ut potius rupibus dilacerati, & in mari suffocati, foedissime interierint. Cum Imperator Heraclius in Romano or-

be dominaretur, exortus est in Arabia Mahumet, qui & ipse populos, ut se sequerētur, uocauit. Etsi autem sectatores eius consecuti sunt maximam potentiam in terris, tamen quia doctrina eius pugnat cum uera prophetica & Apostolica doctrina, nec habet certa testimonia, non temeritas tantum, sed etiam impietas summa est, Mahumetis uocationem sequi. Sed nec nostris temporibus similia exempla desunt. Errones enim quidam circumforanei, (Anabaptistas uocant,) obambulant alicubi in uulgo, & præseferentes speciem quandam sanctitatis, sollicitant rudes, ac rerum imperitos, ut se, nescio in quam regionem sequantur. Et qui promissis ipsorum persuasi fuerint, hi uelut enthusiasmo quodam excitati, sequuntur eos. Hic autem non est afflatus spiritus sancti, sed furor Satanæ. Multa enim sunt impia Anabaptistarum dogmata, de quibus nunc non est disserēdi tempus. Quare, qui hos sequuntur, præcipitant seipsos in perpetuam internitionem. Ab horum autem & aliorum similium temeritate, ac impietate longissime abfuit Philippus. Is enim sectatur quidem obedienter uocationem Iesu, sed eius, quem ante doctrina ac testimonio Ioannis Baptistę cognouerat esse uerum Messiam, & quem etiam mox maxima quæq; miracula certissimaq; argumenta declarabunt uerum seruatorem. Ceterum quo magis pietatem Philippi admireris, non ipse tantum sequitur Iesum, sed etiam inuitat Nathanaelem ut sequatur
» eum. Euangelista enim ita scribere pergit. Reperit Philippus Natha
» naelem, & dicit ei: De quo scripsit Moses in lege & prophetę, inueni
» mus Iesum, filium Ioseph, Nazarenum. Iterum uides cognitionem Christi, quæ est uera in Christum fides, non esse ociosam aut ignauam. Gestit enim benefacere, ac Christo Domino suo multos tum doctrina tum exemplis lucrifacere. Quid autem dicemus de studio Philippi in sacris literis? Nam cum concionatur Nathanaeli de Messia, & ait, De quo scripsit Moses in lege & prophetę, inuenimus Iesum, perspicue indicat, quod non solum dederit magnam operam sacris literis, uerum etiam senserit sacram scripturam maxime omnium de Messia concionari, & solum Messiam, in scriptura propositum, esse sectandum. Moses enim scripsit partim historica, quæ ab initio mūdi gesta sunt, partim politica & ecclesiastica, seu Leuitica aut sacerdotalia, quæ in repub. posteritatis Abrahę instituta sunt. In historicis autem præcipuum oīm est, quod scribit de promissione eius seminis, quod esset contritur; caput serpentis, & in quo benedicēdę essent omnes gentes, quodq; de tribu Iuda nasciturum, expectatio esset gentiū & salus. Hę sunt promissiones de Messia. Ad has cognoscēdas & cōsiderandas, patriarchę iam inde ab Adamo usq; omne studiū suum contulerunt. Hæ fuerunt patriarcharum delitiæ. His & munierunt & defen-

Mosi scripta in Messiam respiciunt

defenderunt se ab insultu Satanę, a' iuditio peccati, á morte & dãnatione, adeoq; his cõsecuti sunt ueram apud deum salutem. Accesserunt his etiam sacrificia patriarcharum, quę & ipsa admonebãt de Messia, & de expiatione peccatorum, quę per mortem eius uentura erat. Quod autem ad politica & Leuitica Mosi attinet, ea præcipue in hunc usum instituta fuerunt, ut esset populus, in q̃ conseruarentur & tractarẽtur promissiones de Messia, donec ipse ueniret. Lex, inquit Paulus, pęda gogus noster fuit ad Christum, & addita fuit propter transgressiones donec ueniret semen promissum. Nam quod politica & Leuitica non potuerint per se seruare populũ, non obscure Moses ipse significat, dum promittit alium post se prophetam, quem audire debeant. Prophetam, inquiens, de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, Ipsum audies. Habes Mosen hoc pręcipue agere, ut doceat Messiam. Quid autem de prophetis dicendum erit? Hi certe in hoc pręcipue intenti erant, ut auditoribus suis uenturum Messiam explicarent & commendarent, quod ut manifestissimum est, ita superuacaneum est, ut hoc loco pluribus demonstretur. Quare magna fuit pietas, magnum studium Philippi, quod cum alij quęsiuerint in Mose & prophetis magis superstitiosa & hypocritica, cũ uere pia, ipse quesiuerit in eis Messiam, solum uerum seruatorem nostrum. Obseruabile exemplum, quo admonemur, ut omnia studia, omnia negotia nostra, ad cognoscendum & assequendum uerũ Messiam conferamus. Hic sit omnium actionum nostrarum finis. Alius aliud quidem sectatur, hic diuitias, ille potentiam, hic sanitatem corporis, ille uoluptatem. Non sumus autem in hoc uel creati uel recreati, ut sectemur corporalia, ut edamus & bibamus, sed ut Dominum deum nostrum cognoscamus, & diligamus. Diliges, inquit, Dominũ deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & tota fortitudine tua. Non possumus aũt deum uel cognoscere uel diligere, nisi cognito Messia, filio dei, seruatore nostro. Deum nemo uidit unq̃, Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et, Nemo nouit patrem, nisi filius, & cuicunque uoluerit filius reuelare. Nihil ergo nobis prius, nihil posterius sit, quam ut Messiam, Christum Dominum nostrum uere per fidem cognoscamus, & uocatiõi eius per Euangelion suum nobis reuelatę obsequamur. Sed audiendum nunc est, quid Nathanael Philippo respondeat. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Ex hoc responso apparet Nathanaelem fuisse uirum doctum, qui cognouerit é uaticinio Michęæ, quod Messias nasciturus sit in Bethlehem & non in Nazareth. Fortassis offenditur etiã obscuritate ciuitatulæ Nazareth. Dicit ergo A Nazareth potest aliqd boni esse? Messias erit regnũ oim clarissimus. Quomodo autem tanta

Messias, debet esse finis omnium studiorum nostrorum.

claritudo, è tam obscuro & abiecto loco, exoriri potest? Quis unq̃ illustris fuit ciuis in Nazareth? quomodo igitur Messias, longe omnium illustrissimus, Nazaretham patriã haberet? Sed quod ad Bethlehem apud Michęam attinet, facile dilui potest, uidelicet, quod Christus natus quidem sit in Bethlehem, educatus autem in Nazareth. Quod autem Nathanael offendit obscuritate Nazarethę, non est prudentia spiritus sed carnis. Nam Spiritui probe cognitum est, quod deus eligat imbecillia in mundo, ut pudefaciat ea quę sunt robusta, ne glorietur coram ipso ulla caro. Nec illud quemquam moueat, quod Philippus uocet Christum, filium Ioseph. Manifestum enim est testimonijs scripturę, quod Iesus Christus sit conceptus de spiritu sancto, & quod Ioseph fuerit tantum putatiuus (Sic enim uocant) pater Christi. Cum igitur in Christianismo nihil notius illo sit, pergamus ad reliqua. Nam cum Nathanael uideretur dubitare, hortatur
,, eum Philippus ut ipsemet rem exploret. Et dicit ei. Veni & uide. Quicquid enim sit de Nazaretha, certe re ipsa comperies hũc Iesum uerum esse Messiam, si modo accesseris ad eum, & diligenter obseruaueris tum uerba tum facta eius, Ac profecto maximum est discrimen inter Iesum Christum, & alios aliarum religionum autores. Nihil nunc dicam de Mose, quem quo melius intelligis, eo magis Iesum Christum agnosces. Vide mihi deos gentium. Hi enim, quo notiores, eo contemptibiliores fiunt, ut ad refutandam uanitatem eorum, nihil ferme potentius sit, quàm originem & res gestas ipsorum illustrare. Quid Thalmudica Iudęorum religio? Hæc quo diligentius cognoscitur, eo uanior, mẽdatior, ac monstrosior deprehẽditur. De Mahumete Sarracenicę & Turcicę religionis, aut potius impietatis autore, perspicuum est, quod qui paulo attentius acta eius, & doctrinam Alcorani, quem ita uocant, consideraueri, is mox, nisi prorsum uecors & amens fuerit, uanitatem eius animaduertat. Monastica & Eremitica superstitio, habet quidem speciem quandam pietatis, sed ueni, uide, iudica, confer cum syncera doctrina Euangelij Christi, profecto agnosces manifestam Hypocrisim, atque adeo impietatem. Solus Iesus Christus is est, ad quem quo propius accesseris, & uideris, eo certius maiestatem personæ eius, & ueritatẽ Euangelij ipsius deprehendes. Quare quod Philippus dicit Nathanaeli, Veni & uide, hoc idem nobis dictum esse existimemus, ut non opinione aut paterna tantum traditione, sed re ipsa ueritatem & certitudinem
,, Christianismi cognoscamus. Porro, Nathanael excitatus uoce Philip
,, pi, accedit ad Iesum, Vidit ergo Iesus Nathanaelem uenientem ad se,
,, & dicit de eo. Ecce uere Israelita, in quo dolus non est. Rem admirabilem. Nathanael offensus fuerat obscuritate patrię, ac uidebatur Iesum

Religionũ autores collati cum Christo.

ſum propter Nazaretham contemnere, quod magis reprehenſione quàm laude dignum eſt, commendatur tamen pleno ore à Ieſu. Num ergo eſt ſine peccato, quia non eſt in eo dolus? Abſit. Omnis enim homo mendax. Et, Omnes declinauerũt, ſimul inutiles facti ſunt, nõ eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Quare Nathanael nõ commendatur, ꝓ natura ſua ſit perfecte iuſtus coram deo. Sed quod Ieſus dicit eum eſſe uere Iſraelitam, laudat in ipſo ſtudium ſectandę ueræ & auitæ religionis, nimirum eius, quam ſectatus, & conciona-
tus fuerat patriarcha Iacob, qui dictus eſt Iſrael. Ad hunc enim Iſraelẽ *Gene. 28.*
dictum erat, In Semine tuo benedicentur cunctæ tribus terræ. Hæc eſt promiſſio de Meſſia ſeu Chriſto ſeruatore. De hoc Meſſia concionabatur et ipſe Iſrael iam moriturus. Veniet, inquiens, Silo, ſeu ſaluator, & ipſe erit expectatio, ſeu ut hebręus textus habet, purificatio, aut iuſtificatio gentium. Ac alij quidem Iſraelitæ aliud ſectabantur, hic diuitias, ille honores, hic potentiam, ille uoluptates, hic Phariſæos, ille Sadducęos, hoc eſt, religiones recens excogitatas, poſthabita interim expectatione Meſſiæ. Nathanael autem hoc unum prącipue agebat, ut ſectaretur ueterem religionem Patriarchæ ſui Iſraelis, & expectaret promiſſum Meſſiam. Ieſus igitur ornat eum hoc epitheto, quod ſit uere Iſraelita. Magna autem laus, imo ſalus eſt, religionẽ maiorum ſectari. Ne iſtud deus clementiſſimus ſiñat, nouam nos religionem maioribus incognitam agnoſcere. Nouæ religiones ſunt, *Religiões nõ uæ fugiendæ.*
Ethnica, Iudaica, ea uidelicet, quam hoc tempore Iudæi, qui ſic uocantur, agnoſcũt, Mahumetica, Pontificia, & Monaſtica. Hæ religiões, etſi poſteri etiam à maiorum ſuorum traditione acceperunt eas, tamẽ nouę dicuntur, ꝓ ſint poſt ueram religionem de Meſſia ab initio orbis promiſſo, excogitatæ & inſtitutæ. Sola autem hæc eſt uetus religio, quam ſectati ſunt ab initio Patriarchæ, quam adnunciarũt Prophetæ, & quam prędicauerunt Apoſtoli in toto orbe terrarum, uidelicet, quod in nullo alio ſit ſalus, præterquam in Meſſia, patriarchis promiſſo, & quod ſolus Ieſus is ſit Meſſias, propter quem ſolum habeamus remiſſionem peccatorum, & uitam ęternam. Hęc fuit religio patriarcharum, prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, & omnium ſanctorum, qui ante nos fuerunt. Quare, qui abiectis omnibus aliarum religionum ſuperſtitionibus & impietatibus hanc ſolam amplectitur, is uere dicitur maiorum ſuorum religionem ſectari, ac merito hoc epitheto ornatur ꝓ ſit uerus ſeu Iſraelita ſeu Chriſtianus. Deinde, quod Chriſtus dicit non eſſe dolum in Nathanaele, laudat in eo ingenuitatem & candorem, in profitenda animi ſui ſententia. Etſi enim uitiũ eſt, ꝓ Nathanael offendatur humilitate patriæ Ieſu, non mediocris tamen uirtus eſt, ſententiam ſuam nullo malo dolo cę

lare, ſed eam aperte & perſpicue profiteri. Magna eſt improbitas, ac prorſus Satanica malitia, aliud ore loq, aliud corde celare. Satan em̃ ſtatim ab initio conditi orbis uſus eſt hac arte ad decipiendum hominem, & præcipitandum eum in extremam internitionem. Sciebat hominem, ſi ueſceret fructu arboris ſcientiæ boni & mali, omnibus calamitatibus, adeoq; morti ipſi obnoxium fore, & tamen longe aliud ore pollicebatur: Nequaq;, inquiens, morte moriemini, ſed aperientur oculi ueſtri, & eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum. Quare qui dolo malo aliud ſentiunt, aliud loquunt, ſeu aliud agũt, aliud ſimulant, hi non amplius referunt imaginem hoĩs, qui ad ſimilitudinem Dei conditus eſt, & ad ueritatem colendam inſtitutus, ſed referunt imaginem Satanæ, cuius etiam, ob perfidiam, uerſutiã, uafriciem, & malitiam ſuam, coheredes erunt. Videtur quidem ueritas & candor aliquoties detrimentum afferre, ſed ſi ex fide, & ad obſequium uocationis Dei ſuſceperis potius rerum tuarum detrimentum, q; dolum malum, aut mendatium, hoc iam non erit damnum, ſed quæſtus uberrimus. Nam & huc pertinet illud Chriſti: Qui reliquerit domos aut agros aut fratres propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitæ æternæ ſortietur hæreditatem. Preterea, cum Chriſtus dicit, non eſſe dolum in Nathanaele, commendat in ipſo ſimplicitatem obſequij. Inuitatus enim à Philippo, ut accedat ad Ieſum, etſi uidebatur non infirmum argumẽtum habere, q; Ieſus non eſſet Meſſias, tamen non reſiſtit duriter, non repugnat odioſe, ſed ſequitur obedienter. Magna eſt uirtus, ingenio ſuo cedere, ut ueritatem rei diligentius perſcruteris. Eſt enim uia, inquit Salomon, quæ uidetur homini iuſta, nouiſſima autem eius deducunt ad mortem. Quare, etiamſi uidearis habere bonam opinionem, & rectum inſtitutum, eſt tamen & alterius ſententia audienda, ut tua uel confirmetur, uel corrigatur. Cæterum, cum Nathanael audiret de ſe hoc Chriſti præconium, admiratur. Et dicit ei, Vnde me noſti? Nathanael iterum ſignificat animi ſui ingenuitatem, &, quod ſentit corde, hoc ſimpliciter cõfitetur uerbis. Laudas me. Quid abſurdius? Laudas enim, tibi prorſus ignotum. Aut dic mihi, Vnde me noueris? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Priuſquam te Philippus uocaret, cum eſſes ſub ficu, uidebam te. Nathanael fuit ſub ficu, in loco procul ab oculis Ieſu remoto, & tamen Ieſus uidit eum. Hoc magnum eſt miraculum. Sed quid? num tanti eſt momenti, ut probet Ieſum eſſe uerum Meſſiam, adeoq; uerum Deum? An non & Elizæus, cum ſederet in domo ſua, cum ſenatu Iſraelis, uidit nuncium adhuc longe abſentem, qui ad occidendum ipſum à rege miſſus erat? Dixit enim ad ſenatum: Nunquid ſcitis, q; miſerit filius homicidæ huc, ut præcidatur caput meum? An non & idem

Mendatij detestatio.

4. Regum 6.

idem ille Elizæus uidit & audijt consilia regis Syriæ aduersus Israelem, cum tamen procul ab eo loco, quo Syrus cum seruis suis inibat consilia, abesset? dicemus igitur Elizeum fuisse Messiam, & unigenitum Dei filium? Absit. Hæc enim & alia id genus miracula per se nõ probant personæ maiestatem & diuinitatem, sed personæ officium, uocationem, & doctrinam. Sciamus igitur, quæ fuerit uocatio & doctrina Elizei, & cõferamus eam cum doctrina Iesu, ut cognoscamus, quid utriusq; miracula probent. Elizæus enim uocatus fuit a' Deo, non ut ipse esset uerus Messias, sed ut de uero Messia uenturo uaticinaretur, & saluti regni Israelis, suo tempore, uaticinijs suis cõsuleret, donec postea uerus Messias ueniret. Miracula igitur eius confirmarunt doctrinæ eius ueritatem, hoc est, confirmarunt ipsum non esse uerum Messiam, sed uerum illum Messiam nouissimis temporibus uenturum esse. Iesus autem uerus est Messias, adeoq; uerus Deus, & in hoc a' Deo patre suo in hunc mundum missus, ut doceret se esse uerum illum Messiam, de quo prophetę prędicauerunt, & unigenitum Dei filium, uerum omnium rerum creatorem. Miracula igitur eius confirmant hanc doctrinã, hoc est, confirmant, q; sit uerus Messias, & uerus Dei filius. Hæc enim est doctrina Iesu. Quare etsi miracula per se non probant personę diuinitatem, tamen quia probant doctrinæ ueritatem, & alia fuit doctrina Elizei, alia Iesu Christi, idcirco, q; Elizeus uidit absentia, testatur eum esse tantum prophetam Messiæ, quod autem Iesus uidit absentia, testatur eum esse uerum Messiam, & uerum omnipotentem Deum. Hic nunc considera mihi, quanta cura, quanto studio, honestatem uitę, etiam cum soli sumus, & in tenebris, sectari debeamus. Quid enim? Etiãsi fallimus oculos hominũ, num possumus & oculos Domini nostri Iesu Christi fallere? Num, quę ignota sunt hominibus, possumus ęlare Christum? Recte Dauid. Quo ibo, inquit, à spiritu tuo, et quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum ades. Et mox: Tenebrę non obscurabuntur a' te, & nox sicut dies illuminabitur. Reuerere igitur Christum præsentem, ut nihil auare, nihil iniuste, nihil libidinose, nihil incontinenter facias, ne tantam maiestatem, omnia cõtemplantem offendas. Non enim solus est Christus. Habet secum innumerabiles cœlestium angelorum legiones, quæ certe maiestas superat gloriam omnium regum & Monarcharum, qui unquam in terris fuerunt aut erunt. Quis ergo in hoc theatro, coram tanta maiestate, aliquid iniqui facere, aut etiam cogitare audeat, & non totus contremiscat? Iam, non solum docemur hic sectari honestatem uitæ, sed etiam concipere fiduciam in omnibus aduersis, & sperare certam salutem. Quid enim in afflictionibus trepidas? quid te derelictum cla-

Elizei miracula collata cum miraculis Christi.

mas? Pręsens certe est Christus, qui pro te passus est, & mortuus, qui & resurrexit à mortuis, & sedet ad dextram Dei patris, ut te adiuuet. Ingenue facis, cp fatearis te peccatorem esse, & indignum diuino auxilio, hæc autem peccati agnitio, debet te potius ad Christum adducere, quàm à Christo abducere. Non ueni, inquit, ad uocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et, Filius hominis uenit quærere & seruare, quod perierat. Quare, si confisus fueris, & perduraueris in inuocatione nominis Domini, fieri non potest, quin certissima salus tibi contingat, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XX.

OCationem Nathanaelis nondum absoluimus, quæ quoniam cognitu digna est, paulo copiosius explicanda erit. Audiuimus miraculum, quòd Iesus uiderit Nathanaelem, cum adhuc procul esset sub ficu, audiamus nunc admirandam Nathanaelis confessionem. Respondit Nathanael & ait ei: Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israelis. Quid, obsecro te, dicendum est de Nathanaele? Non tribuit quidem Iesu Christo plus cp ipsi debeatur, (Iesus enim uere est filius Dei & rex Israelis) sed tanti ne momẽti est hoc miraculum, quòd Iesus uiderit Nathanaelem procul sub ficu, tanquam præsentem, ut ex ipso probetur Iesum esse filium Dei, & regem Israelis? An non & Elizæus absens uidit seruum suum Gehasi currentem post Naamanum Syrum, & accipientem ab eo munera, mendatio postulata? Cur igiur Israelitæ non prociderunt ad genua Elizæi & dixerunt, Tu es filius Dei, tu es rex Israelis? Quod si abominabile fuisset, multo rectius uidetur fecisse mulier Samaritana, quæ cum intellexisset, Iesum arcanorum suorum peccatorum conscium esse, (audierat enim à Iesu: Quincq uiros habuisti, et nunc quẽ habes, non est tuus uir) non statim confitetur eum esse Messiam & filium dei, sed tantum prophetam, Domine, inquiens, uideo, quod sis propheta. De hac re in superiori Homilia quædam diximus, nunc autem idcirco repetere libuit, ut rectam miraculorum ratiõem & melius cognoscamus, & firmius teneamus. Miracula enim per se non probant, quòd persona, quę edit miracula, sit Deus ipse, sed probãt, quod uocatio & doctrina personæ sit à Deo ipso. Ædunt quidem & impij aliquotiẽs miracula, & seductores, ac pseudoprophetæ, de quibus Moses in Deutero. capite decimo tertio cõcionatur, & Christus: Multi, inquit, dicent, Domine, domine, per nomen tuum prophetauimus, dæ-

4. Regum 5.

Ioannis 4.

Miraculorũ recta ratio, quæ sit.

uimus, dæmonia eiecimus, & multas uirtutes prestitimus, ego uero confitebor illis. Nunc ꝯ noui uos, discedite à me, qui operamini iniquitatem. Et iterꝝ, Surgent pseudochristi & pseudoprophetę, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducant, si fieri possit, etiam electi, sed horum miracula, quia conantur euertere doctrinam ante diuinitus confirmatã, uanissima sunt, & nullo modo agnoscenda. Deus enim non est uarius & mutabilis, nec quæ ante miraculis confirmauit, ea postea miraculis infirmat, illa autem miracula, quę edũtur in testimonium doctrinę antea diuinitus promissę, ut sunt uere diuina, ita ueritatem doctrinæ certissime confirmant. Promissum olim erat Abrahę, posteros suos generatione quarta liberandos è seruitute Ægyptiaca. Cum autem hoc tempus impleretur, excitatus fuit Moses diuinitus, qui et doceret, tempus liberationis aduenisse, & miracula ederet. Quare miracula eius fuerunt certissima testimonia doctrinę eius, miracula autem magorum Ægyptiacorꝝ, qui hanc doctrinã euertere cogitabant, fuerunt uanissima. Promissum olim fuit, per prophetas, Euangelion de Messia uulgandum in totum orbem terrarum, inter omnes gentes. In oẽm, inquit, terram exiuit sonus eorꝝ, & in fines orbis terrę uerba eorum. Cum autem tempus appeteret, emissi sunt Apostoli, ut prędicarent Euangelion uniuersę creaturę, & ederent miracula. Hi ergo egressi, prędicauerunt, ut Marcus ait, ubique, DñO cooperante, & sermonem confirmante, per signa subsequẽtia. SERMONEM, inquit, CONFIRMANTE per signa. Sunt igitur signa seu miracula, testimonia & confirmationes doctrinę. Sic & de miraculis, quę Christus ipse edidit sentiendum est. Promissum enim fuit diuinitus per prophetas, Messiam uenturum. Tempus etiam aduentus eius definitum erat, partim per patriarcham Iacobum, partim per prophetam Danielem. Hoc autem tempore impleto, Iesus filius Marię, designatus est, & à Ioanne Baptista diuinitus misso prędicatus Messias. Cum igitur Iesus docuerit Euãgelion suum, se uidelicet esse Messiam, & ediderit miracula, certe miraculis ueritatem doctrinę suę ita confirmauit, ut iam nullus alijs miraculis alio uocantibus, imo ne angelo quidem aliud adnuncianti fides sit adhibenda. Nathanael aũt, ut ad hunc reuertamur, non iudicauit de persona Iesu, ex miraculo per se, & absq; doctrina, sed iudicauit ex miraculo ueritatẽ doctrinę antea de Iesu auditę. Sciebat enim tempus aduentus Messię adesse, audiebat Ioannem Baptistam testari Messiam iam aduenisse, & in medio ipsorum stare, audiebat etiam Philippum cõcionari, hunc Iesum Nazarenum esse uerum illum Messiam tãto tempore expectatum. Dixerat enim Philippus: De quo scripsit Moses in lege & prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph Nazarenum. Quare cum ad

Miracula sunt cõfirmatio doctrinæ.

hanc doctrinam accederet miraculum Iesu, non est temeraria credulitas, sed prudētissima pietas, ꝙ Nathanael statim amplectatur Iesum, ut uerum Messiam. Cęterum, ut perspicuè significetur, quàm late pateat maiestas Messiæ, & quibus in locis prophetæ describant Messiam, recte à spiritu sancto curatum est, ꝙ Nathanael non simpliciter in confessione sua dixerit. Tu es Messias, sed copiosius & illustrius, Tu es filius Dei, tu es rex Israelis. Quid potuisset de Messia magis perspicue dici? Messias enim, de quo Moses & prophetæ uaticinati sunt, non est ponendus in ordine aliorū in hoc mundo regum, sed est rex ille, & filius ille Dei, imo Deus ipse, qui describitur in psalmo secundo, Ego, inquiens, sum constitutus rex ab eo super Zion mōtem sanctum eius, prędicans pręceptū eius. DOMINVS dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Et postea in psalmo septuagesimo primo. Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio regis. Ac mox. Benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabūt. Et in Esaia capite quadragesimo tertio, Ego DOMINVS, sanctus uester, creans Israelem, Rex uester. Ad hæc certe, & similia prophetarum loca respexit spiritus sanctus in Nathanaele, cum dixit, Tu es filius Dei, tu es rex Israelis. Ac manifeste significat Nathanael, non solum quanto studio, quāto ardore quęsiuerit hactenus Messiam in scriptura, et expectauerit eum, per fidem, sed etiam quanto gaudio excipiat eum nunc inuentum. Quod enim dicit, Tu es filius Dei, tu es rex Israelis, hanc habet sententiam. Scio, nullam aliam esse ueram salutem, præter Messiam. Scio, quanto desiderio iam inde ab initio orbis terræ pŋ patriarchæ, & posteri eorum suspirauerint & expectauerint Messiam. Scio tempus aduentus eius, à spiritu sancto definitum iam impleri. Quare hoc unum toto animo agebam, ut hunc Messiam inuenirem, & tenerem. Nunc, cum inuentum habeam, quid amplius mihi deerit? Voti compos factus sum, & satis iam habeo, quia habeo filium Dei, & regem illum Israelis, qui accipiet gentes, hęrediratem suam, & possessionem suam terminos terræ, qui dñabitur à mari uscꝫ ad mare, qui parcet pauperi & inopi, & animas pauperum saluos faciet, qui calamum quassatum non conteret, nec linum fumigās extinguet, breuiter, qui est benedictio, salus & redemptio omnium sperantium in ipsum. Memorabile exemplum, quo admonemur & nos, quod unica nostra cura esse debeat, ut summo studio inquiramus hunc filium Dei, & regem Israelis, ac inuentum maxima diligentia conseruemus. Amisimus enim in Adamo omnem nostram fœlicitatem. Eramus quidem optime, ad similitudinem dei in summa fœlicitate, conditi. Sed, postquàm Adam peccauit, & eiectus

Messiæ descriptio in prophetis.

Hominis miseria.

ctus est è paradiso, peccauimus & nos in ipso, & abiecti sumus in omnia genera miseriarum. Omnia nostra facta sunt maledictioni obnoxia propter peccatum. Anima simul & corpus, totus inquam homo, traditus est in seruitutem & captiuitatem peccati, doloris, afflictionis, mortis & inferni. Etsi em̃ uidetur aliq̃ties fœlicitas hoī in hac terra affulgere, nihil tamen est firmum, nihil stabile, ac tunc maxime impendet nobis calamitas, cum existimamus omnia esse tuta & secura. Nullum autem usquam est in tota terra remedium aduersus tantam infœlicitatem. Non iuuant nos diuitiæ, non honores, non regna, non amici, nihil denique earum rerum, quas hic mundus admiratur. Sed salus & redemptio nostra constat in solo semine mulieris, in solo semine Abrahę, in solo filio Dauidis, qui est Iesus Christus DOMINVS noster. Quod cum animaduerterent & agnoscerent patriarchæ & prophetæ, ac pij omnes, unum hoc studuerunt, ut hunc Christum cognoscerent, & diem eius uiderent. Abraham, magnus fuit patriarcha, habuit amicos reges, habuit optimum & obsequentissimum filium, habuit diuitias & honores, ac plane nihil uidetur ei ad fœlicitatem huius seculi defuisse. Quid ergo? num studium suum in hoc posuit, ut hanc fœlicitatem aut retineret aut augeret? num hac fœlicitate satisfactum fuit animo eius? Nihil certe minus. Vidit, & re ipsa comperit, hæc prorsus nihil ualere aduersus potentiam peccati, mortis & damnationis. Quare non exultauit, ut uideret multas diuitias & regna huius seculi, sed ut uideret diem Christi. Vidit atq̃ gauisus est. An non & Dauid fuit rex potentissimus? attamen, quia reipsa sentiebat nullam esse salutem in fœlicitate huius seculi, non terminabat finem instituti sui regno terreno, sed cognitione Christi sibi promissi. Considera, obsecro, mihi, q̃ inenarrabili gaudio exultet, cum audit, suscitabo semen tuum post te. Stabiliam thronum regni eius usq̃ in sempiternum. Hæc est promissio de Christo, quæ certe multo plus exhilarabat conscientiam Dauidis q̃ si ad regnum illud externum Israelis, adiecta fuisset Monarchia totius orbis terrarum. Apparet etiam è psalmis, q̃ unicum studium eius fuerit, ut Christum promissum apprehenderet. Horum exemplo excitemur & nos, & cogitemus toto animo, & studio omni, ad hoc solum negocium incumbere, ut Christum uere cognoscamus. Hic enim est thesaurus ille, quem homo repertum in agro, abscõdit, & præ gaudio, quod habet super illo abit, & omnia quęcunque habet, uendit ac mercatur agrum. Hic est preciosa illa margarita, quam negociator redemit omnibus facultatibus suis. Expergiscamur igitur,

Christum cognoscere quanto studio debeamus.

2. Reg. 7.

Matt. 13.

& sectemur uocatiõem ac salutem nostram. Numa Pompilius fertur apud Romanos instituisse, ut cum rem diuinam facerent, preco ingenti uoce pręcedens clamet. Hoc AGE, admonens uidelicet, ut sepositis omnibus alijs cogitationibus & negotijs, animum ad sacra ad uerterent. Ac fuerunt quidem hæc Ethnicorum sacra, impia & detestanda, consuetudo autem illa exhortandi spectatores non est indigna commendatione, ac etiam imitatione. Tanta certe est hominum etiam inter Christianos ignauia, ut necesse haberent, non semel & iterum, sed singulis diebus, mane & uesperi, hac uoce: Hoc AGE, per publicum preconem excitari, quo admonerentur, ꝓ hoc unum agendum esset, ut quicquid dies noctesqꝫ facerẽt, Christum cognoscerẽt, ac sectarentur. Hæc enim sola pręcipua est uocatio nostra. Philippus Macedo, postꝫ uictoriam ab Atheniẽsibus apud Cheroneam reportasset, instituit, ut puer indies, exoriente sole ad se ingressus, inclamaret: Philippe, homo es, nec quoꝫ progressus esse dicitur, nisi puer hanc uocem ter intonuisset, quo instituto cauere uoluit, ne ultra humanum modum insolentius se efferret. Multo magis necessarium esset, ut nos quotidie hac publica uoce, Christianus es, Christum DOMINVM tuum agnosce, excitaremur, quo torporem nostrum abijceremus. Solet singulis diebus summo mane & uesperi signum ære dari, quod uocant, Angelicam salutationem. Hoc institutum, ut monachi impijssime interpretati sunt, ita hypocritæ pessime eo sunt abusi. Fingunt enim beatam Mariam uirginem inuocandam, & ei totam salutem nostram commendandam esse, ac putant se interdiu & noctu patrocinio Marię tutos esse ab omnibus periculis, si hunc cultum flexis genibus peregerint. Etsi autem beata Maria uirgo suas habet laudes, suaqꝫ preconia, quę nunc non est opus recensere, tñ hęc superstitio magna est impietas. Cur enim non potius hoc publico signo utuntur ad commonefaciendum nos nostri officij, ꝓ primum ac nouissimum negotium nostrum esse debeat, ut Christum adnũciatum ab angelo, & natum ex Maria uirgine, ueram benedictionẽ & salutem nostram agnoscamus, & inuocemus, ac uocationi eius obsequamur, pręsertim cum etiam huc uocent nos uerba Elizabethæ, quæ salutationi angelicę adiungi solent, Benedictus fructus uentris tui: Hic em̃ est lapis ille, qui reiectus ab ędificantib. factus est caput anguli, nec est in alio quoquam salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Quare omne studium nostrum in hac re noctesque diesque collocandum est, ut Christum DOMINVM nostrum, ex Euangelio suo, per fidem assequamur, & bonos fidei fructus proferamus. Sed reuertemur nunc ad propositum. Magna & egregia est confessio Nathanaelis. Tu es filius Dei,

Plutar. in uita Coriolani

φίλιππε, ἄνθρωπος εἶ.

Angelicæ salutatiõis pulsus.

Tu es

Tu es rex Israelis, ac plane conuenit cum ea confessione, quę nomine apostolorꝫ, à Petro recitata est, Tu es Christus filius Dei uiui. Quæ runt igitur nonnulli, qui fiat, quod Nathanael non sit etiam cooptatus in numerum Apostolorum. Christus elegit Iudam Ischarioten in Apostolum, quanto dignior fuisset Nathanael? Sunt, qui hoc ita explicant, quod Christus non cooptauerit Nathanaelem in numerum duodecim apostolorum, propter doctrinam & eruditionē eius. Sentiunt enim Nathanaelem fuisse insigniter doctum. Christus aūt maluit habere apostolos rudes & indoctos, ne gloriaretur ulla caro, aut ulla carnis sapientia, de profectu Euangelij & Christianismi in orbe terrarum. Hoc quidem & pie & non inepte dicitur, sed non est manifestum, quod Nathanael non contineatur in numero duodecim apostolorum. Etsi enim alij Euangelistæ non recensent hunc Nathanaelem nominatim inter Apostolos, quid tamen si Nathanael fuisset binominis, & alio nomine apud alios Euangelistas, alio apud hunc Ioannem nostrum uocaretur? certe apparet eum cum apostolis frequenter uersatum esse. Cum enim nonnulli ex Apostolis post resurrectionē Christi abirent piscatum, comitatur eos & hic Nathanael. Sic em̄ dicit Ioannes cap. xxi. Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilęę & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. In hoc loco dicitur Nathanael esse à Cana Galilæę. Quid si ergo is esset, quem alij Euangelistæ uocant Simonem Cananęum, aut iuxta grecam interpretationem, Zelotem? Hoc ut non ausim certo affirmare, ita nō uidetur absurdum. Sed quomodocunqꝫ se hoc habeat, parum retulerit, certe si Nathanael non fuit cooptatus in numerum duodecim Apostolorum, perspicue uoluit Christus significare, quod non concluserit numerum eorum, qui ipsi grati & accepti fuerunt, in numerum duodenarium. Etsi enim Nathanael non continetur in catalogo duodecim apostolorꝫ, nihilominus tñ fuit Christo acceptissimus. Selecti quidem sunt duodecim Apostoli, ut essent publici & ordinarij testes Euangelij Christi, Sed fuerunt & alij prestantissimi uiri, inter q̄s erant Nathanael, Cleophas, Barsabas, qui non minus accepti fuerunt Christo, q̄ꝫ duodecim apostoli. Docemur igitur hoc exemplo, q̄ etsi non sumus uel in Ecclesia Christi uel in rep. ciuili preclaris & illustrib. officijs ornati, tñ si uocationē Christi ex fide sectamur, non est sentiendum, q̄ simus uel à Christo abiecti, uel Christo minus accepti, sed sine ulla dubitatione tenendum est, q̄ quanto quisq̄ maiori fide Christū in sua uocatiōe, q̄uis humili, & abiecta sectatur, tanto acceptior sit Christo, seruatori nostro. Vnusquisq̄ enim, quod fecerit boni, inquit Paulus, hoc reportabit à Deo, siue seruus fuerit, siue liber, nec est personæ respe-

Matthæi 16.

Nathanael non est cooptatus in numerum Apostolorum.

Apostolorum uocatio.

ctus apud illum. Sed audiamus nunc quid uicissim Iesus ad Natha-
» naelem dicat. Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi tibi, uidebam te
» sub ficu, credis, Maiora his uidebis. Et ait illi: Amen amen dico uo-
» bis, posthac uidebitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes
» ac descendentes super filium hominis. Iterum commendat Iesus Na-
thanaelem, ꝓ ex uno, eoꝗ nõ admodum illustri miraculo excitetur, ut credat ipsum, iuxta doctrinam prius auditam, uerum esse Messiam, ac promittit ei spectacula maiorum & illustriorꝫ miraculorum. Pie, inquiens, facis, ꝓ cognito uno tantum miraculo, complectaris me obedienti fide, sed heus tu, plura & maiora miracula cognosces, quibus, me esse uerum Messiam ita probabo, ut nulla dubitatio, nullus uel tenuissimus scrupulus resideat. Videbitis enim cœlum diffindi, & angelos Dei super me ascendere ac descendere. Agite ergo, inspiciamus historias Euangelicas, ut cognoscamus, ubi & quomodo hoc, quod Christus dixit, impletum sit. Ac inuenimus quidem, ꝓ angeli ministrauerint Christo in deserto, in quod post baptismum à Ioanne acceptum, actus erat per spiritum sanctum. Sed manifestum est, hoc cõtigisse, priusq̃ Nathanael Christum cognouisset. Inuenimus etiam angelum de cœlo apparuisse Christo, & corroborasse eum, cũ in monte Oliueti oraret, & sanguinem sudaret. Sed hoc minus uidetur, q̃ quod tantæ promissioni Christi respondeat, quando & patriarchis angeli sępe ac multum apparuerint. Quod si percurramus historias ueteris testamenti, inuenimus quidem, ꝓ patriarcha Iacob, cũ fugeret fratrem suum Esau, & obdormiuisset super lapide, uiderit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlũ, angelos quoqꝫ dei ascendentes & descendentes per eam, & DOMINVM innixum scalæ, sed nusq̃ꝫ in historijs noui testamenti extat, ꝓ Apostoli & discipuli Christi uiderint tale externum & corporale spectaculum, uel in somno uel uigilantes. Et tñ, quod Christus dixit ut est uerissimũ, ita certissime est impletũ. Quare necesse habemus, hęc de apertura cœli, & ascensu ac descensu angelorum super filium hoīs metaphoricõs intelligere, de ijs, quę apostoli in Christo manifeste uiderunt, & audiuerunt, & quibus Christus comprobauit cœlestem suam maiestatem. Sciamus ergo, quæ Apostoli & discipuli in Christo uiderint, & ex ipso audiuerint. Ac initio, audiuerunt contiones eius, de Euangelio suo, ꝓ ipse sit Messias ille, quẽ prophetę promiserunt, & qui est benedictio, salus et redemptio nostra. Deinde uiderunt magna & illustria miracula eius. Nec ea solum uiderunt, sed ædiderunt & ipsi in noīe eius miracula. Dñe, inquiunt, etiam dæmonia subꝗciunt nobis per nomen tuũ. Pręterea, etsi uidebant eũ crucifigi & mori, tamen paulo post uiderunt & cognouerunt manifestissimis ac cer

Gene. 28.

Angelos Dei descendere et ascendere super Christũ, quid sit.

mis ac certissimis argumētis, ipsum resurrexisse à mortuis. Hunc Deus, inquit Petrus, suscitauit tertio die, & exhibuit eum, ut manifestus fieret, non toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis à Deo, nimirum nobis, qui comedimus & bibimus una cum illo, posteaquam resurrexerit à mortuis. Deinde uiderūt eum ascendere in cœlum. Postea, uiderunt & reipsa senserunt spiritum sanctum sibi nomine eius è cœlo mitti, & se admirabilibus donis spiritus sancti ornari. Postremo uiderunt Euāgelion Christi ministerio ipsorum uulgari inter omnes gentes, & comprobari magnis miraculis, quæ ipsi in nomine eius edebant. Hęc fere sunt, quæ Apostoli & discipuli, post hanc promissionem, quæ ad Nathanaelem dicta est, in Christo uiderunt & audiuerunt, & quibus manifeste comprobatum est, Iesum, qui se filium hominis uocat, esse uerum Messiam, aut quemadmodum Nathanael loquitur, filium Dei, & regem Israelis. Videre igitur cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendētes super filium hominis, nihil certe hoc loco aliud est, q̄ uidere & audire Iesum, uerę Messiam, prędicare Euangelion suum, ædere miracula sua, resurrexisse à mortuis, ascendere in cœlum, mittere spiritum sanctum de cœlo, & dominari per Euangelion suum in toto orbe terrarum, à mari usq; ad mare. Nam & hoc illud est, quod quondam adumbratum fuit per somnium patriarchæ Iacob. Vidit enim Iacob scalam stantem in ea terra, in qua dormiebat, cuius scalæ cacumen pertingebat usque ad cœlum, & in qua angeli ascendebant & descendebant, cui etiā Dominus Deus ipse innitebatur. Hac figura uoluit spiritus sanctus significare, q̄ Christus, non hominum tantum, sed & angelorum Dominus, uerus Deus & homo, ambulaturus sit in ea terra, in qua Iacob dormiat, & prædicaturus Euangelion suum, quod & confirmaturus sit cœlestibus miraculis. Itaq; fiet, ut propter Christū, propitius reddatur deus pater, & aperiatur cœlum, quo angeli ascendant & descendant, in ministerium eorę, qui sunt hęredes salutis, & ut hoīes propter Christum in cœlū conscendere queant. Hinc est, q̄ Deus scalę innixus, non apparet Iacobo mutus, sed colloquitur cum ipso, ac promittit ei tria maxima beneficia. Vnum est, idq; longe omnium excellentissimum: Benedicentur in te & in semine tuo cunctę tribus terrę. Hęc est promissio de Christo uenturo ex posteritate Iacobi, & seruaturo oēs in ipsum credentes. Qua promissione nihil est maius, nihil melius, nihil pręstantius. Alterę est: Ero custos tuus, quocunq; prexeris, & reducā te in terrā hanc. Quod & ipsum non est mediocre bnficium. Tertiū: Terrā, in qua dormis dabo semini tuo, eritq; semē tuū quasi puluis terrę. Est et hoc magnū beneficiū. Pollicetur aūt deus Iacobo multiplicationē seminis sui, & possessionē huius terræ, non q̄

Scalæ Iacob interpretatio.

extrema & uera fœlicitas hoc fine terminetur. Multam enim haberē posteritatem, & possidere unam aut alteram regionem huius terræ, per se nihil facit ad habendam ueram durabilem & perpetuam fœlicitatem. Sed deus pollicetur Iacobo hoc beneficium, ut instituatur in hac terra politeia tam ciuilis quam ecclesiastica, in qua conseruentur promissiones de Christo, donec ueniat, & ut sit certus populus, in quo Christus, uerus seruator, nascatur, & certa terra, in qua Christus habitet, ac Euangelion suum contionetur. Nam hūc esse finem, propter quem, deus dederit Israelitis hanc terram, & instituerit in ea Israelitica politeiam, Iacobus ipse, perspicue significat. Postq̄ em̄ euigilasset, non cōstitit & ipse mutus, sed Vere DOMINVS, inquit, est in loco isto. Et mox. Quam terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus dei, & porta cœli. Non loquitur autem Patriarcha de eo tantum loci spacio, in quo ipse dormierat, Sed de tota terra, quę ipsi promissa erat, Nec sentit, hanc terram idcirco dicendam esse domum dei, & portam cœli, quod postea ędificatum sit in ea templum, & institutum externum propitiatorium. Etsi enim, etiam propter hāc causam dictum est, DOMINVM habitare in hac terra, tamen ea nō est prēcipua & maxima omnium, Sed patriarcha uocat illam terram, domū dei & portā cœli, propterea q̄ ex promissione dei cognouerit Christum uerum filium dei in hac terra nascituręz, & Euangelion suū prædicaturum. Vbi enim Christus est, ibi uere est, DOMINVS Deus noster, ibi est & domus Dei, & porta cæli, Nam & in Christo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, et Christus ipse tam porta est cœli, quam scala, in qua ad cœlum conscenditur. Cum enim expiauerit peccata, & reconciliauerit nos cum Deo patre, ut adoptemur in filios & hęredes dei, ac consequamur propter ipsum, si in eū crediderimus, cœlestem hæreditatem, quid conuenientius de eo dici posset, q̄ q̄ sit scala, qua ascenditur ad cœlum, & sit porta, qua intratur in cœlum? Alij alias scalas, alij alias portas cœlo affingunt. Hypocritæ, Iudæi, & Turcæ, sperant se ascensuros & ingressuros in cœlum, per intercessiones sanctorum, per merita suæ iustitiæ, per superstitiones, & prodigiosos cultus Dei. Sed hi omnes aberrant a' uera scala & porta cœli. Vna enim est uera scala, una est uera porta cœli, Iesus Christus dominus noster, a' quo qui aberrauerit, a' tota sua salute aberrat. Non est autem sentiendum, q̄ ea tātum terra in qua Christus natus est, & prædicauit Euangelion suum, sit domus Dei, & habeat scalam ad cœlum, ac portam cœli. Postquam enim Euangelion Christi uulgatum est in totum orbem terræ, inter omnes gentes, tūc ubicunq̄ prædicatur Christus inter gentes, & in quacunq̄ ciuitate, in quacunq̄ parochia, in quocunque loco adnunciatur Euangelion Christi, i-

Canaan terra Israelitis data, in quem finem.

Scala in cœlū Christus.

Christi, ibi est scala ad cœlum, ibi est porta cœli, ibi angeli ascēdunt & descendunt, & tuentur etiam in media morte omnes eos, qui credunt per Euangelion, in Iesum Christum. Omnino enim fide opus est, ut in hac scala ascendas, & per hanc portam ingrediaris cœlum. Non ascenditur fiducia suæ iustitiæ, sed hac descenditur potius in infernum. Nec ascenditur sceleribus & flagitijs. Hæc enim sunt scala, qua descenditur ad interitum, Sed ascenditur fiducia diuinæ clementiæ in Christo Iesu Domino nostro, & ascenditur obedientia ex fide, qua uidelicet fit, ut in cœpto ascensu perseueremus. Quare, cum hoc tempore, Euangelion Christi etiam inter nos, beneficio Dei, syncere adnuncietur, & uera porta cœli per Euangelion sit tota patefacta, agitedum amicissimi, expergiscamur, et capessamus uocationē nostram, ut per hanc portam ingrediamur ad cœlestia gaudia, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

CAPVT SECVNDVM

HOMILIA XXI.

NIHIL NOTIVS, NIHIL TEstatius nobis esse debet, q̄ Iesum filium Mariæ, esse uerum Christum & seruatorem nostrum. Sunt autem præcipue duo testimonia, quibus maiestas Iesu reuelata & confirmata est. Alterum, est testimonium, quod Ioannes Baptista de ipso dixit. Alterum, sunt miracula, quę Iesus ipse diuina uirtute ædidit. Cum igitur Euangelista exposuerit in superiori capite, testimonium Baptistę de Iesu, & commemorauerit Baptistam discipulos suos ad sectandum Iesum excitasse, aggreditur nunc ad descriptionem miraculorum & doctrinæ Iesu, ut manifestum & perspicuum nobis fiat, non esse alium Christum & seruatorem, præter hūc Iesum Nazarenum. Etsi enim & hoc inter miracula merito recensendum est, q̄ Iesus uiderit Nathanaelem procul sub ficu, de quo supra dictum est, tamen hoc inter priuata potius q̄ publica miracula, referri debet. Nam inter publica miracula, primum omniū fuit quod Euangelista nunc cōmemorat, in Cana Galilæę editum esse. Videamus igitur rem gestam, & expendamus usum illius ea diligentia, quæ in

IESVM esse Christum testimonijs confirmatum est

,, tanto ſalutis noſtræ negotio maxime adhiberi debet. Die tertia, (ui-
,, delicet poſtq̃ Ieſus profectus eſſet in Galilæam) nuptiæ fiebant in
Cana Galilæa. Cana Galilæa. Hæc Cana ſita fuit in tribu Aſſer, quemadmodum in
Ioſua cap. decimo nono ſcriptum eſt: Fuit & alia Cana in tribu Ephra
Pro hac Cana uulgata tralatio in Ioſua habet, Arundineti. im, de qua ſcriptum eſt in Ioſua capite decimo ſexto. Sed miraculum,
quod ſequitur, editum eſſe in illa altera Cana, quę eſt in tribu Aſſer,
Euangeliſta ſignificat, cum uocat eam Canam Galilæę, ac meminit
tam diligenter huius loci, ut etiam hoc teſtimonio certitudinem mira
,, culi confirmet. Et erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem & Ieſus, ac
,, diſcipuli eius ad nuptias. Hic fortaſſis non eſſet importunum expone
re, quid ſibi Chriſtus uelit, quod & ipſe qui uenerat ad prædicandũ
regnum cœleſte, acceſſerit ad nuptias terreſtres, & adduxerit ſecum
diſcipulos, quos hactenus uocauerat, ſed percurremus ante, quę Euan
geliſta de miraculo in his nuptijs edito conſcripſit. Sic enim res ipſa
declarabit Chriſtum non ueniſſe cum diſcipulis ſuis ocioſe ad has
,, nuptias. Et ubi defeciſſet uinum, dicit mater Ieſu ad eum. Vinum non
,, habent. Sentiunt quidam, Mariam excitatam eſſe ad interpellandum
apud filium ſuum pro nouis coniugibus, ambitioſo affectu. Etſi au-
tem extant aliâs quædam ſignificationes, quæ teſtantur nihil huma-
Maria uirgo, peccatrix. ni alienum fuiſſe a Maria, quippe quod & ipſa contineatur in publi-
co humani generis iuditio. Propter unum hominem, peccatum in
mundum introijt. Et, Non iuſtificatur in conſpectu tuo omnis ui-
uens. Ac iterum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. Nec
ſanctorum facta, quæ ſcriptura ipſa manifeſte pro erratis iudicat &
damnat, aut excuſanda, aut defendenda ſunt, tamen quia Maria non
ſinit ſe reſponſo Chriſti, quamuis duro, a propoſito repelli, ſed for-
titer pergit & urget, ac etiam impetrat, quod petijt, haud obſcure ap-
paret, magno eam & bono tum caritatis tum fidei affectu interpellaſ-
ſe pro coniugibus Nam quod Chriſtus repellit eam mox duriſſimo
reſponſo, non eſt proprie damnatio facti, ſed tantum tentatio fidei
Mariæ caritas. Mariæ, quemadmodum poſtea indicabimus. Affectus ergo caritatis
in Maria hic eſt, quod cum uideret nouos coniuges propter pauper-
tatem & penuriam uini publice coram honeſtis conuiuis pudefieri,
ſuſtulerit in ſe onus eorum, & perinde animo commota ſit, ac ſi ipſi,
quicquid id eſt aduerſi, accideret. Graue enim eſt onus paupertatis,
Paupertas onus graue. & deijcit non tam oculos quam animum uiri, alioqui optimi, ac quan
to quis honeſtiori ingenio præditus eſt, tanto magis ſtudet pauper-
tatem ſuã, quoq̃modo poteſt, cęlare. Putat enim eam magno ſibi pro-
bro ac dedecori eſſe. Sed hic uide mihi, quantum homines errare ſo-
leant. Manifeſtum quidem eſt, quod paupertas initio intrauerit in
hunc mundum propter peccatum. Poſtq̃ enim noſtri primi parentes
peccaſſent,

peccassent, eijciuntur è paradiso in paupertatem, & necesse habent sibi sudore suo uictum parare. Et in Deuteronomio dicitur, Si noluerís uocem DOMINI dei tui audire, maledictus eris in ciuitate, in agro, egrediens & ingrediens, seruies inimico tuo in fame, siti, nuditate, & omni penuria, hęc autem magna est hominum peruersitas, ꝙ multo plus affitiantur onere paupertatis, quàm onere peccati, ac magis trepident ad paupertatem, ꝗ ad peccatum. Quis enim non studet magis cælare paupertatem suam, ꝗ scelera sua? Homines peccant publice, sine omni pudore, nunc diris execrationibus, nunc impostuis, nunc conuitijs, nunc scortatione, nunc helluatione, alijsꝙ sceleribus, quæ, ut nunc sunt mores, propemodum sibi laudi ducunt, certe de ipsis aliquoties ne uerentur quidem gloriari, cum interim sentiant nihil esse probrosius & ignominiosius paupertate. Quid hoc iuditio, quid hac animi sententia magis peruersum? Ante omnia enim, pudere nos debet peccati, de quo paupertas nos admonet, ut excitati agnitione peccati, quęramus in Christo seruatore nostro, peccati remissionem. Hac impetrata per fidem, paupertas non est amplius pudori, sed honori. Christus enim DOMINVS noster sua paupertate, paupertatem ita sanctificauit, ut quotquot sunt membra Christi per fidem, cõsequantur in paupertate ueras, cœlestes, & perpetuas diuitias. Quare nihil prius nobis agendum est, q̃ ut simus Christi, quo solo honesta nobis fiet paupertas. Sed redeamus ad institutum. Cum Maria cognosceret sua ipsius experientia quàm grauis et dura sit paupertas, & uideret coniuges publice propter inopiã uini pudefieri, interpellat pro ipsis apud filium, ut periclitanti eorum honestati succurrat. Non interpellat, ut doceat Ecclesiam, quo post mortem faciat ipsam mediatricem inter Deum & hominem, & inuocet ipsam, Sed interpellat, ut declaret caritatem suam erga miseros coniuges, & doceat nos suo exemplo, quod alter alterius onera ferre & pro nobis mutuo in hac uita orare debeamus. Habes in Maria excellentis caritatis affectum. Audi nunc fidei affectum. Non enim suscepisset roganduṁ Iesum, nisi credidisset ipsum periclitantibus opem laturum. Sciebat, quæ angelus, cum adnũtiaret conceptum eius, contionatus de ipso fuerat. Conseruauerat in corde suo, quid pastores, qd magi, quid Simeon, quid Anna prophetissa de ipso prędicauerant. Audiuerat nuper adeo testimonium Ioannis Baptistę. Quare non dubitabat ipsum uerum esse Messiam, & iam offitium Messiæ publice inchoare. De Messia autem scriptum est, quod sit adiutor in necessitatibus, ꝙ medeatur contritis corde, ꝙ consoletur omnes lugentes. Confidit ergo fore, ut cum Iesus, qui sit uerus Messias, uideat necessitatem luctũ & miseriam pauperũ coniugum, subueniat ac opituletur eis. Hęc est

Mariæ fides.

magna & memorabilis Marię fides. Sed audiamus nunc, quomodo
» Iesus excipiat preces Marię. Dicit ei Iesus. Quid mihi, et tibi est mu-
» lier. Nondum uenit hora mea. Hæc siue sic intelligantur, Quid mihi
tecum est negotij? siue aliter, Quid uel ad me, uel ad te, quod uinum
defitiat? certe non solum dura est responsio, sed etiam manifesta re-
cusatio. Nihil mihi est negotij cum hac re. Nondum est tempus, ut
ędam miracula, Abi igitur cum precibus tuis. Ad me nihil pertinet,
quod non habeant uinum. Hoc quid aliud est, cęp si perspicue diceret:
Nolo facere, quod petis? Quid ergo ad hæc dicemus? Quid sibi uult
tam dura filij responsio erga matrem, in negotio admodum honesto?
Num docet Christus liberos cõtemnere, fastidire, ac duriter tractare
matres suas? Nihil certe minus. Nam & ipse fuit subditus parentibus
suis, & tanta cura complexus est matrem suam, ut de cruce commen-
daret eam Ioanni. Sed quod hoc loco inuehitur in matrem tanta du-
ritia, suas habet caussas, quas operęptium est cognoscere. Ac primum
docet uniuersam Ecclesiam, quomodo soleant diuinitus tractari hi,
qui inuocant nomen DOMINI. Nam quod Christus respondet Ma
riæ, uidetur quidem esse recusatio, sed non est nisi fidei eius tentatio.
Solent enim his qui ex fide inuocant Deum, obijci initio aduersa quę
dam, & contraria diuinis promissionibus, idcp nõ ob hanc caussam,
quod Deus non uelit inuocantes ex fide seruare iuxta suas promissi-
ones. Quomodo enim posset Deus esse mendax? Sed ut fidem inuo-
cantium probet, & illustret, ac etiam promissam salutem augeat. Nã
quo diutius differtur beneficij collatio, eo auctius & cumulatius red-
ditur. Quod ut aperte uideas considera, obsecro, mihi exemplum mu
lieris Cananææ, cuius fit mentio apud Matthęum cap. decimo quin-
to. Hæc enim rogabat Iesum pro filia sua à dæmonio exagitata: Roga
bat autem ex fide earum promissionum, quæ de Messia, filio Daui-
dis extabant, id quod ipsa haud obscure significat, cum uocat Iesum,
filium Dauidis, Miserere mei, inquiens, domine fili Dauid. Sed Ie-
sus initio nihil respondet, mox aperte recusat, postremo repellit eam
etiam contumeliose, Non est honestum, inquiens, sumere panem fili
orum, & dare canibus. Quid hoccine est rei? An non scriptum est de
Messia, cp medeatur contritis corde, & consoletur omnes lugentes?
An non Iesus, qui erat uerus Messias, receperat publice, exoneratur-
se oneratos, & refocillaturum afflictos? An non misera mulier inuoca
bat nomen eius ex fide? Quid huic inuocationi deest? Nihil certe:
Hic est afflictio mulieris, hic est promissio dei, hic fides, hic inuoca-
tio ex fide. Sed Christus simulat se abominari preces mulieris, non cp
repulerit eas, sed ut fidem mulieris illustriorem reddat, & maius be-
neficium in eam cõferat. Quod mulieri huic priuatę accidit, hoc solet
omnibus

Christus durus erga matrem.

In inuocatione dei perseuerandum

omnibus pijs in inuocatione nominis dei accidere. Extant promissiones, quod Deus sit seruator noster in omnibus afflictionibus. Deus, inqt, noster refugium, & uirtus adiutor in tribulationibus, quę inuenerũt nos nimis. Et iterũ, Inuoca me in die tribulatiõis, & eruam te, & honorificabis me. Pius aũt quispiam affligitur graui morbo, et petit à deo liberationem, iuxta promissiones. Quid ergo fieri solet? Quo plus inuocat auxilium dei, eo magis augetur morbus, et dolor eius, quo Deus uidetur aperte negare precum exauditionem. Ergo ne Deus oblitus est promissi sui & non exaudiuit orationem? Absit. Non est ista uel obliuio uel neglectio dei, sed tẽtatio fidei, ac fœneratio beneficij. Fœnori enim datur benefitiũ, quod post fideles preces differtur. Extant & promissiones, ꝙ Deus uelit iustum laborem, & negociationem fortunare. Si audieris, inquit, uocem domini Dei tui, benedictus eris in ciuitate, in agro. Et iterum, Expecta DOMINVM, & CVSTODI uiam eius, & exaltabit te, ut hęreditate capias terram. Ecce autem negociator quispiam resipiscit ex fide ab imposturis, & nugis, ac sectatur iusticiam, inuocans nomen DOMINI, Quid ergo accidit? Antea imposturę uidebantur fœlicissimæ, nunc autem iusticia est infœlicissima. Quo iustius enim negociatur, eo pauperior & miserior redditur. Quid hoc aliud uidetur, q̃ manifesta recusatio diuini auxilij? Sed hic nobis considerandum est, ꝙ hęc infœlicitas non sit perditio, sed fidei tentatio, imo maioris fœlicitatis parasceue. De his enim, quæ accidunt inuocantibus DOMINVM ex fide non est iudicandũ secundum externam ipsorum speciem, sed secundum certitudinem & firmitatem diuinarum promissionũ, quæ certe, quicquid acciderit, perpetuo constant. An non & nubes aliquoties inferunt tenebras in hanc terram, et tamen non possunt nobis solem auferre, sed paulo post disijciuntur ipsę à sole, & restituitur nobis clarior splendor eius. Nubes sunt afflictiones, Splendor solis, sunt beneficia diuinitus nobis promissa. Non possunt autem afflictiones diuina promissa irrita & uana facere. Quare etiamsi manifestã paciamur repulsam in ijs precibus nostris, quas ex fide promissionũ Dei suscepimus, tamen pergendum est in inuocatione nominis Dei, per Christum, & in obedientia eius. Sic enim fieri non potest, quin uel tandem maxima nostra utilitate uoti compotes efficiamur. Hęc est una caussa, propter quam Christus matri suæ, interpellanti pro miseris coniugibus tam duriter responderit, uidelicet, ut et fidem eius probaret, & Ecclesiam doceret, quomodo pij in precibus suis diuinitus tractari soleant. Deinde, etsi pietas Marię uehemẽter placet Christo, tamen quia in ędendo miraculo, quod mater petebat, agitur negocium regni cœlestis, respondet Christus matri inhumaniter, ut sig

nificet, cp in regno cœlesti nulla sit prerogatiua carnis. Non enim est personę respectus apud Deum, & quemadmodum in Christo Iesu nõ est Iudæus, necp Græcus, non seruus necp liber, nõ masculus necp fœmina, ita non est mater necp soror, non cognatus, necp agnatus. Oẽs uos, inqt Paulus, unus estis in Christo Iesu. Quod si in Christo nullus est respectus matris aut cognati, quis, obsecro, esset respectus aut regis aut principis, aut diuitis? Hęc sunt discrimina, nõ spiritualis, sed huius corporalis regni. Quare nihil habemus in carne, de quo gloriari possimus coram Deo, Sed qui gloriatur, inquit Paulus, in Dño glorietur. Atcp hęc quidẽ de responso, q̃ Christus excepit p̃ces matris suę. Videamus nunc quid contra Maria fecerit. Dicit mater eius ministris. Quodcuncp dixerit uobis, facite. Quid hac Marię fide potest dici excellentius? Audiuit immitẽ & inhumanã filij responsionẽ, passa est manifestam precum suarũ repulsam, non tamen deijcitur à fide, non dubitat de precũ impetratione, sed iubet ministros pręcepto filij obedire, perinde ac si pspicuis uerbis recepisset se pręsenti necessitati subuenturũ, ac palam dixisset, Mater, recte admones. Venit hora mea, Curabo igitur, ut uinum abunde adsit. Hic nunc de tanta fide tempus fuisset exclamandi, quemadmodũ exclamat Christus de fide mulieris Cananææ, O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Sed Christus seruat decorũ. Filius non laudat matrem, quippe quod mutuę cognatorũ laudationes uideantur magis ex amore carnis, cp ex iuditio spiritus proficisci. Et Salomon ait. Laudet te alienus, & nõ os tuum, extraneus & non labia tua. Etsi aũt Christus non cõmendat matris fidem publica exclamatione, cõmendat tamẽ eam, quod maxime conueniebat, publica miraculi editione. Quod enim mater petijt, hoc Christus diligenter efficit, idcp non ut significet, matrem pro mediatrice & recõciliatrice apud Deum inuocandam esse, sed ut doceat perseuerandum esse in inuocatione Dei, etiãsi uideatur nobis aperte negari, quod iuxta promissiones dei petitur. Audiamus ergo quale & quantum miraculũ edat Christus in his nuptijs. Erant ibi lapidęę hydrię sex positę, secundũ purificationem Iudęorum, capientes singulæ metretas binas aut ternas. Varia fuerunt apud Iudęos genera lauationum, quas uocant baptismata, & horum quædam erant legitima, ac diuinitus instituta, qualis est illa ex aqua expiationis lauatio, de qua scriptum est in Numeris cap. decimo nono. Sunt & lauationes in libro Leuitico, capite decimo quinto, quæ quid adumbrauerint, non est huius loci explicare. Quędam fuerunt ab hominibus excogitata. In ritibus enim religionis homines non solent esse contenti diuinis institutis, sed quo uideantur religiosiores, sua addunt figmenta, ut quod Deus pro ipsorum opinione inchoauit tantum, ipsi absoluant,

Lauationum genera

Talis laua

Talis lauatio fuit, cuius fit mentio apud Marcum, cap. septimo. Pharisæi, inquit, & omnes Iudęi, nisi crebro lauerint manus, non capiunt cibum, tenentes instituta maiorum, & à foro uenientes, nisi loti fuerint, non comedunt. Quare iuxta hanc consuetudinem positę erant in his nuptijs sex hydriæ, quarum singulę capiebant binas aut ternas metretas, (continet autem una metreta decem congios, hoc est, unam pene urnam, qualis quidem in hac nostra regione usitata est) ut inuitati ad nuptias possent se iuxta maiorum suorum traditiones lauatione purificare. Hæc consuetudo, si pro externa & ciuili emundatione obseruetur, suam habet commendationem, nec indiget legum uinculis. Homines enim à natura sic instituti sunt, ut soleant lotis manibus cibum sumere, & sectentur sua sponte hanc externam honestatem. Sed si obseruetur pro cultu diuino, quo fieri debeat uera peccatorum expurgatio coram deo, quemadmodum Christus Pharisęos sensisse significat, cum ait, Non quod ingreditur in os, impurat hominem, ea demum impia est hypocrisis. Quid enim lauatio manus faciat ad lauationem conscientiæ? Lauat quidem nos baptismus aquæ, quo abluimur in nomine patris & filij & spiritus sancti, à sorde peccati coram Deo, non autem lauat nos à peccato, quod sit aqua tantum externa, sed ꝙ hæc aqua sit accepta in inuisibiles manus Christi, & mandato eius infusa nobis per ministrum Ecclesię, ut hoc lauacro consequamur salutem propter Christum. Aqua autem illa, quam Pharisæi ad lauandas manus ante cibi sumptionem instituerunt, habet quidem generalem dei ordinationē, ꝙ lauet corpus, non autem habet uerbū Dei, ꝙ lauet aiam, sicut nec ea aqua, quā hactenus uocarunt, bñdictā, & quā non solū pro foribus templorū, sed in ipsis etiā tēplis utendā proposuerūt. Instituere aūt cultum dei ad abluenda peccata, sine uerbo dei, impietas est. Quare qui sic usi sunt lauatione manuum, ut senserint, se hoc opere purgare animā à peccatis, hi magis sordidarūt se impietate, q̄ purgarunt lauatione. Sed utut hypocritę abusi fuerint hac lauandi consuetudine, alioqui ciuili, certe Christus sumit hinc occasionē ędendi magni miraculi. Dicit eīs Iesus ministris. Implete hydrias aqua. Et impleuerūt eas usq̄ ad sūmū. Queso aūt te, q mutaturus erat aquā in uinum, non poterat uel sine aqua, uinū creare, uel aquam solo uerbo absq̄ opa ministrorum in hydrias infundere? Certe q creauerat cœlum & terrā ex nihilo, potuisset etiā uinum tā sine aqua, q̄ sine ministrorꝝ opa creare. Non indiget uel externa materia, uel alieno ministerio, utitur tñ, partim ut potentiā suam non solū creatiōe ex nihilo, uerꝝ etiam mutatiōe rerꝝ creatarꝝ declaret, partim, ut tāti miraculi testes haberet, & miraculum per ministros illustrius fieret. Nam qui infuderūt aquam in hydrias, testimoniū dixerunt, se non uinum,

Metreta quid sit

Baptismus lauat nos à peccatis.

ſed aquam in hydrias infudiſſe, uſus etiam ipſe hydriarum teſtimonium dixit. Non enim poſitę erant ad capiendum uinum, ſed aquam.
» Et tamen mox hauritur ex ipſis uinum. Dicit enim Ieſus miniſtris, In-
» fundite nunc & ferte architriclino. Et tulerunt. Poſtq̃ aũt guſtaſſet
» architriclinus aquam in uinum uerſam, neq̃ ſciret, unde eſſet, ſed mi-
» niſtri ſciebant, qui hauſerant aquam, uocat ſponſum, & dicit ei: Om-
» nis homo primo loco bonum uinum ponit, & cum inebriati fuerint,
» tunc id quod deterius eſt: Tu ſeruaſti bonum uinum, uſq̃ ad hoc tem
» pus. Nihil eſt, quod hic ocioſe ab Euangeliſta recitetur. Singula em̃ faciunt ad teſtificandum & ad illuſtrandum miraculum. Architriclinus guſtat uinum. Sentit hoc uinum multo melius eſſe priori. Vocat ſponſum, increpat ſponſum, q̃ deterius uinum primo loco poſuerit. Sponſus excuſat. Vocantur miniſtri. Hi rem geſtam ordine exponũt. Conuiuæ ſunt huius rei auditores & ſpectatores. Itaq̃ manifeſtum fit omnibus, quod Ieſus fecerit uinum ex aqua. Magnum hoc eſt miraculũ. Multus eſt uſus eius. Sed de uſu eius, ne prolixiores ſimus, q̃ par eſt, in ſequenti homilia, ſi DOMINO uiſum fuerit, dicemus. Nunc auctarij uice hoc tantum adijciemus, q̃ cum architriclinus dicat, Omnis homo primo loco bonum uinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Tu ſeruaſti bonum uinum, uſq̃ ad hoc tempus, haud obſcure adumbretur in adminiſtrandis rebus lõge aliam eſſe rationẽ huius mundi, q̃ DOMINI noſtri Ieſu Chriſti. Nam quemadmodũ in alijs conuiuijs, hoĩes primo loco ponunt bonum uinum, poſtremo autem deterius, ita hic mundus benefacturus amicis ſuis, initio oſtendat eis magnas uoluptates & delicias, ſed nouiſsime dimittit eos magna triſtitia & infœlicitate affectos, & ut in hoc conuiuio, in quo Chriſtus preſto adeſt deterius uinum primo loco ponitur, optimum aũt poſtremo loco, ita Chriſtus benefacturus amicis ſuis, potat eos initio aqua tribulationis & uino cõpunctionis, obijcit eos uarijs afflictionibus & calamitatibus, nouiſsime aũt potat eos torrente uoluptatis, & uino ſuauiſſimo lętificante corda hominũ. Amen amen dico uobis, inqt, plorabitis & lamentabimini, mundus cõtra gaudebit. Vos aũt mœrore afficiemini, ſed mœror ueſter uertẽ in gaudiũ. Et iterũ: Eritis odio habiti ab oĩbus propter nomẽ meum. Verũ, qui ſuſtinuerit uſq̃ ad finẽ, hic ſaluus erit. Quare ſi hic mũdus blandiat nobis ſua fœlicitate, nõ efferamus nos inſolenter, ſed timeamus dñm, et meminerimus fœlicitatẽ huius mũdi ſolere ſecũ repentinã infœlicitatẽ adducere. Si uero iactemur uarijs afflictiõibus, non deſpondeamus animũ, ſed fidutiã hanc concipiamus, q̃ breui ſecutura ſit liberatio ab oĩbus malis, per Ieſum Chriſtũ dñm noſtrũ, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXII.

Erstrinximus historiam miraculi, quo Christus in nuptijs mutauit aquam in uinum. Recepimus autem nos etiam de usu eius miraculi dicturos. Quare, quod sumus pollitici, nunc quantum DOMINVS dederit pro uirili nostra prestabimus. Hoc edidit, (inquit Euangelista) « initium signorum Iesus, in Cana Galilee, « & manifestauit gloriam suam, & credide « runt in eum discipuli eius. Cum igitur Iesus inchoauerit hoc miracu« lo exercitium miraculorum, quorum multa & uaria postea edidit, debet nobis commendatissimum esse. Ac primum, Euangelista ipse perspicue indicat usum eius, cum ait. Manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius. Nam Ioannes Baptista testificatus est hactenus de Iesu, ꝙ sit uerus Messias, seu Christus, nec ipse dissimulauit se esse Messiam, qua gloria, qua maiestate nihil potest dici excellentius. Quám magna enim, & ꝗ̃ preclara prophete de Messia uaticinati sint, & publice extat, & non est nunc locus commemorandi. Humilitas autem personæ Iesu non uidebatur tante maiestati respondere. Non incedebat comitatus uel equitatu uel peditatu. Non habebat satellites, qui ipsum tuerentur, non principes, qui ipsum obseruarẽt, & seruirent. Audiebatur tantum doctrina hunc esse Messiam. Quare diuinitus ordinatum & constitutum est, ut Iesus ederet miracula, quibus doctrina illa confirmaretur, hoc est, maiestas Iesu reuelaretur, & fides discipulorum, qui testificaturi erant in toto orbe terrarum, Iesũ esse uerꝫ Messiam, corroboraretur. Opera, inqt Christus, quæ dedit mihi pater, ut perficiã ea, ipsa, inq̃ꝗ, opa, que ego facio, testificant de me, ꝙ pater miserit me. Et iterum: Credite mihi, ꝙ ego in patre sum, & pater in me, alioqui propter ipsa facta credite. Ac postea. Multa & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorũ suorꝫ, que nõ sunt scripta in libro hoc. Hec autem scripta sunt, ut credatis, ꝙ IESVS, est CHRISTVS ille filius dei, & ut CREDENTES uitam habeatis per nomen eius. Ergo, cum & hoc miraculum, quod Iesus edidit in Cana Galilæe, non solum sit initium miraculorum Iesu, sed etiam sit unum è precipuis & clarissimis, manifestum est, ꝙ & editum & scriptum sit, ut CREDAMVS Iesum esse Christum, & ut CREDENTES, uerã ac eternam habeamus propter ipsum fœlicitatem. Deinde consideranda est editi miraculi circumstantia. Iesus enim edidit hoc miraculũ, in legitimis nuptijs, quo haud obscure significauit, se approbare coniugiũ. Necessariũ aũt fuit, ut Christus testificaretur se coniugium in Ecclesia sua approbare. Satan enim, ut est hostis omnium diuinarꝫ ordinationum, ita etiã maxime insidiat ordinationi &

Miracula reuelãt gloriã Christi.

Coniugium Probatur à Christo.

institutioni coniugij. Quare miros semper excogitauit astus, quibus legitimum coniugium in Ecclesia Christi aboleat, Et Paulus ad Timotheum scribens, doctrinam prohibentem contrahere matrimonium, uocat doctrinam dęmoniorum, & spiritum impostorem. Itaq; postq; Euangelion Christi uulgatum est in orbem terrę excitauit Satan initio turpissimam sectam, in qua promiscue & communiter utebantur mulieribus, Hos uocabant Nicolaitas. Post hos oriebantur instinctu Satanę, qui palam damnabant nuptias, ac sentiebant eas esse pares scortationibus, ideoq; nullum recipiebant in communionem Ecclesiæ suę, utentem coniugio. Hi dicti fuerunt Tatiani, & Encratitæ. Deinde introducta est in Ecclesiam Christi professio Monachorum & sacrificulorum, qui uouerunt perpetuum cælibatum, & abstinentiam à legitimis nuptijs. Hi etsi utcunq; permiserunt alijs coniugium, tamen ut deterrerent suos à coniugio, dixerunt uirginitatem replere paradisum, nuptias autem terram, perinde ac si hi, qui in legitimo coniugio uiuunt, non pertinerent ad paradisum. Et definierunt coniugium, quod in coniugio esse, sit in carne esse, & cubilibus ac immunditijs seruire, adeoque procul à castitate & sanctitate abesse. Qua definitione, quid, obsecro, aliud significarunt, quam se sentire quod coniugium sit impurum genus uitæ, in quo nemo possit Deo placere? Hæc certe ipsissima est doctrina dęmoniorum, ut Paulus ait: Aliquoties meditatur Satan inuehere in Ecclesiam Christi polygamiam, quemadmodum iam inuexit in Turcismum. Etsi autem polygamia concessa fuit Patriarchis diuinitus, sua quadam ratione, tamen quia naturalis fert honestas, ut unus uir, uni tantum mulieri iungatur, polygamiam sic usurpare, ut ducas simul, quot uelis uxores, & iterum quando uelis, abijcias, non est coniugium seruare, sed prętextu tantum coniugij, scortationem sectari. Quòd si uero Satan non potest persuadere, ut instituatur polygamia, hoc saltem conatur, ut inter unum uirum, & unam uxorem, legitimo coniugio iunctos, excitet odia, dissidia, contentiones, pugnas, diuortia, nonnunquam & homicidia. Tam uirulento odio prosequitur hic spiritus legitimum & honestum coniugium. Ac uide etiam mihi, qua usus sit arte, ut & has nuptias, quas Christus in Cana Galilæę, miraculo commendauit, sordidaret. Subornauit enim quosdam, qui finxerunt sponsum harum nuptiarum fuisse Ioannem hunc Euangelistam nostrum, & abductum à nuptijs sponsam suam reliquisse, Quo exemplo docent, quod liceat post sponsalia, quãtumcunq; rite peracta, relinquere sponsam, & suscipere professionem Monasticam. Quęso autem te, quo argumento probas hunc sponsum fuisse Ioannem Euangelistã? Num putas humana somnia recipienda esse pro

Nicolaitæ

Tatiani & Encratitæ

Coniugij definitio monastica.

diuinis

diuinis oraculis? Ac fingamus Ioannem & sponsum fuisse harum nuptiarum, & abductum esse á nuptijs, num idcirco concedendum est, ut unicuius pro suo arbitrio liceat sponsam suam legitime acceptam derelinquere, & monasticum genus uitę suscipere? Faciemus ne è personalibus uocationibus generales? Sed hoc est merum Satanæ commentum, qui hoc mendatium idcirco finxit, ut autoritatem, quam accepit coniugium ex his nuptijs, subuerteret, ac doceret, diuinam ordinationem transgrediendam esse propter humanam traditionem. Ecce nim Dominus noster Iesus Christus nõ accessit ad has nuptias ut abductione sponsi, labefactaret honestatem cõiugij, sed ut editione miraculi sanctitatem eius approbaret. Nam coniugium non est humana prudentia excogitatum, sed diuinitus institutum, idq; magnis & memorabilibus caussis, quarum aliquas operæ precium est recensere, ut coniuges discant, in quam sancto uitę genere, seu, si ita libet uocare, ordine, uersentur, & officij sui admoneantur. Vna igitur caussa institutionis coniugij hæc est, ut coniugio propagetur quidem posteritas in hac terra, non autem ut repleatur tantum terra, & fiant ciues terreni, sed potius ut propagetur Ecclesia Dei, ut repleatur paradisus, & fiant ciues cœlestes. Cum enim Deus creasset masculum & fœminam, benedixit eis ut crescerent & multiplicarentur, ac additur quidem, ut replerent terram, hic autem non est præcipuus finis creationis & coniugij hominum, sed potius ut colerent paradisum, & sequerentur uocationem Dei, quo retinerent cœlestem & ęternam beatitudinẽ. Hoc enim est, quod Moses docet in Genesi, cum ait: Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradisum uoluptatis ut operaretur & custodiret illum. Et iussit eum abstinere ab arbore scięntię boni & mali, ne moriatur. Postq; autem homo peccauit, & eiectus est é paradiso, ut in sudore uultus sui uescatur pane suo donec reuertat in terrã, multo minus sentiendum est, pręcipuum eius finem esse, ut hanc terram impleat, sed potius, ut in hac terra inquirat uiam reuertendi ad ueram uitam, quam peccato amisit, & redeundi ad paradisum, ac cœlestia bona è quibus propter peccatum eiectus est. Non possunt autẽ cœlestia bona recuperari, nisi uera cognitione diuinæ misericordię, quę misericordia non cognoscitur nisi per semen mulieris, aut per semen promissum Abrahę, hoc est, per Iesum Christum Dñm nostrę, propter quẽ solum deus est misericors his, qui credũt in ipsum. Quare pręcipuus finis hoĩs in hac terra est, non ut tm̃ repleat terrã, non ut in terrenis bonis acquiescat, sed ut discat cognoscere Iesum Christum filiũ dei, seruatorẽ nostrę, quo recuperet cœlestẽ hęreditatẽ. Huc etiã uocat hoĩem deus p̃cepto suo. Diliges, inqens, Dñm deum tuũ ex toto corde tuo, ex tota aĩa tua, & ex tota fortitudine tua. Quõ autẽ, non

Coniugij institutio.

Hominis uerus finis.

dico, perfecte diliges, sed incipies saltem diligere Deum, si non cognoueris misericordiam eius? Quomodo autem cognosces misericordiam Dei absq; Christo, domino nostro? Si enim iniquitates obseruaueris DOMINE, DOMINE quis sustinebit? In solo autem Christo nõ obseruat DOMINVS iniquitates. Maximum igitur omnium officium hominis in hac terra est, ut cognoscat Christum, quo per ipsum cognoscat clemẽtiam Dei, & seruetur. Quare, etsi coniugium institutum est ad replendam terram, tamen quia pręcipuũ hominis officium in hac terra est, ut discat & doceat Christum seruatorẽ nostrum, per quem contingit credentibus cœlestis hęreditas, manifestum est, coniugium maxime omnium institutum esse, ad propagãdam Ecclesiam Christi, & ad educandos cœlestes ciues. Itaq; parentes sunt primi Ecclesiæ ministri, in hunc pręcipuè usum positi, ut foueant Ecclesiæ membra, educent Christo cohęredes, & tradant cœlo ciues. Nonnulli Ethnicorum legislatores iudicauerunt ἀγάμους, hoc est cœlibes, non solum reprehensione sed etiam pœna dignos. Etsi autem hæc seueritas non est laudanda, quippe cp coniugium debeat esse liberum, & Paulus ait. Vnusquisq; proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius autem sic, tamẽ manifeste significarunt, quàm honeste de coniugio senserint, & quanto studio erga rempub. ciuibus augẽdam affecti fuerint. Fuerũt politiæ, in quibus sua erãt trium & quatuor, & quinq; liberorum iura & immunitates. Quòd si politici homines tanti fecerunt tradere & relinquere post se aliquot ciues terrenæ ciuitati, multo pluris faciẽdum est, si quis ex coniugio suo tradat ciues cœlesti ciuitati. Traduntur autem liberi cœlo, non si includantur in impia monasteria, sed si erudiantur in doctrina ueræ religionis, & tradantur, si quidem hoc conditio eorũ exegerit, honesto coniugio. Non eo inficias, quin liberi sæpenumero degenerent à bona parentum eruditione, & fiant ciues inferni, sed si parentes fecerint suum officium, pro sua uirili, non imputabitur eis liberorum impietas. Pater, inquit scriptura, non portabit iniquitatẽ filij. Et ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Et aliâs. Si nõ fuerit ibi filius pacis, reuertet ad uos pax uestra. Quòd si uero parentes maiorem habeant curam pecorum & boum, cq; liberorum, ac liberi neglectione parentum impij fiant, ibi tum liberi moriuntur quidem in impietate sua, sanguis autem eorum de manu parẽtum requiretur. Quare coniugum & parentum est, meminisse officij sui, ut quos Deus ipsis liberos dederit, non tantum educent in doctrina opificiorum aut negociationum, ut fiant ciues terreni, sed maxime omnium educent eos in uera doctrina pietatis, ut fiant ciues cœlestes. Alia caussa, propter quam Deus instituit coniugium hæc est, uidelicet,

Plato in leg. 5

1 Cor. 7.

uidelicet, ut uitetur immundicia & ſcortatio. Paulus enim ad Corinthios ſcribens, Ad uitandam, inquit, ſcortationem ſuam quiſq; uxorem habeat, ac ſuum quæq; uirum. Sunt enim quibus deus non dat liberos, nihilominus tñ legitimum eſt coniugium ipſorum, propterea q̃ coniugium inſtitutũ & confirmatũ ſit diuinitus non tm̃ ad procreandos liberos, ſed etiam ad uitandam ſcortationem. Hic autem conſiderandum uenit, quàm longe differat prudentia ſpiritus ſancti à prudentia hypocritarum, & monachorum. Manifeſtum enim eſt, quòd immundicia & ſcortatio ſit diuinitus prohibita. Fugite, inqt Paulus, ſcortationem. An neſcitis, quod corpora ueſtra, membra ſint Chriſti? Num ergo tollens membra Chriſti, faciam ſcorti membra? Et iterũ, Neq; ſcortatores, neq; molles neq; adulteri accipient regni dei hereditatem. Hypocritę igitur excogitarunt monaſteria, ſolitudines, ſordida indumenta ſaccorum, triduana & quatriduana ieiunia, chameunias, flagella, & multa alia, quibus efficerent, ut uitarent immundiciam & ſcortationem. Spiritus ſanctus autem inſtituit legitimum coniugium, ad uitandam ſcortationem, Cuius ergo conſilium iudicas altero prudentius? Et quod utilius eſt ſectari? Hypocritæ dicunt, Vt uites immundiciem, ſecede in monaſteriũ, Spiritus ſanctus autem dicit, Vt uites immundiciem, duc uxorem. Quęſo te, uter melius ſaluti tuę conſulit? Certe ſpiritus ſanctus eſt ſectandus, qui cum inſtituerit coniugium ad uitandam immundiciem, non obſcure ſignificauit, coniugium eſſe coram Deo mundiciem, pudicitiam, caſtitatem & ſanctitatem. At em̃ non oibus libet aut licet inire coniugium. Recte, Coniugium debet eſſe liberę. Vnuſquiſq;, inquit Paulus, proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius autem ſic. Non eſt autem liberum, Scortari. Quare ſi cui non libet, aut licet contrahere coniugium, neceſſe habebit honeſtam, & pudicam ducere uitam. Si uero animad uerteris te ad coniugium uocari, neceſſe etiam habebis te ad ſuſcipiendum coniugium prępparare. Hic parumper mihi digrediendum eſt ad adoleſcentes, coniugijs deſtinatos. Quid enim hi faciant, ut ſe prępparent ad ineundum coniugium? Num curſitent ad choreas puellarum? Num nocturnis uociferationibus infeſtas reddant plateas? Num geſtent ueſtimenta ubiq; propemodum ſciſſuris pellucida? Num ſcortentur? Nihil certe minus. His enim moribus prępparabis te ad deſcenſum inferni, non ad honeſtatem coniugij. Quid igitur facias? Primum, neceſſe eſt ut coniuges ſint doctores & gubernatores familię, in uera religõie. Oſtendimus enim ſupra, quod coniugium ſit inſtitutum ad propagandam Eccleſiam Dei, & ad educãdos ciues cœleſtes. Quare neceſſarium eſt, ut inituri coniugium, ante omnia diſcant ueram religionem, quę eſt in Chriſto Ieſu ſeruatore noſtro, quo

Scortatio uitanda.

Coniugij libertas.

Coniuges doctores.

possint eam docere familiam suam. Deinde, coniuges debent esse œconomi. Ad œconomiam autem pertinet, familiæ uictum parare. Porro, uaria sunt genera parandi uictus, de quibus nunc non est sigillatim dicendum. Faciam tantum unius mentionem, quod est exercitium opificij, aut negociationis. Hoc enim genere uulgus hominū solet sibi uictum parare. Quare contracturi matrimonium debent antea diligentissime discere opifitium suum, ad quod uocati sunt, ut labore suo egestatem familiæ sustentare queant. Pauca quidem dicuntur, sed magna exiguntur, uidelicet, quod inituri coniugium, debeant secum ad nuptias afferre ueram cognitionem Christianismi, & rectam scientiam œconomię, quæ ut sunt magna, ita necessaria sunt offitia eorum, qui uolunt pie coniugio uti. Et si hęc sectatus fueris, ut recte te pręparabis ad coniugium, ita non potes maiores aut meliores opes ad nuptias afferre. Sed hactenus de altera caussa institutionis cōiugij. Recenseamus & aliam. Mysterium hoc magnum est, inquit Paulus, uerum ego loquor de Christo & Ecclesia. Institutum igitur est coniugium, ut adumbret eam coniunctionem, quæ est inter Christū & Ecclesiam suam. Hęc caussa etiam diligenter est consideranda. Sunt enim, qui nec habent liberos, nec uersantur propter senium, aut aliam quandam caussam, in periculo scortationis, nihilominus tamen legitimum est coniugium, si modo alioqui rite contractum fuerit. Non laxamus hic frena impudicis, senio tamen confectis, uiduis, sed explicamus ueram coniugij rationem, & consulimus imbecillitati conscientię, Tametsi enim tale ineas coniugium, in quo nec speres liberos, nec necesse habeas mederi immunditiei, tamen uel hac caussa legitimum est, quod admoneat nos mystici illius coniugij, quod est inter Christum & Ecclesiam suam. Nam cum institueretur coniugium, dixit Adam de uxore, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quod etsi dictum est de externa uxore hominis, longius tamen respicit, ad Ecclesiam uidelicet, quę est uxor Christi. Sumus enim mēbra, ut Paulus ait, corporis eius, ex carne eius & ex ossibus eius. Deinde dictum est, Hęc uocabitur VIRGO, quoniam de uiro sumpta est. Respicit & hic spiritus sanctus ad Ecclesiam Christi. Nam quemadmodum uirgo ducta à uiro in matrimonium, statim fit particeps omnium iurium & bonorum uiri. Cognominatur à uiro, Sumit dignitatem à uiro, Si uir habet ius ciuitatis, statim habet & ipsa ius ciuitatis. Si uir eligitur in regem, statim & ipsa electa est in reginam. Sunt enim una caro, ita Ecclesia tanta propinquitate coniuncta est Christo, ut non solum nomen eius suscipiat, sed etiam participet dignitatem & maiestatē eius. Christus est filius Dei. Fit & Ecclesia, propter Christum, filia dei. Christus est DOMINVS mortis & inferni, fit & Ecclesia prop

Coniuges œconomi.

Seniorū coniugia.

Coniugium inter Christū & Ecclesiā.

clesia propter Christum domina mortis et inferni. Christus est heres oim cœlestium et diuinorꝝ bonorum, fit & Ecclesia coheres: Breuiter ex Christo & Ecclesia fit una caro, seu unũ corpus, ut oia inter se communia habeant, & simul oibus diuinis bonis fruãtur. Huc accedit, qꝑ & dictum est: Relinquet homo patrem & matrem, & adherebit uxori suę. Pertinet & hoc prꝗcipue ad Christũ & Ecclesiã eius. Christus em̃ tanto amore complexus est coniugem suam, Ecclesiam, ut posthabito paterno suo, hoc est, cœlesti habitaculo, descenderit in terram, factus sit homo, et exposuerit semetipsum pro Ecclesia, ut illam redimeret ac seruaret. Quo amore, quo beneficio nihil potest excellẽtius cogitari. Vides q̃ꝑ sacrę, q̃ꝑ cœlestis rei adumbratio sit coniugium uiri & mulieris. Hoc aũt non solum cognitione percipiendum est, sed etiam in usum transferendum. Primum em̃ uxores admonentur, ut proprijs uiris sint subditę uelut dño, quoniam uir, inqt Paulus, est caput uxoris, quemadmodum & Christus est caput Ecclesię, & idẽ est, qui salutem dat corpori. Itaqꝑ quemadmodum Ecclesia subdita est Christo, sic & uxores suis uiris subditę sint, in oibus, nimirꝝ licitis & honestis. Deinde admonent̃ & uiri, ut diligãt suas uxores, sicut & Christus dilexit Ecclesiã, & semetipsum exposuit pro ea. Sed et Petrus ait: Viri cohabitent secundum scientiam uelut infirmiori uasi muliebri, impartientes honorem, tanq̃ etiã coheredes gratię uitę. Postremo admonentur oẽs pij, ut in aduersis, in morte deniqꝑ ipsa bene confidãt, ac nihil prorsus de salute sua dubitent. Christus em̃ una est caro cum Ecclesia, hoc est, cum unoquouis credente in ipsum. Aduersa aũt non possunt opprimere Christum, quõ ergo opprimerent credẽtem, qui est una cum Christo caro? Mors nõ potuit extinguere Christum, sed necesse habuit eum trãsmittere ad ueram uitam, quõ igitur extingueret credentem, & non potius traderet eum uitę? Quòd si uir & mulier hoc modo coniugium suum considerauerint, & ad Christum ac Ecclesiam suam contulerint, tunc hoc genus uitę non solum erit utilissimum, sed etiam iucundissimum in omnibus afflictis rebus solacium. Sed hactenus de caussis, propter quas matrimonium diuinitus institutum est, quas idcirco commemorauimus, ut cognoscamus matrimonium non esse impurũ genus uitę, sed Deo gratum & sanctum, & ut coniuges uocationem suam honestis ac pijs moribus ornent. Reuertamur autem nunc ad exponendum usum miraculi, quo Christus in nuptijs mutauit aquam in uinũ. Nam prꝗter illa, quę supra diximus, Christus ꝗdidit hoc miraculum in nuptijs, ut hoc tanq̃ꝑ certa promissione & sigillo obligaret se subuenturum inopiæ & egestati coniugũ. Nam qui cõtrahunt matrimonium, necesse habẽt derelinq̃re suos parentes, eos nimirũ, qbus antea curę fuerũt, & qui ipsis oia ad uictum

necessaria suppeditarunt. Propter hoc, inqt, relinquit homo patrem & matrem, & adhęrebit uxori suę. Quis ergo subministrabit eis deinceps alimenta? Hic in locũ parentum succedit filius dei, & recipit hoc miraculo, se curatorem fore coniugum, si modo inuitauerint ipsum ad nuptias. Tunc autem inuitatur filius Dei ad nuptias, cum fide per Euaugelion suum agnoscitur, & obedientia fidei colitur. Quęrite, inquit, primum, regnum dei & iustitiam eius, & hęc omnia adijcientur uobis. Quęritur autem regnum dei, cum Christus ex Euangelio cognoscitur. Quęrit̃ iustitia regni dei, cum iusta fidei obedientia pręstatur. Huc accedit, ꝙ deus ꝓmisit auxilium suũ oĩbus ambulantibus in uocatiõe sua. Non in solo pane, inqt, uiuit homo, sed in oĩ uerbo seu uocatione dei. Et aliás. Spera in dño, & fac bonitatẽ, tũc inhabitabis terrã et pasceris diuitijs eius. Ac mox. Nouit dñs dies immaculatorꝫ, et hęreditas eorꝫ inęternũ erit. Non confundent̃ in tẽpore malo, & in diebus famis saturabunt̃. Coniugiũ aũt placet deo, et est uocatio dei. Quare qui in hoc uitę genere pie ambulant, fieri non põt, qn habeant deũ semp protectorẽ & seruatorẽ per Iesum Christũ DñM nostrꝫ, q̃ est una cum patre & spũ sancto deus bñdictus in secula, Amen.

Nuptiæ fœlices, si Christus ad ipsas inuitatus fuerit.

HOMILIA XXIII.

Ene uertat, persequamur institutum Domini nostri Iesu Christi, qui cum fœliciter inchoauerit maiestatem suam excellenti miraculo in Cana Galilæę reuelare, pergit eam tam cœlesti doctrina, q̃ admirãdis factis illustrare & confirmare. Post hæc, inqt Euangelista, descendit Capernaum, ipse, & mater eius, & fratres (sic em̃ uocabant̃ cognati eius) & discipuli eius, & ibi manserunt nõ multis diebus. Hoc etsi uideẽt̃ ociose, ac nullo plane usu ab Euangelista cõmemorari, tñ ut Christus non est uano consilio profectus ad Capernaũ, ita Euangelista non imprudẽter hęc descripsit. Nã Capernaũ, ciuitas fuit, ut Matthęus ait, maritima, iuxta stagnũ uidelicet Genesareth, in finib. Zabulon & Neptalim. Propheta aũt Esaias uaticinatus est multis ante seculis, ꝙ Messias illustraturus sit hos fines doctrina & miraculis suis. Dicit em̃. Primo tẽpore uilis habita est terra Zabulon & terra Neptalim, nouissimo aũt tempore glorificata est uia maris trãs Iordanẽ Galilęę gentiũ. Populus q̃ ambulabat in tenebris, uidit lucẽ magnã, habitantibus in regiõe umbrę mortis, lux orta est eis. Hoc est uaticiniũ de reuelatiõe lucis Euangelij in Galilęa, quẽ admodũ Matthęus interp̃tatur, in finibus Zabulon et Neptalim, in q̃ bus sita fuit ciuitas Capernaũ. Hęc em̃ regio fuit initio inter aliarũ tribuũ terras contẽpta, ac etiã sępius alijs afflicta, ac multis hoĩm ętatib. nihil ex ea prodijt, q̃d esset admiratiõe dignũ. Itaq; fuit gens obscura & abiecta. Propheta aũt affirmat eã postremo tpe, in aduentu Messię

Capernaum

glorificandam & illustrandam, clarissima luce Euangelij, & maximis miraculis. Quare, cum Messias iam adueniſſet, & inchoaſſet officiū ſuum, proficiſcitur iuxta uaticinium Eſaiæ, in fines terrę Zabulon & Neptalim, hoc eſt, ad Capernaum, & quanq̃ non manet illic multis diebus, propter proximum Paſcha, quo proficiſcendum erat ad Hieruſalem tamē paulo poſt redit eo, & non ſolum concionatur ibi Euangelion ſuum publicè, uerum etiam confirmat ipſum multis, magnis, & inſignibus miraculis, ut quod propheta prædixerat, reipſa manifeſte impleretur. Non potuiſſent autem maiora beneficia Capernaïtis & finitimis locis contingere. Finge Monarcham quendam ſubieciſſe Capernaïtis ciuibus multa finitima regna, finge eū ſingulos Capernaïtas ciues, ſingulos reges aut principes creaſſe, quid obſecro, hoc profuiſſet, ſi interim relicti fuiſſent in peccatis, et in tenebris mortis? facti fuiſſent clariores inter homines, non autem beatiores coram Deo. Nunc cum Chriſtus attulerit eis lucem Euangelij ſui, qua & peccata diſcutiuntur, & tenebræ mortis fugantur, & maieſtas regni cœleſtis donatur, propoſitum eſt eis beneficium longe omnium maximum. Sed quęſo te, conſidera mihi diligenter, quem tanti beneficij fructum acceperint Capernaïtæ. Etſi enim Chriſtus ędidit in hac urbe plurimas uirtutes, tamen his non ſunt excitati ad agnoſcendū tempus uiſitationis ſuæ, nec reſipuerunt, ad conſequenda beneficia Chriſti, ſed admirati quidem ſunt aliquoties miracula Chriſti, & extulerunt eum magnis laudibus, perrexerūt autem ire in ueteribus ſuis ſceleribus. Quare non temere exclamat de ipſis Chriſtus, Tu Capernaū, inquiens, quæ es uſq̃ ad cœlum exaltata, uſq̃ ad inferos detraheris. Quoniam ſi in Zodomis ędite fuiſſent uirtutes, quę ędite ſunt in te, manſiſſent uſq̃ ad hodiernum diem. Veruntamē dico uobis, q̃ Zodomis tolerabilius erit in die iuditij, q̃ tibi. Hęc cum nobis de Capernaum ciuitate in finibus Zabulon & Neptalim ſita, recitantur, admoneant nos primum de clementia Dei, q̃ Deus ſoleat humiles & abiectos complecti. Terra Zabulon & Neptalim fuit regio obſcura & contempta, ac multis & uarijs calamitatibus afflicta, Chriſtus tamen filius Dei, non contempſit eam, ſed reddidit ipſam ſua luce illuſtriſſimam. Bene igitur confidamus, in humilitate & obſcuritate. Non agnoſcit nos mundus, agnoſcit tamen Deus, q̃ etſi in altis habitat, humilia tñ reſpicit in cœlo & in terra. Deinde hęc admoneant nos de gratitudine, quā debemus Deo pro luce Euangelij ſui. Ciuitas Capernaū fuit ingrata, non ſuſcepit Euangelion Chriſti ea, qua debuit, obedientia, nec reſipuit ad prędicationē eius. Quare pręfertur ei Zodoma in iuditio dei. Tolerabilius, inquit, erit Zodomis in die iuditij, q̃ tibi. Reuelatum eſt & nobis, clemētia dei, Euangelion Dñi noſtri Ieſu

Euangelion Chriſti, beneficium longe omnium maximum.

Christi. Quid ergo? Num satis est, ut audiamus tantum, & admiremur, & laudemus? Fiunt & hæc oscitanter admodum, plurimi contēnunt, alij cōuitijs etiam insectantur. Fingamus autem Euāgelion tam frequentissime audiri, ꝗ summæ admirationi esse, nondum tamen officio nostro satisfactum est. Beati, inquit Christus, qui audiunt sermonem Dei, sed addit. Et custodiunt illum. Ac Paulus, Regnum dei non est in sermone, sed in uirtute. Quare necessitas salutis nostræ exigit, ut quod nobis reuelatum est Euangelion Christi, obedienti fide excipiamus, & ad capiendum fructum eius, resipiscamus. Nam si ingrati fuerimus, & tempus uisitationis nostræ neglexerimus, non statim qdem solet Deus infligere pœnam. Patiens enim est erga peccatores, dum non uult ullos perire, sed omnes ad pœnitētiam recipere. Veniet autem dies domini, sicut fur in nocte, ueniet dominus serui percussoris in die quo non sperat, & hora, qua nescit, & dissecabit eū partemqꝫ eius cum perfidis ponet. Venturum enim se & ingratitudinem internitione totius gentis punituru, non uerbis tantum, sed & rebus ipsis minatur. Nunc enim immittit pestem, nunc rerum penuriam, nunc incursiones Turcicas, nunc alias quasdam calamitates, quibus nondum quidem opprimitur respub. Dominus autem minatur, se certo permissurum, ut penitus opprimatur, nisi ad prędicationem Euangelij sui resipiscamus. Vide mihi Capernaū, uide & ipsam urbem sanctam Hierusalem, qam DOMINVS tanto fauore cōplexus est, ut uoluerit eā esse metropolim electi populi sui, & ex ea uulgare Euangelion suum in uniuersum orbem terræ, attamen cum non cognoscerent tempus uisitationis suæ, deleręꝫ sunt funditus. Agnoscamus igitur beneficium Dei, & declaremus gratitudinē nostram obedientia, ut ijs bonis quę Euangelion nobis promittit, fœliciter fruamur. Sed pergamus in nostro instituto. Et in propinquo erat Pascha ludęorum, & ascendit Iesus Hierosolymā, & reperit in tēplo eos, qui uendebant boues & oues & columbas, & numularios sedentes. Et cum fecisset flagellum è funiculis, omnes eiecit è templo, oues simul ac boues, & numulariorū æs effudit, mensasqꝫ subuertit. Et ijs qui columbas uendebant, dixit, Auferte ista hinc, nec facite domum patris mei domum mercatus. De festo paschæ alias sœpe dictum est. Quare perstringemus nunc id tantum quod Iesus in hoc festo Hierosolymis fecit. In publicis enim festis, ac pręsertim in die festo paschæ cōfluebat magna Iudæorum multitudo ad Hierusalem, quippe ꝗ lex exigeret, ut ter in anno appareret oē masculinum coram Dño. Cum aūt solenne esset his festis diebus multa & uaria sacrificia offerre, ac conuiuia cōcelebrare, instituerunt in atrio tēpli nondinationes eorꝫ animaliū, quę iuxta legē apta erant ad sacrificia, ouiū uidelicet, boum, & columbarum. Et quo mercatura esset paratior, aderant & numularij, qui mo

Ingratitudo non manet impunita.

netam mutarent. Hoc siue à sacrificulis institutum fuerit, ut maiorem quęstum exercerent, siue à ciuibus usurpatum, ut animātia sacrificijs apta hospitibus carius obtruderent, certe manifesta fuit prophanatio tum templi, tum dierꝫ festorꝫ. Et tñ hoc agebatur prętextu diuini cultus. Non enim dubito, quin affirmauerint se id facere, magis ut cultus Dei promoueat, & Deus sacrificijs frequētius colatur, ꝗ̄ sui compendij gratia. Quare, Iesus, facto ē funiculis flagello eiecit ē templo quoscunꝗ reperit nondinatores, unà cum ouibus & bobus suis, nec his contentus, subuertit etiam mensas numulariū, ut pecunia disijceretur, ac prącepit seueriter uendentibus columbas, ut procul se una cū columbis suis hinc proripiāt. Quid nunc de hoc facto Christi dicendum erit? Quid est, ꝙ libuit Christo nondinatores ē tēplo exigere, flagello potius, ꝗ̄ uerbo prędicationis? Talis em̄ propemodum fuit huius facti species, qualis esset, si quis offerēti numos ad sacrificium Missę pontificię excuteret uiolenter è manibus, & eijceret eū pugnis è templo, aut si quis hoc tempore quo uulgus solet, neglecto auditu uerbi dei, dies festos mutare in publicas nondinas, abigat fuste à foribus templi (quo in loco merces uenales expositę sunt) uendētes & ementes, ac disijciat hinc inde oēs merces eorꝫ. Quis nō iudicaret hāc esse furiosam temeritatem, prąsertim in hoīe priuato? Quid ergo dicemus de Christo? num iudicabimus & ipsum furijs incitatum? Horreamus etiam cogitationē huius rei, tātum absit, ut sic de Christo Domino, et seruatore nostro uel sentiamus uel loquamur. Nam q̄d Christus in eijciendis nōdinatoribus è templo dei fecit, iustissimum fuit, ac sapientissimum. Non est enim obscurꝫ, ꝙ templum dei institutum sit initio diuina ordinatione, à Salomone, & postea restauratū ab Esdra & Zerubabele, in hunc usum, ut sacra diuinitus instituta in ipso peragerentur. Esaias enim scribit: Domus mea, domus oratiōis uocabitur cunctis populis. Quo dicto etsi proprie significatur templum dei patere non tm̄ Iudęis sed etiā alijs populis, si crediderint in semen Abrahę promissum, tñ & hoc docetur, ꝙ tēplum sit sanctificatū & ordinatū ad orationē, hoc est, non ad mercatus, & nondinatiōes, sed ad facienda in eo sacra dei. Cū aūt seu sacrificuli, seu ciues exercerent in eo mercaturas, primū peccabat magistratus, ꝙ tolerauerit tā manifestā uiolationē diuinę ordinationis in tēplo dei. Etsi em̄ is locus per se non fuit sanctior prophano foro, & tēplum in eo loco ędificatum, post aliq̄t annos deuastandū erat, ut uulgato Euangelio pij ubiqꝫ adorarent patrē in spū & ueritate, tñ hic locus fuit eo tēpore diuina institutione & approbatiōe ad aliū usum, ꝗ̄ ad exercēdas nondinationes ordinatus. Et quia magistratus uocatus est ad tuendas diuinas & legitimas ordinationes, neglector fuit officij sui, ꝙ nō uindicauerit pro-

Nōdinatores & numularij eijciuntur è tēplo.

Esai. 56.

Templi Hierosolymitani usus.

phanationem templi. Deinde peccabant & priuati homines, cp post habitis sacris, quibus opera erat publicis diebus festis danda, magis hoc agebant, ut cum aduenis & peregrinis negotiarentur, cp ut rationem tam suæ salutis cp diuinæ ordinationis haberent. Etsi enim negotiatio per se est licita, tamen nondinationibus sic negotiari, ut uioles diuina mandata, & negligas tuam salutem, hæc demum impia est negotiatio. Quare, cum manifesta esset prophanatio templi Dei, & uiolatio legitimæ ac diuinę ordinationis, iustissimum est, ut prophanatores flagellis è templo eijciãtur. Dices autem: Fateor quidem hos nondinatione sua peccasse, Sed quid sentiendum est de facto Iesu hominis priuati? Etsi enim Iesus erat uerus Messias seu Christus, tamen non uenit in hunc mundum, ut legislator, ut ciuilis & externus magistratus, sed uenit ut concionator, ut legis subditus. Regnum, inquiens, meum non est de hoc mundo. Temeritas autem est, si subditus suscipiat priuato suo arbitrio publica officia, quæ ad magistratum pertinent. Vt enim maxime peccauerit sceleratus quispiam, non tamen licet cuiuis priuato in hunc uiolenter grassari, quippe cp magistratus officium sit scelera legitime punire. Quid dicemus ergo de
» hoc facto Iesu Christi? Respondet ad hoc Euangelista, cum addit: Re
» cordati uero sunt discipuli eius, quod scriptum est. Zelus domus tuę comedit me, Hoc scriptum est in psalmo sexagesimo octauo. Multa autem extant testimonia, præsertim in scriptura noui testamenti, quę est interpretatio & illustratio ueteris testamenti, cp hic psalmus de Messia seu Christo intelligatur, quæ quidem testimonia nunc non est opus recensere. Cum igitur Euangelista allegat uersiculum ex isto psalmo, hoc propemodũ se sentire significat. Quod Iesus in eijciendis nondinatoribus fecit, hoc uidebatur initio etiam ipsis discipulis inconsiderata temeritas. Sed admoniti scriptura intellexerunt esse opus profectum è zelo diuino, & instinctu spiritus sancti. Non fuit quidem factum iuxta externas leges ordinarium sed fuit iuxta sententiam spiritus sancti diuinum. Non est susceptum à Iesu secundum humanas, sed secundum cœlestes leges. Non est susceptum priuato arbitrio, sed heroico spiritu: Multa enim designari solent ab excellentibus Heroibus diuinitus excitatis, q̃ si exigas ad externas & politicas leges, uidentur summa esse temeritas, & tamen sunt facta diuinissima. Mose occidit Ægyptium, afficientem Hebręũ iniuria, & abscõdit eum sabulo. Hoc uidetur esse homicidium extremo supplicio dignum, sed erat Heroicum, ac plane diuinum. Existimabat enim, ut Stephanus ait, intelligere fratres suos, cp Deus per manum ipsius daret salutem illis. Pinehas interfecit publicum scortatorem cum scorto Madianitico. Quod etsi uidebatur inconsulta & præceps iracundia,

Heroica facta.

tamen

tamen teſtatus eſt Dominus ipſe, q̃ fuerit diuinus zelus, Zelo meo, inqens, commotus eſt contra eos, ut non ipſe delerem filios Iſrael in zelo meo. Dauid aggrediebatur Goliathem, paſtor gigantem, citharędus bellatorem, inermis armatum. Quis non diximſſet, temerariam eſſe pręſumptionem? Sed erat inſtinctus ſpiritus ſancti. Elias trucidauit ſacerdotes Baal, quæ uidebatur magna eſſe crudelitas, Sed erat iuſtiſſima uindicta, ad quã de impijs ſacrificulis ſumendã Elias diuinitus excitatus fuerat. Poſſem plura id genus è ſacris literis recenſere, Sed addam nunc quędam ex hiſtorijs Eccleſiaſticis. Dioclitianus Romanorũ Imperator, Chriſtianorũ autem crudeliſſimus pſecutor ędidit horribile & blaſphemũ ędictum aduerſus Chriſtianos, quod et publice in foro urbis Nicomedię ſuffigebatur. Quidam ergo Nicomedienſis nobili genere ortus, non deterritus uel potentia uel pręſentia imperatoris (Erat em̃ tunc Dioclitianus Nicomedię) iniecit publice inſpectante populo manus ſuas in literas ędicti, ac detractas eas minutatim diſcerpſit. Quid hoc facto magis temerarium uidetur, ſi conſideres externam rerũ ordinationem? Sed hic Nicomediensis fuit uir aĩo heroico, & quod fecit, non fecit humana temeritate, ſed diuina agitatione. Videamus & alium heroem. Cum Iulianus, cognoĩatus Apoſtata, adminiſtraret Romanum imperium, erat in exercitu eius χιλίαρχος, nomine Valentinianus. Hic comitabat officij gratia principẽ ſuum Iulianum, proficiſcentem ad templum, quod dicebatur, Fortunę. Etſi em̃ Valentinianus agnoſcebat Chriſtum, perſoluebat tamen exemplo Naamani Syri ciuilia officia principi ſuo. Cum aũt ad fores tẽpli pueniſſet, aſperſus fuit & ipſe aqua luſtrali, a' ſacrificulis idolomanię, qui affirmabãt ſe hac aſperſione ingreſſuros in templum ſanctificare. Indignatus igitur grauiter, pugno percuſſit ſacrificulum, publice exclamans, ſe, hac aſperſione non ſanctificatum, ſed ſordidatum eſſe. Hoc uidebatur magis militare, quam Chriſtianum. Quale enim hoc eſt facinus, quod miles percutiat pugno ſacellanum Cæſaris, idque in præſentia Cæſaris, adeoque in ſacrario, & fungentem offitio ſui ſacerdotij? Sed qualecunque iudicetur ab humana prudentia, certe collocandum eſt inter heroica, quæ diuinitus geri ſolent. Ac Nicomediensis quidem, de quo prius diximus, raptus eſt continuo ab Imperatore Dioclitiano ad ſupplitium, & crudeliter eſt occiſus. Valentinianus autem, etſi iuſſus fuit exulare, tamen paulo poſt electus eſt in Imperatorem. Vtrunque factum eſt diuino, eoque optimo conſilio. Quod enim Deus paſſus eſt, ut heros Nicomediensis ab impijs ad ſupplitia raperetur, uoluit pietatem & conſtantiam tanti herois illuſtriorem reddere, et ſignificauit aliam eſſe uitam, in qua rependat

Nicomediensis ciuis heroicum factum.

Valentiniani heroicum factum.

pijs mercedem certaminum suorum. Quod autem extulit Valentinianum in maiestatem Imperatoriam, exemplum exhibuit, quo testatus est, se non obliuisci obedientiæ piorum, sed aliquoties in hac quoq; uita ornare eos dignitatibus, ut confirmati in fide de clementia eius, certam spem de uentura, & uera fœlicitate concipiant. Habes quędam heroïcorum factorum exempla, de quibus non est iudicandum secundum humanam rationem, sed secundum cœlestem afflatum, & diuinum instinctum. Etsi autem persona Iesu Christi, non potest ex omni parte, cum heroïbus, quos recensuimus, conferri, quippe q̃ hi tantũ homines fuerint, ille autem homo sit & Deus, quędam tamen est personalis uocatiõis similitudo. Nam quemadmodum hi prętер generalem ordinationem uocati fuerunt singulari spiritu ad heroïca sua facta, ita & Iesus Christus prętер generalem suam uocationẽ excitatus fuit singulari & diuino zelo spiritus ad eijciendos flagello nondinatores è templo Dei. In psalmo enim sic loquitur, Extraneus (inqens) factus sum fratribus meis, & peregrinus filius matris meæ. Quoniã zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantiũ tibi cecideruṭ super me. His uersiculis testatus est Christus, longe anteq̃ hoïem assumpsisset, q̃ idcirco abominentur ipsum Iudæi cognati eius secũdum carnem, quia susceperit curam tuendæ Ecclesiæ, quæ est domus Dei, non carnali, eoq̃ frigido affectu, qualem solent habere alij, qui se iactant Ecclesiæ defensores, sed spirituali zelo, & diuina uehementia, ac seueritate. Ad tuendã aũt Ecclesiam Dei prękipue quidẽ exigitur, ut peccata Ecclesię expientur, & Ecclesia seruetur in morte ad æternam & fœlicem uitam, sed hoc etiam utile est, ut externę ordinatiões in templo Dei diuinitus institutę suo tempore & loco conseruentur. Quare non est sentiendum de Christo, q̃ eiecerit uenditores & emptores è templo, carnali temeritate, sed spirituali seueritate, ut publicam Dei patris sui ordinationem in templo tutaretur. Reliquum autem nunc est, ut uideamus, in quem usum hęc nobis prescripta sint. Non enim mandata sunt literis, ut temere imitemur tale exemplum in eijciendis ex alieno templo uel nondinatoribus, uel idolis, uel sacrificulis, sine certa uocatione, & singulari spiritu Dei. Sed ut cõmendetur nobis miraculum et maiestas Domini nostri Iesu Christi. Nam Christus eijciendis nondinatoribus, & subuertendis mensis numularioꝝ, tam formidabilis factus est Pontificibus & magistratibus Hierosolymitanis, ut etsi uidebaṭ ipsis, Iesum usurpare externã dominationem in templũ ac urbẽ Hierusalem, ac designare furiosam temeritatem, tñ non fuerint ausi uiolentas manus in ipsum inijcere. Hoc profecto non minus est miraculum, q̃ q̃ paulo ante aqua mutata sit potentia Christi in uinum. Hoc igitur miraculũ reuelat tam maiestatem

Christi,

Christi, q̃ diuinam curam erga eos, qui ambulant in uocatione dei. Hi enim, etsi grauissima suscipiunt pericula, & plurimos habent aduersarios, tamen Deus tuetur eos tanta cura & potentia, ut reddat ipsos quamuis abiectos & infirmos omnibus aduersarijs formidabiles, & seruet eos in omnibus periculis. Nam, si quis, inquit Christus, ambulauerit in die, non offendit, quia uidet lucem huius mundi. Deinde, commendatur nobis hoc facto uehementissimus zelus, quo filius Dei ad tuendam & conseruandam ueram suã Ecclesiam exarsit. Nam si tanto zelo prosequtur externum illud lapideum, ac post aliquot annos diruendum templum, ut prophanatores eius flagello eijciat, quãto, obsecro, zelo prosequitur uerum illud & cœleste templum, quod est Ecclesia seu congregatio omnium piorum? Hic certe zelus ille est, qui fuit autor, ut filius Dei descenderet è cœlo, & indueret hominem, ad liberandum hominem. Vidit enim, q̃ fœde contaminata esset Ecclesia Dei in terris, sorde peccati, & q̃ crudeliter in eam grassarentur Satan, mors & infernus. Misertus igitur Ecclesiẹ, & ex ardentissimo erga eam amore indignatus, assumpsit hominem, ac maluit mortem subire, q̃ tantam Ecclesiẹ suæ contaminationem & deuastationem inultam ferre. Quare cum scriptura recitat, nondinatores esse à Christo eiectos è tẽplo, admonet nos eius zeli, q̃ Christus pro uera sua Ecclesia accensus est, ut confirmemus fidem nostram in oĩbus seu tentationibus, seu aduersis, & sentiamus Christum tueri nos magna cura & potentia. Postremo, etsi hoc exemplum Christi est personale, tamen monet nos, ut zelum Christi, non quidem temere, pro carnali arbitrio, sed, ut Paulus ait, iuxta scientiam, & iuxta suam quisq̃ uocationem imitemur. Manifestum est, impios Monachos & sacrificulos pergere Ecclesiam dei impia doctrina, & profanis sacris contaminare. Hic si quis siue magistratus, siue subditus, uerus esset Christi discipulus, deberet etiam pręceptoris & seruatoris sui zelum imitari, & pro sua uirili, ac legitima uocatione operam dare, ut Ecclesia ab his sordibus purgaretur. Manifestum item est, quod Turca, crudelissimus hostis, grassetur in Ecclesiã Dei, & deuastet eam tã tyrannide q̃ impietate. Hic exardescere deberet zelus pro domo dei in omnibus Christianis principibus & populis, ut ad opprimendũ Turcã, & conseruandam domum Dei, unusquisq̃ suas uires tam animi q̃ corporis conferret. Manifestum etiam est, ebriosos, scortatores, fœneratores, impostores, blasphemos, in nomen dei contumeliosos & alios sceleratos sordidare Ecclesiã dei, & efficere ut nomẽ Christi pessime inter Iudæos & Turcas audiat. Nũ existimas fieri posse, ut tanta scelera inter nos tã uulgaria, & tã publica essent, si uel dimidia tm̃ parte eo zelo accẽsi essemus, quẽ ꝓ domo dei uera pietas secũ ipsa affert?

zelus Christi quã ardens.

zelus Christi quomodo imitandus.

Porro officij nostri est, non tantum pro publica, sed etiam pro priuata domo Dei zelo exardescere. Priuata enim dei domus est, quisquis in Christum credit. An nescitis, inquit Paulus, quod corpus uestrum templum est habitantis in uobis spiritus sancti? Et iterum. Vos templum estis dei uiuentis, quemadmodum dixit Deus. Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorũ Deus, & ipsi erunt mihi populus. Nunc, si Christus intantum succensuit prophanatoribus lapidei templi, ut eiecerit eos flagello, quanto plus succensebit ei, qui uerum templum, hoc est, seipsum baptismo Christi sanctificatum sordidauerit? Sordidamur autem primum nondinatione, hoc est, confidentia humanorum meritorum. Genus enim nondinationis est, cum Deo quasi pacisci, ut det nobis cœlum, pro meritis nostrorum operum. Nam qui confidunt sua iustitia, hi faciunt ex Deo uenditorem, è meritis operum, pecuniam, & è seipsis, emptores. Itaq; instituunt in seipsis, hoc est, in templo Dei nondinationem, qua certe templum dei ita prophanatur, ut fiat spelunca latronum, hoc est, Satanarum. Deinde sordidamur sceleribus, quę sunt fructus peccati in nobis dominantis. Has contaminationes & prophanationes nullo pacto in nobis feramus, sed ardeamus zelo Dei, ut abiecta impia de humanis meritis fiducia, & mortificata carne, exhibeamus nos Deo, templum purum & sanctum, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus benedictus in secula, Amen.

Nondinatio hypocritarũ.

HOMILIA XXIIII.

VDiuimus quid negotij Christus in templo Hierosolymitano aduersus nondinatores gesserit, audiamus nunc, quo nam modo Iudęi sese gesserint aduersus Christum. Ac uerisimile est, quod si alius quispiam priuatus homo grassatus esset flagello in mercatores et merces ad sacrificia destinatas, & subuertisset mensas numulariorum, non potuisset subterfugere, quin non solum à sacrificulis, uerum etiam à reliquis hominum ordinibus aut manibus discerptus, aut lapidibus obrutus fuisset. Alij enim iudicassent uindicandam esse autoritatem magistratus, quam is priuata sua temeritate labefactaret. Alij sensissent tuendum esse diuinum cultum, quem is abigendis pecoribus ad sacrificia destinatis imminueret. Alij, quibus effusa erat pecunia, ulti essent damnum suum. Auari enim malunt sanguinem, quam pecuniam perdere. Sed quod Iesus fecit, manifeste uides esse ipsi hoc quidem tempore, impune. Nemo enim est, qui audeat in ipsum uiolentas manus inijcere. Dices

hoc idcirco

hoc idcirco factum, ꝙ Iesus erat Christus. Recte, sed illi nondum credebant eum esse Christum, & tamen manus suas continent, ac uerbis tantum reprehendunt, cum rebus ulcisci nequeant. Dicit enim Euangelista. Responderunt ergo Iudęi & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quòd ista facias? Non defuit eis uoluntas seuiēdi in Iesum, non defuit potestas, non arma, non lapides. Et tamen Iesus tuto inter ipsos ambulat. Quid ergo est, quod ipsum inter tot aduersarios, inter tot uiros sanguinum tutum reddit? Quid aliud esset, quàm ꝙ Iesus ambulat in uocatione Dei patris sui? Nam ꝙ eiecit è templo nondinatores, fuit singularis uocatio Dei, & ut è scriptura ostensum est, zelus dei. Qui aūt ambulat in uocatiōe dei, habitat in adiutorio altissimi, & in protectione Dei cœli cōmoratur. Quare utcunq; sacrificuli, & alij fremāt & insaniant, Iesus tamen defensione Dei patris sui tutus est. Hoc exemplo admonemur, ut in periculis, quæ ex uocatione Dei suscepimus, optime de auxilio Dei confidamus. Fieri enim non potest, ut quem Deus uocatione sua periculis obijcit, eum non clemēter & potenter seruet. Si ambulauero, inquit Psal. in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Sed audiamus Iudęos, qui cum non audeant factis, inuehunt uerbis in Iesum. Quod signum, inquiunt, ostendis nobis, ꝙ hæc facias? Non negamus q̄dem nondinationem illam esse prophanationem templi, & fatemur opus esse Ecclesiæ emendatione, sed ꝙ tu homo priuatus sumas tibi hanc purgandi templi, & emendandę Ecclesiæ autoritatem ac potestatem, hoc demum nobis intolerabile uidetur. Nā emendatio Ecclesię pertinet proprie uel ad summos pontifices, uel ad prophetas diuinitus electos, ac pręcipue ad prophetā illum, de quo Moses scripsit, & quem hoc tempore uenturum expectamus, qui est Messias, à prophetis promissus. Dicit enim DOMINVS ad Mosen. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorū similem tui, & ponam uerba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia, quę pręcepero illi. Hæc est promissio de uenturo Messia. Et additur etiam signum, quo cognosci queat ueritas illius prophetę seu Messię. Sequitur enim apud Mosen. Quòd si tacita cogitatione responderis, quomodo possum intelligere uerbū, q̄d DOMINVS non est locutus, hoc habebis signum. Quod in nomine domini propheta ille prędixerit, & non euenerit, hoc DOMINVS non est locutus. Quid ergo tu Iesu uaticinaris, ac euenturum dicis, ut sciamus, si euenerit, te esse prophetam illum, ac Messiā nobis promissum? Accedit huc, ꝙ scriptura testetur Messiam reuelaturum, & confirmaturum maiestatem suam miraculis. Ecce deus ipse, inquit Esaias, ueniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cęcorum, & aures surdorū patebunt. Tunc saliet sicut ceruus, claudus, & aperta

erit lingua mutorẽ. Quod ergo tu facis miraculum, ut cognoscamus te esse Messiam, & habere autoritatem emendandę Ecclesię Dei? Habes, quid sibi uelint Iudæi, cum dicunt: Quod ostendis nobis signũ, ꝙ hæc facis. Primum autem obseruabis, ꝙ Iudęi honeste quidem & prudenter sentiãt, priuatos homines non debere sibi temere publicã autoritatem usurpare, & alienam functionem inuadere. Honestum et hoc est, ꝙ non dissimulent opus esse Ecclesiæ emendatione, nec defendant manifestam templi prophanationem. Quanto honestius sentiunt his, qui hoc tempore manifestos errores in Ecclesia tam pertinaciter defendunt, ut publice fateantur, se ne aquæ quidem benedictæ, quam sic uocant, aut circumducendi asini illius palmarij abrogationem in Ecclesia passuros. Sed hic est horribilis stupor in Iudæis, ꝙ malunt Iesum contemnere, & despicere, q̃ uocationem & autoritatem eius diligentius secum reputare. Nam si ipsis uera salus curæ fuisset, potuissent facile tum ex testimonio Ioannis Baptistæ, tum ex alijs rebus cognoscere, hunc Iesum diuinitus esse missum, adeoq̃ uerum esse Messiam. Sed quid dicas? Vulgare hominum ingenium est, quod maiorem habeant rationem huius corporalis uitæ, q̃ uerę salutis, ac multo sollicitius quærunt, quanti frumentum, quanti uinum uendatur, q̃ quis uerus sit Messias, & quanta nobis beneficia per Messiam contingant. Quare cum pereunt, suo ipsorum merito, adeoq̃ iustissimo Dei iuditio pereunt. Deinde, nec hoc est imprudentiæ, quod Iudæi non adhibent temere fidem nouæ doctrinæ, sine miraculis. Nulla enim doctrina, quæ ueram salutem promittit, agnoscenda est, nisi diuinitus confirmata fuerit. Miracula autem sunt diuina sigilla & testimonia. Etsi enim pseudoprophetæ etiam ædunt signa & prodigia, tamen nos nunc loquimur de ueris ac cœlestibus signis & prodigijs, quæ non abolent piam doctrinam antea diuinitus promissam. Ergo prudentia est non amplecti nouam doctrinam sine miraculis. Sed hæc est magna Iudæorum impietas, quod quæ sunt manifesta miracula, ea contemnant & calumnientur, requirant autem alia, quæ ipsi pro suo arbitrio excogitarunt. Apud Matthæum habent manifestum miraculum, quo sanatus erat dęmoniacus, & tamen tribuunt hoc Beelzebub principi dæmoniorum, ac quærunt signum de cœlo, quale ipsi finxerunt. Habent & hoc loco manifestũ signum, uidelicet, Iesum inermem tam formidabilem esse omnibus aduersarijs, ut nullus audeat manus ipsi injicere. Audiuerunt etiam de signo in Cana Galilææ ædito, & tamen aliud postulant. Quare perspicuum est, quod quærant signa, non ut credant, sed ut calumnientur. Hæc est magna impietas, & aliàs merito à Christo reprehensa. Natio (inquit) praua & adultera signum requirit, & signum non dabit

Priuati homines non debẽt temere usurpare publica officia.

Doctrinæ ueritas cognoscenda.

dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Videamus autem quo nam modo Iesus hoc loco tractet Iudęos. Respōdit Iesus & dixit: Destruite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud. Humanissima respon sio, sed quam dedit Iesus Iudæis, non tam ipsorum, q̄ discipulorum suorum gratia, ut fidem eorum confirmaret, quemadmodum mox Euangelista indicabit. Quod autem Iesus dicit, hanc habet sententiam: Efflagitatis, ut probem uocationem & autoritatem meam uaticinio ac miraculo: Dico ergo uobis, q̄ sitis hoc templum destructuri, ego autem restaurabo illud tribus diebus. Habetis nunc uaticinium, & miraculum. Vaticinium est, quod prædico uobis, quid uenturo tempore fiat de hoc templo. Miraculum est, quod ego destructum templum restauraturus sim tribus diebus. Loquit aūt Christus, interprete Euāgelista, quemadmodum sequitur, non de lapideo templo, sed de templo corporis sui. Et hæc est sententia eius: Vos traditurí me estis morti, & occidetis me, ego uero tertia die à morte resurgam. Quo signo, quo miraculo, quid maius, quid excellentius dici potest? Nam Iesus ędidit quidem multa & magna miracula anteq̄ mortuus est, & à morte resurrexit, quibus & ueritatem doctrinæ suæ comprobauit, & maiestatem suam aliquo modo declarauit, sed quia etiam prophetæ ędiderunt miracula, ac mortuos quoq̄ suscitarunt, quemadmodum scriptura testatur de Elia & Elizęo, uideri potuit, miracula Iesu infirmiora esse, q̄ ut probarent ipsum uerum esse Messiam, & natura filium Dei. Resurrectio autem Iesu à mortuis, & quæ resurrectione comprehenduntur, uidelicet Ascensus eius in cœlum, Missio spiritus sancti, Miracula ab Apostolis in nomine Iesu ædita, Diuulgatio Euangelij in totum orbem terræ, & conseruatio Ecclesiæ in omnibus persecutionibus, manifestissima & certissima sunt testimonia, q̄ Iesus sit uerus Messias, & natura filius Dei. In psalmo decimo quinto Messias ita dicit: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Notas mihi fecisti uias uitæ, adimplebis me lętitia cum uultu tuo. Hic psalmus concionatur de morte & resurrectione Messiæ, ac perspicue dicit, Messiam à morte ad uitam rediturum, & regnaturum. In psalmo secundo, qui & ipse de Messia uaticinatur, ait: Astiterunt reges terrę, & principes conuenerunt in unum, aduersus Dominū & aduersus Christum eius. Et mox. Ego constitutus sum rex ab eo, super Zion mōtem sanctum suum. In hoc psalmo primum recitatur persecutio, quam Messias passurus sit à principibus & populis, ac significatur eum moriturum. Deinde recitatur hæreditas & regnum eius: Dabo tibi, inquit, gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Non posset autem tantam hęreditatē & regnum habere, nisi à morte resurrexisset. Quare etiam

IESVM esse Messiā testatur resurrectio à mortuis.

Resurrectionis Christi testimōia è prophetis.

in hoc psalmo prædicatur, Messiam à morte resurrecturum. Apud Esaiam de Messia dicitur. De terra uiuentium abscissus est, cum affligeretur propter transgressiones populi mei. Hæc est concio de morte Messiæ, Sed additur & alia concio de resurrectiõe eius à mortuis. De angustia & iuditio sublatus est. Et mox: Pro eo quod laborauit anima eius uidebit & saturabitur. Sed & Iesus ipse, cum adiuraretur à Caiapha ut diceret an esset Messias seu Christus filius Dei, respondit: Tu dixisti, Veruntamen dico uobis amodo uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis, & uenientem in nubibus cœli, hoc est, etsi nunc uideor uobis homo abiectissimus, & longe omnium miserrimus, ac trador à uobis morti, tamen effugiam omnem illam miseriam, & resurgam à morte, ac sedebo ad dextrã Dei, quo manifeste probabo me uerum esse Messiam, ac natura filiũ Dei. Vnde Paulus ad Romanos de Iesu Christo scribens: Qui declaratus, inquit, fuit filius Dei cum potentia, secundum spiritum sanctificationis, ex eo quod resurrexit è mortuis. Vides prophetas uaticinatos esse, Messiam à morte resurrecturum, Vides etiam maiestatem Messiæ ac diuinitatis ei tribuendum esse, qui sua ipsius potentia resurrexit à mortuis ad cœleste regnum. Cum igitur certissimis argumentis probatum & confirmatum sit, Iesum filium Mariæ, passum sub Pontio Pilato, uere à mortuis resurrexisse, & per resurrectiõem intrasse in regnum cœleste, quemadmodum & hoc loco & aliàs sæpe prædixit, manifestum est, hunc Iesum esse uerum Messiam, ac natura filium Dei, nec ullum alium seruatorem, præter hunc, agnoscendum esse, etiamsi angelus de cœlo nobis alium demonstraret. Impius Mahumetes iactat colloquium sibi fuisse cum angelo Gabriele, & se ab hoc accepisse doctrinam legis suæ. Sed quia perspicue significat, se prorsus non intelligere uerum officium Messiæ, (facit enim ex ipso non seruatorem sed legislatorem) & palam negat Christum esse natura Deum, non fuit hic uerus angelus Gabriel, qui antea de Christo ad prophetam Danielem, ad sacerdotem Zachariam, et ad uirginem Mariam, recte concionatus est, sed fuit Satan ac diabolus ipse, qui ut antea per uarias hæreses, ita & postea per Mahumeten conatus est maiestatem & diuinitatem Christi abolere. Quare fugienda est impietas eius, & perseuerandum in ea fidei certitudine, ad quam nos resurrectio Domini nostri Iesu Christi uerissimis argumentis comprobata, perduxit. Porro, quod Iesus dixit de tẽplo corporis sui, hoc Iudæi
» » intelligunt de templo lapideo in Hierusalem. Dixerunt ergo Iudæi:
» » Quadraginta & sex annis extructum est templum hoc, & tu in tribus
» » diebus eriges illud? Non loquuntur autem Iudæi de templo, quod Salomon ædificauit. Hoc enim dirutum erat à rege Babylonio, sed lo

Gabriel Mahumetis fictitius.

quunt

quuntur de templo restaurato sub Esdra & Zerubabele. Postq̃ enim Cyrus & Darius accepissent, uicto Balthassare, regnum Babylonicũ, & Cyrus post mortem Darij regnum Babylonicum solus obtineret, concessit in primo imperij sui anno captiuis Iudæis, ut redirent ad patriam suam, & restaurarent templum, quemadmodum scriptum est in Esdra capite primo. Quare Iudęi anno secundo aduẽtus sui in patriã, aggrediuntur opus ędificandi templi, & iaciunt fundamẽta eius. Sed quod magno gaudio inchoauerant, hoc à finitimis gentibus impeditum est, ne statim perficeretur. De qua re extat sextum caput apud Esdram. Opus igitur DOMINI, ut scriptura loquitur, intermissum est in Hierusalem, & non fiebat uscq; ad annum secundum regni Darij regis Persarum. Etsi enim Cyrus, qui iusserat templum restaurare, adhuc uitam iacto templi fundamento agebat, tamen Iudęi nõ potuerunt eum conuenire, & iniurias aduersariorum suorum ei exponere, propterea q̃ occupatus bello Scythico, quod susceperat aduersus Tomyrim reginam Massagetarum, maiorem ratiõem habuerit belli gerendi, q̃ audiendę legationis Iudęorum, & restaurandæ Ecclesiæ. In eo bello occisus est Cyrus, & regina Tomyris iubet caput eius amputatum in utrem humano sanguine repletum, cum hac exprobratione conijci. Satia te sanguine, quem sitisti. Sed nec post mortem Cyri, potuerunt Iudæi à Persis impetrare, ut permitterent ipsis potestatem perficiendi inchoati templi, donec Darius Longimanus, filius Assueri rerum Persicarum potitus est, in cuius secundo anno, cœptum est iterum ędificium templi, & in anno eius sexto completum, quemadmodum testatur Esdras capite sexto. A secundo autem anno Cyri, quo posita sunt fundamenta templi uscq; ad sextum annum Darij sunt quadraginta sex anni. Cyrus enim solus regnauit mortuo Dario, uiginti duobus annis, quibus comprehendũtur etiam anni Cambysis. Postea regnauit Artaxerxes Assuerus uiginti annis. Huic successit Darius Longimanus, in cuius sexto anno completum est ędificium templi. Hi sunt anni illi, de quibus Iudæi nunc dicunt. Quadraginta & sex annis extructum est hoc templum. Animaduertendũ aũt nobis est hoc loco primum, quod de horribili & miserabili interitu Cyri regis dictum est, ut hoc exẽplo admoneãtur oẽs principes, quo discant, multo magis sibi curę esse debere, ut adiuuent Ecclesiam, q̃ ut quęrant caussas gerendorum bellorum, & proferendorum finium imperij sui. Nõ damnamus legitima & necessaria bella, Scimus principum officium esse, fines suos tueri, Sed præ libidine bellandi negligere curam constituendæ Ecclesię, hoc demum probari non potest. Nec laudamus immanem crudelitatem Scythicæ reginæ erga Cyrũ. Nec damnamus Cyrum, quod tã fœde perierit, si modo in ea pietate

Cyri bellum Scythicum.

Cyrus misere interijt.

perseuerauit, quam de ipso Esaias & Esdras prędicauerunt, Sed malle mus eum maiorem habuisse curam restaurandi templi Hierosolymitani, cꝗ belli Scythici. Esaias enim testatur, cꝗ DOMINVS dederit ei Monarchiam totius orbis terræ, propter seruum meum (inqt) Iacob, & propter Israel electum meum, hoc est, ut Ecclesiam DOMINI iuuaret. Quare sciant principes & magistratus hoc proprium esse offitium ipsorum, ut maximam omnium curam habeant iuuandę Ecclesię Dei, & ut sint, quemadmodum aliàs Esaias ait, Ecclesiæ nutricij. Deinde uides hoc loco quàm tardos progressus habeant diuina opera inter homines. Ædifitium templi erat diuinum opus. Quid autem Satan non excogitauit, ut opus illud bonũ impediret? Ex una parte obiecit regi Cyro externa bella, ut nõ uacauerit ei curam restaurandi templi habere. Ex altera parte excitauit finitimos populos, qui Iudęos calumniarentur, & opus domini impedirent. Reddidit & ipsos Iudæos longis ac multis calamitatibus defatigatos, ut non tanta, quanta debuissent diligentia, opus DOMINI urserint. Itacꝗ factum est, ut restauratio templi tot annis intermissa fuerit. Hic est conatus, hic est labor Satanæ. Quod cum sciamus, non deterreamur à suscipiendis operibus diuinitus mandatis, nec deficiamus in susceptis, propter aduersa, quæ Satan ad impediendum opus DOMINI obijcit, sed pergamus constanter in uocatione Dei, ac certam concipiamus fiduciam, cꝗ DOMINVS, cuius uoluntate opus susceptum est, daturus etiam sit incrementa, ut perficiatur. Sed reuertamur ad Euangelistam. Cum enim recitasset Iudæorum responsum, docet eos dictum Christi de templo, non recte intellexisse, & ait. At ille dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset è mortuis, recordati sunt discipuli eius, quod hoc dixisset eis, & crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixerat Iesus. Vides, non solum Iudæos, sed etiam discipulos non recte initio intellexisse uerbum Christi, de excitatione templi. Etsi autem hoc paulo obscurius dictum uidebatur, tamen nec intelligunt sermonem eius de passione & resurrectione sua, etiam cum apertissime & disertissime loqueretur. Apud Lucam ait. Filius hominis tradetur gentibus, illudetur, contumelijs afficietur, conspuetur, & postcꝗ flagellauerint, occident eum, ac die tertia resurget. Quid potest magis perspicue dici? Et tamen addit Euangelista. Ipsi nihil horũ intellexerunt, & erat uerbum istud absconditum ab eis, nec intelligebant, quæ dicebantur. Vnde igitur tantus stupor? Somniabant regnum Christi fore corporale in terris, & existimabant futurę, ut Christus magis afflicturus esset suos aduersarios, cꝗ ut aduersarij ipsum possent affligere. Turpissimum enim uidebatur succumbere hostibus.

Esa. 45.

Magistratus officium.

bus. Quare etiamsi multa dicerentur de passione, morte & resurrectione Christi, tamen cæcati sua carnali opinione de fœlicitate regni Christi in terra, non potuerunt ea recte intelligere. Cæterum, quòd Euangelista dicit discipulos sermonem Christi tum recte intellexisse, & scripturæ ac sermoni Christi credidisse, cum Christus resurrexisset à mortuis, manifeste significat sacram scripturā maxime omnium de Christo & regno eius tractare, ac resurrectionem Christi esse perspicuam explicationem scripturæ. Ex resurrectione enim Christi, & ex ijs, quæ hac comprehenduntur, manifestum est, regnum Christi non esse corporale sed spirituale, nec esse terrenum, sed cœleste, nec esse caducum & mortale, sed perpetuum & immortale. Quæcunque igitur Prophetæ de regno Christi uaticinati sunt, etiamsi utantur uerbis adumbrantibus regnum corporale, tamen sunt intelligenda secundum eam sententiam, quam Resurrectio Christi à mortuis, Ascensus eius in cœlum, missio spiritus sancti, ac diuulgatio Euangelij in totum orbem terræ nobis tradunt. Tradunt autem nobis regnum Christi esse spirituale & cœleste. Vera igitur fœlicitas non constat nec in hac terra, nec in rebus huius terræ, sed cognoscitur ex Euangelio Christi per fidem, & percipitur reipsa in futuro seculo propter Christum seruatorem nostrum. Ac hactenus quidem de disputatione Iudæorum cum Iesu. Videamus nunc & reliqua. Cum autem esset Iesus Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomen eius, uidentes signa eius quæ ędebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo ꝓ nosset omnes, nec opus haberet, ut quisq̄ testaretur de homine. Ipse enim sciebat, quid esset in homine. Multi, inquit, crediderunt in nomen eius, uidentes signa eius. Manifestum igitur est, ꝓ Iesus multa plura signa & miracula ędiderit, q̄ quę ab Euangelistis conscripta sunt. Vnde & Ioannes aliàs dicit: Sunt multa alia, quę fecit Iesus, quę si scribātur per singula, nec ipse opinor mundus caperet eos, qui scriberentur, libros. Scripserunt autem Euangelistæ præcipua, & plus alijs memorabilia, quantum quidem ad tradendam posteris cognitionem Christi necessarium fuit. Quod autem multi Iudæi crediderunt in nomen Iesu ex signis, legitimus est usus signorum & miraculorum. Vulgabatur enim Iesum esse uerum Messiam, nec ipse hoc doctrina sua dissimulabat, & addebat miracula, ut quod doceret, tanquam cœlesti testimonio confirmaret. Quare hi recte usi sunt signis, qui ipsis admoniti, cognouerunt ueritatem Euāgelij Iesu, & crediderunt eum esse uerę Messiā, ac filiū dei. Sed hic considera mihi humani ingenij uarietatem & inconstantiā. Vulgus em̄ Iudęorę, nunc cū signa uidēt,

Sacræ scripturæ scopus.

Resurrectio Christi, explicatio scripturæ.

Miraculorū usus.

Vulgi inconstantia.

credunt Iesum esse Messiam. Postea autem cum uident ipsum autoritate sua destitutum, à magistratu & Pontificibus captum, flagellatum & consputum, tanto odio abominantur ipsum, ut clament eum de terra tollēdum: Itaq; iudicant de Iesu, & Euangelio eius iuxta externum rerum euentum. Cum uident Iesum esse in hoc seculo fœlicem, obseruant eum ut Messiam. Cum imminet infœlicitas, execrantur eum, ut impostorem. Quid autem hoc iuditio uanius? Quid magis absurdū? Si enim de rebus iudicatur secundum externam ipsarum fortunam, fieri non potest, quin aliquoties pronūties iuxta dictum prophetę, bonum malum, & malum bonum, ac tenebras, lucem, & lucē tenebras. Etsi enim diuina est ordinatio, ut iustitia sit fœlix, & iniustitia infœlix, hęc tamen ordinatio solet in hoc mundo, permissu Dei, à Satana inuerti, ut secundum Ieremiam, uia impiorum prosperetur, ac bene sit omnibus, qui pręuaricantur et inique agunt, uia autem piorum sit infœlix, ac male sit omnibus, qui iustitiam sectantur. Quo autem consilio Deus id permittat, non est nunc tempus pluribus cōmemorandi, & sæpe aliàs dictum est. Quare non est nobis de rebus iuxta externum fœlicitatis aut infœlicitatis euentum, sed iuxta rerum ipsarū ueritatem, ex uerbo Dei iudicandum, ut quod rectum ac iustum cognouerimus, semper siue fœlix siue infœlix in hoc seculo fuerit, iustum agnoscamus & sectemur. Sed quid illud, quod additur: Iesus non credebat semetipsum eis? Quomodo hoc conuenit, q̃ illi credunt Iesu, & Iesus non uicissim credit sese illis? Audi ergo, quid sequatur. Non credebat semetipsum eis, eo q̃ ipse nosset omnes, nec opus haberet, ut quisq̃ testaretur de homine. Ipse enim sciebat, quid esset in homine. Quid ergo est, Non credebat semetipsum eis? Hoc quidam interpretantur de doctrina, q̃ Iesus rudibus adhuc, & inconstanter credētibus non commiserit altiora mysteria Euangelicę doctrinę. Quod quidem pro sua quadam ratione non falso dicitur. Sed Euangelista loquitur de discessu Iesu è Iudæa in Galilæam, & de ea Iesu diligentia, qua cauebat insidias aduersariorum suorum. In capite enim quarto sic ait: Vt cognouit Dominus, audisse Pharisęos, quod Iesus plures discipulos faceret, reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam, cauens uidelicet insidias Pharisæorum, & Pontificum, qui erant Hierosolymis. Cum ergo dicit, Non credebat semetipsum eis, significat Iesum non esse confisum publico hominum fauore, & bonis impiorum uerbis, sed declinasse familiaritatem Pontificum, & redijsse ad Galilęam, ut in tuto suū perageret negotiū. Sed hoc, inqes, mirandum est, q̃ Iesus diffisus sit hoibus? An non caritas oia credit? an nō certū & definitū erat tēpus quo Christus suo officio defungeret? Nōne, inquit, duodecim sunt horę diei? Si quis ambulauerit in die, non offen-

offendit. An non tutus ambulat, qui ambulat in adiutorio altissimi? Cur ergo abit Christus è Iudęa, & non credit se Iudęis? Recte scribit Paulus, Caritatem omnia credere. Hoc enim est ingenium caritatis, ut nihil mali de proximo suspicetur, sed de quouis homine bene confidat, sed interim nihil temere, nihil periculose absq; certa dei uocatione est faciendum, ne Deus tentetur, nihilq; contra uerbum dei agendum est, ne peccetur. Veteres erudite ac recte dixerunt. Amicus usq; ad aras, quo significarunt, amicis sic fidendum & commodandum, ut tamen propter amicos, non uiolemus reuerentiam & obedientiam, quam debemus Deo. Etsi enim amicus colendus est suis officijs, amici tamen caussa non est à pietate deflectendũ, atq; peccandum. Hoc, ut magis perspicuum fiat, ostendemus aliquot exemplis. Iudex quispiam sedet pro tribunali, compositurus controuersiam inter actorem & reum. Ponamus autem actorem esse uirum honestum, & ueritatis studiosissimum, de quo affirmari non possit, q̃ ullum unq̃ mendatium dixerit. Postq̃ igitur is perorauit caussam suam, quid faciat Iudex? Num adhibeat fidem dictis tam honesti uiri? Hoc certe caritas exigit. Ergo ne statim, reo nondum audito pronunciet pro actore contra reum? Minime omnium. Sed audiat etiam reum. At ille, inquis, actor, honestus est uir, & uerax. Credo, iuxta regulam caritatis, sed interim non licet iudici propter caritatem deflectere à suo offitio, & peccare aduersus legitimam suam uocationem, quæ exigit, ut audiat utramq; partem. Paruum, inquit lex, sic audietis ut magnum, nec accipietis cuiusq; personam. Habes ergo, fidendum quidem esse bono uiro, sed propter bonum uirum non esse peccandum. Audiamus aliud exemplum. Principes ac senatores reip. deliberãt de re grauissima, & quam maxime refert cęlare, ne uulgetur, donec quod constitutum est, perficiatur. Exigunt autem à seinuicem taciturnitatem iureiurando. Interea temporis uenit amicus, uir optimus, ad senatorem quempiã, & rogat, quid arcani tot diebus in senatu agitetur. Ille uero respõdet se nescire. Quid ergo? Nõ fidit amico, uiro optimo? Non credit amico arcanum, cui crederet uitam? Quod caritatis est, facit. Sentit pręclare de ipso, & iudicat eum esse bonum uirum, ac taciturum quoq;, si ei impartiret arcanum. Sed propter amicum, non est uiolandum iusiurandum, nec est arcanum magno reip. periculo effuciendum. Adijcia mus & aliud. Negociator quispiam proficiscitur negociandi gratia, peregre, accepta secum multa pecunia. Venit autem in diuersorium, in quo reperit aliquot aduenas, honestissimos, ut apparet, uiros. Quid ergo faciat? num ostentet publice suam pecuniam, & significet se cum hac pecunia longius profecturum? Si id faciat, insanire eum dicas. Quid ita? An nõ est honestis uiris fidendũ? Recte, sed propter

Amicis aut alijs hominibus quatenus fidendum.

Iudicis offitium, utramq; audire partẽ

honestos uiros, nihil est temere & inconsiderate faciendũ, nec est res familiaris, prǫter necessitatẽ, periculis exponenda. Veteres dixerunt, Neruos & artus sapiẽtiǫ esse, non temere credere, & ἀπιστίαν, hoc est, diffidentiam, præcipuum esse propugnaculum ciuitatum aduersus tyrannos. Extat & illud. Sobrius sis, ac memineris nemini confidere. Accedit & hoc. Prudente diffidentia, haud alia res utilior est mortalibus. Hæc & id genus alia ueterum dicta, si dextre intelligantur, non pugnant cum Christiana caritate, sed reprehendunt futilitatem, & monent nihil temere, nihil contra offitium, effuciendum, aut faciendum esse. Diligendus enim est proximus, & bene de ipso sentiendum, nihil aũt imprudenter, & contra legitimam suam uocationem dicendum uel agendum est. Quǫ cum ita se habeant, uideamus, quid illud sit, ꝙ Iesus nõ crediderit semetipsum Iudæis. Sentiebat em̃ Iudǫos ac prǫcipue Põtifices, & Pharisǫos insidiari uitǫ suǫ, & deliberare de afferenda ipsi nece. Non credebat, inqt, semetipsum eis, eo ꝙ ipse nosset omnes, nec opus haberet, ut quisq̃ testaretur de homine. Ipse enim sciebat, quid esset in homine, hoc est, Iesus non necesse habuit, pro more regum ac principum, proditores aut exploratores emittere, qui scrutarentur & referrent ad ipsum, quid consilij Pontifices aduersus ipsum caperent. Videbat enim ipse, ac plane perspectum, exploratumq̃ habebat, quid de ipso cogitarent impij & crudeles Pontifices, ac Pharisǫi. Nec hoc tantum erat ei cognitum, uerumetiam sciebat, quid esset in quouis homine. Agite ergo, uideamus quid sit in homine. Considerabimus aũt hominem, non qualis est regeneratus per spiritũ sanctum, sed qualis est natura sua, ex Adamo. Sensus, inqt, & cogitatio hoĩs sunt malum, ab adolescentia sua. Et apud Hieremiam. Prauum est cor hominis et inscrutabile. Ac in psalmo. Omnis homo mendax. Et iterum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usq̃ ad unum. Sed longum esset enumerare omnia scripturǫ testimonia, quibus perspicue probatur, in hoĩe non esse nisi summam impietatem tam erga deum, quã erga proximum. Ac tales qdem sunt omnes homines natura sua, in genere. De hostibus autẽ, et aduersarijs Christi, extant singularia testimonia, ꝙ uirulentia et crudelitate longe superent alios hoĩes. In psalmo dicit. Circũdederũt me uituli multi, tauri pingues obsederũt me. Aperuerũt super me os suũ, sicut leo rapiẽs & rugiẽs. Et in alio psalmo. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Ac mox. Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potauerũt me aceto. Et iterum. Eripe me de operantibus iniquitatem, et de uiris sanguinum salua me. Hęc est descriptio aduersariorum Christi, quorum crudelem & sanguinariũ animũ Christus optime nouerat, primum,

Diffidere, magna est sapientia.

Homo, qualis sit natura sua

mum, quia uerus est Deus, qui est scrutator cordium & renum, cui cognitæ sunt omnes humani animi latebrę & recessus. Deinde, quia sciebat scripturam perspicue de crudelitate aduersariorum suorum concionari, quemadmodum iam ostendimus. Quare, etsi bene confidebat, iuxta caritatem de quouis homine, nec ignorabat se tutum ambulare in protectione dei patris sui, tamen quia sentiebat insidias aduersariorum, & perspectam habebat crudelitatem eorum, abijt ex Iudæa, & declinauit insidias, ne uideretur & ipse Deum tentare, & exemplo suo temeritatem docere. Sic enim homini credendum est, ut tamen non tentes Deum, ac non obijcias te manifestis periculis, sine uocatione Dei. Multa nobis ex his consideranda, & in usum nostrum transferenda ueniunt. Primum enim, ꝙ Christus intelligens Pontificum & Pharisæorum consilia aduersus ipsum secedit in Galilęam, in qua magis erat in tuto, ꝗ in Iudęa, docet suo exemplo sectandam esse prudentiam cauendorum periculorum. Etsi enim scimus certum ac definitum esse tempus uitæ nostræ apud Deum, & capillos etiam capitis nostri numeratos esse, tamen non licet cuiꝗ manifesto sese periculo, sine certa uocatione Dei exponere. Omnia enim iusta, pia, honesta, licita, & possibilia tentanda sunt, ne tentetur Deus. Quod si uero deus uocauerit te ad subeunda pericula, nec possunt ea uitari, nisi peccaueris aduersus Deum, ibi pietas est & obedientia, imo summa salus est, obijcere sese periculis. Fieri enim non potest, quin Deus seruet eum, quem in pericula uocatione sua inducit. Deinde, quemadmodum Christus nouit, quid sit in homine, ita discamus & nos nosse, quid sit in homine, ac prę sertim quid sit in nobis ipsis. Hoc autem discendum est, tum ex nostro ipsorum sensu, tum è testimonijs scripturæ, quorum nonnulla ante recitauimus. Discendum uero hoc est, propter tres præcipue caussas. Vna est, ut agnoscẽtes nihil in nobis, natura nostra, præter peccatum esse, excitemur ad quærendum & cognoscendum Christum, in quo consequamur iustitiam & salutem. Altera est, ut qui uidet se ornatum aliqua uirtute, non tribuat eam suis meritis aut industrię sed clementię dei per Iesum Christum. Non sumus, inquit Paulus, idonei ex nobis ipsis cogitare quicquam, tanq̃ ex nobis ipsis, sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est. Tertia, ut si quis uideat proximum suum in horribile uel scelus, uel suppliti um incidere, cogitemus nos eandem habere carnem, & eidem calamitati obnoxios esse. Quid enim nobis accidere possit, & quid calamitatis nobis debeatur, in his, qui horribiliter peccant, & grauiter affliguntur, agnoscimus. Dauid lapsus est adulterio et homicidio. Petrus negauit Christum. Alij alia scelera designarunt. Nihil est tam immane, nihil est tam abominabile, quod non & nostra caro proferre

Temeritas fuscipiendorum periculorum fugienda.

Cognosce teipsum.

Aliena infelicia fruè.

queat, nisi Dominus nos cõseruet. Quare admoneamur ex alienis casibus de nostra natura, ut excitemur ad inuocationem nominis Dei, & quæramus diuinum auxilium in omni uitæ nostræ instituto. Postremo, quod scribitur Iesum Christum nosse omnes homines, & scire quid sit in homine, monet nos, ut in timore Dei diligenter ambulemus, ac turpia, fœda, & inhonesta ne cogitemus quidem, tãtum abs sit, ut opere designemus. Iesus enim Christus Dominus noster præsto adest, & uidet non tantum externa nostra opera, sed etiam cogitatus nostros. Veteres docturi discipulos suos honestatem uitæ, iusserunt eos aliquem uirum bonum eligere, ac semper ob oculos habere, ut sic tanq̃ illo spectante uiuerent, & omnia tanq̃ illo uidente facerent. Hæc fuit ciuilis quædam disciplina, quæ in grauibus tentationibus nullam uim habere potuit, quippe q̃ unusquisq̃ cognouerit talem honesti uiri præsentiam fictam, ac imaginariam tantum esse, & efficacior est potentia peccati, q̃ ut humana cogitatione cohibeatur. Multo certius, multo efficacius est, q̃ sciamus Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui ascendit super omnes cœlos, ut omnia impleret, semper nobis præsto adesse, ac spectatorem esse omnium tam actionum, q̃ cogitationum nostrarum. Hæc præsentia non est fictitia, sed uerissima & certissima. Quare reuereamur tantam maiestatẽ, & ueneremur præsentiam eius tam cogitatione q̃ actione honestatis, ut ad consequendam ueram salutem conseruemur per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Christi præsentia admoneat nos modestiæ.

CAPVT TERTIVM

HOMILIA XXV.

VLTI, INQVIT EVANGELista, crediderunt in nomen Iesu, uidentes signa eius quæ ædebat, cum esset Hierosolymis in die festo. Inter eos autem qui in Iesum crediderunt Hierosolymis, fuit Pharisæus quidam, nomine Nicodemus. Quare suscipiemus nunc, uestris precibus adiuti, explicãdam eã disputationem, quã Ioannes scribit Nicodemum cum Iesu Christo, „ de uia & modo perueniendi ad regnum Dei habuisse. Erat (inqui„ ens) homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum:

Hic uenit

Hic uenit ad Iesum nocte, & dixit: Rabbi, Scimus q̃ à Deo ueneris magister. Nemo enim potest hęc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo. Priusq̃ tractemus statum huius disputationis, exponendum erit, quis fuerit hic Nicodemus, ut quę sequuntur, rectius intelligi possint. Nicodemus igitur fuit professione sua Pharisæus, quod uitę genus habebatur inter Iudęos honestissimum & sanctissimum, doctrina autem fuit Rabbinus, hoc est, doctor legis, autoritate uero & potestate fuit in functione magistratus. In hoc enim loco, uocatur, Iudęorum princeps, & postea capite septimo numeratur inter eos, qui miserant ministros ad capiendum Iesum, quorum tamen impietati ipse non consentiebat. Habes ergo, q̃ Nicodemo nihil pene defuerit earum rerum, quas hic mundus suspicit & admiratur. Non deest ei honestas, non doctrina, non dignitas, non autoritas, non potestas. Quid ergo est, quod quęrit in Iesu Christo? aut quam ob caussam ad ipsum accedit? Sed percurramus uerba Euangelistę ut res ipsa deducat nos ad caput & statum huius disputationis. Venit (inquit) ad Iesum noctu, & dixit ei, Rabbi, scimus q̃ à Deo ueneris magister, Nemo enim potest hęc signa facere, quę tu facis, nisi fuerit deus cum eo. Magna fidei imbecillitas est, q̃ Nicodemus noctu & non interdiu uenerit ad Iesum, & perspicue significat, q̃ etsi ornatus est insigni dignitate & autoritate, adhuc tamen ambulet in tenebris, nec sit illustratus cœlesti luce Euangelij. Itaq̃ deest ei, quod est prestantissimum, & maxime omnium necessarium, uera uidelicet cognitio pietatis, & uera iustitia coram Deo. De usu aũt signorum & miraculorum recte sentit Nicodemus. Affirmat enim se diuinis miraculis Iesu excitatum, ut sentiat doctrinam eius ueram esse. Hic est legitimus miraculorum usus. Miracula enim sunt testimonia, qbus cœlestis doctrina confirmatur, quæ uerę doctrinę ad salutem necessarię, (cuius duę sunt partes, quarum altera est Lex, quę per Mosen data est, Altera Euangelion de Iesu Christo) tantam addunt autoritatem, ut etsi postea ęduntur alia signa & prodigia aduersus eam, & ad refutãdam ipsam, tamen hæc signa habenda sint pro anathemate, & perdurãdum in ueritate illius doctrinę, quæ ante certis & firmis testimonijs ac miraculis corroborata est. Cum igitur Euangelion Iesu Christi certissima habeat testimonia & miracula, quibus confirmatum est, nulla alia doctrina, etiam angeli de cœlo, agnoscenda erit. Quid ergo nunc illud est, quod Nicodemus à Iesu petit? Si diligenter expendamus uerba Nicodemi, & responsum Christi, non est obscurum, q̃ Nicodemus hoc pręcipue inquirat, qua uia, & quo modo possit ingredi in regnũ Dei, & fieri saluus. Ipsa, inquit, miracula tua, quæ agnosco esse diuina, mouerunt animum meum, ut sentiam te esse magistrum seu docto

Nicodemi descriptio.

Miraculorũ usus.

rem ueritatis. Cum igitur omni cogitatiõe & cura incumbã ad conse quendum regnum Dei, & ueram ſalutem, age, obſecro te, doce me re ctam uiam, qua hoc animi mei deſiderium expleam. Quid queſo faci am, ut poſſideam eternam fœlicitatem? Hæc eſt Nicodemi quæſtio, & ſtatus huius diſputationis. Quis autem hanc quæſtionem à tanto uiro expectaſſet? Nicodemus uerſatus eſt tot annis in populo Dei, & fuit doctiſſimus interpres legis. Nunc autem primum queritá Ieſu, quid faciat ut ingrediatur in regnum Dei, & conſequatur ueram fœ licitatem. Quid tot annis fecit? quid docuit? An non & ipſe legit ſcri pturam, & diſcipulis ſuis eam eſt interpretatus? Sed tantæ inſcitiæ & ruditatis cauſſa eſt ignoratio Meſſię, & ueri eius officij. Etſi enim co gnoſcitur politica lex Moſi, & tota philoſophia de uirtutibus mora libus ac ciuilibus, tamen ubi abeſt cognitio Meſſiæ & ueri eius offi cij, ibi non poteſt eſſe cognitio intrandi in regnum dei, & conſequen dę uerę ſalutis. Habebat quidem Nicodemus cognitionem quãdam de Meſſia, quem ſciebat eſſe promiſſum, & tot annis expectatum, ſed ignorabat uerum eius officium. Expectabat enim eum, non ut expia torem peccatorum, ut reconciliatorem inter Deum & homines, ut ſer uatorem ad perpetuam ſalutem, quod eſt uerum ac proprium Meſſię officium, ſed expectabat eum ut externum Monarcham, & politicum regem, qui uindicaturus eſſet Iſraelitas in externam libertatem, & do minaturus pro more Regum in terra. Ac ſentiebat interim, ſuo quem que ingenio, & merito poſſe iuſtificari & ingredi in regnũ Dei. Hoc autem eſt uelamen illud quod ponebatur in facie Moſi, & impoſitũ eſt cordibus auditorum Moſi, ne intendant in finem eius, quod abo lebatur, quemadmodum Paulus ait. Quare Nicodemus ſic adhuc ex cęcatus, non potuit cognoſcere ueram uiam perueniendi ad regnum dei, & conſequendi æternam fœlicitatem. Porro autem, etſi turpe ui detur in Nicodemo, tanto uidelicet doctore, ęp iam primum interro get de uera uia perueniendi ad regnum Dei, tamen hęc eſt quæſtio maxime omnium neceſſaria, & ad hanc cognoſcendam omnis cogita tio & cura noſtra ponenda eſt. Deus enim dedit nobis uitam corpora lem, poſuit nos habitatores huius terræ, coniunxit nos legibus ciuili bus, inſtituit regna & politias, largitur nobis multa & magna bene ficia ad ſuſtentandam & conſeruãdam uitam, in hunc pręcipue uſum & finem, ut diſcamus doctrinam uerę religionis, hoc eſt, ut cognoſca mus & ſectemur ueram uiam, qua peruenitur ad regnum Dei, & cœ leſtem fœlicitatem. Hoc ſi didicerimus, profecto ſcimus artem excel lentem omnes alias artes, & ſcientiam ſuperantem omnes alias ſcien tias, nec poteſt nobis quicquam obeſſe, ſiue paupertas, ſiue infirmi tas, ſiue mors. Si uero hoc ignorauerimus, tunc uerſamur in denſiſſi mis tene-

Meſſie ignorantia, omnis cæcitatis cauſſa.

2. Corinth. 3.

Via perueniẽdi ad regnũ Dei maxime perſcrutanda eſt.

mis tenebris, in quibus nihil nobis prodesse potest, nec potentia, nec diuitiae, nec sanitas, nec sapientia. Quare, omnibus alijs rebus posthabitis, cognoscenda & sectanda est ueritas eius quęstionis, quam Nicodemus proposuit. Audiamus ergo nunc, quomodo Iesus explicet hanc quęstionem, & erudiat non Nicodemum tantum, sed etiã nos omnes ad cognoscendam ueram uiam salutis. Respondit Iesus, & dixit ei. Amen amen dico uobis, nisi quis natus fuerit ẻ supernis, non potest uidere regnum Dei. Hic considera mihi initio excellentem Christi mansuetudinem & clementiam. Nicodemus dignus erat seuera reprehensione, ꝙ & noctu uenerit, prę formidine, non interdiu, & tantus legis doctor quęrat iam primum de uia & modo perueniendi in regnum Dei. Sed Iesus Christus amplectitur eum magna beneuolentia. Non abijcit eum, ꝙ sit imbecillis fidei, sed eo maiori cura suscipit eum, ut erudiat ipsum, et reddat fidem eius fortiorem. Calamum, inquit propheta, quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. Nec fuit inanis opera Christi in Nicodemo. Quem eñ nũc audimus, prę metu Iudęorum, noctu ad Christum accedere, eum uidemus postea media luce intrepidum, cũ omnes discipuli fugissent, & defecissent à Christo, deponere Christum de cruce, & sepelire eũ, hoc certe est publice confiteri fidem suam, & damnare Iudęos impietatis & crudelitatis in Christum, adeoq; seipsum exponere omnibus periculis propter Christum. Itaq;, qui initio erat nouissimus, factus est postea primus. Hoc exemplo Christi admonemur & nos, ut imbecilles in fide humaniter tractemus. Aliud est impietas, & cõtemptus Dei, aliud imbecillitas fidei. Illa prorsus sunt reprehendenda et damnanda, hęc autem, etsi non est laudãda, tamen non est duriter conculcanda. Quo enim quis imbecillior est in fide, eo magis est Deo curæ. An non uides, quomodo sese gerat mater erga filiolum suum, ex morbo aliquo male affectum? num abijcit eum, & cõculcat ipsum pedibus, ꝙ sit infirmus ex morbo? Nihil certe minus: Efferret quidem mortuum ad sepulturam magno luctu, sed uiuẽtem adhuc, & spirantem, tanto sollicitius curat & fouet, quanto grauior & difficilior est morbus, cum interim nullam plane uideatur habere ratiõem eorum liberorum, quos adhuc habet sanos & corpore firmos. Affectus aũt Dei erga suos infirmos superat omnes naturales affectus matrum erga suos liberos. Si illa, inquit, oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Quare simus in curãdis imbecillibus imitatores diuini affectus, & quod Paulus monet, assumamus infirmos fide, ac portemus infirmitates impotentium, ut Dñs Deus noster, etiam nostras infirmitates pacienter ferat, & eas nobis condonet. Sed audiamus nunc, quid Iesus doceat Nicodemum. Amen amen, inquit, dico tibi, nisi quis na

Christi mansuetudo.

Esa. 49.

tus fuerit denuo, non poteſt uidere regnum Dei. Vbi nos habemus, denuo, Græcus textus habet, ἄνωθεν, quę eſt uox anceps, & aliàs ſignificat, Iterum, aut denuo, aliàs, deſuper aut è ſupernis. Siue igitur legas, Niſi quis natus fuerit denuo, ſiue, Niſi quis natus fuerit deſuper, ſententia hęc eſt: Si uolueris ingredi in regnum Dei, & conſequi cœleſtem fœlicitatem, neceſſe habes nouus homo naſci. Non ingrederis in regnum Dei, cum ueteri homine, ſed oportet te nouum hominem fieri. Porro, quę ſit ratio, ꝓ, qui uoluerit ingredi in regnũ Dei, neceſſe habeat nouus homo naſci, Chriſtus mox perſpicue exponit, cum ait. Quod natum eſt ex carne, caro eſt. Et quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt, De quo, quoniam poſtea dicendum erit, non erimus nunc longiores, cõmemorabimus autem, quid Nicodemus Chriſto
,, reſpondeat. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci
,, cum ſit ſenex? Num poteſt in uentrem matris ſuę iterum introire, ac
,, naſci? Quod Chriſtus dixit de natiuitate ſpirituali, quemadmodum mox explicabit, hoc Nicodemus intelligit de natiuitate carnali. Quare non eſt mirum, ꝓ hanc de natiuitate doctrinam ſatis in corde ſuo riſerit. Primum enim, quia ignarus eſt ſpiritualis natiuitatis, iudicauit doctrina Chriſti nihil eſſe abſurdius, propterea quod uideret nouam illam carnalem natiuitatẽ, de qua exiſtimabat Chriſtum loqui non eſſe poſſibilem. Quomodo enim homo ſenex naſceretur? quomodo poſſet ſecundo in uentrem matris redire, & iterꝫ in lucem prodire? niſi ſi forte approbes ſtultiſſimam & uaniſſimam illam μετεμψύχωσιν, qua docuerunt nonnulli animas hominum de corporibus in corpora migrare. Deinde, etiamſi noua carnalis natiuitas eſſet poſſibilis, humana tamen ratio iudicat eam ad conſequendam cœleſtem fœlicitatem non eſſe neceſſariam. Sentit enim hominem ſemel ex patre & matre in hac terra natũ, afferre ſecum tam integras uires in animo, ut poſſit diuinę legi ſatisfacere, nec deſit ei quicq̃ in ſua natura, ad ingrediendum in regnum Dei. Non eſt igitur admirandum, ꝓ prudentia carnis nec intelligat, nec agnoſcat doctrinam de renaſcentia ſpirituali. Admirandum potius eſſet, ſi hanc cœleſtem doctrinam intelligeret. Animalis homo, inq̃t Paulus, non accipit ea, quę ſunt ſpiritus. Stulticia ſiquidem illi ſunt, nec poteſt cognoſcere, quod ſpiritu aliter diiudicantur. Quid ergo de humanis uiribus coram Deo gloriamur? Quid nobis de excellentia humani ingenij in conſequenda uera iuſticia & fœlicitate blandimur? Sed audiendus nunc eſt Chriſtus, qui ut cepit, ita etiam pergit inſcitiam Nicodemi boni conſule
,, re, & humaniſſime ipſum erudire. Reſpondit Ieſus. Amen amen di
,, co tibi. Niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire
,, in regnum Dei, Quod ante generaliter dixit, hoc nunc ſpecialiter ex-

Luc. 1.
Ioannis 19.
Χεπορ ἀπο μνημο. δ. κεφαυνόστε γὰρ ὅτι μὲν ἄνωθεν ἀφίεῃς, δῆλον.

2. Cor. 2.

ponit,

ponit, ac manifeste significat, se non loqui de carnali, sed de spirituali natiuitate. Nam ad carnalem natiuitatē, necessarius quidem est uenter matris, ad spiritualem autem, longe alia necessaria sunt. Hic enim nouus homo, quem dixi oportere nasci, ut ingrediatur in regnū dei, non nascitur ex patre & matre terrena, sed ex AQVA & SPIRITV. Hæc sunt pater, hæc sunt mater hominis ingressuri in regnum Dei. Porro nomine aquæ significat Iesus Baptismum, qui paulo ante, ad regenerandos homines in cœlestem hereditatem, per Ioannem diuino mandato institutus erat, & per Christū ipsum sua susceptione sanctificatus. Cum autem Baptismum hoc loco dicimus, intelligimus totum externum ministerium Euāgelij, uidelicet non tantum intinctionem in aquam, aut infusionem aquæ, sed etiam doctrinam Euangelij de Iesu Christo, in cuius noīe Baptismus distribuebatur. Prędicās, inquit Marcus, Baptismum pœnitentię in remissionē pctōrum. Hic uides Euangelistam nomine Baptismi complecti simul etiam doctrinā Euangelij. Et aliās. Baptismus Ioannis, utrum é cœlo erat, an ex hominibus? Hic iterum Baptismi nomine non tantum intinctio in aquam, sed etiam doctrina intelligitur. Et in Actis Apostolicis. Post Baptisma (inquit Petrus) quod prædicabat Ioannes. Sola enim intinctio in aquam per se non est nisi corporalis lauatio, sed addita Euangelij doctrina de remissione peccatorum propter Christum, fit uerus Baptismus, quo homines spiritualiter regenerantur. Nam solenne illud, q̄d in Baptismo publicé dici solet, Baptiso te in nomine patris & filij & Spiritus sancti, doctrina adeoq̄ epitome est totius Euangelij. Et hęc est sententia eius. Adnuncio tibi, q̄ Deus pater recipiat te in gratiam suā, & adoptet te in filium ac hęredem omnium cœlestium bonorū, ac donet te Spiritu sancto suo propter Iesum Christum unigenitū filium suum, q̄ est una cum patre & spiritu sancto uerus & æternus deus. Quod ut manifesto signo tibi comprobem, intingo te in aquam, non humano, sed diuino nomine ac mandato, ut scias te iam uere mēbrum Christi filij Dei factum esse. Hæc est doctrina Euangelij, quæ nisi accesserit ad Baptismum, quid obsecro, intinctio in aquam erit, nisi externum & corporale balneum? Quare cum in hac disputatione Christi & Nicodemi dicitur q̄ per aquam intelligitur Baptismus, sentiendum est, q̄ Baptismi nomine intelligatur tam intinctio in aquam, quam doctrina Euangelij, quę adiuncta intinctioni, promittit per Baptismum, remissionem peccatorum, & ueram coram Deo mūdiciem propter Iesum Christum filium Dei. Per Spiritum autem, in eo, quod dicitur, Ex aqua & spiritu, intelligendus est Spiritus sanctus, qui per Baptismum, hoc est, per uerbum & sacramentum donatur, & hominem renouat. Ac initio quidem reuelati Euangelij post

Nouus homo unde nascatur.

Baptismi noīe intelligitur tota doctrina Christianismi

Baptismi uerba, quia significent.

aſcenſum Chriſti in cœlũ, donabatur ſpũs ſanctus manifeſtis miraculis. Videbantur em̃ diſſectę linguę, uelut igneę, & loquebantur diſcipuli alijs linguis. Nunc aũt donatur ſpiritus inuiſibili Dei adminiſtratione. Nam, qui regenerantur ſpiritualiter, & fiunt noui homines, hi primum, credunt in Ieſum Chriſtum, ꝙ per ipſum ſint Deo patri reconciliati, & in filios Dei adoptati. Deinde reputantur coram Deo, propter Chriſtum, in quẽ credunt, ita iuſti, ut Deus non amplius recordetur peccati eorꝝ, ſed uelit eis dare eternã fœlicitatem. Adhęc, incipiũt uirtute ſpiritus mortificare affectus carnis, ut peccatum non regnet in mortali ipſorꝝ corpore, ſed ut accõmodent mẽbra ſua, arma iuſtitię Deo, quẽadmodum Paulus loqtur. Poſtremo ſeruantur in morte, ne intereant, & excitantur à morte, ut perpetuo cum Chriſto Domino uiuant & regnẽt. Hic eſt ſpiritus ſanctus, hęc, inq̃ꝭ, ſunt, dona ſpiritus ſancti, quę dantur his, qui ſpiritualiter ꝑ doctrinã Euãgelij & baptiſmũ eius regenerantur. Nam ꝙ ſpiritualis natiuitas ſeu regeneratio fiat per doctrinam Euangelij, cuius ſacramentũ eſt baptiſmus, & per ſpiritum ſanctum non ſolum docet Chriſtus hoc loco, ſed etiam Apoſtoli eius, nimirꝝ ſpiritu ipſius pręditi, poſtea teſtãtur,
1.Pe.1. & quaſi explicant. Petrus ait. Renati non ex ſemine mortali, ſed ex immortali per ſermonem uiuentis Dei, & manentis inęternum. Hic au-
Eph.5.4. tem eſt ſermo, qui per Euangelion ad uos delatus eſt. Paulus uero ait. Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro ea, ut illam ſanctificaret mundatam lauacro aquæ per uerbum. Sanctificari, inquit, Eccleſiam lauacro aquę per uerbum. Hæc eſt doctrina Euangelij & baptiſmus. Et iterum, Saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, ac renouationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos opulente per
Ad Titũ.3. Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum. Quid poteſt de modo & ratione nouę ac ſpiritualis regenerationis manifeſtius dici? Hęc em̃ non fit per carnales parentes, ſed fit per aquã quę eſt baptiſmus, & ſpiritum, qui ex doctrina Euangelij & ſacramento eius donatus, hominẽ ita renouat, ut adoptetur in filium Dei, & conſequatur cœleſtem hæreditatẽ, non quidem propter nouitatem uitę, quę ex regeneratione ſequitur, & per ſe adhuc eſt imperfecta, ſed propter Ieſum Chriſtum, qui eſt per fidem acceptus. Docet igitur Chriſtus Nicodemum, ut ſi uelit nouus homo naſci & ingredi in regnum Dei, audiat & fide apprehendat doctrinam Euangelij, & accipiat baptiſmum paulo ante miniſterio Ioannis Baptiſtæ inſtitutum, ut donatus ſpiritu ſancto, reputetur iuſtus in iuditio Dei, & ambulet in nouitate uitæ. Hæc eſt uera & recta uia ingrediendi in regnum Dei. Sed admirabitur quiſpiam, quid uelit ſibi Chriſtus, quòd cum aliàs legiſperitus interrogaret ipſum, quid faciendo uitam æternam poſſideret, remittat eum ad

faciendam

faciendam legem. In lege, inquiens, quid ſcriptum eſt, quomodo legis? Et cum recitata eſſet ſumma legis, addit: Hoc fac & uiues. Nunc autem cum Nicodemus plane idem quæreret, remittit eum Chriſtus non ad faciendam legem, ſed ad audiendum Euangelion, & accipiendum baptiſmum. Facilis eſt huius rei explicatio, ſi memineris ſermonem ueritatis recte ſecandum eſſe, quemadmodum Paulus loquitur: Aliud enim doctrinæ genus conuenit arrogantibus, ſuperbis, & pertinacibus Phariſæis ac hypocritis. Aliud conuenit contritis & humiliatis corde. Legiſperitus, qui interrogabat Ieſum de uia peruenienti ad uitam æternam, erat homo inflatus iuſtitia legis, & exiſtimabat ſe ſuis uiribus & meritis poſſe implere legem. Quare Ieſus remittit ipſum ad faciendam legem ſeu decalogum, qui eſt epitome totius legis, ut reipſa comperiat imbecillitatem uirium ſuarum, et humilietur ac uirtute legis occidatur. Prædicatio enim Decalogi pertinet ad ſecuros carne, & ignaros ſuæ corruptionis, ut ſentientes ſuam imbecillitatem & impietatem, agnoſcant iram Dei, & damnationem ſuam, nõ quo in hac agnitione pereant, ſed quo excitentur ad quærendam eam ſalutis uiam, quæ eſt in benedicto ſemine Abrahæ, hoc eſt, in Ieſu Chriſto propoſita. Nicodemus autem, etſi profeſſione ſua Phariſæus erat, tamen quia tam ſollicite interrogat Ieſum de uera ratione ingrediendi in regnum Dei, apparet eum iam ante ſenſiſſe, quod non poſſit legi ſatisfacere, & fuiſſe contrito atq; humiliatõ corde propter peccatum. Quare Ieſus remittit eum ad audiendum Euangelion de remiſſione peccatorum. Prædicatio enim Euangelij de peccatorum remiſſione in Chriſto, conuenit afflictis conſcientijs, & humiliatis animis, ut erigantur fide, & concipiant ueram ac cœleſtem conſolationem, Euangelion, inquit Paulus, eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Et aliás, uocat prædicationem Euangelij de Chriſto, miniſterium reconciliationis. Omnia, inquiens, ex Deo, qui reconciliauit nos ſibi per Ieſum Chriſtum, deditq; nobis miniſterium reconciliationis. Cum igitur tentamur iuditio peccati, & condemnamur in conſcientia propter peccatum, ac incipiamus ardere ignibus inferni, audiendum eſt Euangelion de expiatione peccatorum, quam habemus in Ieſu Chriſto, & reuocandus eſt in memoriam baptiſmus, quo ſanctificati ſumus in membra Chriſti, ut fide confirmati, uincamus iuditium peccati, & euadamus ex doloribus inferni, ad cœleſte gaudium, per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

2. Timoth. 2.

Legis & Euangelij prædicatio.

2. Corinth. 5.

HOMILIA XXVI.

EXPOsui uerba Christi, quibus docuit non tam Nicodemum, quàm uniuersam Ecclesiam, quòd ad ingrediendum in regnum Dei, necessaria sit noua generatio, non quidem è carnalibus parentibus, sed ex aqua & spiritu, exponam nunc caussam, qua Christus necessitatem nouę generationis perspicue ostendit. Quid enim, dicet quispiam? An non hic uetus homo, quem ex diuina creatione à parentibus nostris accepimus, satis idoneus est ad ingrediendum in regnum Dei? Etsi enim corpus non est adeo robustum, præsertim in tenera ætate, anima tamen ratione prædita est, & progrediente ætate tanta fit perspicatia humanæ mentis, ut non terrena tantum sed etiam cœlestia perscrutetur, & diuinas res contempletur. Quid ergo opus est generatione noui hominis, cum uetus ille homo ad ingrediendum in regnum Dei sufficiat? Respondet Christus, & ,, exponit caussam, propter quam necessaria est noua generatio. Quod ,, natum est, inquiens, ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, ,, spiritus est. Hæc est una è præcipuis sententijs totius sacræ scripturę. Quare diligenter est expendenda. Primum autem omnium consideranda est phrasis sermonis. In hoc enim dicto, Quod natum est ex carne, caro est, nomine carnis intelligi debet homo carnalis. Nam solenne est iuxta hebræam phrasim, ut cum caro opponitur spiritui, seu spirituali homini, per carnem intelligatur non tantum corpus sed etiam anima hominis, adeoqꝫ totus homo cum omnibus suis naturalibus uiribus tam corpore ꝯ animo. Non permanebit, inquit, spiritus meus in homine inæternum, quia caro est, hoc est, totus carnalis. Et Esaias: Omnis caro fenum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exiccatum est fenum & cecidit flos, quia spiritus Domini suffla uit in eo. Hic per omnem carnem & gloriam eius, quæ flatu spiritus exiccatur, intelligendus est omnis homo carnalis, & omnes uires corporis & animę, quæ uidentur aliquam gloriam in hoc mundo habere, & tamen coram Deo ad parandam salutem prorsus nihil ualent. Huc etiam facit, quod Paulus ait: Caro cõcupiscit aduersus spiritum, & spũs aduersus carnẽ. Quod aliàs dicit. Lex spũalis est, at ego carnalis sum, uenditus sub pctũm. Quare cũ Christus hoc loco ait: Quod natum est ex carne, caro est, idem est, ac si dixisset, Quod natum est ex homi

Carnis nomine, quid intelligatur.

ex homine carnali, est homo carnalis, seu quod natum est ex ueteri Adamo, est uetus adam. Qualis, inquit Paulus, terrenus ille, tales & hi, qui terreni sunt. Videndum igitur erit, qualis sit Adam ille uetus, terrenus & carnalis, ut cognoscamus etiam, quales sint hi, qui nascuntur ex ipso. Nam Adam creatus quidem est initio iustus, sapiẽs, fœlix, beatus, immortalis, adeoqꝫ plane diuinus. Faciamus, inqt Deus, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Cum enim homo constet diuina creatione ex corpore & anima, quod ad corpus attinet tanta fuit firmitate & soliditate conditum, ut in ipsum nec morbus, nec senectus, nec mors nec corruptio ullum ius habuerit, quod autem ad animam, cuius præcipue uirtutes sunt, Ratio & Voluntas, attinet, in ratione fuit summa diuinarum & humanarum rerum intelligentia, & sapientia, in uoluntate uero fuit summa cupiditas, promptitudo & alacritas obsequendi & perficiendi, quæ ratio perficienda cognouit, ac breuiter, spiritus Dei hominem ita gubernabat, ut totus esset iustus, sanctus, sapiens, immortalis fœlix & beatus. Nulla hic erat iniustitia, nulla impietas, nulla mors, nullus infernus, imo ne quidem & inferni timor. Quod si Adam non peccasset, certe quotquot ex ipso nati essent, hi retulissent etiam secum hanc iustitiam & fœlicitatem. Nunc autem Adam à Satana seductus, non constitit in ea iustitia & beatitate, in qua à Deo creatus est, sed auertit se à uerbo Dei, & peccauit aduersus Deum. Itaqꝫ factum est, ut recedente spiritu sancto propter peccatum, susceperit imperium in Adamum spiritus Satanæ, & corruptus ac deprauatus sit Adam, tam corpore, quàm anima. Primum enim, corpus Adami arreptum fuit morte, & interitu. Tametsi enim Adam non corruit repentina morte secundum externam speciem, sed uidebatur adhuc spirare & uiuere etiam post peccatum, tamen hoc uiuere nihil aliud erat quàm continenter animam agere & efflare. Nam tot periculorum generibus, tot casibus, tot morbis, obnoxium esse, & quouis momento imminentem mortem expectare, nec posse morti, cum aduenerit, ullis uiribus obsistere, ac nihil certius esse, cꝫ mortem ad opprimendum hominem imminere, quid, obsecro, aliud est, quàm sine intermissione mori? Cum igitur hæc omnia inuaserint Adamum propter peccatum, manifestum est, qꝫ Adam statim post peccatum mori inceperit. Deinde, anima Adami amisso spiritu sancto ita corrupta est, ut ne in præstantissimis quidem uiribus suis aliquid recti aut synceri retinuerit. Quam enim Ratio seu mens habebat diuinarum rerum cognitionem, & quam Voluntas habebat cupiditatem ad ueram & perfectam iustitiam, eam Adam ablato spiritu sancto prorsus amisit. Etsi enim post

Adam uetus, qualis sit.

peccatum relicta est quædam cognitio diuinarum rerum in mente, uidelicet, ꝙ sit Deus, ꝙ Deus sit iustus, & sapiens, ꝙ Deus administret hunc mundum, ꝙ Deus conseruaturus sit bonos, & puniturus malos, & id genus alia, relicta est etiam q̃dam ad honestatem cupiditas in uoluntate, tamen quemadmodum uita corporis post peccatum in Adamo relicta, non erat proprie uera uita, propterea ꝙ non potuerit morti obsistere, sed necesse habuerit, accedente morte, corruere, ita cognitio diuinarum rerum & cupiditas honestatis in Adamo post peccatum relicta, ut non fuerunt perfecta & integra, ita non potuerunt in ueris tentationibus, & in iuditio Dei constare. Nam coortis aduersis, & reuelata ira Dei, statim erupit impietas mentis & uoluntatis, ut illa impudenter dixerit Deum aut non esse, aut esse crudelissimum & iniustissimum, hæc autem non nisi pessima & fœdissima sit meditata. Cum Deus reprehenderet Adamum, ꝙ peccasset, respondet. Mulier, quam dedisti mihi sotiam, dedit mihi de ligno & comedi. Hoc certe est peccati caussam in dominum reiicere, & Deum peccati arguere, adeoq; iudicare ipsum esse iniqssimum, quôd tanta seueritate in id peccatum animaduertat, cuius ipse, quia talem sotiam dederit, præcipuus autor sit. Et cum postea Cain occidisset Abelem, quid potuisset ei deprauata mens aliud subiicere, q̃ Deum uel non esse, uel non curare res humanas? Habes, qualis factus sit Adam propter peccatum, nimirum mortalis, carnalis, impius, iniustus, & dãnatus. Fieri aũt nõ potest, ut putris arbor bonos fructus faciat, & ut colligãt de spinis uuam, aut de tribulis ficus. Quare manifestum est, ꝙ omnes homines, qui ex Adam nascuntur, tales fiant, qualis ipse propter peccatum factus est, uidelicet, mortales, carnales, impij, iniusti & damnati, & quemadmodum Adam post peccatum, nihil prorsus nec in corpore nec in anima habuit, propter quod, aut cuius uiribus potuisset reuocare amissam suam maiestatem, ita nullus hominum ex Adamo natus, affert secum in hunc mundum, uel habet in se quicq̃, propter quod queat in regnum Dei ingredi. In corpore quidem sunt, fortitudo, uenustas longitudo, & crassities, sed etiamsi omnes homines in unum conferant omnia hæc corporalia bona, tamen non possunt horum uiribus morti obsistere, & regnum Dei accipere. Magnus ille Alexander Macedo, (cur autem non liceret nobis publicam illius mentionem in Ecclesia facere, cum & Daniel de eo uaticinatus sit, & nonnulla ipse benefitia populo Dei præstiterit?) postq̃ consecutus esset summã in terris potentiã, & haberet in manu sua uires totius pene orbis terræ, uoluit etiã cœlũ inuadere, ac regnũ Dei ingredi. Vulgabat em̃ se esse summi dei filiũ, et exigebat publicis ędictis ut ipse decerneret & haberet deus. Hoc certe est conari in cœlũ ascẽdere, & regnum dei

Corporis humani impotentia erga mortem.

Alexandri Magni insania

regnum Dei inuadere. Sed hanc hominis insaniam non riserunt tantum sapientes, uerumetiam ipse, sagitta ictus, & cruore suo perfusus uanitatem opinionis suę confessus est, cum accurrentes amicos interrogaret, num & dij sanguinem haberent. Caligula, Romanorum imperator, cogitans se potentia sua excessisse fastigium principum & regum, asseruit sibi ex eo diuinam maiestatem. Nam cum ad ipsum tanq̃ ad supremum caput uires totius orbis terrę collatę uiderentur, existimauit potentiam suam tantam esse, ut etiam in cœlum ascendere, & regnum Dei accipere queat. Sed qui sibi Deus uidebatur, ac se iam regnum dei tenere putabat, is paulo post necesse habuit percussoribus ceruicem dare, & fœda morte perire. Quare tãtum abest, ut impius uir potentia sua in regnum dei intrauerit, ut potius ad infernum descenderit, & in regnum Satanę peruenerit. Habes corporis & potentię eius uanitatem. Nunc uide mihi animam. Hæc, etsi habet mentem, qua intelligit non humana tantum, sed & diuina, habet & uoluntatem, qua appetit honesta, tamen ut hęc intelligentia & appetitus sunt imperfecta, ita in tentationibus & aduersis facile excutiuntur, & redeunt tam mens, q̃ uoluntas ad naturam suam, hoc est, ad impietatem, & ad seruitutẽ Satanæ, cui propter peccatum sunt obnoxia. Per unius, inqt Paulus, delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem. Et postea. Affectus carnis, hoc est, non tm̃ appetitionis sensitiuę, sed rationis ac uoluntatis, inimicicia est aduersus Deum. Nam legi dei non subditur. Siquidem ne potest quidem. Ac paulo ante. Scio, q̃ non habitet in me, hoc est, in carne mea, (quę cõplectitur rationẽ & uoluntatẽ) bonũ. Quare perspicuum est, q̃ ut Adam factus est propter peccatum, caro, hoc est, totus carnalis, impius & damnatus, ita omnes homines ex Adamo nati, sint caro, hoc est, toti carnales, impij & damnati, nec quicq̃ in se natura sua habeant, quo possint in cœlum ascendere, & in regnum dei intrare. Percurramus nunc hominum genera, ut manifeste uideamus, in quos homines nomen carnis competat, & qui, cum caro sint, in regnum Dei ingredi non queant. Vnum hominum genus est quos uocarunt Ethnicos. Hi etsi quędam sapientissime de diuina maiestate excogitarunt, & disseruerunt, ac honestissimis uirtutibus operam dederunt, tamen quia nati fuerunt ex carne, & non fuerunt renati ex spiritu, sentiendum est, quod non fuerint, nisi CARO, nec potuerint uel sapientia, uel uirtutibus suis ingredi in regnum Dei. Aliud genus hominum est, quos uocant Iudæos. Loquimur autem nunc de ijs Iudæis, non qui quondam fuerunt electus Dei populus, sed qui sunt ab hæreditate cœlestium bonorum abiecti, & uagantur modo incertis sedibus. Hi tractant adhuc sacram scripturam, loquuntur

Lacedæmonij decreuerunt ἀπιστοῦν ὁ λέξανδρος βουλεται θεός εἶναι, ἐκεῖ θεός.

Caligula impudentia.

Mentis humanæ impotentia

Hominum genera uaria.

reuerenter de Deo, recitant psalmos Dauidicos, ut uideantur Deum inuocare, faciunt quędam sacra Mosaica, & sectantur etiam pro sua uirili prescripta Decalogi, sed quia nati sunt ex carne, nec renati sunt ex spiritu, idcirco, quemadmodum ipsi non sunt nisi CARO, ita omnis ipsorum iustitia non est nisi CARO, nec possunt uirtute huius iustitiæ intrare in regnum Dei. Est & aliud hominum genus, quos Saracenos & Turcas uocant. Hi mirifice prędicant unum Deum, creatorem cœli & terræ, & magnis laudibus commendant clementiam & misericordiam eius, habent etiam suas precationes, & eleëmosynas, atq; multa alia id genus bona opera, Sed quia nati tantum sunt ex carne, non ex spiritu, ut sunt ipsi CARO, ita tota eorum religio, & quicquid bonorum operum fecerint, CARO est, nec possunt per suam religionem & opera intrare in regnum Dei. Sunt & Christiani, quod hominũ genus parciemur in tres ordines. Alij enim sunt hypocritæ, qui sectantur tantum speciem Christianismi, & confidunt se meritis suæ iustitiæ consecuturos salutem. Hi putant se inuocare uerum Deum, uidentur etiam credere in Christum filium Dei, sumunt sacramenta Christianismi, recitant pias precationes, dant pauperibus eleëmosynam, & non faciunt tantum uulgaria, uerumetiam instituunt sibi multa peculiaria sacra. Et tamen quia nati sunt ex carne, nec sunt renati ex spiritu, sunt tam ipsi q̃ omnia eorum sacra, CARO, nec possunt horum meritis ingredi in regnum Dei, sed audiunt tandem: Nunq̃ noui uos, Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Alij sunt scelerati, qui gestant tantum nomen Christianorum, sed obediunt peccato, ducunt inhonestam uitam, & sectãtur scelera pro sua libidine. Manifestum autem est, hos, siue sint inter Christianos, siue inter Iudæos, siue inter Turcas, carnem esse, & Deo non placere, nec posse sceleribus suis intrare in regnum Dei. Alij sunt pij, qui non tantum uocantur Christiani, sed etiam uere credunt in Christum. Hi etsi sunt spirituales, q̃ ex spiritu renati sunt, quemadmodum mox sequitur, tamen quatenus sunt nati ex carne, & remanent in ipsis, etiam post renascentiam, reliquiæ carnis, dicuntur & ipsi ea parte CARO. Sed quia hęc caro mortificatur per spiritum, ex q̃ renati sunt, idcirco hi soli possunt intrare in regnum dei. Quod autẽ de pijs Christianis dicimus, hoc idem intelligendum est de pijs patriarchis, & omnibus ijs, qui ante natum Christum, crediderunt in Christum diuinitus promissum. Quanq̃ enim & hi fuerint spirituales, tamen fuerunt etiam CARO, propter reliquias carnis, quæ post renascentiam in ipsis remanserunt, mortificatæ autem sunt & expurgatę per spiritum, ex quo renati, intrauerunt in regnum Dei. Breuiter, omnes homines ex Adamo nati, sunt CARO, tam corpore q̃ anima.

Christianorũ ordines.

Pij sunt etiam aliqua ex parte CARO.

anima. Non enim habēt quicq̃ uirium natura ſua uel in corpore uel in anima, quo tantum bonum facere poſſint, ut regnum Dei conſequantur. Dominus, inq̃t pſalmus, de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ſi eſt intelligens aut requirens deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſq̃ ad unum. Et iterum. Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Quare, cum omnes homines ex carne nati, ſint caro, & natura ſua nec recte intelligant, nec conſtanter requirant Deum, nec iuſtificentur coram deo, perſpicuum eſt, q̃ ad ingrediendum in regnum Dei neceſſaria ſit noua generatio. Atq̃ hæc quidem de eo quod Chriſtus ait: Quod natū eſt ex carne, caro eſt, dicta ſint. Nunc oſtendamus etiam, quid illud ſit, quod ſequitur, uidelicet, Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Nam, quemadmodum in illo priori dicto, per carnem intelligitur, carnalis homo, ita & nunc per ſpiritum intelligendus eſt homo ſpiritualis. Deinde, ſicut eſt unus tantum carnalis homo, quem uocamus Adamum, ex quo omnes alij homines, qui ſunt poſteri eius, naſcuntur carnales, ita eſt unus tantum homo ſpiritualis, qui eſt Ieſus Chriſtus DOMINVS noſter, ex quo, ſeu ex cuius ſpiritu omnes alij homines, qui ſunt poſteri ipſius, nimirum credentes in ipſum, naſcuntur ſpirituales. Primus homo, inquit Paulus, de terra terrenus, Secundus homo ipſe DOMINVS de cœlo. Qualis terrenus ille, tales & hi qui terreni ſunt. Et qualis ille cœleſtis, tales & hi qui cœleſtes ſunt. Ac rurſus. Sicut per unius delictum propagatū eſt malum in omnes homines ad condemnationem, ita per unius iuſtificationem propagatur bonum in omnes homines ad iuſtificationem uitę. Quare cum dicitur, Quod natū eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt, hic eſt ſenſus eius. Qui naſcitur ex Ieſu Chriſto aut ex ſpiritu eius, hic eſt ſpiritus, ſeu ſpiritualis homo, qui & ſolus poteſt intrare in regnum Dei. Cæterum, cum in hoc loco homo dicitur ſpiritus, ſeu ſpiritualis, non eſt ſentiendum, q̃ in regeneratione ſpirituali corpus mutetur in ſpiritum. Corpus enim hominis idem manet corpus, quod ante erat, nec eſt exiſtimandum, q̃ anima hominis fiat tota munda, pura, ſancta & ſpiritualis. Eadem enim anima cum ratione & uoluntate, hoc eſt, impietate ſua manet, quæ fuit antea, Sed in regeneratione creatur in homine per ſpiritum ſanctū nouus motus, qui eſt, FIDES in Ieſum Chriſtum. Per fidem aūt accipit homo Chriſtum, & fit membrum Chriſti. Cum uero Chriſtus inhabitat in homine, primum quidem reputatur homo coram Deo iuſtus, & adoptatur in filium ac heredem dei propter Chriſtum, deinde ſpiritus Chriſti in homine incipit mortificare carnem, hoc eſt, non ſolum craſſiores carnis affectus, ſed etiam naturalem impietatem humanę rationis & uoluntatis. Etſi enim hu-

Spiritus noīe quid intelligatur.

Spiritualis homo, quis dicatur.

mana ratio intelligit quędam de rebus diuinis, & uoluntas nititur ad quasdam honestas uirtutes, quemadmodum supra diximus, tamen sub his latet naturalis impietas, quę & tum in lucem prodit, cum uel occasionem per tentationes aut afflictiones consequitur, uel iuditio Dei excitatur. Cum hac igitur impietate, quę durat in carne uscq; ad mortem, semper pugnat spiritus Christi, & mortificat eam, ne regnet in homine renato. Vnde & Paulus monet, Spiritu, inquiēs, ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis. Nam caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc autem inter se mutuo aduersantur, ut nō quęcunq; uolueritis, eadem faciatis, hoc est, etsi spiritus Christi cupit magno desiderio in uobis renatis facere perfectam iustitiam, tamen quia inuenit in carne uestra naturalem impietatem & rebellionem, pugnat quidem cum ea, & uincit eam, non potest autem eam in hac mortali uita prorsus è carne euellere. Itaq; fit, ut iustitia non sit perfecta. Præterea Spiritus Christi in hoīe renato, non solum mortificat carnē, ne impietas eius regnet, sed etiam profert fructum bonorum operum, quæ Deus uerbo suo exigit. Hęc opera, etsi sunt imperfecta, propter impietatē carnis, de qua modo dictum est, tamen sunt Deo grata & accepta, propter Christū, è cuius spiritu proferuntur. Monet nos etiam de hac re Paulus, Mortificate, inquiēs, membra uestra terrestria, & sitis induti tanq; electi Dei, uiscera miserationum, comitatem, modestiam, mansuetudinem lenitatem. Postremo, Spiritus Christi conseruat credentem in morte, & excitabit quoq; corpus eius à morte, ut in perfecta iustitia ꝑpetuo ac fœlicissime cum Christo Domino suo uiuat. Si spiritus eius (inquit Apostolus) q excitauit Iesum à mortuis habitat in uobis, is qui excitauit Christum ex mortuis, uiuificabit et mortalia corpora uestra propter ipsius spiritum inhabitantem in uobis. Habes quomodo homo fiat spiritus, & quis sit effectus spiritualis regenerationis. Magnę autem caussæ sunt, quæ nos monent, ut spiritualem regenerationem diligenter cognoscamus. Sapientes huius seculi existimant hominem natura sua habere semina pietatis, ex quibus possit ad tantas uirtutes excrescere, ut ingrediatur in regnum Dei. Vulgus etiam hominum optare in morbis præsertim capitis solet, ut Deus conseruet rationem & sensus ipsorum externos. Putant enim se ad consequendam salutem sufficientia habere bona, si modo ratio & sensus salua sint. In uera autem doctrina de spirituali regeneratione perspicue traditur, quòd ratio interna, & sensus externi pertineant ad ueterem & carnalem hominem, qui cum non possit intrare in regnum Dei, necessarius est nouus & spiritualis homo, qui ex spiritu per Euangelion Christi regeneratur. Quare etsi ratio & sensus hominis

sunt

ſunt dona Dei, & habent ſuum uſum, tamen in conſequenda uera ſalute nihil ualent, ideoq; non eſt hoc præcipue agendum, ut ea tueamur, ſed ut ſpiritum Chriſti, ſi non habemus, per Euangelion fide accipiamus, aut ſi habemus, per fidē conſeruemus, quo carnis, hoc eſt, rationis impietas mortificetur. Hic enim ſolus regenerat nos nouos homines, ut ingrediamur in regnum Dei. Sunt & alij, qui nec de hominibus, nec de operibus ſpiritualibus recte iudicant. Sentiunt enim eos homines proprie dici ſpirituales, qui in eremo uitam agentes, toti dediti ſunt contemplationibus, ut ipſi loquuntur, & uictitant tantum herbis. Sic & ea tantum opera uocant ſpiritualia, quę exercentur uel cantandis pſalmis, uel recitandis precationibus, uel dandis eleëmoſynis. In uera autem doctrina de ſpirituali regeneratione haud obſcure explicatur, quod is uere dicatur homo ſpiritualis, qui eſt per Euangelion Chriſti renatus ex ſpiritu ſancto, & factus eſt membrum Chriſti per fidem, ſiue habitet in eremo, ſiue in politeia hominum, ac ſiue ueſcatur radicibus, ſiue carnibus aut piſcibus. Ac de operibus quoq; docetur, quod ea dicātur uere ſpiritualia, quę fiunt ex fide in Ieſum Chriſtum, hoc eſt, quę ſic fiunt, ut homo primum quidem renatus ſit ex ſpiritu, & credat quod Deus receperit ipſum in gratiam, & adoptauerit in filium, ac hęredem bonorum ſuorum, ex mera gratia, & miſericordia, tantum propter Ieſum Chriſtū filium ſuum, deinde autem faciat opera, quę Deus præcepit, & ordinauit, non ut meritis horum expiet peccata, ſed ut declaret ſe gratum erga Deum, & obediat diuinę ordinationi. Hęc ſunt uere opera ſpiritualia, quantumuis corporalia, exempli gratia, arare, triturare, opificium exercere, domum purgare, & id genus alia, uideantur. Huc accedunt et alij, qui cum audiunt doctrinam libertatis in Chriſtianiſmo, exiſtimant Chriſtianiſmum eſſe ignauiam, & genus uiuendi pro ſua libidine. Sed in uera doctrina de ſpirituali regeneratione manifeſte exiguntur non noui tantum motus cordis, ſed etiam noua, hoc eſt, bona opera hominis, ut non prębeamus membra noſtra ſerua immundiciei & iniquitati, ſed ſerua iuſtitiæ ad ſanctificationem. Quare tota mente incumbendum eſt in hanc curam, ut & ueram cognitionem de ſpirituali regeneratione habeamus, & ſpiritui in regeneratione nobis exhibito diligentiſſime obſequamur. Sed hæc de dicto Chriſti, Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt, hactenus. Perſtringamus nunc, quod in reſponſo Chriſti ſequitur. Ne mireris, inquit, quod dixi tibi, Oportet uos naſci denuo. « Spiritus ubi uult ſpirat, & uocem eius audis, ſed neſcis unde ueniat, « & quo uadat, Sic eſt omnis, qui natus eſt ē ſpiritu. Similitudo à uento (in hac enim locutione, Spiritus pro uento accipiendus eſt) ſum-

Spiritualia opera quæ dicantur.

pta, qua Christus refutat ineptam opinionem & admirationem Nicodemi de regeneratione. Nicodemus enim admiratur, quomodo fieri possit, ut homo regeneretur, cum non uideatur regeneratio, & quia regeneratio non est exposita corporalibus oculis, existimat eam nullam esse. Quid autem hac sententia ineptius? quid ea stultius aut puerilius? Multa enim non percipiuntur corporalibus oculis, nec uidentur, quæ tamen uere sunt, aut fiunt. Quis unq̃ uidit Deum? & tamen Deus uere est. Etsi enim non cernitur sua natura, cernitur tamen, q̃ uere sit, non solum ex unigenito filio suo, sed etiam ex ipsa harum rerum, quas uidemus magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione. Sunt & angeli, qui nec ipsi conspiciuntur corporalibus oculis, & tamen ex reuelationibus, & operibus eorum manifestum est eos esse. Quid dicemus de anima humana? quis obsecro unquam uidit eam oculis suis? Sed quis tantę est impudentiæ aut temeritatis, qui cum uideat tot manifestas uitę actiones in homine, negare audeat, animam esse? Hęc de spiritibus. Sumamus etiam exempla de corporibus. Ventum esse, notius est, quam ut probari debeat, nullus tamen unq̃ uidit uentum, sed audis tantum sonũ ac tumultum eius. Accedit huc & fulmẽ, quod deiicitur è supernis & prosternit omnia, quæ contigerit, sed neq̃ cum uenit, neq̃ cum ferit, neq̃ cum abit, uidetur. His exemplis perspicuum est, nihil esse imprudentius & magis puerile, q̃ existimare rem aliquam non esse aut nõ fieri, q̃ corporalibus oculis non uideatur. Ac licuisset quidem Christo DOMINO nostro pluribus exemplis uanam opinionem Nicodemi refutare, sed placuit ei exemplũ de uento. Ne mireris, inquit, q̃ dixi tibi, oportet uos nasci denuo, hoc est, Tu miraris, et suauiter tecum rides, q̃ concionatus tibi sim de spũali generatione. Cum enim non uideas eam corporalibus oculis credis uanissimas esse nugas, quę cunq̃ de ea prędicantur. Sed heus tu, Si ita tibi constitutum est, ut sentias ea nugas esse, quæ non uideas, profecto nec uentum aliquid esse dices. Quis enim unq̃ uentum uidit? Sed quemadmodum uentus re ipsa uere est, & perflat, quo natura sua fertur, non tamen uides eum, nec cum uenit, nec cum abit, sed tantum audis sonum & agitationem eius, ita cũ quouis accidere solet, q̃ è spiritu nascit. In nullo enim hoie percipitur spiritualis generatio corporalibus oculis. Nam in hac generatione nec corpus nec anima uidetur mutari. Corpus infantis, qui per baptismum renascitur & inseritur Christo, idem uidetur post baptismum, quod ante erat. Anima infantis nihil prudentius se gerit in infantili ætate post baptismum, quam ante. Similiter dicendum est de adultis renascentibus. Corpus eorum nec fit uenustius, nec robustius, nec iuuenilius, ex renascentia. Anima eorum retinet in

Deus, Angelus, Anima sunt etsi non uidentur.

Ventus est, etsi non uidetur.

Xenophon. Καὶ ἄνεμοι αὐτοὶ μὲν οὐχ ὁρῶντες, ἃ δὲ ποιοῦσιν, φανερὰ ἡμῖν ἐστι, καὶ πρόσιόντων αὐτῶν αἰσθανόμεθα.

net in ratione latentem impietatem, & subinde sese data occasione explicantem, in uoluntate autem retinet rebellionem aduersus legem Dei. Quid ꝙ etiam crassiores uires in homine suos adhuc seruant affectus? Creantur quidem noui motus cordis in homine, quibus impietas & rebellio ueteris hominis compescuntur, & quantum in hac mortali uita fieri potest, opprimuntur, ac proferuntur noui fructus renascentiæ tam in animo coram Deo, q̃ in bonis operibus coram hominibus, quemadmodum autem nec uentum uides, ut maxime sonum eius audias, ita nec uides spiritualem regenerationem, quamuis uim & effectum eius percipias. Quare non est iudicandum de rebus secundum externum sensum, sed secundum ueritatem, ac enitendum & elaborandum est, ut etsi non uidemus nobis illabi spiritum sanctũ per Euangelion & sacramenta eius, tamen audiamus & cognoscamus Euangelion diligentissime, & sumamus sacramenta eius obedientissime, quo spiritus sanctus habeat in nobis organa diuinitus ordinata exercendæ uirtutis suæ, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXVII.

ABsoluimus unam partem disputationis, quam Iesus Christus Dominus noster cum Nicodemo, de uia ac modo ingrediendi in regnum Dei suscepit. Docuit enim Christus, ꝙ cũ uetus homo sit caro, quæ non possit ingredi in regnum Dei, necessarium sit, ut homo renascatur è spiritu sancto per Euangelion spiritualis. Præterea exposuit exemplo uenti, ꝙ etsi renascentia spiritualis non percipitur oculis corporalibus, re tamen ipsa, uirtute spiritus sancti in homine ita fiat, ut manifesto effectu deprehendatur. Sequitur nunc altera huius disputationis pars, quæ est perpetua contio, in qua Christus initio grauiter reprehendit imperitiam & inscitiam Nicodemi, deinde recitat epitomen & compendiũ totius Euangelij, per quod renascimur, & in regnũ Dei ingredimur.

Respondit eĩ Nicodemus & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? ‹‹
Respondit Iesus & dixit ei: Tu es magister Israelis, & hæc ignoras? ‹‹
Amen amen dico tibi, quod scimus, loquimur, & quod uidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi uobis, ‹‹
& non creditis, quomodo si dixero uobis cœlestia credetis? Hæc est ‹‹
increpatio, qua Christus inuehitur non in Nicodemum tantum, sed

etiam in totum pharisaicum ordinem. Et hic est sensus eius. Exposui tibi perspicue ueram rationem spiritualis regenerationis, & speraui te, qui es precipuus Rabbinus & doctor inter Iudæos, meam doctrinam facile percepturum, sed uideo te prorsus nihil harum rerum intelligere. Quę igitur est illa tanta tanti doctoris inscitia? quid discipuli scient, cum tanta sit preceptoris ignorantia? Sed hęc tibi communis est, cum alijs Pharisęis. Vos em̃ Pharisęi, inflati uestra illa carnali sapientia & sciẽtia, putatis uos solos oẽm humanarum & diuinarum rerũ cognitionẽ habere. Quare contemnitis meas & Ioannis Baptistę cõtiones, Sed interim reipsa comperimus, tantam esse imperitiam & cęcitatem uestram, ut etsi loquimur & concionamur certissima, ac maxime conspicua, quale est exemplũ illud, quod iam de uento dixi, non tamen intelligatis ea. Si ergo tanta est inscitia uestra, ut hęc terrena, hoc est, manifesta, uulgaria, & cõmuni hoim̃ sensui exposita, non intelligatis, quomodo intelligeretis cœlestia, hoc est, altiora, diuiniora, ac sensibus minime perceptibilia? Hęc reprehẽsio debet omnes sapientes & doctos huius seculi excitare, ut magna cura sectentur doctrinam Euangelij Christi. Etsi em̃ ornati sunt multa humanarũ rerum sapientia, & excellunt in omni genere doctrinę, tamen nec humana ratio, nec humanarũ artium cognitio, possunt ducere hominem ad consequendam ueram diuinarum rerum scientiam, & cœlestem salutem. Perdam, inqt, sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentiũ reijciam. Et Paulus. Animalis, inquit, homo non percipit ea, quę sunt spiritus Dei. Agit & Christus Deo patri suo gratias, quod abscondere mysteria regni dei à sapientibus & prudentibus, & reuelarit ea paruulis. Quid ergo? abijciendum ne erit omne humanæ sapientiæ studium, & sectanda stultitia? Nihil uero minus. In rebus huius seculi studium humanæ sapientiæ suam habet laudem et usum, sed in assequenda diuina sapientia & cœlesti salute, clare docet Paulus, Si quis, inquiens, sibi uidetur sapiens esse inter uos, in seculo hoc, stultus fiat, ut reddatur sapiens. Quid autem faciat, ut stultus fiat? num circum cursitet in plateis larua obtectus? aut incedat tintinnabilis & claua instructus, quo modo principes solent moriones suos ornare? Non est hic sermo de hac seu insana seu puerili stultitia, sed de ea, quæ etsi uidetur prudentibus huius seculi stultitia, coram Deo tamen magna est sapientia. Stultitia enim uidetur, quod sapiens uir non confidat sua ratione, sed abneget eam, ꝙ doctus uir audiat contionem Euangelij ab hominibus imperitis, quod princeps & potens in hoc seculo sectetur doctrinam abiectorum & miserorum hominum, quales

Sapientia carnalis, cæca.

uidebantur Christus & Apostoli eius. Et tamen hæc stultitia, summa est sapientia. Nam ad consequendam ueram diuinarum rerum cognitionem & cœlestem salutem necessarius est spiritus Dei. Spiritus autem Dei non potest concipi ex humana ratione, sed datur diuinitus, per Euangelion de Iesu Christo, quod uulgatum est per Apostolos, homines abiectos, & prædicatur per ministros Ecclesiæ, homines nulla potentia præditos. Quare necessaria est stultitia abnegandæ suæ sapientiæ, & audiendi Euangelij ab hominibus in hoc seculo contemptis, ut consequaris ueram coram Deo sapientiam & salutem. Sed de his hactenus. Deinde recitat Christus Nicodemo Euangelion illud, per quod ut noui homines regeneramur, ita etiam in regnum Dei intramus. Nemo, inquit, ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Hæc contio paucis quidem uerbis constat, sed continet in se maximum omnium thesaurum. Et est diligentissime cõseruanda. Docet em̃ uerum illud de Iesu Christo Euangelion, quod non solum affert nobis iustitiam coram Deo sed etiam patefacit nobis uiam ad euadenda omnia pericula mortis & inferni, & ad ingrediendum in æternam uitam & regnum cœlorum. Quod & tanto maiori cura est conseruandum, quanto minus salutis relictum est in hoc terræ huius regno. Vides, quanta pericula nobis indies tam publice, quàm priuatim immineant, ac nullus sit in hac terra Monarcha, qui nos possit in extremis periculis seruare & tueri. Cum danda sunt uectigalia, cum numeranda sunt tributa, multos inuenias Dominos, qui ea accipiant. Sed cum in aduersis est subueniendum, cum in rebus desperatis est succurrendum, paucissimos, imo nullum prorsus hominem in huius terræ regno inuenias, qui nos uere seruare possit. Attollendi igitur sunt oculi nostri in regnum cœlorum, ut ex eo auxilium petamus. Quæ autem sequitur contio, ducit nos recta ad cœlum, & aperit nobis ianuam regni cœlorum. Quare omnis cura nostra in hoc uersetur, ut hanc contionem probe teneamus. Tu Nicodeme, inquit Christus, hoc agis, ut ascendas in cœlum, & intres in regnum Dei: Audi ergo, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit, FILIVS HOMINIS, qui est in cœlo. Primum uidendum erit, quis sit Filius ille hominis. Ac manifestum quidem est, quòd Messias seu Christus, uocetur nomine FILIVS HOMINIS, Sed quamobrem sic uocetur, alij

Filius hominis quis sit.

alias caussas recitant, de quibus in alio loco diximus, uidetur autem hoc cognomen ex Daniele acceptum. Daniel enim capite septimo, de Messia scribens, uocat eum filium hominis. Aspiciebam, inquiens, in uisione noctis, & ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis ueniebat, & usq; ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem & honorem & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ seruient ipsi. Ex hoc Danielis loco, qui de Messia uaticinatur, apparet Messiam seu Christum publica uoce inter Iudæos filium hominis, dictum esse, quod etsi antiquus dierum dat ei omnem potestatē, ipse tamen uenturus sit in hunc mundum filius hominis, hoc est, pauper, abiectus, & humilis. Deinde, q; ait. Qui est in cœlo, significat Christum esse uerum Deum, omnia gubernantem, & omnia cœlestia bona, uidelicet sapientiam, iustitiam, omnipotentiam, & perpetuam fœlicitatem possidentem. Adhæc cum dicit. Descendit è cœlo, significat Christum assumpsisse hominem, & suscepisse omnes humanas infirmitates, præter peccatum. Postremo, cum dicit. Ascendit in cœlum, docet Christum sedere ad dextram Dei, participare omnia cœlestia bona, quæ sunt, iustitia, uictoria mortis, resurrectio à morte, omnipotentia, & sempiterna beatitudo. Habes quid singula pene uocabula huius dicti significent, nunc audi sensum. Nemo, inquit, ascendit in cœlum, nisi qui descendit, filius hominis, qui est in cœlo, hoc est. Nullus unq; hominum in toto orbe terrarum fuit iustus, sanctus, beatus, particeps regni Dei & cœlestium bonorum, præter unum Messiam seu Christum, qui est uerus Deus & uerus homo. Omnes enim alij homines fuerunt aut sunt tantum homines, quod genus, quid aliud est, q; putredo & uermis, quemadmodum Iob loquitur? Christus autem non est tantum homo, sed etiam est Deus. Omnes item alij homines sunt in peccatis concepti & nati, Christus autem est conceptus de spiritu sancto, natus ex uirgine, & tanta est iustitia præditus, ut peccatum non fecerit, nec sit inuentus dolus in ore eius. Omnes alij homines sunt obnoxij morti & inferno propter peccatum. Christus autem etsi suscepit mortem & dolores inferni ad expiandum peccatum, tamen non fuit natura sua morti obnoxius, sed est propter iustitiam suam uictor mortis & inferni, ac dominus cœli. Nemo igitur ascendit in cœlum, nemo iustus, sanctus, fœlix ac beatus est, nisi Iesus Christus, uerus Deus, & uerus homo. Quid ergo dicemus de Patriarchis & alijs sanctis? An non & Enoch, & Elias ascenderunt in cœlum? an non & Noe & Abraham, ac multi alij fuerunt iusti, & consecuti sunt cœlestem beatitudinem? De hac re mox contionatur Christus, cum ait. Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis,

Christus collatus cũ alijs hominibus.

ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Quam historiam Christus hoc loco meminit, scripta est in Numeris capite uicesimo primo. Postq̃ enim Israelitæ, ab egressu ex Ægipto uagati essent aliquamdiu in deserto, tedebat eos itineris, & afflictionis. Itaq̃ inuehuntur in Mosen. Cur, inquiunt, eduxisti nos de Ægipto, ut moreremur in deserto? Hanc tantam ingratitudinem, insolentiam, & impietatem Israelitarum non uoluit Deus inultam ferre. Quare misit in exercitum ipsorum ignitos serpentes, qui quoscunq̃ morsu apprehendebant, eos ita inficiebant, ut non longe post, animam efflarent. Sed cum hoc malum latissime grassaretur, Israelitę pœnitentia ducti, impetrant per Mosen, ut Dominus placatus ostendat eis remedium. Fac, inquiens, serpentem æneum, & pone eum pro signo. Et addit promissionem. QVI PERCVSSVS ASPEXERIT EVM, VIVET. Itaq̃ factum est, ut quicunq̃ ab ignito serpente ictus aspiceret æneum serpentem, à Mose ex diuino mandato exaltatum, sanaretur. Hic initio considera mihi serpentem æneum. Afferebat enim aspicientibus, sanitatem, certe non ex naturæ suę potentia. Quid enim natura sua aliud erat, nisi æs? Vnde & Rex Hiskia confregit eum postea, cum Israelitæ adolerent ei incensum, & uocauit eum Nehusthan, hoc est, Rem æneam, quasi qui per se nihil esset, nisi æs. Sed q̃ afferebat sanitatem his qui aspiciebant ipsum, habebat ex diuina ordinatione & institutione qua dictũ erat. Qui percussus aspexerit eum, uiuet. Qua ordinatione cessante, nihil relinquebatur, nisi æs. Talia sunt etiam Sacramenta Euangelij, uidelicet baptismus & cęna dominica, quę quod sunt & efficiunt, non sunt nec efficiunt uirtute suę naturę, sed ex diuina ordinatione & institutione. Quid autem diuinę uoluntati & ordinationi non esset possibile? Deinde obseruãda est institutio ipsa & promissio Dei. Promittit enim Deus omnibus ictis sanitatem, eamq̃ promittit, nullo meritorum, nullo personarum respectu, sed tantum, si aspiciant æneum serpentem. Non dicit, Quicunq̃ multa sacrificia obtulerit, & sanitatem operibus suis meritus fuerit, uiuet, Nec dicit, Quicũq̃ fuerit in populo princeps, aut pontifex, aut sapiens, aut diues, aut uenustus, uiuet, Sed ait, Qui aspexerit eum. Hoc certe est ex mera gratia, misericordia & clementia, nulla meritorum ratione habita, sanitatem dare. Aspicere enim æneum serpentem, non est mereri, sed accipere tantum oblatam sanitatem. Quod cum ita se habeat, considerandum nunc erit, in quem usum Christus faciat mentionem huius historię de æneo serpente. Etenim hoc beneficium, quod Israelitis morsu serpentino infectis per aspectũ ænei serpentis contingit, magnũ qdẽ fuit, & admirandũ, non tamẽ fuit summa salus. Quid enim corpis sanitas, quam isti con

Serpentis æneus explicatio.

Sacramenta, unde habeãt suã efficaciã.

sequebantur, ad ueram & perpetuam fœlicitatem iuuat? Etsi enim sanus es corpore, nondum tamen habes peccatorum remissionem, nondum effugisti mortem, nōdum euasisti ex barathro inferni, nondum adsecutus es regnum cœleste. Quid, obsecro, his benefitijs destituto proderit beneficium corporale, et euanidum. Quare Christus, collatione enei serpentis, ostendit è quo, & quo modo uera atqꝫ æterna salus petenda sit. Sicut, inquiens, hi qui serpentino morsu in deserto infecti erant, non peribant, sed recuperabant uitam & sanitatem corporalem, si aspexissent æneum serpentem, à Mose, diuina ordinatione exaltatum, ita hi qui infecti sunt morsu Satanę, non pereunt, sed habent ęternam uitā, si credant in filium hominis, diuinitus exaltatum. Nam Satan, antiquus est serpens, cuius morsu Adam, primus parens noster, initio ita ulceratus est, ut designato aduersus Deum peccato, & amisso spiritu sancto, coniectus sit non solum in omnia genera corporaliū afflictionum, sed etiam in mortē, & si secundum merita eius iudicaueris, in perpetuum interitum. Deinde sicut Adam, ita & omnes posteri eius uenenato spiritu sic afflati sunt ut necesse habeant etiam ipsi perpetuo interire. Propter unum, inqt Paulus, hominem, peccatum in mundum introijt, & per peccatum, mors, & sic in omnes homines mors peruasit. Et mox, Per unius delictum, propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem. Hic est serpentinus morsus, quo icti sunt omnes homines ab Adamo propagati: Nec ullus est hominum, qui sibi suis uiribus mederi, & sanitatem recuperare queat. Sed bene habet. Quæ impossibilia sunt apud hoīes, possibilia sunt apud Deum. Sicut enim quondam Deus iussit exaltare ęneum serpentem in deserto, ut percussi ab ignitis serpentibus consequerentur sanitatem, si eum aspicerent, ita Deus exaltauit filium hominis, qui est Iesus Christus, ut icti Satanico morsu consequerentur ueram & perpetuam salutem, si crederent in eum. Requirendum igitur est, ubi Christus sit exaltatus. Ac primum exaltatus est in cruce, ad quam passus est, ex obedientia, quam Deo patri suo prestabat, sese affigi, ut peccata hominum expiaret, & homines cum Deo reconciliaret. Deinde exaltatus est resurrectione à mortuis, ascensu in cœlum, sessione ad dextram Dei patris, missione spiritus sancti, & diuulgatione Euangelij sui in uniuersum orbem terrę. Hęc est exaltatio, hęc est glorificatio Christi, quæ idcirco diuinitus est instituta & reuelata, ut OMNIS QVI CREDIT IN EVM, NON PEREAT, SED HABEAT VITAM ÆTERNAM. Hæc uerba Christi non sunt oscitanter prętereunda. Singula uerba continent singulas uerę pietatis doctrinas. Initio enim cum dicit, OMNIS, significat, cꝫ late pateat beneficium suum. Non solum em̄ hi, qui agunt uitam in terris post natum &

Christi exaltatio.

natum & reuelatum Christum, sed etiam illi, qui fuerunt ante natum Christum, Patriarchę & Prophetæ, fruuntur benefitio Christi. Nam Christus exaltatus est, quasi in medio totius humani generis, ut omnis siue ante ipsum fuerit, siue post ipsum sit, ueram habeat salutem, si aspexerit eum fide sua. Abraham (inquit) exultauit, ut uideret diem meum, uidit & gauisus est. Et alias. Necq; patres nostri, necq; nos potuimus portare iugum, sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quemadmodū & illi. Vides ergo nunc quid illud sit, quod supra de Patriarchis & alijs sanctis, qui & ipsi fuerūt iusti & intrauerunt in regnum Dei, obiectum fuit. Hi enim consecuti quidem sunt iustitiam & beatitudinem, non autem sua uirtute, sed per gratiam Domini Iesu Christi, quem fide sua aspexerunt. Manet enim semper firmum ac fixum, quod solus Iesus Christus ascenderit sua uirtute in cœlum, ac uere sit iustus & beatus, sed interim et hoc firmum ac fixum est, q; omnis qui in ipsum credit, simul etiam cum ipso ascendat in cœlum, & propter ipsum reputetur iustus ac fiat beatus. Cum essemus mortui, inquit Paulus, per delicta, Deus conuificauit nos una cum Christo, idq; per gratiam, simulq; cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes in Christo Iesu, Adhæc, cum Christus dicit, OMNIS, manifeste docet, quod benefitium suum non pertineat tantum ad Israelitas circumcisos aut honestos in hoc seculo homines, sed etiam ad omnes alias gentes incircumcisas, & ad omnes alios homines, quantumcumq; coram mundo inhonestos. Omnis enim siue circumcisus, siue incircumcisus, omnis siue honestus sine inhonestus, qui credit in ipsum, non perit, sed habet uitam æternam. Omnis, inq̃t, qui fidit illi, non pudefiet. Non enim est distinctio uel Iudæi uel Græci. Nam idem DOMINVS omnium, diues in OMNES inuocantes se. Quisquis em̃ inuocauerit nomen domini, saluus erit. Et alias. Nō est Iudęus necq; Gręcus, non est seruus necq; liber, nō est masculus ac fœmina. Oēs enim uos unus estis in Christo Iesu. Deinde, q̃d addit, QVI CREDIT IN EVM, exponit quō beneficiū suum accipiat. Etsi em̃ Christus proponit sese oibus tam circūcisis, q̃ incircumcisis, tam honestis, q̃ inhonestis, tā prestantibus in hoc seculo, q̃ abiectis et humilibus, fruendū, tñ non fruuntur eo, nisi hi, qui accipiūt ipsum. Nam quēadmodū ęneus serpēs in deserto afferebat quidē sanitatē ictis morsu serpentino, sed his tantum, qui aspiciebāt ipsum. Qui em̃ auertebāt ab ipso oculos suos, ut nō aspicerent eū, iuxta diuinā ordinationē, necesse habebāt interire, nō quidē ęnei serpentis, sed suo ipsorū uitio, ita Christus exaltatus, offert q̃dem uerā salutē oibus, sed hi tātū fruunt salute, qui accipiūt eam. Quō ergo, inquis, accipit Christus cum beneficio & salute sua?

Christus omnibus expositus.

Obſerua diligenter uerba eius. QVI CREDIT, inquit, in eum. Non ait. Qui circumciſus eſt. Circumciſio enim non fuit in hoc inſtituta, ut per ſe eſſet meritum propter quod contingeret accipienti circumciſionem benefitium Chriſti. Fuit quidem circumciſio ſignum fœderis dei, cum ſemine Abrahę, non fuit autem per ſe meritum ſalutis. Nec dicit. Qui meretur operibus ſuis. Nulla enim iuſtitia humanorum operum tanta eſt, ut propter eam contingat alicuj uera ſalus, quę eſt benefitium Chriſti. Sed dicit, QVI CREDIT IN EVM. Sola enim fide opus eſt, ut accipias Chriſtum. Non caritas, non humilitas, non pudicitia, non ſobrietas, non quæcunqꝫ alię uirtutes, organa illa ſunt, quibus accipitur Chriſtus, Habent quidem hę uirtutes ſuam dignitatem, habent ſuum uſum, addo & illud, habent etiam ſua quędam merita, & pio homini omnino ſectandę ſunt, ſed nec ſunt merita, propter quę datur Chriſtus, nec ſunt organa, per quę accipitur Chriſtus. Sola fides, non quidem meritum eſt, quis enim tantum credit, quantum deberet? ſed organon eſt, quo Chriſtus accipitur. Oportet enim in Ieſum Chriſtum credere, ut benefitio eius fruaris. Amabo ergo te, quid eſt credere in Ieſum Chriſtum? Hoc certe Chriſtus ipſe haud obſcure ſignificat, cum ait. Oportet exaltari filium hominis. Et mox, Deus miſit filium ſuum, ut mundus ſeruetur per eum. Credere enim in Ieſum Chriſtum, non eſt tantum ſcire, quod fuerit quondam homo quiſpiam in terris, Ieſus nomine, qui ędiderit multa miracula, & explicuerit legem Dei diſertiſſime, & ſuffixus ſit accuſatione Iudaicæ gentis in crucem, ac poſtea è morte euaſerit. Sed eſt credere, ꝓ Ieſus, filius Mariæ uirginis, ſit uerus ille Meſſias ſeu Chriſtus, qui promiſſus fuit Patriarchis & de quo uaticinati ſunt prophetæ, & ꝓ is Meſſias exaltatus ſit in cruce, ut expiaret peccata noſtra, ac reſurrexerit à morte, ut & nos perpetuo ſeruaret, adeoqꝫ credere in Ieſum Chriſtum, eſt credere, ꝓ ſolus Ieſus Chriſtus ſit uerus ſeruator noſter ad perpetuam fœlicitatem. Si confeſſus fueris, inquit Paulus, ore tuo DOMINVM Ieſum, & credideris in corde tuo, quod Deus illū excitauit à mortuis, ſaluus eris. Sed de hac re poſtea plura. Quod in pręſentia ſatis eſt, obſeruandum erit, quod credere in Ieſum Chriſtum ſit credere ipſum eſſe exaltatum, ut noſtra peccata expiaret, & nos ſecum per mortem ad ueram & ęternam uitam perduceret. Poſtremo, cum inqt, Non pereat, ſed habeat uitam æternam, perſpicue explicat, quale ſit benefitium ſuum. Non enim ſenciendum eſt, quod Ieſus ſit talis Meſſias ſeu Chriſtus, qualem ſomniant Iudæi, uidelicet, qui ſit externus Monarcha, & afferat ſubditis ſuis corporalia bona, dominatiōem in hoc orbe terraꝝ, uictoriam in bello, diuitias, honorem, ſanitatem corporis & longitudinem ac tranqllitatem huius uitę.

Chriſtus accipitur Fide.

Fides, orga non quo accipitur Chriſtus.

Credere in Chriſtū quid ſit.

Ieſus, qualis ſit Meſſias

Sed eſt

Sed est Messias spiritualis seu cœlestis, qui afferat credentibus in ipsum spiritualia & cœlestia bona, quæ Christus uno nomine uitæ æternæ hoc loco complectitur. Nam ut habeas uitam seu fœlicitatem (uiuere enim fœliciter, hoc demum est uere uiuere) æternam, necessarium est, ut habeas iustitiam, serueris in afflictionibus, uincas mortem, euadas ex doloribus inferni, & peruenias ad regnum cœleste. Quare, cum Christus affert credentibus in ipsum uitam æternam, manifestum est, ꝙ afferat eis iustitiam, uictoriam in afflictionibus & morte, liberationem ex inferno, & regnum cœleste. Nec hoc dissimulandum est, ꝙ Christus non ait: Credentes in ipsum non esse aduersis affligendos. Non dicit, Vt omnis, qui credit in ipsum, non affligatur, sed inquit, Non pereat. Christus enim sic seruat suos, ut affligantur quidem in hoc seculo, & corporali morte obruantur, ac etiam dolores inferni sentiant, sed conseruentur in his omnibus malis, ne pereant. Non rogo, inquit, ut tollas eos è mundo, sed ut serues eos à malo. Et iterum. In mundo afflictionem habebitis, sed bono animo sitis, ego uici mundū. Quare siue iuditium peccati nos turbet, siue afflictiones & horrores mortis ac inferni nos commoueant, adeoq; si Satan serpentino suo morsu nos petat, aspiciamus fide ad Iesum Christum, tam cruce propter peccata nostra, q̃ resurrectione propter iustificationem nostri exaltatum, ut seruemur per ipsum à perpetuo interitu, qui Christus est DOMINVS noster, unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXVIII.

VAM contionem Christus ad Nicodemum habuit, non est oscitanter percurrenda & prętereunda, sed ut cœlestis thesaurus, maxima omnium diligentia conseruanda. Continet enim eam doctrinam, quę ut disertissime explicat uerum ac proprium officium Christi, ita aperit nobis patentissime ianuam cœli, & ducit nos recta ad regnum Dei, adeoq; si probe eam expendas, epitome est totius Euangelij de Iesu Christo seruatore nostro. Quare debemus hanc contionem non solum legere & audire, sed etiam ad uerbum ediscere, & semper tam in ore q̃ in corde habere. Ac ante quidem dictum est, neminem ascendere in cœlum, hoc est, nullum hominem posse ueram salutem ex seipso petere, sed eam contingere nobis exaltatione Christi, per fidem, quæ est in ipsum. Nunc pergit Christus paulo manifestius & copiosius de officio ac beneficio suo contionari. Sic Deus (inquiēs) dilexit mundum,

,, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pe
,, reat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit Deus filium suum
,, in mundum, ut iudicet mundum, sed ut seruetur mundus per eum.

Euangelij nomine quid intelligendum sit.

Hoc plane illud est, quod proprie Euangelion dici solet. Nam cum fit mentio Euangelij Christi, alius aliud intelligit. Hic putat dici de pręceptis Decalogi, quę Christus aliquoties in contionibus suis exposuit, qualis est contio, quæ extat apud Mattheum cap. quinto, sexto, & septimo, ille putat dici de his pericopis, quę solent festis diebus publice recitari, ac possunt quidem oia hęc Euangelion uocari, propterea ꝙ contineantur in scriptis Euangelistarum. Sed quia Euangelion significat bonum ac lętum nuncium, nec potest miseris afflictis, ac perditis hoibus quicꝗ melius ac lętius nunciari, ꝗ ꝗd Christus hoc loco concionatur, idcirco cum fit mentio Euangelij Christi, intelligẽdum est proprie de hac concione; & huic similibus, uidelicet, ꝙ Dns Deus noster, pater cœlestis, miserit unigenitum filium suum in hunc mundum, non ut iudicet, ut perdat, sed ut seruet mundum, sed ut omnis, qui credit in ipsum habeat ęternam uitam & fœlicitatem. Primũ igitur oim, considerãdum nobis erit, quid illud sit, quod impetrauit à Deo patre, ut mitteret filium suum in hunc mundum, & obijceret eum propter homines probrosissimę morti. Dns enim Deus noster unum tantum habet filium ab æterno ab ipso genitum, quem tanto amore complectitur, ut cõtulerit in ipsum omnem suam potestatem, maiestatem & essentiam. Ipse enim est splendor glorię (quemadmodum Apostolus ait) & expressa imago substantiæ Dei. Huic tamen unigenito filio tantopere dilecto, non pepercit Deus, sed uoluit, ut indueret hominem, & susciperet omnes humanas imbecillitates, ac conijceretur in abominabilem & horribilem mortem crucis. Quid ergo illud est, quod Deum commouit, ut tantas miserias & calamitates unigenito filio suo imponeret? Num Abraham qui iustitia & sanctitate pręcipuum locum inter patriarchas obtinet, meritus est hoc obedientia sua? Deus promisit quidem Abrahæ, se ex semine ipsius missurum filium suum in hunc mundum, Sed fuit & Abraham peccator, nec potuit tantum Dei beneficium iustitia sua mereri. Non enim iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens. Quod si nullum est meritum Abrahæ, patriarchæ alioqui longe omnium iustissimi, certe sentiendum est, nullum alium patriarcham aut prophetam tanti fuisse coram Deo meriti, ut potuerit à Deo impetrare missionem filij sui in hunc mundum. Quid ergo est? Sic Deus (inquit) DILEXIT mundum. Sola dilectio, sola misericordia, sola clementia, qua deus cõplexus est miseros & perditos homines, (qui nomine Mundi significantur) impetrauit ab ipso Deo, ut unigenitum suum filium daret. Nam Deus creauit initio hominem rectum, iustum, ac uere beatum, Sed

Caritatis Dei erga hominẽ, quanta potentia.

homo

homo ſeductus & perductus eſt Satanæ inſtinctu in extremam inter-
nitionem. Ac potuiſſet quidem Deus optimo iure conniuere ad inte
ritum totius humani generis, & creare ſibi aliquod nouum creaturæ
genus, quod in terris nomen ſuum celebraret, ſed intantum dilexit
hominem à ſe creatum, idq̃ nullo hominis merito, Sed ſua tantũ mi
ſericordia & bonitate, ut maluerit unigenitum filium ſuum extremis
miſeriis exponere, q̃ permittere, ut homo periret. Itaq̃ initio promi
ſit Adamo, & poſtea aliis patriarchis ſe daturum & miſſurum filium
ſuum, redemptorẽ. Poſtremo autem, quod promiſerat, hoc etiam im
pleuit, ac miſit filium ſuũ, factum ex muliere, factum legi obnoxiũ,
quemadmodum Paulus loquitur, ut eos qui legi erant obnoxii, redi-
meret, ut adoptione ius filiorũ acciperemus. Ac multa quidem, imo
innumera ſunt, q̃bus Deus manifeſtare ſolet bonitatem & caritatem
ſuam erga homines. Miſericordia DOMINI, plena eſt terra. Et. Nõ
ſinit ſeipſum expertem teſtimonii eſſe, dum confert beneficia, de cœ-
lo dans pluuias, ac tempora frugifera, implens cibo & lætitia corda
noſtra. Sed nullum extat opus nec in cœlo nec in terra, quo clarius &
manifeſtius declarauit Deus bonitatem, fauorem, & dilectionem ſu-
am erga homines, q̃ q̃ miſit unigenitum filium ſuum in hunc mun-
dum. Deus (inquit Ioannes aliâs) caritas eſt. In hoc apparuit caritas
Dei in nobis, q̃ filium ſuum unigenitum miſit Deus in hunc mun-
dum, ut uiuamus per eum. In hoc eſt caritas, non q̃ nos dilexerimus
Deum, ſed q̃ ipſe dilexerit nos, & miſit filium ſuum propitiationem
pro peccatis noſtris. Et Paulus, Commendat, inquit, ſuam caritatem
erga nos deus, q̃ cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis
mortuus fuit. Ac rurſus. Poſtq̃ bonitas & humanitas apparuit ſerua
toris noſtri Dei, nõ ex operibus, quę ſunt in iuſtitia, quę faciebamus
nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum
regenerationis ac renouatiõis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos o-
pulente, per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum, ut iuſtificati illius
gratia, efficeremur hęredes, iuxta ſpem, uitę ęternæ. Porro, ex hoc E-
uangelio, q̃d prędicatur de miſſione unigeniti filii Dei in hunc mun
dum, non ſolũ reuelatur nobis immenſa Dei miſericordia & dilectio
erga nos, ſed etiam ſumma noſtra miſeria, & internitio, cui propter
pctũm obnoxii fuimus. Quare cũ prædicatur nobis hoc Euãgelion,
de miſſione filii Dei in hunc mundum, agnoſcamus primum magni
tudinem noſtrę internitionis. Nam ſi ea mediocris aut tolerabilis fu
iſſet, potuiſſet aliquid uel in cœlo uel in terra inueniri, per quod re-
dimeremur. Nunc aũt, cum nihil aliud inuentum ſit, quo poſſemus
ſeruari, prętet unigenitum filiũ dei, quanta, obſecro, fuit magnitudo
noſtrę internitionis? Deinde agnoſcamus magnitudinẽ diuinę carita

Bonitatis & caritatis Dei manifeſta argumenta.

tis & clementię erga nos, cp deus maluerit unigenitum filiũm suũ crũ deli morti obijcere, cp nos in perpetua morte & dãnatione relinquere. Hæc aũt ita agnoscenda sunt, ut non tm̃ cogitentur & aio uoluant̃, sed ut in usum transferantur. Magnitudo em̃ nostrę internitionis, excitare nos debet ad timorẽ Dei, & humilitatẽ animi, ne uidelicet, efferamus nos aduersus deum, nec arrogemus quicqp salutis nostris uirtutibus, sed subijciamus nos deo, & acceptum ei feramus, quicqd sumus aut possumus. Magnitudo aũt diuinę clementię excitare nos debet ad fidem, ac si recte cogitetur, auget & conseruat in nobis fidẽ, ut non solum in aduersis huius seculi, sed etiã in iuditio dei constemus, per Iesum Christũ, per quẽ & diuina clementia nobis reuelata est, & beneficia dei impetrata sunt. Nec his tm̃ actionibus contenta est meditatio magnitudinis diuinę clementię & bonitatis, sed etiã accendit nos ad gratitudinem Dño Deo nostro declarandã. Gratitudo aũt erga deũ, non declaratur tm̃ uerbis & carminibus, quibus nomen eius publice celebramus, sed potius operibus & factis, quę lex dei exigit, ac maxime oim mutua inter nos caritate. Carissimi, inquit Ioannes, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus nos mutuo diligere. Et mox: Si quis dixerit, diligo deũ, & fratrẽ suum oderit, mendax est. Quare necessarium est, ut ad declarandã gratitudinẽ nostrã erga deum, cõplectamur nos mutua dilectione, idcp non uerbo, nec lingua tm̃, sed etiã opere & ueritate. Deinde ex hoc Euangelio discendum est, qd sit uerum ac propriũ officium, propter qd Iesus Christus, unigenitus filius dei, missus sit à deo patre suo in hunc mundũ. Hoc tanto diligentius est obseruandum, quanto pauciores intelligunt, qd sit uerus Christianismus. In alijs rebus, quibus nihil aut parũ cõmune est cum Euangelio Christi, si quis errat, tolerabiliter errat. In cognoscẽdo aũt offitio Christi, si quis errat, toto cœlo, ut in prouerbio est, errat. Quare nihil nobis prius esse debet, cp ut recte cognoscamus, qd sit uerũ offitium Christi, & in quẽ usum Christus missus sit in hunc mundũ. Nã fuerunt quondã, qui existimarunt Christum per prophetas promissum, fore corporalẽ & externum Monarchã in hoc seculo, qui sit suscipiẽtibus ipsum autor, ut consequant̃ terrena & corporalia bona. Hi non recte senserunt de offitio Christi. Etsi enim Christus seruat credentes in ipsum, in oibus afflictionibus huius seculi, tm̃ non uenit in hunc mundum, ut afferet tranquillitatẽ & fœlicitatẽ huius seculi. Nostra em̃, & uera tranquillitas, nõ est in hac terra sed in cœlo expectanda. Sunt alij, qui sentiunt Christũ in hãc terrã missum, ut legislatorẽ, qui qd desit legi Mosi, doctrina sua suppleat. Itacp putant ea quę docet Christus apud Matthęũ ca. v. & vi. nouã esse legẽ, uocantcp eã doctrinã, legẽ Christi. Sic de Christi offitio sentiũt Monachi, qui propter

Gratitudo erga Deum, quibus rebus declaretur.

Christi uerũ offitium quod sit.

pter hanc caussam suscipiunt ordines, ut uocant, monasticos, ut præscriptis uotis ac regulis coerciti facilius impleant legem Christi. Sic etiã sentiunt de Christo Turcę, qui somniant Mahumetẽ suũ idcirco missum, ut durã & difficilẽ legem Christi tolerabili & facili lege seu corrigat, seu aboleat. Hic error, imo hęc impietas pernitiosior est, q̃ ut quisq̃ uerbis explicare possit. Nã Christus aliquoties quidẽ interpretatus est legẽ, nequaq̃ aũt sentiendum est, q̃ uenerit ad ferendam nouã eãq̃ duriorẽ & perfectiorẽ legẽ, q̃ antea per Mosen lata erat. Cum em̃ lex occidat & dãnet hoĩes, quid, obsecro, aliud esset duriorẽ legem ferre, q̃ hoĩm damnationẽ duplicare? Christus aũt non uenit ut damnator, sed ut seruator, quẽadmodum mox sequetur. Sunt etiã nonnulli, qui putant Christum uenisse, ut longas contiones legis Mosi in breue compendium conferret, et ut oĩbus hoĩbus absolutum pietatis exẽplum pręberet. Quę aũt hęc esset Christi utilitas, si tm̃ in hoc uenisset, ut breues contiones haberet? aut quid absolutum & perfectum pietatis exemplum prodesset? si natura humana imbecillior esset, q̃ ut posset hoc exẽplum recte imitari, nec ullus inueniret, qui peccatum expiaret? Sunt & qui dicãt deum iussisse filium suum è cœlo elabi, ut religionẽ sanctam dei transferret ad gentes, doceretq̃ iustitiam, quã perfidus populus abiecerat. Hi dicunt quidẽ aliquid, sed obscurissime, nec uident intelligere, q̃d sit principale offitium Christi, & quis sit uerus eius usus. Quid aũt plura? Verę ac proprium offitium Christi, nusq̃ fere clarius, et manifestius explicat, q̃ in hac cõtione, quã Christus ipse ad Nicodemum habuit. Deus, inqt, misit unigenitum filium suum in hunc mundũ, nõ ut iudicet mundum, sed ut seruet mundum, ut oĩs qui credit in ipsum non pereat, sed habeat uitã æternã. Hic habes uerbis nihil obscuris sed maxime perspicuis, in quẽ usum Christus proprie uenerit in hunc mundum. Est aũt hoc loco manifesta antithesis Mosi & Christi. Quod ut recte intelligamus, considerandum erit offitium Mosi, Sic em̃ cognoscet etiã Christi offitium. Duplex igit est offitium Mosi, Alterę est politicum seu ciuile. Moses em̃ missus fuit à deo, ut iudicaret Israelitas ciuiliter, hoc est, ut institueret inter Israelitas politian externã, & ferret ciuiles leges, quibus scelerati iudicarentur ac punirentur, ut publica honestas & tranquillitas in populo conseruaret. Alterę est spirituale. Moses enim missus fuit, ut iudicaret Israelitas, non solum ciuiliter sed etiã spiritualiter, hoc est, ut ferret talẽ legẽ, quę oẽs hoĩes iudicaret spiritualiter, & cõdemnaret eos pctõrum. Lex enim, ut Paulus ait, spũalis est, propterea q̃ exigat non tantum ciuilẽ honestatẽ, sed perfectam iustitiam. Cum aũt inueniat hoĩes carnales, qui natura sua propter pctũm ita corrupti sunt, ut nõ possint perfectam iustitiam facere, idcirco lex

Mosi offitium quod sit.

primum ostendit pctũm, deinde reuelat iram Dei propter pctũm, & iudicat, hoc est, pronuntiat omnes hoĩes propter pctũm reos æternæ dãnationis, & occidit eos perpetua morte. Iudicare em̃ uulgari phrasi, non solũ significat consilia inter se conferre, sed etiã significat nocentẽ morte cõdemnatũ occidere. Sic lex Mosi, cuius epitome est Decalogus, iudicat oẽs homines, quia est spiritualis carnifex, quo oẽs homines propter peccatũ traduntur igni infernali. Habes offitiũ Mosi. Conferamus nunc cum eo offitium Christi, Deus (inqt) non misit filiũ suum in mundum ut iudicet mundũ. Quid hoc aliud est, q̃ si dicat, offitium Christi filij Dei, longe aliud est, q̃ offitium Mosi serui Dei? Nã deus misit Mosen, primũ ut iudicet mũdũ ciuilit̃, hoc est, ut esset externus et politicus magistratus ac Monarcha in suo populo. Vnigenitũ aũt filium suũ, Iesum Christũ, non misit ut iudicet mundũ ciuiliter, ut dñetur politice in populo, sed ut sit rex spiritualis & cœlestis. Deinde deus misit Mosen, ut iudicet mũdũ spiritualiter, hoc est, ut ferat spiritualẽ legẽ, qua hoĩbus peccatũ reuelaret̃, & hoĩes propter peccatũ cõdemnarẽtur, ac ꝑpetua morte trucidarẽtur. Vnigenitũ aũt filium suũ misit, non ut iudicet mundum spiritualit̃, sed ut seruet mundum, qui sunt hoĩes, ut oĩs, qui credit in ipsum nõ pereat æterna morte, sed habeat ꝛternã uitã. Ac breuiter, Moses uenit, ut auctor peccati. Pctũm, inqt, genuit per p̃ceptũ in me oẽm cõcupiscentiã. Et mox: Vt fieret maiorẽ in modum peccãs peccatum per p̃ceptum. Christus aũt, uenit ut iustificator ꝗ peccato. Oĩs em̃, qui credit in ipsum, reputatur corã deo iustus, Moses uenit, ut p̃co irꝛ dei. Lex em̃ iram operatur. Christus aũt uenit, ut autor gratiꝛ Dei. Qui em̃ credit in Christũ, is tantam gratiã inuenit ꝑpter ipsum apud Deum, ut adoptetur in filium dei. Moses uenit, ut iudex, seu spiritualis carnifex. Christus aũt uenit, ut iudicatos ꝗ carnifice eripiat, et ꝛterna morte cõdẽnatos seruet, atq̃ ad æternã uitã ac fœlicitatẽ perducat. Hoc illud est, q̃d Christus ait. Nõ misit Deus filiũ suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut seruetur mũdus per eũ. Quo Christi offitio, q̃d nobis aut iucũdius, aut etiã magis necessariũ? Qua etiã cognitiõe, q̃d plus est nobis salutare? qua ignoratiõe, q̃d ꝑniciosius? Etenim, si quis uerã huius offitij Christi cognitionẽ nõ habuerit, ut uersat̃ in summo errore & in maxima rerꝛ ignoratiõe, ita fieri nõ potest, q̃n in iuditio dei pereat, & uera sua salute destituatur. Neq̃ em̃ tueri se potest, uel aduersus impietates aliarꝛ religionũ, uel aduersus horribiles illas accusatiões legis in iuditio Dei. Ac nihil quidem dicemus nunc de his religiõibus, quæ Christum aut ignorãt, ut quõdam Ethnici, aut cõdemnãt, ut nunc Iudꝛi, sed dicemus pauca de illis, quꝛ uidẽtur aliquã Christo tribuere

Iudicare quid sit.

autoritatem

autoritatē. Monachi & Sacrificuli in Christianismo, recitant symbolum fidei de Christo, laudant Christum, commemorant historiam passionis & resurrectionis eius à morte, dicunt eum ascendisse in cœlum, & sedere ad dextram Dei, ac uenturum ad iudicandum uiuos & mortuos. Quid ergo est, ꝙ condemnentur impietatis? quid iubemur eos ut pseudo prophetas, & impostores fugere? Quid, obsecro, deest eis? Hoc uidelicet deest doctrinę seu religioni eorum, ꝙ non intelligant uerę offitium Christi. Faciunt enim ex Christo legislatorem, & respectorem ac remuneratorē humanorum meritorū. Hoc certe non est uerum Christum agnoscere, sed nouum sibi Christum fingere, adeoq̃ nullum prorsus Christum, hoc est, seruatorem habere. Alcoranus Mahumeticus fatetur Christum à Deo missum, & ex uirgine natum, dicit eum edidisse miracula, & uocat eum uerbum ac animā Dei. An non hoc est pręclarum de Christo pręconium? Quę ergo est impietas Alcorani? Non est modo locus aut tempus omnia genera impietatum eius recensendi. Vnum tantum commemorabo, ꝙ etsi non nulla uera de Christo prędicat, tamen neget quod est summum et maximum in Christo, nec intelligat uerum offitium Christi. Dicit enim blasphemo suo ore, Christum non esse filium Dei, nec esse natura Deum, non sentit eum esse seruatorem, sed tantum fuisse legislatorem. Hæc est summa & detestanda impietas, sed à qua amplectenda nemo cauere potest, nisi habeat ueram cognitionem Christi & offitij eius. Deinde, si quis adductus fuerit in iuditiū, ad tribunal Dei quo modo, obsecro, defendet se, si ignorauerit quod sit uerum offitium Christi? Lex enim Dei accusat nos peccati, Peccatum manifestius est, q̃ ut negare queamus. Certissimum igitur est iuditium Dei quòd simus rei ęternę damnationis & ꝑpetui ignis. Qua lata sententia, nihil aliud reliquum est, q̃ ut nostra ipsorum conscientia conuicti, ducamur ad infernum. Quid faciemus? quem implorabimus? Nullus nos amicus, nullus sanctus iuuare potest, Sancti enim omnino consentiunt cum iuditio Dei, tantum abest, ut nobis patrocinentur. Implorabimus ne misericordiam & clementiam Dei? Sed continuo audimus illud decalogi. Faciens misericordiam in milia his qui diligunt & custodiunt præcepta mea. Deus enim, misericors quidem est, sed his, qui custodierunt præcepta eius, & impleuerunt legem eius. Tu autem non custodijsti præcepta eius. Nihil igitur ad te misericordia Dei. Quo ibi te uertes? quid facies? Certe si ignorauerit Christum, & uerum eius offitium, nihil aliud reliquum est, quam ut desperatione pereas, & perpetuis inferni ignibus tradaris. Vbi aūt est fides in Christū, & cognitio ueri offitij eius, ibi opponitur Christus

Monachis & sacrificulis, quid in religione desit.

Alcorani impietas quæ sit.

iuditio dei, & dicit cõscientia, Apage lex cum tua seueritate, quę iudicas tantum & condemnas, Tu aũt Iesu Christe, fili dei, subueni mihi, in me quidem longe oĩm miserrimo, in te aũt lõge oĩm felicissimo, qui uenisti in mundum, non ut iudices mundum, sed ut iudicatos, à carnificina legis & diuini iuditij eripias atqꝫ serues. Hic est portus, hoc est perfugiũ, quo solo ad misericordiã dei, et ad salutẽ nostrã peruenimus, propter Iesum Christum DñM & seruatorem nostrũ, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXIX.

DEuero offitio Christi satis, quantum qdem ad hunc locum attinet, dixisse uidemur. Non misit Deus (inquit) filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut seruetur mundus per eum. Audiamus igitur nũc, quid faciendũ sit, ut capiamus usum offitij Christi, & fruamur benefitio eius. Etsi emẽ Christus, uera est salus & fœlicitas, tñ nõ oẽs hoĩes fiunt huius salutis & fœlicitatis participes, idqꝫ non Christi, sed ipsorũ hoĩm uitio, qui propositã & oblatam salutem nõ accipiunt. Nã quẽadmodum in medicina frustra p̃dicatur de Rhaphano, qꝫ medeatur tussi, & cõminuat ac eijciat calculos, aut de succo betæ, qꝫ tollat capitis dolores ac uertigines, nisi qs recte his, pro suo modo utat, ita ociosa est contio de offitio Christi, nisi Christum suscipias, & in usum transferas. Videamus igit, quõ Christus suscipiat, ut cõmodis offitij eius fruamur. Qui credit (inquit) in eum, nõ iudicatur. Qui uero non credit, iam iudicatus est, quia non credidit in nomen unigeniti filij dei. Nã Christus, non est talis Christus, qui qbusuis, etiã reijcientibus & abominantibus ipsum salutẽ tribuat. Offert quidẽ oĩbus, etiã impijs salutẽ, nullus aũt hoĩm accipit eam, nisi qui Christum fide accipiat. QVI CREDIT (inquit) in eum, non iudicatur. Necessaria est FIDES in Christum, ut capias usum offitij Christi. Solet aũt sępe ac multũ fieri mẽtio fidei in Christum. Opportunũ igit uidet, ut hoc loco pauca quędã de fide in Christum, qua contingit nobis iustitia & salus, dicamus. Primum ergo fides in Christum, nõ est scire tm̃, qꝫ Iesus Christus natus sit ex uirgine, ante mille quingentos annos, & ędiderit miracula, ac passus sit sub Pontio Pilato, & resurrexerit tertia die à mortuis. Hęc & alia de Christo, sciunt etiã dęmones, & ut Iacobus ait, contremiscunt. Fatent et quędã ex his Mahumetici. Et tñ nec dęmones, nec Mahumetici, dęmonum mancipia, iustificant, aut seruant. Deinde fides in Christũ non est sentire Christũ esse legislatorẽ, qui meritis humanę iustitię largiat regnum cœleste. Sic de Christo sentiunt hypocritę, qui tñ uerã iustitiã & salutẽ hypocrisi sua haudquaqꝫ consequunt. Sed fides in Christũ, quẽadmodum quidem

Fides in Christum quid sit.

quidem nunc de fide loquimur, est uerum offitium Christi cognoscere, & eo niti ac confidere, uidelicet, q̃ Iesus Christus unigenitus filius dei mortuus sit propter peccata nostra, & resurrexerit propter iustificationem nostri. Itaq̃ is uere in Christum credere dicitur, qui credit peccata sibi remissa à Deo propter mortem Christi, & se corã deo iustum reputari propter resurrectionem Christi, ac in filium & hęredem Dei adoptatũ propter Christum. Hæc est fides illa in Christũ, cuius toties fit mentio in concionibus Euangelij. Quęso igitur te, ut etiam explices, quid nobis per hanc fidem contingat. De hac re audiendus est Christus ipse. Supra enim dixit. Omnis, qui credit in eum, non perit. Quantum hoc est benefitium, quanta salus, NON PERIRE? Multa sunt, quæ minantur nobis perditionem, primum peccata. Hęc obijciunt nos irę Dei, & incutiunt nobis terrorem damnationis. Sed per fidem in Christum fit, ut non pereamus. Qui enim credit in Christum, reputatur coram Deo iustus. Itaq̃ fieri non potest, ut in iuditio peccatorum pereat. Deinde mors minatur nobis perpetuam internitionem, sed per fidem in Christũ fit, ut seruemur. Qui em̃ credit in Christum, factus est hęres ęternę uitę ac fœlicitatis. Quare fieri non potest, ut in morte intereat. In hoc aũt loco dicit Christus. Qui credit in eum, non iudicatur. Iudicare, ut ante dictum est, non est tantum consilia inter se de nocentibus conferre, sed etiam nocentes iuxta latam sententiam punire, quemadmodum carnifices iudicare solẽt. Iudicium aũt, seu sententia Dei de hominibus hęc est, q̃ quia omnes homines sunt peccatores, idcirco debeant tradi Satanę, & perpetuo igni torqueri. Quid ergo reliquum est, nisi, ut omnes homines iudicentur, hoc est, puniantur sempiterna internitione? Sed bene habet. Est adhuc suum hoĩbus perfugium, nimirũ, per FIDEM in Christũ. Nam qui credit in eũ, non iudicatur. Etsi em̃ dignus est propter peccatum, ut flãmis inferni pereat, tm̃ quẽadmodũ malefactor quispiã iã à carnifice ligatus, & ad locum supplitij ductus, solet aliq̃ties intercessione principum, aut honestarum matronarum, à uinculis solui, & in hac uita seruari, ita & damnatus propter peccatum æterno supplitio, si credit in Christum, eripitur ex ipsis flammis & pœnis inferni, ac seruatur ad cœleste regnum. Nec est hic ulla uel personarum, uel meritorum acceptio. Finge mihi ex una parte hoĩem miserrimũ, & abiectissimũ, ex alia aũt parte hoĩem, qui designauit oĩa genera nefandissimorũ sceleru, attamen si credunt in Christum, & confidunt morte ac resurrectione Christi, non iudicantur coram deo, non puniuntur, non pereunt æterno supplitio. Dicit enim, Omnis, OMNIS inquam, qui credit in eum, non perit, sed habet uitam æternam. Apagete impœnitentes, qui sumunt sibi hinc occasionem peccãdi pro sua

Beneficia, quæ per Fidẽ contingunt.

libidine. Christus enim non uenit, ut remissione peccatorum concedat licentiam peccandi, sed ut postq̃ fide susceptus est, tribuat spiritum fugiendi & uitandi peccati. Quare manifestum est, eum in quo peccatum dominatur, aut nõdum uere in Christum credere, aut Christum amisisse, & inter incredulos ponendum esse. Quid ergo fiet de incredulis? Sequitur: Qui non credit in eum, iam iudicatus est. Paucissima uerba, sed ualde horribilis sentẽtia. Qui non credit (inquit) in Christum, qui non confidit morte & resurrectione Christi, is iam iudicatus est. Non ait, Iudicabitur longo post tempore, Sed iam iudicatus, hoc est, Satanę & ęterno igni traditus est. Etsi enim flammæ inferni nondum manifeste in impio apparent, tamen nihil aliud reliquum est, q̃ ut reuelentur, id quod quouis momento expectandum est. Nam quemadmodum Ioannes de pijs dicit. Nunc filij dei sumus, & nondum apparuit, quid futuri sumus. Scimus autem quoniã si apparuerit, similes ei erimus, ita de impijs dicendum est: Nunc filij Satanæ, & infernali igni obnoxij sunt, quod nondum quidem externo sensu percipitur, sed omnino futurum est, ut reueletur. Amãbo igitur te, quod est peccatum illud, propter quod impius iam iudicatus est? Additur. Quia non credit in nomen unigeniti filij Dei. Nomen autem unigeniti filij Dei, est Iesus Christus. Quare credere in nomẽ unigeniti filij Dei, est credere in Iesum Christum, q̃ ipse expiauerit peccata nostra, sua morte, & restituerit nos uitæ sua resurrectione. Ergo, qui non credit in hoc nomen, is cum non habeat expiationem peccatorum, nec consecutus sit uerã uitam, merito iam iudicatus seu condemnatus esse dicitur. Ac quemadmodum is qui credit in hoc nomẽ, nulla nec personæ nec meritorum acceptione seruatur, ita is qui non credit in hoc nomẽ, necesse habet perire, quantacunq̃ alioqui uel dignitate uel honestate excellat. Finge quendam fecisse omnia bona opera, quę unq̃ Sancti in terris fecerunt, finge mihi etiam potentissimum in hoc mundo monarcham, attamen si non credunt in nomen unigeniti filij Dei, iam iudicati sunt. Nihil igitur magis salutare est q̃ fides in Christum, & nihil est pernitiosius q̃ infidelitate abijcere Christum. Dices autem: Quid, obsecro, caussę est, q̃ qui habet fidẽ in Christum, seruetur, qui aũt non habet fidem, damnetur? Num fides ipsa, tanti meriti opus est, ut consequatur cœleste beneficium propter suam ipsius uirtutem aut dignitatem? Nihil uero minus, Fides maximus quidem cultus Dei est, & præstantissimum inter oĩa bona opera, quę homo facit, quia tribuit Deo patri, & Christo filio dei, ac spiritu sancto suam gloriam & honorem, non est aũt meritum propter quod contingant nobis tot cœlestia bona. Fides enim nostra, quã habemus, semper solet esse in hac uita imbecillis propter carnem, nec unq̃ in

Fidei in Christum excellentia.

uncp̃ in hac carne tantum credimus, quantum debemus, ſed cœleſtia bona idcirco contingunt nobis per fidem, quod fides ſit organon illud, quo accipimus Chriſtum, & quo inſerimur Chriſto, tanq̃ membra. Qui enim credit in Chriſtum, ſeruatur, non propter fidem, quæ eſt admodum infirma, ſed propter Chriſtum fide acceptum. Nam Ieſus is ſolus eſt, qui poſſidet omnia cœleſtia bona, iuſtitiam, uictoriam mortis, uitam & fœlicitatem ſempiternam. Hæc omnia bona fiũt hominis, propter Chriſtum, qui eſt fide acceptus. Nam ſi Chriſtus ipſe nobis donatur à Deo patre ſuo, qui fieri poſſet, ut non & cum eodem omnia nobis donarentur? Qui uero non credit in Chriſtum, is etiam caret Chriſto. Vbi aũt non eſt Chriſtus, ibi nec eſt deus, nec iuſtitia, nec uita, nec cœlum, ſed Satan impietas, mors & infernus. Quare ut nulla peccata hominis tanta ſunt, quæ poſſint eum opprimere, q̃ habuerit Chriſtum per fidem, ita nulla eſt ſapientia Ethnicorum, nulla potentia Turcarum, nulla iuſtitia Iudęorum, & Hypocritarum, quę poſſit ipſos ab interitu ſeruare, propterea q̃ non habeant Ieſum Chriſtum, uerum & ſolum ſeruatorem noſtrum. Habes unã tantum eſſe iuſtitiam, qua ſeruemur. Qui enim credit in eum (inquit) non iudicatur. Habes & unum tantum peccatum, quo homines damnantur. Qui non credit, (inq̃t,) iam iudicatus eſt, quia non credit in nomen unigeniti filij Dei. Dicet ergo quiſpiam. Quid hoc rei eſt? nullum ne aliud eſt peccatum, quod homines damnat, prꝗter incredulitatem? Sunt em̃ innumera peccatorum genera, quę ab hominibus deſignari ſolent. In hoc em̃ mundo homines nugantur, ſcortantur, adulteria cõmittunt, furantur, latrocinantur, frater occidit fratrem, parentes trucidant liberos, et uiciſſim liberi parentes. Deſignãtur & alia infanda ſcelera, q̃ nec dici, nec etiã cogitari honeſte poſſunt. Quid de his dicemus? an hęc peccata non ſunt hominibus maximo, adeoq̃ perpetuo damno? De hac re audienda eſt contio Chriſti. Sic em̃ ſequitur. Hoc eſt autem iuditium, q̃ lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, cp̃ lucẽ. Aſſeueratio eſt, ſeu expolitio, qua Chriſtus, eadem quidem ſententia, ſed alijs uerbis, exponit cauſſam iudicij ſeu cõdemnationis. Nam furta, latrocinia, adulteria, parricidia, & id genus alia, ſunt quidẽ horribilia ſcelera, et dãnatione digniſſima, nõ ſunt aũt maxima, nec ſunt completa malitia. Sed tunc completur malitia, & peruenit ad ſummum, cum homines non ſolum peccant, ſed etiã defendũt peccatũ, perſequuntur reprehenſorẽ, & non uolunt accipere medicinã. Hoc, inq̃t, eſt iuditiũ, q̃ lux uenit in mundũ, et hoĩes dilexerũt magis tenebras cp̃ lucẽ. Lux eſt uerbũ Domini, quo peccata reuelant, ut curent. Lux eſt Euãgeliõ Chriſti, quo adnunciat nobis remiſſio peccatorũ propter Chriſtũ. Lux eſt Chriſtus ipſe, propitia-

tio nostra. Ego sum, inqt, lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Et, Erat lux illa, lux uera, quę illuminat omnem hoīem uenientem in hunc mundum. Tenebrę autem sunt, primum, peccata. Hæc enim habent originem suam potestate tenebrarum, & abducunt homines in tenebras mortis, inferni, ac perpetuę damnationis. Deinde, Tenebrę etiam sunt humana prudentia, potentia, iustitia, & omnes ciuiles uirtutes, quæ etsi habent suam lucem & dignitatem, in suo genere, & in rebus huius seculi, tamen ad consequendā ueram & cœlestem salutem, sunt crassissimę tenebrę. Hoc est igitur iuditium, hæc est pręcipua caussa iudicij & cōdemnationis, cp homines non solum sunt in tenebris, sed etiam tenebras ita diligunt, ut prę ipsis splendorem lucis repellant. Si uersarentur tantum in tenebris peccatorum, & humanę sapientiæ, aliquid adhuc loci relictum esset consilio & auxilio. Sed quia eo malitiæ perueniunt homines, ut non solum sint in tenebris, sed etiam contendant suas tenebras esse ueram lucem, & malint in suis tenebris perire, cp luce Christi seruari, idcirco nulla amplius reliqua est spes salutis. Nam, quemadmodum si quis sedeat in tenebris externę noctis, etsi obscura caligo, grauis est & molesta, tamen nondum despondendus est animus, nec conquerendum de perpetuis tenebris. Potest enim accendi lumen, ut discutiantur tenebræ noctis. Expectatur & dies, quo sol affert suam huic mūdo lucem. Sed si is, qui in tenebris noctis sedet, eo uesanię peruenerit, ut contendat tenebras suas esse lucem, & non solum extinguat accensum lumen, uerum etiam eruat sibi ipsi oculos, quid aliud dices, cp hunc esse deploratę cęcitatis, & tenebrositatis? Aut si quis uulneratus sit corpore, etsi graue est uulnus, tamen si patitur, ut uulnus obligetur, & malagmatis curetur, consequitur sanitatem. Quod si uero sic insanus est, ut contendat uulnus, non esse uulnus, nec ferat, ut admoueatur curatio, qd, obsecro, reliquum est, nisi ut pereat? Perit autem, non quia uulneratus est, sed quia non accipit curationem, ita qui in peccatis conceptus & natus est, ac multa & magna designauit peccata, meruit quidem æternam mortem ac damnationem propter peccata, nondum aūt de salute eius conclamatum est. Reliqua em adhuc est liberatio, per Christum, propitiationem nostram. Sed si quis eo impietatis uenerit, ut non solum peccet, uerumetiam defendat peccatum, & contemnat peccati expiatorem, Iesum Christum, ac ut Christus ipse ait, magis diligat tenebras cp lucem, is certe iure ac merito perit, non quia peccauit, sed quia non uoluit expiationem peccati suscipere. Multo em alia est conditio hominis, cp Satanę. Nā Satanę, nulla reliqua est salutis uia, post peccatū suum, nec datus est ei ullus reconciliator aut seruator. Semel peccauit, semper nunc, & perpetuo est ei pereundum. Homo aūt, etsi

Cōdemnationis hominum pręcipua caussa quæ sit

peccauit,

peccauit, Deus tamen tanta clementia & misericordia complectitur eum, ut ostendat ei uiam salutis, & mittat ipsi redemptorem. Itaq; si homo perit, non perit, q̃ peccauit, sed quod redemptorem suum non agnoscit. Data quidem est homini lex, quæ occidat, quæ damnet ipsum, non est autem data ad hunc finem, ut detineat hominem in morte & damnatione, sed tantum ut excitet hominem, ad quærendum seruatorem suum, & cogat eum ad suscipiendum redemptorem. Viuo ego, Dicit DOMINVS, nolo mortem impij, sed magis ut conuertatur & uiuat. Et Paulus, Conclusit Deus omnes sub incredulitatem, propter quid? ut perirent? nequaq̃, sed ut omnium misereretur. Et iterum. Conclusit scriptura omnia sub peccatũ. Ob quam caussam? num ut propter peccatum interirent perpetuo? Absit, sed ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Quare, qui sunt iudicati & perpetuo condemnati, hi perierunt, non q̃ fuerũt in tenebris peccatorũ, sed quod maluerunt in tenebris manere, quàm propositam lucem redemptionis sectari. Exempla fortassis hanc rem ita illustrabunt, ut melius perspici possit. Cain designauit crudelissimum fratricidium, & condemnatus est, Quam ob caussam? num propter fratricidium? Sed eadem caussa damnati essent Patriarchæ fratres Ioseph, qui & ipsi nõ minus q̃ fratricidio in Ioseph peccarunt, & Paulus, qui cum adhuc esset persecutor Ecclesiæ pertraxit studiosos pietatis non solum ad blasphemias uerum etiam ad mortem. Quare Cain, etsi meritus est fratricidio suo æternam internitionẽ, tamen non interijt propter fratricidium, sed propterea quod cum uenisset lux, illuminãs eum ad agnoscendum peccatum, & ad credendam remissionem peccati propter semen mulieris, magis dilexerit tenebras impietatis & desperationis, q̃ lucem. Vide mihi homines ante diluuium. Hi peccarũt fœda libidine & crudeli tyrannide, ac perierunt diluuio. Num propter peccatum libidinis & tyrannidis? Certe hoc peccato meriti fuerunt non tantum diluuiũ, sed etiam infernum. Non perierunt autem propter hoc peccatum, sed hoc est iuditium, hæc est condemnatio eorum, q̃ lux uenit in mundum, ipsi autem magis dilexerunt tenebras q̃ lucem. Lucebat lux centum uiginti annos, qua reuocabantur à tenebris, sed tantum abfuit ut sectarentur lucem, ut eam odio quoq̃ prosequerentur. Perierunt igitur, non q̃ peccassent, sed quod reiecissent lucem. Tenebræ enim in hominibus, per se nondum sunt damno, sed DILIGERE tenebras, hęc demum est condemnatio. Non peccatum, sed diligere peccatum, & prę eo abominari ueram iustitiam, detinet homines in perpetua damnatione. Quid dicemus de Zodomitis? Homines, inquit scriptura, Zodomitæ erant pessimi, & peccatores coram DOMINO nimis. Et iterum. Manum egeno & pauperi non por-

rigebant, & eleuati sunt, & fecerunt abominationes coram Deo. Ita q̃ perierunt incendio. Nunquid ergo perierunt propter abominatioẽs, quas fecerunt? Hæ profecto dignę fuerunt incendio non externi tantum, uerum etiam æterni ac inferni ignis, & tamen patuit adhuc salutis uia. Perierunt aũt, quia uenit lux. Dicebat enim Loth. Nolite quęso fratres mei, nolite malum hoc facere, Sed ipsi magis dilexerunt tenebras q̃ lucem. Respondent enim Loth. Ingressus es ut aduena, nunquid ut iudices? Te ergo ipsum magis q̃ hos affligemus. Hęc est completa malitia. Quare statim diuinum supplitium prę foribus prę sto adfuit. Nam quemadmodum ciuilis magistratus potest aliquoties patienter ferre, ut decretum eius uioletur, tantum modo si autoritas decreti maneat inuiolata & maiestas magistratus non deñciatur. Sed si subditus tanta impudentia peccat, ut non solum uiolet decretum inobedientia, uerumetiam afficiat magistratum ipsum contumelia, & discerpat literas decreti, hoc demum magistratui est intolerabile, & necesse habet primo quoq̃ tempore tam impudentem temeritatem grauissime punire, ita DOMINVS Deus noster solet cõniuere ad peccata, quę aduersus legem suam designantur, & expectare pœnitentiam. Non enim delectatur Deus internitione hominum. Sed si impius ad tantam impietatem peruenerit, ut non solum sceleribus suis aduersus uerbum DOMINI peccet, uerumetiam uerbum Dei damnet, ac in Deum ipsum & legatos eius contumeliose inuehatur, nihil aliud reliquum est, quàm ut continuo ueniat seuerissimum Dei supplitium. An non maxima erant peccata Iudęorum, ante Babylonicam deuastationem urbis Hierusalem, quemadmodum Prophetæ perspicue testantur? & tamen nondum abñciebantur à Deo, quin potius Deus in hoc prącipue studium incumbebat, ut seruaret ipsos, Mittebat enim, ut scriptura ait, DOMINVS Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum de nocte consurgens, & quotidie commonens, eo quòd parceret populo & habitaculo suo. Quid autem illi? Venit lux in mundum, & homines magis dilexerunt lucem quam tenebras. Non enim tantum peccabant inobedientia & uiolatione diuinæ legis, sed etiam subsannabant nuntios Dei, & paruipendebant sermones eius, illudebantque Prophetis. Perierunt igitur, non quod ambulassent in tenebris peccatorum, sed quod magis dilexerint tenebras quam lucem. Quid horribilius his peccatis, quæ commiserunt Iudæi, ante Romanam urbis Hierusalẽ deuastationẽ, quæ & facta est ætate Ioĩs Euangelistę nostri qui hanc

Sodomitarũ interitus.

Babylonica captiuitas unde Iudæis accidit.

Romana captiuitas, unde Iudæis accidit.

hanc contionem Christi aliquot post annis conscripsit? Peccauerunt eam impietate, auaritia, ambitione, arrogãtia, inuidia, impostura, homicidio, latrocinio, adulterio, & quod grauissimum est, occisione unigeniti filij Dei. Et tamẽ adhuc patebat eis ianua salutis. Dicit enim Petrus ad ipsos: Vobis primum Deus, cum suscitasset filium suum Iesum, misit eum benedicentem uobis, ita ut unusquisq; uestrum conuerteret se ab iniquitatibus suis. Sed quid multis opus est? Tantum abfuit, ut Iudæi post necem Christi resipiscerẽt, ut etiam Apostolos, & uniuersam Ecclesiam Christi crudelissime persequerentur. Quare perierunt longe omnium miserrime, & hoc est iuditium, hæc est condemnatio eorum, non q̃ ambulauerunt in tenebris peccatorum, sed q̃ cum uenisset lux Euangelij, magis dilexerunt tenebras q̃ lucem. Conferamus huc & nostra tempora. Peccauimus in Germania non tantum impietate & Idololatria, sed etiam alijs innumerabilibus sceleribus. Nec ullum est genus peccati, quo Germani non sint sordidati. Venit autem LVX. Reuelatum enim est diuina clementia Euangeliũ DOMINI nostri Iesu Christi, quo non solum affertur nobis gratuita remissio peccatorum, propter Christum, sed etiam donatur nobis hæreditas regni cœlestis. Quid ergo fit? certe res in eo est statu, ut homines uideãtur multo magis diligere tenebras q̃ lucem. Alij enim contemnunt Euangelion, alij persequuntur, alij contaminant ipsum turpissimis moribus. Inter hæc minatur Turca exitiũ toti Germaniæ. Quid igitur futurum esse censeamus, nisi ut Germania pereat? Hęc enim est cõdemnatio, non q̃ homines peccauerint, sed quod cum uenerit lux, homines magis diligant tenebras q̃ lucem. Et tamẽ in tantis publicis malis, pij de sua salute certam spem concipere debent. Pereat sane hominum multitudo, (hoc enim omnino uolunt, nec retineri possunt) non tamen peribit, qui pius est, & ut maxime amittat regnum terrarum, non tamẽ amissurus est regnum cœlorum, si in luce Christi ambulare perseuerauerit. Fili hominis, inquit DOMINVS ad Ezechielem, terra cum peccauerit mihi, extendam manum meam super eam, & interficiam de ea hominem & iumentum. Et si fuerint tres uiri isti in medio eius, Noë, Daniel, et Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, dicit DOMINVS. Quare in hoc studium incumbendum est, ut etsi multitudo hominum sectatur tenebras impietatis, nos tamen sectemur lucem Euangelij, qua illustrati, penetremus salui per mortem, ad splendorem ueræ & æternæ fœlicitatis. Quæso autem te, quid caussæ est, quod homines oblata luce Euangelij, magis diligant tenebras impietatis, q̃ Euangelij lucem, imo quod etiam persequantur lucem? Caussam huius rei addit Christus, & ait: Erant enim eorum opera mala. Omnis enim, qui mala a-

Actorum 3.

Germania omni peccatorũ genere sordidata.

git, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne arguantur opera eius. Qui autem operatur ueritatem, uenit ad lucem, ut conspicua fiant facta ipsius, quod per Deum sint facta. Hæc est obseruabilis ratiotinatio, cuius partes ex ordine pertractandæ sunt, Christus enim exponit caussam, propter quam homines magis diligunt tenebras quam lucem, & includit eam in hunc, ut isti loquuntur, Syllogismum. Omnis (inquiens) qui mala agit, odit lucem. Qui autem operatur ueritatem, qui agit iusta, recta, & uera, uenit ad lucem, Hæc magis perspicua sunt, quàm ut indigeant copiosa & sollicita probatione. Nihil enim est turpius, nihil fœdius, nihil horribilius, quàm malitia, seu peccatum. Et quemadmodum autor peccati, Satan, deformior est, & fœdior, quàm ut audeat sua facie in lucem prodire, Transfigurat enim se, ut Paulus ait, in angelum lucis, ita qui autore Satana, peccat, ferre non potest, ut quod agit, conspicuum fiat, propterea quòd uidet actionem suam, turpiorem & abominabiliorem esse, quàm ut possit in clara luce constare. Aut enim factum negat, aut si negare non potest, excusat, defendit, & quoquo modo potest, honesta specie ornat, Hoc illud est, quod cum Adam & mulier eius peccassent, texerunt se perizomatis. Contra autem, qui agit, quod uerum, quod iustum, quod rectum ac legitimum est, non abhorret lucem, sed profert potius factum suum in lucem, ut conspicuum fiat, ꝗ sit iustum & diuinitus approbatum. Sapientes homines dixerunt iustitiam esse formosiorem hespero & lucifero. Quæ autem sunt formosa & uenusta, ea lucem amant. Quare, ut bona iusta & pia in lucem prodeunt, ita mala, iniusta, & impia in tenebras sese proripiunt. Habes discrimen operum, quorum alia amant alia fugiunt lucem. Videamus nunc, in quem ordinem opera hominum ponenda sint. Erant, inquit, opera eorum mala, Quid? omnia ne hominum opera mala sunt? Si de hominum piorum & in Christo renatorum operibus loquendum est, manifestum est, quòd pij multa bona opera faciant, quæ etsi non sunt in se perfecta, & ex omni parte sancta, tamen sunt Deo grata propter Christum filium suum, in quem pij credunt. In hoc autem loco sermo est, de operibus impiorum hominum, quorum, semper maxima est in terris multitudo. Hi, etsi aliquoties recte agunt ciuiliter, tamen quia sunt à Deo abiecti, & carent Christo, nihil recte agunt spiritualiter. Ac primum, de idolatria, auaritia, inuidia, furto, homicidio, adulterio, & id genus alijs sceleribus, quæ impij contra manifestam legem Dei designant, non est dubium, qn sint mala. Deinde habent impij suam honestatem, sapientiam, & potentiam, ac multa agunt honeste, & sapienter. Sed & hæc opera sunt coram Deo mala. Impij enim confidunt sua iustitia, honestate, ac sapientia.

ὁ συλλογισμός. Qui mala agunt, odiunt lucem, Hoïes mala agunt, Ergo hoïes odiunt lucem

Κρατίστη τῶν ἀρετῶν εἶναι δοκεῖ ἡ δικαιοσύνη, καὶ οὐθ' ἕσπερος οὐθ' ἑῶος οὕτω θαυμαστός, Arist. ἠθικῶν ε.

Hominum opera, qualia sint.

Idolatria hominum impiorũ quæ sit.

pientia. Hęc non est simplex impietas, sed blasphemia & idololatria. Quanquam enim honestas & sapientia impiorum in suo ordine bona sint, tamen si contempto & abiecto Christo habeantur summa & optima, fiunt abominanda coram Deo idola. Cum igitur impiorum hominum, quorum semper maxima est in hoc mundo multitudo, opera, siue illa manifesta peccata, siue honeste & sapienter facta, sint coram Deo mala, mirum non est, ꝙ odio habeant lucem, & persequantur eam uirulentissime. Metuunt enim, ne opera eorum arguantur, metuunt ne impietatis damnentur. Quare omnem mouent lapidem, ut extincta luce, in tenebris suis uersentur. Sed non omnes, inquis, lucem uident. Neque enim ad omnes homines peruenit prædicatio Euangelij Dei. Quid ergo de his dicemus? num & hi pereunt in tenebris suis? Hic audiendus nobis est Apostolus Paulus, qui ad Romanos scribens, ita ait: An non audierunt? Atqui in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrę uerba eorum. In Actis Apostolicis erant Hierosolymis in die Pentecostes, quo spiritus sanctus confirmauit Euangelion Christi admirādis & stupendis donis, uiri religiosi ex omni natione earum, quæ sub cœlo sunt. Non est autem dubium, quin non solum per Apostolos, uerumetiam per hos religiosos uiros diuulgatæ sint in nationes suas res gestæ in die Pentecostes, ex quibus Euangelion Christi cognosci potuit. Et Paulus iterum ait. Non dimoueamini à spe Euangelij, quod audistis, q̄d prędicatum est apud VNIVERSAM creaturam, QVÆ SVB CŒLO est. Nullam igitur prorsus habent excusationem hi, qui ignorāt lucem Euangelij. Etsi enim non persequuntur externa tyrannide Euangelion Christi, tamen & hoc est Euangelio in conspectu dei obsistere, si quis maiori cura sectatur studium corporalium bonorum, q̄ꝫ uerę & perpetuę suę salutis. Qui non est mecum, inquit Christus, contra me est. Quare cum homines huius mundi hoc solum agant, ut persequantur lucem, & sectentur suas tenebras, agite amicissime, discedamus ab hominibus, fugiamus è mundo, ne unà cum mundo condemnemur. Non discedimus autem recte ab hominibus, si secedamus in eremum, nec fugimus pie è mundo, si nobisipsis mortem intulerimus, sed si uiuamus ut filij Dei irreprehensibiles in medio nationis prauæ ac tortuosæ, & sectemur lucem Euangelij, usqꝫ in diem Domini nostri Iesu Christi, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula,

Amen.

Euangelium uulgatum in totum orbem terrae.

Coloss. 2.

HOMILIA XXX.

ERstrinximus explicatione nostra disputationem, quam Christus habuit cum Nicodemo, in qua & tam memorabilis de Christo cõtio recitatur, ut dignissima sit, quę ad uerbum ediscatur. Perstringemus & nunc eam contiõem, quam Ioannes Baptista de Iesu Christo, ad discipulos suos habuit, sed priusq̃ eam cõmemoremus, exponendnm est, qua occasione Baptista, ad hanc concionem habendam excitatus sit. Euangelista enim sic scribere pergit. Posthæc uenit Iesus & discipuli eius in terram Iudæam, & illic morabatur cum eis, ac baptisabat. Baptisabat autem & Ioannes in Ænon iuxta Salim, quia aquę multę erant illic, & ueniebãt ac baptisabantur. Nondum enim coniectus fuerat Ioannes in carcerẽ. Primum, q̃ Euangelista scribit, Iesum baptisasse, hoc postea in principio quarti capitis interpretat̃. Quanq̃ (inquiens) Iesus ipse non baptisaret, sed discipuli eius. Significat igitur Euangelista Iesum iussisse suos discipulos baptisare, ut q̃d Ioannes inchoauerat, Iesus mãdato suo confirmaret. Noluit autẽ ipse baptisare homines aqua, q̃ à Ioanne dictum esset, baptisaturũ ipsum spiritu sancto & igni, id quod postea in die Pentecostes impletũ est. Deinde Ioannes dicitur baptisasse in Ænon iuxta Salim. In Num. ca. 34. & in Ezechiele ca. xlvij. fit mentio cuiusdam Ænon, quod sic scribitur עינון, fit & mentio cuiusdam Salim in Genesi ca. xxxiij. quod sic scribitur שָׁלֵם. Sed & alterius cuiusdam Salim fit mentio in priori libro Samuelis cap. ix. quod ita scribitur שַׁעֲלִים. Vtrum autẽ horum ad hunc Euangelistę locum conueniat, nondum mihi constat. Hieronymus de locis hebraicis scribit eum locum, in quo Ioannes baptisauit, & cuius Euangelista hic meminit, suo tempore publice nobilem fuisse, in octauo uidelicet lapide Scythopoleos, ad meridiẽ, iuxta Salim & Iordanem. Cum igitur hoc loco scriptum sit, Ioannẽ baptisasse in Galilęa, Iesum autem Christũ baptisasse, hoc est, mandasse discipulis suis, ut baptisarent homines in Iudęa, quęri solet, num differãt inter se baptismus Ioannis, & Christi, seu discipulorũ Christi. Et cũ in

Actis

Actis Apostolicis ca. xix. scriptũ sit, ꝙ Paulus baptisauerit eos Ephesios, in nomine domini Iesu, q̃ ante baptisati erant Ioannis baptismate, sentiunt aliquod discrimen esse inter baptismũ Ioannis & baptismum Christi. De qua re, quia & supra & aliâs plura diximus, nunc pauca dicenda erunt. Nam si conferantur inter se baptismus aquæ, & baptismus ignis, quo discipuli Christi baptisati sunt in die Pentecostes, tunc maximũ est inter hos baptismos discrimen. Differunt em̃ primum dispensatoribus. Baptismus enim aquæ dispensatus est per Ioannem & discipulos eius, ac etiam per discipulos Christi. Baptismus autem ignis per solum Iesum Christum in die Pentecostes dispensatus est. Deinde differunt materia, Alter enim constat aqua, alter igni. Postremo differunt etiam uarietate donorum. In baptismo enim aquæ conferuntur inuisibilia dona Dei, absque externis miraculis. In baptismo autem ignis collata sunt manifesta Dei dona, idq̃ manifestis miraculis. Si autem confertur baptismus aquæ, quem Ioannes & discipuli eius dispensarunt, cum baptismo aquæ, quem discipuli Christi uel ante passionem Christi, uel post resurrectionem eius & missionem spiritus sancti dispensarunt, nullum est inter eos discrimen. Nam Ioannes fuit primus, autore Deo, minister eius baptismi, quem postea discipuli Christi dispensarunt, & quo adhuc Ecclesia Christi utitur. Vnde & cognomen Baptistæ reportauit. Baptisauit enim homines in Remissionem peccatorum. Prædicans, inquit, baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Si autem baptisauit in remissionem peccatorum, manifestum est, quod baptisauerit homines in nomine Christi, de quo ipse dixit. Ecce, Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Quare etsi Ioannes & discipuli eius non dixerunt disertis uerbis se baptisare in nomine patris & filij & spiritus sancti, tamen quia baptisarunt in remissionem peccatorum, quæ non contingit, nisi per Deum patrem & filium & spiritum sanctum, perspicuum est, quod baptismus Ioannis non fuerit alius baptismus, quàm is, quem Apostoli inter gentes distribuerunt, & quo utemur in Ecclesia Christi usque ad nouissimum huius seculi diem. Nam quod Acta Apostolica testantur Ephesios ante Ioannis baptismate, postea in nomine Christi baptisatos esse, non est intelligendum eos iterum aqua sed tantum igni baptisatos, & admirandis donis spiritus sancti ornatos fuisse. Hoc enim uocatur illic baptisari in nomine DOMINI Iesu, quemadmodum scriptura in eo loco seipsam exponit. Etsi autem hæc disputatio de discrimine

Baptismus Ioannis et Christi.

baptiſmi Ioannis & Chriſti uidetur hoc tempore ocioſa & ſuperua ca-
nea, tamen ſi hanc rem probe perpendas, plurimũ facit ad commenda
tionẽ ſacramenti baptiſmi. Videmus enim manifeſte hunc baptiſmũ
aquę, quo nos baptiſati et Chriſto DOMINO noſtro inſerti ſumus,
diuinam eſſe ordinationem, à Ioanne quidem diuino mandato incho
atam, ab ipſo autem Ieſu Chriſto DOMINO noſtro, tam ante paſſio
nem & mortem ſuam, quam poſt reſurrectionem ſuam, magna auto-
ritate confirmatam. Quare cum tentamur dubitatione de ſalute no-
ſtra, reuocemus in memoriam, nos baptiſatos eſſe, ut admoniti ſacra-
mento baptiſmi, certiſſima uidelicet ordinatione Dei, cognoſcamus
nos Deo eſſe curæ, ac propter Chriſtum, cuius membra in baptiſmo
facti ſumus, ueram & perpetuam ſalutem conſecuturos. Sed uide,
quid diffidij ex baptiſmo Ioannis, & diſcipulorum Chriſti oriatur.
,, Sic enim ſequitur. Orta eſt autem quęſtio ex diſcipulis Ioannis, una
,, cum Iudęis, de purificatione. Et uenerunt ad Ioannem, & dixerunt ei:
,, Rabbi. Qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibu
,, iſti, ecce is baptiſat, & omnes ueniunt ad eum. Ioannes baptiſat in Ga
lilæa, Ieſus baptiſat, miniſterio ſuorum diſcipulorum, in Iudæa. Ex
qua re oritur diſputatio de purificatione, ſeu baptiſmo, inter diſcipu
los Ioannis, qui exiſtimabant una cum quibuſdam Iudęis, illicitum &
iniquum eſſe, ut Ieſus ſumeret ſibi abſqꝫ mandato Ioannis, autorita-
tem purificandi homines per baptiſmum. Sentiebant enim Ioannem
eſſe uerum illum Chriſtum purificatorem & ſeruatorem, qui pro-
miſſus erat per prophetas, metuebant pręterea, ne fama Ioannis pręc-
ceptoris ſui per Ieſum obſcuraretur. Quare iudicabant temeritatem
Ieſu cõpeſcendam eſſe, ne ipſe, oppreſſo Ioanne, haberetur & colere-
tur pro Meſſia. Etſi autem dubium non eſt, quin diſcipuli Ioannis,
fuerint honeſti uiri, hoc tamen loco fiunt organa Satanæ. Conantur
enim, quantum in ipſis eſt, Ieſum Chriſtum opprimere, & Ioannem
ſuum, in Meſſiam extollere. Hic eſt conatus, hic eſt labor, hoc eſt
opus Satanæ, uidelicet, ut efficiat, ne Ieſus filius Mariæ, à Deo in
uerum Meſſiam ſeu Chriſtum unctus, credatur eſſe Meſſias. Ferre
enim poteſt Satan, ut quiuis alius habeatur Meſſias, modo id ma-
ieſtatis non tribuatur Ieſu Nazareno. Nam dictum eſt diuinitus, iã
inde ab initio conditi mũdi, ad Satanã. Semẽ mulieris conteret caput
tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius. Quare cum intelligat potentiã
ſuam, per uerę Meſſiam conterendam, oẽs uires ſuas in hoc exercet,
ut maieſtatem ueri Meſſię aut obſcuret, aut ſi queat, omnino abole-
at. Itaque ab initio uirulentiſſime perſecutus eſt tam eam gentem,
ex qua ſentiebat Meſſiam naſciturum, quàm omnes illos, qui ſe
ſpe uen

ſpe uenturi Meſſię ſuſtentabant. Poſtq̃ autem natus eſſet Meſſias ex muliere, ſtatim inſidiatus eſt uitę eius per Herodem. Cum uero hac non ſucceſſiſſet, excitauit aduerſus ipſum, Phariſæos & uniuerſam gentem Iudęorum. Hi, etſi effecerunt, ut affigeretur cruci, & morere tur, tamen non potuerunt eum in morte detinere. Reſurrexit enim ter tia die, & intrauit in gloriam patris ſui. Quid ergo poſtea? num quia Satan nihil amplius potuit in perſonam Meſſię, conquieuit? Nihil certe minus. Inuaſit enim, quantis potuit uiribus gloriam Meſſiæ ac diſcipulos eius, initio per Iudæos & gentes, deinde per hæreticos, mox per eremitas, monachos, & ſacrificulos, ex quibus conflata eſt hypocriſis & impietas pontifitia, & Sophiſtica, deinde per Mahume tem, & Turciſmum. Nec unq̃ deſinet inſidiari calcaneo Chriſti, donec hic mundus conſtiterit. Cum enim Satan omnes alias religiones, omniaq̃ alia regna ferre poſſit, ſolam ueram religionem Chriſti, & ſolum regnum eius ferre non poteſt. Hoc nobis diligenter eſt cognoſcendum, ut non dimoueamur à uera in Chriſtum fide, propter ua rias contradictiones aduerſus Chriſtum, & multas controuerſias reli gionis, ſed potius confirmemur fide, quod cum uideamus Satanam obſiſtere Ieſu Chriſto, & Euangelio eius, per uniuerſum mundum, aperte cognoſcamus, hunc Ieſum, cuius calcaneo Satan tantis conatibus inſidiatur, eſſe uerum illud ſemen mulieris, de quo dictum eſt, q̃ ſit contriturum caput ſerpentis, & de quo propheta uaticinatus eſt, q̃ ſit quidem lapis offenſionis & petra ſcandali duabus domibus Iſra el, & in laqueum & ruinam habitantibus Hieruſalem, ſedeat aũt ſuper ſolium Dauid, & ſuper regnum eius, ut confirmet & corroboret illud in iuditio & iuſtitia, amodo & uſq̃ in ſempiternum. Deinde adumbrantur etiam hoc loco in diſcipulis Ioannis, mores ſeruorum aut miniſtrorũ erga Dominos ſuos. Nam inter Ieſum & Ioannẽ, qui erant principes doctrinæ religionis, optime conueniebat. Diſcipuli autem Ioannis hoc agebant ſua accuſatione, ut excitarent diſſidium inter Ieſum, & Ioannem. Hi ſunt mores, hæc eſt conſuetudo ſeruorum, in hoc ſeculo. Etſi enim domini ſunt concordes & unanimes, tamen ſerui ac miniſtri eorum ſolent, quoquo modo poſſunt, autores eſſe diſcordiarum. Habes exemplum in paſtoribus Loth & Abrahę. Ac non licet quidem ſeruis ceſſare, & rem domini ſui negligenter adminiſtrare, non eſt autem figmentis & mendatijs materia diſcordiæ domino præbenda. Sex ſunt, inq̃t Salomon, quę odit DOMINVS, & ſeptimum deteſtatur anima eius. Oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes ſanguinem innoxium, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes ueloces ad currendũ in malum, proferentẽ mendatia teſtem fallacẽ, & EVM QVI SEMINAT inter fra-

Satanæ bellũ aduerſus Chriſtum.

Seruorum mores.

Gen. 13.

tres discordias. Quem autem detestatur Dominus, quid, obsecro, salutis ei reliquum erit? Accedit huc, q̃ qui est autor dissensionum, is administer est Satanæ. Satan enim ut est pater mendatij & homicidij, ita etiam est pater dissensionum. Quare, qui mendatio & iniquitate præbet alijs occasionem discordiæ, is seruit Satanę, quo cum etiam pro mercede seruitutis suę hęreditabit ęternam maledictionem. Postremo obseruabis in discipulis Ioannis ambitionē. Metuunt em̄, ne si gloria Iesu Christi promoueat, nomen Ioannis præceptoris sui, & ipsorum obscuretur. Accusant igitur Iesum coram Ioanne, & sollicitant Ioannem, ut prohibeat Iesum à suo instituto. Est & hoc uulgrae ingenium hominum, q̃ sentiant aliorum cōmoda, sua esse incommoda, ideoq̃ inuident alienis cōmodis & uarias excogitant rationes, q̃bus alienam fœlicitatem impediant. Sed ut illa sententia, uanissima est, ita alienis commodis inuidere, & iniquitate obsistere, prorsus est Satanicum. Qui enim in Christum credimus, unius corporis mēbra sumus. Membra, inq̃t Paulus, eiusdem corporis sumus, ex carne Christi, & ex ossibus eius. Et iterum. Vnum corpus, unus spiritus, quemadmodum & uocati estis in una spe uocationis uestrę. Inter membra aūt, etsi aliud alio dono prędituṁ est, tamen maxima est cognatio & cōmunio omnium commodorum. Si caput ornatur regia corona, non pes, non manus inuident, sed potius iuuant ornatum capitis, quippe q̃ capitis honorem etiam sibi honori ducant. Si digitus ornatur aureo annulo, non inuidet uel oculus uel auris, sed multo magis delectatur. Cum igitur simus inter nos inuicem membra, nullus sentire debet q̃ alterius commoda, sint sua incommoda, sed potius agnoscat tantum sibi utilitatis contingere, quantum DOMINVS proximo largitur. Sed inquies. Fingo consulatum, aut aliud genus offitij esse, quod gerenti afferat non solum dignitatem sed etiam magnam utilitatem, Duos aūt uel tres esse, qui administrationē huius offitij petant. An non is, cui ex suffragijs eorum, penes quos est ius electionis, contingit administratio, impedimento est alijs, quo minus utilitatem consequantur? Quis dicat, eos, qui repulsam passi sunt, tantum commodi accipere, quantū is, qui uoti sui compos factus est? sed hoc quantūuis absurdum uideatur, tamen quemadmodum Moses de his, qui Manna collegerant, dicit. Nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus, ita etiam uere dici potest, de his, qui simul petunt administrationem alicuius cōmodi offitij, Nec qui accipit, plus habet, nec qui repulsam patitur minus habet. DOMINVS enim Deus noster, non idcirco te abijcit, quod non sis assecutus ab hominibus tuam petitionem, sed tanto magis Deo curæ es, quanto plus uideris ab hominibus neglectus. Constat adhuc firmissi

Contentum esse sua sorte.

me hæc

me hæc dominicæ orationis particula, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Qua constante, nihil certe pōt corporali cōmodo pij hoīs deesse. An nō meministi, quid illud sit, quod in symbolo, ut uocant, Apostolico recitare solemus. Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ? Non enim sentiendum est, Deum hoc tantum nomine omnipotentem dici, & esse, quod initio omnia omnipotenti uerbo suo creauerit, sed etiam hoc nomine, quod ad huc omnia omnipotenter administret, nec cadat capillus de capite nostro, sine uoluntate & administratione eius. Quod cum uere se ita habeat, manifestum est, quod sic uisum fuerit DOMINO Deo tuo, ut non assequaris petitionem tuam ab hominibus. Nam si Deo uisum esset, quis hominum potuisset obsistere? Si autem Deo uisum non est, nullus certe hominnm fauor potuit te iuuare: Agnoscenda igitur est ex euentu uoluntas Dei, sine quo, ne unus quidem passerculus in terram cadit, & obedienter sufferendum est, quod Dei uoluntate euenit. Qui reliquerit (inquit) domos aut fratres aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitæ æternæ sortietur hereditatem. Non is autem tantum relinquit domum aut agros propter Christum, qui in persecutione mauult in exilium eijci, quàm Christum abnegare, sed etiam, qui repulsam precum suarum coram hominibus, mauult boni consulere, & æquo animo ferre, quàm uoluntati Dei obsistere & aduersus Deum peccare. Hæc est illa obedientia, quæ DOMINO Deo nostro multo gratior est, quam uictimæ & holocausta. Quare tantum abest, ut alterius commodum, in impetranda petitione sua, tuum sit incommodum, ut consequaris potius ex eo centuplam utilitatem, si patientia & æquanimitate tua obsecutus fueris uoluntati Dei, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Omnipotentis nomen.

HOMILIA XXXI.

AGite, amicissimi, suscipiamus nunc exponendam egregiā illam & memorabilem cōtionem, quā Ioannes Baptista ad discipulos suos, de Iesu Christo habuit. In hac enim Ioannes non solum grauiter increpat discipulos suos, quod conentur, quantum in ipsis est, Iesum maiestate Messiæ priuare, sed comprehendit etiam summam totius Christianæ doctrinæ. Quare hæc Ioīs cōtio thesauri loco reponenda & conseruanda est. Respōdit

,, Ioannes & dixit. Non potest homo accipere quicq̃ nisi fuerit ei datũ
,, è cœlo. Ipsi uos testes estis, q̃ dixerim, Non sum ego Christus, sed
,, missus sum ante illum. Hæc est grauissima increpatio, qua Ioannes re prehendit discipulos suos, quod inuitissimo ipsi obtrudant maiestatem Messię, & auferant eam à Iesu, qui solus est uerus Messias. Quid me, inqt, obtunditis? quid mihi toties molesti estis? Video uos hoc unum agere, ut ex me faciatis Messiam. Ego uero nihil minus agnosco. Vos ipsi mihi testes estis, q̃ hactenus semper confessus sim ingenue, me non esse Messiam, sed tantum testem, ministrum, & famulum Messiæ. Neq̃ id immerito confessus sum. Nullus enim hominum quicq̃ sibi arrogare debet, quod non est ei è cœlo datum, quod non est ei diuinitus mandatum, & ad quod non est legitime uocatus. Ego uero non sum in hoc uocatus, ut sim ipse Messias, sed tantum ut sim testis & minister Messię, ut homines prędicatione & testimonio meo ad agnoscendum uerum Messiam, & credendum in eum uocem. Quare apagete cum importuna uestra seu opinione seu ambitione, Nunq̃ à me impetrabitis, ut mihi arrogem tantum honorem, sed q̃d mei est offitij, ei deferam maiestatem Messiæ, cui merito debetur. Hic initio obseruanda est iterum uirtus constantiæ in Ioanne. Nam quemadmodum ante, ita & nunc ac perpetuo constat in confitenda & affirmanda ueritate de Iesu Christo, quæ confessio, etsi uidebatur offectura glorię suæ, mauult tamen ueritate uocationi Dei obsequi, q̃ mendatio fauorem hominum uenari. Hæc certe est compendiaria uia ad ueram gloriam nominis sui consequendam. Quid enim nunc, secundum Christũ, gloriosius in Ecclesia Dei, Ioanne Baptista? Quicunq̃, inqt DOMINVS, honorificauerit me, glorificabo eum. Ioannes honorificauit Deum patrem constanti confessione ueritatis de Iesu Christo filio Dei. Quare Deus uicissim ita glorificauit Ioannẽ, ut inter natos mulierum non habeatur maior. Quo exemplo admonemur, ut ad assequendam aut retinendam gloriam nominis, non contendamus mendatio, sed ueritate, quę etiamsi primo aspectu uideatur incommoda, tamen quũ Deus ipse sit ueritas, fieri non potest, quin, si in ea consistamus, afferat maximam utilitatem. Deinde Ioannes proponit obseruabilem γνώμην, Non potest homo quicq̃ accipere, nisi fuerit ei datum è cœlo. Hæc sententia, ut late patet, ita magna cõmoda afferret, si, quo ducit, sectaremur. Nõ essent inter nos tot dissidia, non tot contentiones. Magna esset uitę nostræ tranquillitas & fœlicitas. Sed quomodo, inquies, hęc γνώμη intelligenda est? Quid eam dicemus? an non plurimi acceperunt, quod ipsis non fuit datum è cœlo? Abimelech filius Gideonis, accepit, occisis septuaginta fratribus suis, regnum Israelis, & tamen non erat ei datum è cœlo. Similiter & Absolom

Gloriæ consequendæ uera ratio.

Absolom filius Dauidis accepit, eiecto parente, regnum Israëlis, sed nec huic datum erat è cœlo. Theodas, Iudas Galilęus, & Cochabas accipiebant maiestatem Messiæ, ad liberandos Iudæos è Romana seruitute, & tamen hoc non erat eis datum è cœlo. Huc accedit, ꝙ & multi accipiunt ac rapiunt alienas opes, quas non dat ipsis Deus è cœlo, sed Satan ex inferno. Quid ergo est, quod Ioannes dicit. Non potest homo quicq̃ accipere, nisi fuerit ei datum è cœlo? Obseruandum igitur, ꝙ Ioannes hic non loquatur de conatu & temeritate impiorum. Impij enim multa sine uocatione Dei conantur, multa absq̃ Deo agenda suscipiunt, non possunt autem in his fœlicem conatus sui euentum habere. Spes, inquit, impiorum peribit. Sed Ioannes loquitur de offitio pij hominis, quid debeat facere, ut habeat adiutorem Deum, & prosperum instituti sui euentum. Itaq̃ is est huius dicti sensus. Nõ potest homo quicq̃ bona cõscientia, & certa diuinę benedictionis expectatione accipere, nisi fuerit diuinitus ad hoc uocatus, nec ullus pius homo, qui uoluerit suum offitium facere, & fœlicem rerum suarum successum habere, debet sibi arrogare alienam uocationem, ad quam ipse non est legitime ac diuinitus ordinatus, ne patiatur, ut ἀλλοτριοεπίσκοπος, quemadmodum Petrus loquitur. Nam in omni uocatione, & in quouis hominum instituto, necessaria est benedictio, & incrementum Dei. Nisi DOMINVS (inquit) ædificauerit domum, inuanum laborant, qui ędificant eam. Quomodo potest autem benedictio Dei huic contingere, qui sibi absq̃ Deo usurpat alienum offitium, aut uocationem? Quare necessarium est, ad consequendam diuinam benedictionem, ut nihil instituas, aut faciendum suscipias, nisi cœlesti mandato uocatus. Moses accepit ducatum Israelis, ut liberaret populum Dei Ægyptiaca seruitute. Accepit autẽ hoc offitium, non temeritate carnali, sed uocatione cœlesti. Quare, quod instituit, fœliciter etiam successit. Contra, Abimelech accepit regnum Israelis, idq̃ nulla Dei uocatione, sed mera animi sui cupiditate & ambitione. Quare perijt etiã fœdissime. Dauid accepit regnum Israelis, non inconsiderata quadam temeritate, sed diuina uocatione. Conatus igitur eius fœliciter promouit. Absolom autem accepit regnum, non à Deo, sed à Satana. Itaq̃ pependit. Iesus filius Marię uirginis è familia Dauidis, accepit honorem & maiestatem Messię, Accepit autem, non temere, sed quia hoc erat ipsi è cœlo datum. Quod igitur fecit, prosperum habuit euentum. Theodas autem & Iudas Galilæus, & Cochabas acceperunt hunc honorem sine uocatione Dei. Quare acceperũt etiam dignum meritis suis supplitium. Ioannes Baptista & Apostoli, acceperunt offitiũ testificandi de Iesu Christo, & diuulgandi Euangelij eius in totum orbem terrę. Hoc offitium datum erat eis

1.Pet.4.

de cœlo. Fœliciter ergo promouit, quia in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Sed quid? Hæccine est fœlicitas, ꝗ Christus, Ioannes & Apostoli, in suo instituto trucidati sint? Si uocatio eorum fuit ex Deo, quomodo impij præualuerunt, & occiderunt ipsos? Hic considerandum nobis est, quod fuerit institutum Christi & Apostolorum eius. Nam Christus non uenit in hunc mundum, nec suscepit prædicationem Euangelij sui, ut semper fœlicem in hoc seculo uitam uiueret, sed ut suscepta morte, expiaret peccata, & uinceret mortem, ac per mortem ingrederetur in gloriam patris sui. Quare cum impij præualerent aduersus ipsum, et traderent eum morti, tantum abfuit, ut institutum eius impedirent, ut potius contra suam ipsorum uoluntatem adiuuarent. Institutum enim Christi per mortem fœlicissime promouit, quia expiauit peccata, uicit mortem, resurrexit à mortuis, & impetrauit omnibus credentibus in ipsum æternam uitam. Hoc plane illud est, quod uoluit Christus. Eodem modo de instituto Apostolorum sentiendum est. Apostoli enim susceperunt ex uocatione Dei prædicandum Euangelion, non ut semper in hoc mundo fœliciter uiuerent, aut ut ciuili & tranquilla morte obirent, sed ut uulgarent Euangelion in totum orbem terræ, & confirmarent testimonio suo ac miraculis ueritatem eius. Quare, etsi crudeliter à tyrannis occisi sunt, tamen institutum ipsorum fœlicissime successit. Quanto enim crudelius trucidabantur, tanto magis confirmabatur & propagabatur ueritas Euangelij. Hoc nimirum illud est, quod Apostoli uoluerunt, & instituerunt. In suscipienda lite cum aduersario coram iudicibus, non hoc agitur ut omnes accessorias sententias, sed ut nouissimam ac principalem sententiam in caussa tua obtineas. Nondum enim à caussa cecidisti, etiamsi perdideris accessoriam sententiam. Aut in suscipiendo bello, non hoc agitur à duce, ut in omnibus uelitationibus ac leuibus certaminibus uictoriam reportet. Satis suo offitio functus est, satisꝗ glorię adeptus, si consecutus fuerit uictoriam in summo & extremo prelio. Sic etiam in suscipiendo ministerio prædicandi Euangelij de Iesu Christo, non erat Apostolorum institutum, ut tyrannorum manus effugerent, & nunꝗ externa morte occumberent, sed ut propagarent concionem Euangelij inter gentes. Quod cum adsecuti sint, quemadmodum res ipsa testatur, negari non potest, quin prosperum habuerint instituti sui euentum, etiamsi tyranni crudeliter ipsos interemerint. Idem etiam dicendum est de eorum ministerio, qui hoc tempore susceperunt prędicandam puram doctrinam Euangelij de Iesu Christo, seruatore nostro. Necesse enim est, ut qui uocati sunt ad docendum Euangelion, non solum reprehendant crassa & externa uulgi uitia, sed etiam refutent impi-

Apostolicimi nisterij incrementum quomodo intelligendum.

tent impiam doctrinam. Cauete, inquit Christus, à pseudoprophetis. Et Paulus, Sunt multi intractabiles, uaniloqui, & mentium deceptores, maxime hi qui sunt ex circumcisione, quibus oportet obturare os. Et in Ezechiele. Si dicente me ad impium, morte morieris, non ad nunciaueris ei, neq; locutus fueris, ut auertatur à uia sua impia & uiuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Multa autem sunt genera impiæ doctrinæ. Non enim solum Iudęi, nec tantum Ethnici & Mahumetistę, sed etiam pontifitij, monachi, sacrificuli & hypocritæ in Christianismo impie docent de religione, & de consequenda uera salute. Sentiunt enim & docent, q̃ homo expiet peccata meritis suę iustitiæ, & consequatur uitam æternam propter merita suorum operum. Hæc doctrina euertit totum Euangelion Christi, quemadmodum aliâs perspicue demonstratum est. Quare, qui uocati sunt ad docẽdum Euangelion, ac reprehendunt hanc impiam doctrinam testimonio & autoritate sacrę scripturæ, hoc accipiunt, quod ipsis è cœlo datum est. Quid igitur? num quia aliquot pij Ecclesiastæ sunt à pontifitijs crudeliter occisi, dicemus hoc ministerium non fuisse eis è cœlo datum? aut, quod DOMINVS clementer prohibeat, si uel Turcæ uel Pontifitij potirentur rerum in his regionibus, in quibus purum Euangelion Christi synceriter docetur, ac trucidarent Ecclesiastas, & instituerent publice suas impietates, num existimandũ esset, ueritatem Euangelij de Iesu Christo interijsse? aut prędicationem Euangelij nõ fuisse diuinitus suscep tam? Nihil certe minus. Pij enim doctores non idcirco susceperunt prędicandum Euangelion Christi, ut ipsi perpetuo in hac uita fœliciter degant, sed ut gloriã Christi explicatione sua illustrent. Hoc cum iam sint assecuti, quicq̃d deinceps acciderit ipsis, magis ad prouectũ Euangelij eueniet, quẽadmodum Paulus loquitur. Adhęc, ueritas Euangelij non constat dominatione ciuilis magistratus, aut externa hominum congregatione, Sed constat potentia Christi DOMINI nostri, sedentis ad dextram patris sui. Ac conandum quidem est totis uiribus, & petendum à DOMINO ardentissimis uotis, ut non solum in his regionibus, in quibus adnuntiatur syncerum Euangelion Christi, uerumetiam in alijs regionibus, pius magistratus clauum imperij teneat, & gubernacula reip. tractet, sed si uel propter peccata nostra, uel ꝓpter alias caussas DOMINO uisum fuerit, ut impij dominentur, nihil tamen certius est, q̃ quod quamdiu Christus sedet ad dextram patris sui, (Sedebit autem perpetuo) nec Ecclesia Christi perire, nec ueritas Euangelij Christi aboleri queat. De qua re multa quidem dici possent, sed nunc nec est necessarium, nec opportunum. Persequemur igitur ea, quæ adhuc, in hac γνώμη, Non potest ho-

Impiæ doctrinæ genera.

Philip. 1.

mo accipere quicq̃, nisi fuerit ei datum è cœlo, reliqua esse uidentur: Diximus enim hactenus de offitijs & uocationibus, quæ non sunt accipiendæ, nisi diuinitus è cœlo, nec sunt fortunatæ, nisi sic accipiantur. Dicamus nunc etiam de opibus, quę & ipsę, nisi diuinitus è cœlo accipiantur, non possunt esse fortunatæ. Vt enim nemo debet aliquã uocationem aut offitium accipere, nisi fuerit ei datum è cœlo, ita nemo debet opes accipere, nisi fuerint ei è cœlo datę. Quæ ergo dantur è cœlo? Primum, quę peruenium ad quempiam legitima hæreditate, deinde quæ acquiruntur iusta & legitima negociatione & labore. Adhæc, quę obueniunt iusta donatione. Ac breuiter, hæ opes dicuntur à Deo è cœlo accipi, quæ non contra hanc legem: Non fureris, accipiuntur. Nam quod contra hanc legem accipitur, hoc non porrigitur à Deo è cœlo, sed à Satana ex inferno. Videndum igitur est, quid sit furari. Nam furatur, qui alienas res illegitime concupiscit. Furatur item, qui inuito domino alienas res clam surripit. Furatur etiam, qui congregat opes, iniquis mensuris, ponderibus, mendatijs, uanitate orationis, nugis & imposturis. Furatur & is, qui cum in inopia, & fame, summacq̃ annonę caritate, magnum habeat frumenti numerum, interim autem aliud frumentum multo pluris emat, cq̃ consuetum sit, ut non tam hoc, cq̃ illud, quod ante habet, cq̃ plurimum uendat. De hoc postremo furti genere, tempus monet, ut aliqua nunc dicamus. Cum enim hoc tempore magna sit inopia annonæ, auari quidam frumentarij, non solum non exponunt frumenta sua uenalia, usitato, hoc difficili tempore, prętio, sed etiam coëmunt & coacerunt alia maximo prętio, idcq̃ faciunt hoc consilio, ut sua emptione augeant præcium, quo ea frumenta, quæ hactenus habuerunt, pluris uendere queant. Impij homines, existimant hanc uersutiam esse honestã rationem parandarum opum. Nihil autem est ea uel turpius uel sceleratius. Non simplex est furtum, sed sacrilegium. Non simplex rapina, sed latrocinium. Nam in hoc conditi sumus, ut seruiamus humanæ societati, eacq̃ lege nati sumus, & ea habemus, naturæ principia, quibus parere, & quę semper sequi debemus, ut nostra utilitas sit communis utilitatis. Huc uocat nos lex illa nulli nõ cognita: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Et, Omnia, quæcunq̃ uolueritis, ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Frumentarij autem, qui cum magnum habeant numerum frumenti, non solum non exponũt illud in publica rei frumentarię inopia uenale, uerumetiam frequenti sua emptione impedimento sunt paupioribus, ne possint tolerabili prætio frumenta sibi necessaria comparare, tantum abest, ut seruiant humanæ societati, ut potius bellum cum ipsa suscepisse uideantur. Damno enim sunt, non uni tantum & alteri homini, sed toti ciuitati,

Opes, quæ è cœlo dantur.

Furari quid sit.

Frumentarij reprehenduntur.

uitati, imo toti regioni. Accedit huc, q̃ si quando datur diuinitus frugum ubertas et copia, ea datur maxime omniū propter pauperes terrę. Aperies, inquit, manum tuam pauperi, & dabis ei mutuum, quo eum indigere perspexeris. Non ages quicq̃ callide in subleuādis necessitatibus eius, ut benedicat tibi DOMINVS in omni tēpore, & in cunctis ad quæ manum miseris. Diligenter, quæso te, obserues, quid illud sit, quod ait: Vt benedicat tibi DOMINVS in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miseris. Ac non perspicue significat spiritus sanctus, q̃ benedictio non frugum tantum sed & aliarū rerum diuinitus contingat ditioribus propter pauperes? Quare frumentarij, qui ad defraudandos & deglubendos pauperes, frumēta quæ possunt, quantouis etiam prætio sibi coaceruant, designant multo magis sacrilegium, q̃q̃ uulgare furtum. Et quod horribilius est, nō solum peccant aduersus hoc præceptū: Non fureris, sed etiam aduersus illud: Non occidas, ut contineantur in catalogo tam furū & sacrilegorum, q̃q̃ homicidarum. In Ecclesiastico enim dicitur: Panis egentium, uita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est. Et iterum. Occidit proximum, qui aufert ei uictum. Cum Ecclesiastico consentit & propheta Amos. Audite hoc, inquiens, q̃ conteritis pauperes, & deficere facitis egenos terrę dicentes, Quādo transibit Neomenia, & uenundabimus merces, & sabbatum, & aperiemus frumentum, ut imminuamus mensuram, & augeamus prætium, & supponamus statheras dolosas, ut possideamus in argento egenos, & pauperes pro calciamentis, & quisquilias frumenti uendamus. Habes crudelitatem frumentariorum. Audi nunc supplicia, quibus tota regio propter ipsos plecti solet. Iurauit DOMINVS per superbiam Iacob: Si oblitus fuero usq̃q̃ in finem omnia opera eorum. Nunquid super isto non commouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius? Vide, obsecro, quantam pernitiem afferant auari & crudeles frumentarij. Non enim unus tantum, aut alter egenus ab ipsis opprimitur, sed inferunt uastitatem in totas regiones, ut à publicis prædonibus, & incendiarijs plane nihil differant. Multa sæpe, & horrenda de mulieribus ueneficis ac incantatricibus spargi solent, q̃ excitent aliquoties incantamentis suis tempestates, quibus fruges uastentur. In harum mulierum catalogo recensendi sunt frumentarij isti mercatores. Ac de ueneficis quidem res ita se habet, quòd nullus aut uir aut mulier tam potens ac tam industrius est, qui queat sua arte aut incantatione ueras in aëre procellas ac tempestates excitare. Nam si hoc concederetur homini pro suo arbitrio, profecto nunquam tuti essemus à tempestatibus. Tanta est in humano corde libido nocendi.

Deuter. 15.

Frugum benedictio propter quid contingat.

Veneficæ mulieres.

Sed Satan, cui est potestas aëris, quemadmodum Paulus ait, uidet uenturas tempestates, ac procellas, quæ sint magnum exitiũ allaturæ. Quare mouet aios eorũ, quos tenet captiuos & sibi addictos, ut susci piant, nescio quas incantationis formulas, quibus peractis, cum oriuntur tempestates, quæ alioqui etiam absque incantationibus uenturæ erant, persuadent sibi penitus, quod ipsorum uiribus excitatę sint. Etsi autem horum persuasio uanissima est, tamen leges iuste puniunt eos, non quod ipsi sint tempestatum autores, sed quod quantum in ipsis est, hoc toto animi desiderio, totisque uiribus suis conantur, ut exitium non uni tantum homini, sed uniuersæ regioni inferant. Nam, qui ita affecti sunt, non iam in hominum, sed in Satanorum numero continentur. Sic etiam sentiendum est de istis frumentarijs mercatoribus. Etsi enim hi non possunt, DOMINO benedictionem suam effundente, annonam duriorem & cariorem efficere. Nam si hæc res in illorum arbitrio & potestate sita esset, nunquam certe non laborandum nobis esset inopia annonæ, tamen cum uident uenturam, affligente DOMINO, caritatem rei frumentariæ, in hoc omne studiũ, omnes cogitationes & conatus suos conferunt, ut quod futurum est, promoueat. Solet enim DOMINVS aliquoties luxum, crapulam, helluationes, ignauiam, & insolentiam uulgi publica fame, & inopia rerum punire. Nam cum iuxta Ecclesiasticum scriptorem exigatur à nobis, ut in tempore abundantiæ memineri mus paupertatis, & in die diuitiarum, necessitatis, hi potius mores nostri sunt, ut in ubertate & uilitate rerum, ducamus securissimam uitam, & totos dies ac noctes in conuiuijs, & compotationibus ignauissimi transigamus. Quare immittit DOMINVS supplitium famis & penuriæ, ut tantam morum licentiam compescat, & nos ad pœnitentiam ducat. Cum autem Satan animaduertit iram Dei, & intelligit Deum supplitia in homines immissurum, tanta lætitia gestit, ut teneri non possit, quin se in organon inferendi supplitij offerat. Tam inuidus enim & tam maleuolus spiritus est, ut non nisi exitia & internitiones hominum meditetur. Postquam uero impetrauit, ut sit organon supplitij, non obambulat ipse uisibilis inter homines, fœdior enim & turpior est, quàm ut audeat sese hominibus conspiciendum proponere, sed insinuat se in auaros istos frumentarios, & abutitur opera eorum, ad perficiendum id, quod instituit. Quare, si recte definire uolueris frumentarios istos mercatores, non sunt nisi organa & mancipia Satanæ, quibus totæ regiones excarnificãtur. Quid aũt scelestius, quid abominabilius est, cũ esse Satanę, tã crudelis tyranni mancipiũ? Quãta itẽ pœna dignus est, qui sua

Exo 22. & in ll. duode cim tabularũ

Ecclesiastici 18.

Famem cur deus imittat.

qui sua opera impietatem & crudelitatem Satanæ adiuuat? Manifestum quidem est, quod ut nec Satan, ita nec frumentarius possint pro sua libidine publicam famem & penuriam in regionem aut ciuitatem inuehere, sed hæc demum est magna & merito damnanda crudelitas, quod quæ Deus supplitia immittit, salutem hominum, ijs Satan & frumentarius mercator abutuntur ad hominum pernitiem & internitionem. Et quemadmodum Deus iratus quondam Iudæis tradidit eos affligendos Babylonijs, ut supplitio admoniti, seruarentur, Babylonij autem cogitauerunt exitium & perditionem eorum. Iratus sum, inquit, super populum meum, contaminaui hereditatem meam, & dedi eos in manu tua. Non posuisti eis misericordias. Super senem aggrauasti iugum tuum. Et iterum. Zelatus sum Hierusalem & Zion zelo magno, & ira magna ego irascor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parum, ipsi uero adiurauerunt in malum, ita & Deus irasci ac succensere solet uulgo hominum, quod in rerum abundantia abutantur donis suis, ac affligit eos penuria, ut excitati aduersis, pœnitentiam agant & seruentur, frumentarij autem mercatores adiurant in malum, ut propheta loquitur, & meditantur pauperum ac miserorum hominum oppressionem. Quare, cum toto animi desiderio cupiant omnium aliorum hominum interitum, ut ipsi suam uoluptatem expleant ac ditescant, indignissimi sunt, qui in hominum numero percenseantur. Quid, quòd quas opes, quas diuitias frumentarij isti pollicentur sibi, eas mercaturis & nondinationibus suis haud quaquam consequuntur. His enim moribus, imò his crudelitatibus non fiunt ditiores sed pauperiores. Qui abscondit, inquit Salomon, frumenta, maledicetur in populis. Benedictio autem super caput uendentis. Si is maledicitur, qui non exponit in publica inopia frumentum uenale, quid illi contingat, qui non solum non exponit uenale, quod habet, sed etiam coemit alia, ut prætium augeat? Nec quis blandiatur sibi, quod maledici homines peccent, sed timeat potius, quod miserorum clamor non sit uanus. Pauper est, inquit lex, & sustentat ex eo animam suam, ne clamet contra te ad DOMINVM, & reputetur tibi in peccatum. Quæso autem te, quæ potest esse huius quæstus benedictio, cui & Deus & homines maledicunt? Dicit & alias Salomon. Qui calumniatur pauperem, ut augeat diuitias suas, dabit ipse ditiori & egebit. Calumniatur autem pauperem, non impostor tantum, sed etiam frumentarius, qui coaceruat frumenta quantouis prætio, ut ea pluris uendat. Non auget igitur diuitias suas hac nondinatione, sed potius conijcit se in egestatem. Nam, quæ impia

Esaiæ. 47.

Zacha. 1.

Prouer. 11.

Deu. 24.

mercatura acquiruntur, ea non dantur à Deo de cœlo, ſed dantur à Satana ex inferno. Quæ autem à Satana dantur, maximo conſtant prætio. Satan enim eiuſmodi mercator eſt, qui non ſit contentus uili quadam pro mercibus ſuis retributione, ſed exigit una cum corpore, & animam ad perpetuum interitum. Quare nondinatio illa frumentariorum, non eſt uera parandarum opum ratio, ſed potius compendium ad ſummam inopiam. Quod ſi omnino libet ſuſcipere ſtudium accumulandarum diuitiarum, cur non magis ſectaris eam rationem, quæ diuinitus demonſtrata eſt, quàm eam quæ à Satana excogitatur? Et quæ nam eſt illa, inquies. Alij diuidunt propria, ait Salomon, & ditiores fiunt. Alij rapiunt non ſua & ſemper in egeſtate ſunt. Anima quæ benedicit, inpinguabitur, & qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur. Cum his γνώμαις conuenit & illud, quod Chriſtus ait: Date & dabitur uobis. Menſuram bonam & confertam & concuſſam, atq; exundantem dabunt in ſinum ueſtrum. Eadem quippe menſura, qua metimini, metientur alij uobis. Vides rectā & compendiariam uiam ad parandas diuitias eſſe, non, rapere aliena, ſed diuidere propria, non, coaceruare ſibi frumenta, ſed dare indigentibus menſuram confertam. An non meminiſti, quid de Iſraelitibus colligentibus Manna ſcriptum ſit? Collegerunt, inquit ſcriptura, alius plus alius minus, & menſi ſunt ad menſuram Gomor, Nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus, ſed ſinguli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt. Hoc ad noſtri doctrinam ſcriptum eſt, ut ſciamus, quod etſi multos congregamus opes, nihil tamen præter ea quæ nobis neceſſaria ſunt reportabimus, quæ & nobis diuinitus, etiam ſine magnis opibus, dantur, ſi modo in uocatione Dei ambulauerimus. Sequitur in eadem hiſtoria. Moſes dixit ad Iſraelitas. Nullus relinquat ex eo in mane. Qui non audierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis uſque mane, & ſcatere cœpit uermibus, atque computruit. Eſt & hoc ſcriptum in noſtri doctrinam. Quæcunque enim reponuntur contra mandatum Dei, ea ſunt coram Deo maledicta. Reponuntur autem aduerſus Deum ea frumenta, quæ à frumentarijs in caritate annonæ coemuntur, ut prætium augeatur. Quid igitur reliquum eſt, quàm ut debeant ſcatere uermibus & computreſcere? id quod proculdubio fiet, ſi non in oculis hominum, certe in oculis DOMINI Dei noſtri, ac omnium ſanctorum eius. Quæ cum ita ſe habeant, caueamus, amiciſſimi, ab impijs iſtis nondinationibus, reuocemus in memoriam has frumentariorum mercaturas non eſſe uulgaria furta, ſed ſacrilegia, ac latrocinia, & afferre ſecum omnem maledictionem.

Satanæ mercatura.

Diuitiarum congregandarum uera ratio.

onem. Vna est hominum, præsertim Christianorum, societas, qui inter se coniuncti sunt non carnali tantum sed & spirituali fœdere. Vnus DOMINVS, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium, addo etiam, unum regnum cœlorum. In quo certe conueniendum nobis est, si ad ueram fœlicitatem adspiramus. Cum igitur in uno regno cœlorum nobis cohabitandum sit, agite dilectissimi, non extrudamus nos inuicem his nondinationibus, regno terræ, sed exerceamus caritatem & unitatem, ut his in hac terra assueti, recta ad regnum cœli pergamus, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXXII.

VPEriori dominica die exposuimus frumentarijs mercatoribus magnitudinem & grauitatem peccati sui, quod in publica frumentarię rei inopia designare solent. Exposuimus autem hoc, non ut excitaremus uirulenta aliorum maledicta & conuitia, sed ut frumentarij, agnito peccato suo, resipiscerẽt in Iesu Christo, ac conferrent operam suam ad iuuandam humanam societatem. Huc enim uocat eos non solum lex naturalis, uerũ etiam caritas Dei, quam exhibuit erga nos per Iesum Christum DOMINVM nostrum. De quo argumento, quia satis, quantũ ad hoc tempus attinet, dixisse uidemur, recipiemus nos ad eam Ioannis Baptistæ contionem explicandam, e' qua occasionem dicendi de frumentarijs sumpsimus. Baptista enim sæpe nunc, ac multum negauit se esse Christum. Nulli, inquiens, licet sibi arrogare eam maiestatem, quæ non est ipsi diuinitus data. Mihi autem nequaq̃ datum est, ut ego sim Christus. Quare nunquam impetrabitis a' me, ut mihi pro uestra libidine sumam maiestatem Christi. Amabimus ergo te, dic nobis, quis est uerus ille Christus, quem & patriarchæ & nos tot ætatibus expectauimus? Sed quid adhuc dubitamus? An non supra de Iesu Nazareno, filio Mariæ uirginis dixit Baptista: Ecce agnus ille dei, qui tollit peccatum mundi. Hic est de quo dicebam, Post me uenit uir, qui me antecessit. Quare si credimus (Quis autem tam sancto testi non crederet?) testimonio Ioannis Baptistæ, non est nobis alius Christus agnoscendus, præterquam solus IESVS filius Mariæ, quem Nazarenum uocauerunt. Sed quo lo-

annes Baptista maiestatem Iesu Christi clarius explicet, instituit enco
mium eius, & confert eum, non tam cum ipso, q̃ cum omnibus alijs
,, hominibus. Qui habet sponsam, inquiens, sponsus est, amicus autem
,, sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter uocem sponsi.
,, Hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me
,, uero minui. Hæc est collatio Iesu Christi, cum Ioanne Baptista, imo
cum omnibus prophetis & Apostolis. Ego, inquit, non sum sponsus
Ecclesiæ, sed sum amicus tantum sponsi. Is autem Iesus Nazarenus, ue
rus est sponsus, propterea q̃ soli ipsi copulata & legitimo ac diuino
matrimonio coniuncta est Ecclesia Dei. Hic initio non est oscitanter
pretereundũ, q̃ Ioannes tribuat Iesu Christo epitheton Sponsi. Qui
sponsam habet, inquiens, sponsus est. Hoc epitheton non est Ioanni
in bucca natum, sed est acceptum è sacra scriptura, & dictatum à spiri
tu sancto. In principio conditionis huius mũdi, postq̃ Deus creasset,
ac ornasset cœlum & terram, & posuisset hominem maximis ac pluri
mis diuinis dotibus excultum in Paradisum, ac subiecisset ei omnia
animantia, unum tamen, ac precipuum deerat ad huc homini ad suam
fœlicitatem. Adæ, inquit scriptura, non inueniebatur adiutor similis
ei. Et Deus ipse, Non est bonum, inqt, homini esse solum, faciamus
ei adiutorium simile sui. Itaq̃ Deus fecit ex costa Adæ mulierem, &
tradidit eam uiro, tam firmo connubio, ut Adam ipse spiritu sancto
excitatus de muliere diceret, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de
carne mea. Hæc uocabitur VIRGO, quoniam de VIRO sump
ta est. In his autem nuptijs & hoc Adæ oraculo, spiritus sanctus non
respicit tantum in externam illam Adæ & mulieris suæ coniunctio
nem, sed maxime omnium respicit in admirabilem illam & ineffa
bilem coniunctionem, quæ est inter filium Dei, & Ecclesiam eius.
Mysterium hoc magnum est, inquit Paulus, uerum ego loquor de
Christo & Ecclesia. Ex his perspicuum est, quod Christus ab initio
orbis terræ dictus sit sponsus Ecclesiæ suæ, & quod solennes ac le
gitimæ uiri & mulieris nuptiæ in hoc seculo sint adumbratio ueri
illius & perpetui connubij, quod est inter Christum & Ecclesi
am eius. Huc accedit, quod & Christus ipse confert regnum cœlo
rum, hoc est, Euangelicum negotium, cum nuptijs. Simile, inqui
ens, est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.
In psalmo dicitur. Astitit regina à dextris tuis, in uestitu deaurato,
circumdata uarietate. Si regina sponsa est à dextris Christi, certe Chri
stus ipse sponsus erit. In propheta Hosea dicit Christus, nondum
homo factus, ad Ecclesiam suam. Sponsabo te mihi in sempiternum,
& sponsabo te mihi in iustitia & iuditio, & in misericordia &
in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego

Sponsus Ecclesiæ Christus.

Coniugium Christi & Ecclesiæ.

DOMI-

DOMINVS. An non in hoc loco Christus manifeste uocatur Sponsus? Quod autem epitheton tribuit sibi Christus, nondum homo factus, hoc idem sumit sibi homine iam assumpto. Num possunt, inquiens, filij sponsi lugere, quãdiu cum illis est sponsus? Quare, cum Ioannes Baptista uocet Christum sponsum, uox est, non humanæ carnis, sed spiritus sancti. Nec ullus est hominum, cui uocabulum sponsi aptius competat, quàm Iesu Christo DOMINO nostro. In contrahendo enim connubio, & seruanda fide sponsalitia, nemo est ipso æquior, iustior, & constantior. Primum enim, sponsa accipienda est, non propter diuitias, sed ex ingenuo & liberali amore, iuxta diuinam ordinationem. Hanc sponsaliorum conditionem homines frequenter uiolare solent. Alius enim accipit sponsam propter pecuniã, quam ipsa possidet, qua si careret, ne per transennam quidem aspiceret eam. Hoc uerius diceretur, ducere pecuniam, quam ducere uxorem. Alius spondet mulieri connubium contra diuinas & ordinarias leges, id quod facere solent impij & scelerati adolescentes, qui cõtemptis parẽtibis suis, in quorum potestate adhuc sunt, & à quibus magna cura educati sunt, promittunt, quibus libet, nullo plane iuditio, fidem coniugij, Christus autem filius Dei, obseruauit in accipienda sponsa sua, hanc legitimam sponsaliorum conditionem iustissime. Sponsa enim Christi filij Dei, est Ecclesia, hoc est, selecta congregatio eorum hominum, qui in Christũ credunt. Quæso igitur te, quid illud est, propter quod filius Dei duxit Ecclesiam in uxorem? num habuit aliquam rationem diuitiarum eius? At nihil fuit spoliatius, nihil egentius Ecclesia. Adde etiam, nihil turpius ac fœdius. Nullam enim habuit iustitiam, nullam uitam, nullam fœlicitatem. Nam homines concipiunt & nascuntur in peccato, & sunt natura filij irę atq; mancipia Satanæ. Non iustificatur, inquit, in conspectu tuo omnis uiuens. Et proprer unum hominem introijt peccatum in mundum, ac per peccatum, mors, & sic in omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauimus. Quid autem egentius homine morti, ac per mortem perpetuę damnationi exposito? Quid fœdius homine non nisi peccatum habente, hoc est, Satanæ simili? Eratis, inquit Paulus, scortatores, cultores simulacrorum, adulteri, molles, masculorum concubitores, fures, auari, ebriosi, maledici, rapaces. Quid hac forma turpius? quid abominabilius? Hęc certe est imago Satanę. Et tamen Christus filius Dei accepit sibi Ecclesiam tam deformem, tam egentem in uxorem. Accepit autem eam, quia uoluit obedire cœlesti patri suo, cui uisum est, ut filius iungeret sibi Ecclesiam connubio. & quia etiam amauit Ecclesiam, ex mera sua gratia, cle-

Ecclesia, sponsa Christi.

mentia, & bonitate. Hęc est admirabilis obedientia filij erga patrem. Hic est inexplicabilis amor tam opulenti & speciosi spōsi erga tam egentem, & fœdam sponsam. Quare nulli hominum ęquius conuenit nomen ueri sponsi, cū domino nostro Iesu Christo. Deinde natura legitimi coniugij exigit, ut marito bona sua coīa sint cum uxore. Ac in ciuilibus quidem nuptiarum contractibus, sua solent esse pacta, quibus aliquoties uir, aliquoties mulier quędam de bonis suis è cōmuni eximit, Christus autem, in hoc contractu, quo iungit sibi Ecclesiam, confert in commune omnia sua bona. Possidet enim Christus perfectam & absolutam iustitiam. Hanc ita donat sponsæ suę, Ecclesię, ut possit ac debeat ea coram iuditio Dei uti & gloriari, perinde ac si ipsa perfecisset & absoluisset eam suis operibus. Possidet etiam Christus uictoriam mortis. Resurrexit enim à mortuis, & uicit mortem. Donat & hoc benefitium Ecclesiæ, ut propter Christum possit uincere mortem, & euadere omnia mortis pericula. Possidet prętterea Christus uitam & fœlicitatem sempiternam. Hanc non sibi tantum retinet, sed uult ea unà cum Ecclesia sua perpetuo frui. Quę igitur nuptię sunt magis legitimæ, cū hæ, quibus Christus cum Ecclesia sua coniunctus est? Huc accedit, quod officium sponsi seu mariti est, defendere sponsam suam in omnibus periculis, & tueri etiam morte sua salutem sponsę. Solet quidem inter homines accidere, cū aliquoties sponsus, pœnitentia ductus, fugiat, & derelinquat sponsam suam. At Christus intantum dilexit Ecclesiā suam, ut redemerit eam etiam morte sua, Christus, inquit Paulus, exposuit semetipsum pro Ecclesia, ut illam sanctificaret mundatam lauacro aquę per uerbum. Quare Christus optimo iure nomen ueri sponsi reportat. Postremo, in hominum coniugijs sępenumero fieri solet, ut si alter coniugum fidem suam uiolat, alter existimet se à fide sua, quam antea obligauerat, solutum, & quęrat repudium, Christus autem tanta constantia fidem coniugij seruat, ut etiam si sponsa sua uiolauerit fidem, tamen si reuertitur, recipiat eam bene uolentissime. In Ieremia ait. Vulgo dicitur. Si dimiserit uir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit uirum alterum, nunquid reuertetur ad eam ultra? Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu aūt fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit DOMINVS, & ego suscipiam te. Quis igitur non tribuat Iesu Christo domino nostro epitheton optimi & humanissimi sponsi? Hæc autem recitantur nobis, non ut sciamus tantum, nec ut abutamur ad impietatem, sed ut excitemur ad ueram fidem, & obedientiam. Alius enim, ingrauescente rerum inopia, aut terrore mortis, sollicitatur ad desperationem, ac putat se à Deo derelictum. Sed is debet fidē suam confirmare consideratione harum nuptiarum, quæ sunt inter

Cōmunitas bonorum in coniugio.

Iere. 3.

Christum

Christum & Ecclesiam. Singuli enim credentes in Christum, singula sunt membra Ecclesiæ, quæ est sponsa Christi. Quare, qui in Christum credit, etiamsi premitur inopia aut morte, tamen fieri non potest, quin iure nuptiarum diuinitus conseruetur. Alius sollicitatur ad sectandam peregrinam religionis doctrinam, & ad designanda peccata aduersus uerbum Dei. Sed is debet cogitatione harũ nuptiarum prauis illis animi affectibus obsistere. Vnusquisq; meminerit, quã fidem ipse ut sponsa, debeat Christo sponso suo. Etsi em̃ Christus tam misericors est, ut recipiat reuertentes, tamen Deus non est tentandus preuaricatione, nec est ad iracundiam prouocandus ingratitudine. Vide enim mihi, q̃ horrendum scelus designet is, qui derelicta uera doctrina Christi, sectatur aliam doctrinam, aut qui contempto uerbo Dei, sectatur scelera pro animi sui libidine. Nam cum esset non solum peccatis turpissimus ac fœdissimus, sed etiam Satanæ, morti, ac inferno obnoxius, redemit eum Christus, & reddidit ipsum iustitia sua formosissimum, adeoq; recepit ipsum, in sponsam suam. Quo beneficio nihil potest maius excogitari. Quanta igitur hæc est ingratitudo, quantus hic est furor, si tu derelicto tam excellenti sponso, adhæreas peregrinis doctrinis, & sceleratis facinoribus, turpissimis nimirum, & fœdissimis amatoribus, qui te in certissimum exitium abducant? Reuertar, inquis, ad priorem maritum, postq̃ uoluntatem meam expleuero. Non dubitandum quidem, quin Christus reuertentem recipiat, sed quid si reuerti non queas? quid si Satan te abducat, priusq̃ reuersus fueris? Noli igitur tentare Deum ingratitudine & inobedientia, sed perseuera constanter in seruanda fide coniugij, ut & bonis tã cœlestis ac diuini coniugij fruaris. Nec hoc silentio pretereũdum est, q̃ cogitatione nuptiarum Christi & Ecclesiæ admoneantur coniuges de honestate & pudicitia in suo uitæ genere. Nam coniugium ipsorum, adumbratio est cœlestis illius coniugij inter Christum & Ecclesiam. Nihil autem est honestius, nihil est magis pudicum Christo sponso. Hanc Christi honestatem & pudicitiam contaminant & sordidant hi, qui coniugium suum uel adulterijs uel scortationibus, uel alijs fœditatibus, & illegitimis actionibus turpificant. Quare coniuges meminisse debent, se coniugio suo cœlestes nuptias adumbrare, ut honestam uitam, iuxta piorum coniugum uocationem ducant. Habes quid sit Iesus Christus, uidelicet uerus ac cœlestis sponsus Ecclesiæ. Videamus nunc quid sit Ioannes Baptista, imo quid sint prophetæ, apostoli, & omnes hi, qui in Ecclesia principem locum obtinere uidentur, Diximus enim supra, quod in hac contione fiat collatio Christi & Ioannis Baptistæ ac omnium collegarum eius. Qui habet sponsam, inq̃t, sponsus est. Amicus autem spon-

ſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter uocem ſponſi. Solus Ieſus Chriſtus eſt uerus ac legitimus ſponſus. Quid ergo eſt Ioannes Baptiſta? Quid Eſaias? Quid Petrus? Quid Paulus? Non ſunt ipſi ſponſi, ſed amici ſponſi. Inuenias quidem multos, quorum alij manifeſta impudentia, alij ſimulata amicitia conantur Chriſtum ſponſum è ſuo loco deturbare, & ſponſam ſuam abducere. Thalmud Iudæorum & Mahumetes Saracenorum negant manifeſte Ieſum Chriſtum ſeruatorem, hoc eſt, uerum ac cœleſtem Eccleſiæ ſponſum, ac promittunt ſectatoribus ſuis ueram fœlicitatem. Hoc eſt Chriſto uelle ſponſam rapere ac uitiare. Hæretici ſimulant amicitiam cum Chriſto, ſed hac ſimulatione conantur ſponſam ad ſe allicere, ut derelicto ſponſo Chriſto, & uera ac certa Euangelij eius doctrina, ſua ſectetur commẽta. Romani Pontifices non ſolum ſimulant amicitiam cum Chriſto, uerumetiam gloriantur ſe eſſe uicarios Chriſti. Itaq; exiſtimant ſibi licere ſponſam Chriſti tractare pro ſua ipſorum libidine. Hinc eſt impudentiſſima & nefaria illa iactantia de ſua autoritate, q; etſi Pontifices deprehenduntur tã negligentes publicę ſalutis, ut innumerabiles populos caternatim (hęc em̃ ſunt uerba huius beſtię) ſecum ducerent primo mancipio Gehennæ, cum ipſo plagis multis inæternum uapulaturi, culpas tamen eorum redarguere nullus mortalium præſumat: Quid eſt ſponſam Chriſti fraudulenter rapere, & impudenter uitiare, ſi hoc non eſt? Simulant & monachi & ſacrificuli ſe eſſe amicos Chriſti, ſed ſi inſtitutum eorum diligenter expendas, hoc agunt, non ut ſponſam ad Chriſtum adducant, ſed ut eam à Chriſto abducant, & ipſam impuriſſime tractent. Docent enim, q; peccata expientur meritis humanæ iuſtitiæ, & quod cõtingat nobis cœleſtis hæreditas propter merita noſtrorum operum. Hoc certe eſt docere adulteria ſpiritualia, & qui hanc doctrinam ſequitur, is uiolat fidem coniugij, quã dedit Chriſto ſponſo ſuo. Solus enim Ieſus Chriſtus eſt expiator peccatorum, & ſolo merito Chriſti contingit nobis cœleſtis hæreditas, per fidem. Quare ut monachi & ſacrificuli ſunt doctores adulterij, ita qui doctrinam eorum accipiunt, deficiunt à caſtitate cõiugij Chriſti, & ſequuntur adulteros, ad perpetuum interitum. Ioannes autem Baptiſta, Prophetæ, Apoſtoli, & quotquot Propheticam & Apoſtolicam doctrinam de Ieſu Chriſto ſectantur, ſunt ueri & ſynceri amici ſponſi. Ac quantum quidem attinet ad renaſcentiam eorum in Chriſto, ſunt & ipſi pars ſponſæ, quia ſunt membra Eccleſiæ. Quantum autem attinet ad miniſteria ipſorum, dicuntur amici ſponſi. Porro, amicorum ſponſi offitium eſt, primum, non ut ſibi, ſed ut uero ac legitimo ſponſo adiungant ſponſam. Amici non debent eſſe νύμφιοι, ſed paranymphi. Non debent eſſe ſponſus ipſe, ſed pronubi & copulatores,

Apoſtoli & Prophetæ, amici ſponſi.

Diſt. 40. c. Si papa.

latores, quos ſic uocāt, ſponſi cum ſponſa. Nam ea eſt conditio Chriſti ſponſi, ut quantum quidem ad externam faciem eius attinet, uideatur indigere opera & diligentia pronuborum atque copulatorum. Etſi enim Chriſtus natura ſua ſpecioſus eſt forma præ filijs hominum, tamen ſi crucem eius inſpicias, non eſt ſpecies ei neque decor. Vidimus eum, inquit Eſaias, ſed nulla erat forma, quæ redderet eum nobis deſiderabilem. Deſpectus, & nouiſſimus uirorum, plenus doloribus & infirmitatibus. Adeo contemptus, ut auerterentur uultus ab eo. Quæ autem uirgo, quæ mulier nuberet uiro tam deformi? Adhæc, etſi cœlum ſedes Chriſti eſt, & terra ſcabellum pedum eius, ac dominatur à mari uſque ad mare, tamen apparet coram hoc mundo tanta paupertate & inopia preſſus, ut nec habeat, quo reclinet caput ſuum. Quæ autem ſponſa tam indigenti uiro delectaretur? Quare neceſſarium eſt, ut amici ſint prudentes ac diligentes pronubi, qui ueram pulchritudinem diuitias & maieſtatem Chriſti ſponſi ita uere & perſpicue explicent atque commendent, ut ſponſa, nihil externa deformitate ac paupertate Chriſti deterrita, facilem præbeat ad has nuptias conſenſum. Talis pronubus & copulator fuit Ioannes Baptiſta, q̃ certe hoc unū egit, ut à ſe, diſcipulos ſuos, ad Chriſtū ableget, hoc eſt, ut ſponſam cum uero ſuo ſponſo coniungat. Talis copulator fuit Petrus, ex cuius prima contione in die Pentecoſtes ter mille homines agnouerunt Chriſtum, hoc eſt, tradiderunt ſe in connubium cum Chriſto. Talis copulator fuit & Paulus, qui circumtulit Euangelion Chriſti, ab Hieruſalem, & in circumiacentibus regionibus, uſque ad Illyricum. Tales copulatores debent etiam parentes eſſe, ut inſtitutione & eruditione ſua coniungant liberos ſuos cum Chriſto. Ad hanc copulationem debet & magiſtratus ciuilis operam ſuam conferre, uidelicet, ut curet, quo pia doctrina in Eccleſia tradatur. Per piam enim doctrinam ſolet fieri copulatio Chriſti & Eccleſiæ ſuæ. Deinde amicorum ſponſi offitium eſt, non ut quam ſponſam cum ſponſo coniunxerunt, rapiant, & pro ſua cupiditate abutantur, ſed ut quantum in ipſis eſt, cuſtodiant caſtitatem ſponſæ, & congratulentur ex animo de ſalute & proſpero ſucceſſu coniugum. Amicus ſponſi (inquit Ioannes) qui ſtat & audit eū, gaudio gaudet propter uocem ſponſi. Sic & meum gaudium impletum eſt, hoc eſt, gaudeo nunc ex animo, quod intelligam nuptias inter Chriſtum & Eccleſiam promouere. Vos enim adnuntiaſtis mihi, quòd Ieſus baptiſet, & omnes ueniant ad eum. Ac ſperaſtis quidem, quòd ego hoc nuntio exciter ad ſuſcipiendum bellum cum Ieſu, ſed tantum abeſt, ut fœlicitatem eius dolenter feram, ut ea potius maximo me gaudio afficiat. Hoc enim offitium meum eſt, & hoc hactenus egi, non ut ego creſcam, & ille minuatur,

Chriſtus formoſus, & deformis.

ſed ut ego minuar & ille creſcat. Meum eſt tantum miniſterium, illius eſt magiſterium. Mea eſt obedientia, illius eſt autoritas, mea eſt ſeruitus, illius eſt dominatio, mea eſt humilitas, illius eſt maieſtas. Quare res tunc recte procedit, cum ex meo miniſterio, & ſeruitute, dominatio & maieſtas illius illuſtratur. Porro hæc uox, Illum oportet creſcere, me autem minui, uox eſt non ſolius Ioannis Baptiſtæ, ſed etiam Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, adeoque omnium piorum. Omnes enim ſciunt & fatentur, quòd in ſe non habeant, niſi peccatum & internitionem, in ſolo autem Chriſto ſit iuſtitia & ſalus. Quare ſiue uiuunt adhuc in hac terra, hoc unum curant, ut agnita ſua infamia, promoueat gloria Chriſti, ſiue dormiunt in Chriſto, ſentiunt omnem ſalutis gloriam ſoli Chriſto deferendam eſſe. Itaque, ſi inuocentur tanquam dij auxiliares, mox ſeuero uultu nos aſpiciunt, & ad ſolum Chriſtum remittunt, & unuſquiſq; eorum recitat nobis tacito mentis ſermone hanc uocem: Illum oportet creſcere, me autem minui. Quod ſi nomine ipſorum inſtituantur ſacra & peregrinationes, hic iterum occinunt nobis hanc Ioannis cantilenam, Illum oportet creſcere, me autem minui. Sicut enim omnes Prophetę, ita & omnes Apoſtoli ac pij teſtimonium ferunt Chriſto, quòd quiſquis in ipſum credit, accipiat remiſſionem peccatorum & ſalutem per nomen eius. Quare hortantur, monent, inſtant, urgent, ut omnem fiduciam iuſtitiæ ac ſalutis noſtræ, in ſolo Ieſu Chriſto, uero ac legitimo Eccleſiæ ſuæ ſponſo, collocemus. Sequitur alia collatio Chriſti, & Ioannis Baptiſtæ, atque adeo omnium aliorum hominum. Qui è ſupernis uenit, ſupra omnes eſt. Qui eſt è terra, terrenus eſt, & è terra loquitur. Qui è cœlo uenit, ſupra omnes eſt, & quod uidit & audiuit, hoc teſtatur. Ioannes Baptiſta tribuit antea Ieſu Chriſto cognomen Sponſi, ſibi autem & collegis ſuis, Prophetis ac Apoſtolis tribuit cognomen amici ſponſi. Quare ne quis exiſtimet, quòd cum homines dicantur amici Chriſti, tanta ſit propinquitatis coniunctio inter Chriſtum & alios homines, ut habeant eandem originem, inſtituit nunc Ioannes aliam collationem, qua laudat & commendat Ieſum Chriſtum, à ſtirpe & origine ſua. Et quia amicorum ſponſi offitium eſt, ut gloria & prædicatione efferant ſponſum, quo libentius ſponſa ſeſe cum ipſo coniungat, ideo Ioannes ſtatim magnis laudibus celebrat Ieſum Chriſtum. Porro, in iungendis connubijs, præcipue conſiderari ſolet genus aut proſapia ſponſi. Quo enim altiori loco natus eſt, eo maiori uoluntate collocatur ei ſponſa. Audi ergo, quàm alto loco natus ſit Ieſus Chriſtus. Qui è ſupernis (inquit) uenit, ſupra omnes eſt. Ieſus Chriſtus, qui nobis à Ioanne pro ſponſo

Chriſti genus è ſupernis.

pro sponso commendatur, non uenit ex infernis, sed è supernis, non uenit è terra, sed è cœlo. Solent & principes huius seculi audire, Altissimo loco nati, ac ducunt quidem genus suum, è nobilissimis familijs, attamen quia descendunt ab Adamo, sunt & ipsi è terra, quemadmodum alij homines. Iesus autem Christus ducit genus suum non è terra, sed è cœlo. Quo loco quis est altior? Natus quidem est homo ex Maria uirgine, in terris, sed nõ est è terra. Primum enim, quod ad diuinitatem eius attinet, natus est ab æterno, uerus Deus, de uero Deo patre suo. Deinde, quod ad humanitatem eius attinet, non est conceptus ex humano semine, quemadmodum alij homines, sed est conceptus de spiritu sancto. Hoc uere est uenire è supernis, & altissimo loco natum esse. Conferamus nunc cũ Christo alios hoies, & manifeste uidebimus, quanta sit inter ipsos dissimilitudo, & q̃ lõge distet doctrina Christi, à doctrina hominum. Primum enim, etsi Deus format humanum corpus, & inspirat ei animam, nihilominus tamen omnes homines sunt è terra, & non è cœlo, Nam è terra esse hoc loco, est ex terreno Adamo originem suam ducere, ac in peccato concipi & nasci. Tales autem sunt omnes homines. Concipiuntur & nascuntur in peccato. Per unius delictum, inquit Paulus, propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem. Deinde, homines, etsi alius alijs uirtutibus ornatus est, tamen non sunt natura dij, sed homines tantum. Vide ergo mihi quanta sit distantia Iesu Christi & aliorum hominum. Omnes enim alij homines, natura sua tantum sunt homines, & non dij. Iesus autem Christus non est tantum homo, sed etiam uerus Deus natura. Adhæc, Omnes alij homines concipiuntur & nascuntur in peccato. Iesus autem Christus, cum ab æterno natus esset Deus, postea in plenitudine temporis conceptus est de spiritu sancto, & natus est homo, ex Maria uirgine. Quare, origine & dignitate personæ suæ superat & excellit omnes homines. Porro, quemadmodum superat omnes homines personæ suæ maiestate, ita etiam superat doctrinam omnium hominum, doctrinę suę ueritate. Testatur enim, & docet, quod uidit & audiuit, hoc est, certissima & uerissima. Cum enim sit æternus filius Dei patris sui, fieri non potest, quin ab æterno cognouerit, quæ sint uera, certa, firma, & perpetuo salutaria. Quare sola huius doctrina sectanda est. Homines autem, quia sunt è terra, loquuntur etiam & docent è terra. Habent quidem mentem, habent rationem, qua naturaliter cognoscunt aliquid de Deo, sed quia sunt obruti peccato originali, ut non habent perfectam cognitionem Dei, ita quicquid adhuc cognitionis de Deo reliquum est, solet ingrauescente tentatione & seuero Dei iuditio excuti. Nam cum homo

Christus in terra homo natus, sed nõ est è terra.

E terra esse, quid sit.

natura sua priuatus sit spiritu sancto propter peccatum, manifestum est, quòd humana ratio, quæ natura sua caret spiritu sancto, non habenda sit amplius res cœlestis, sed facta sit, uel caro, sicut Christus supra dixit, uel terra, sicut Ioannes hoc loco ait. Quare, quod homines testantur, loquuntur aut docent, è terra est, hoc est, incertum, inconstans, uarium, mutabile, ac nullam prorsus ueram & perpetuam salutem afferens. Quid audio? inquies. Est ne è terra, hoc est, uanum & incertum, quicquid homines loquuntur & docent? Quid ergo dicendum erit de ipsa Ioannis doctrina? An non docuit baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, qui certe baptismus, & quæ doctrina, non fuit è terra, sed è cœlo? An non testificatus est de Iesu, quòd sit agnus Dei, qui tollit peccatum mundi? Hoc certe testimonium non est è terra. Nonne & ante Ioannem, Esaias & alij prophetæ locuti sunt certissima & diuinissima de Christo? Quid Apostoli? num dicemus doctrinam Euangelij eorum de Iesu Christo esse è terra? Hic considera mihi, quod cum Ioannes confert testimonium seu doctrinam Iesu Christi, cum doctrina omnium aliorum hominum, non intelligat in hominibus, eam doctrinam, quam singulari reuelatione Dei acceperunt, sed eam, cuius cognitionem natura sua habent. Hæc enim est hominum conditio, primum, quod natura sua habeant quandam cognitionem rerum politicarum, quæ cognitio suam habet laudem & usum in hac externa hominum uita. Deinde, quod habeant etiam natura sua quandam cognitionem rerum spiritualium & diuinarum, de qua Paulus ait. Quod de Deo cognosci potest, manifestum est illis. Sed nulla harum cognitionum affert homini salutem. Altera enim utilis tantum est ad uitam ciuilem. Altera iucunda quidem est, sed non constat in ueris & grauibus tentationibus. Quare quicquid homines sic loquuntur & docent, inconstans est, & ad consequendam ueram salutem inutile. Quod autem Ioannes Baptista, quod prophetæ, quod Apostoli, de Christo docuerunt, hoc non cognouerunt natura sua, sed reuelatione spiritus sancti. Nam Ioannes supra dixit. Nec ego noueram eum, sed qui misit me, ut baptisarem aqua, is mihi dixit, super quem uideris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptisat spiritu sancto. Nullum enim aliud est testimonium, nulla alia est doctrina, quæ ueram & perpetuam salutem afferat, præter eam, quam Christus, uel ipse docet, uel reuelat prophetis & Apostolis suis. Reliqua omnia testimonia, reliquæ omnes doctrinæ, quantumcunque cœlestes & diuinæ uideantur, sunt è terra, nec possunt quemquam in cœlum perducere. Quare, cum de uera & perpetua nostra salute agitur, fugiendę sunt

Ratio humana facta est caro & terra.

dæ sunt omnes humanæ doctrinæ, amplectenda autem sola doctrina Iesu Christi, ut recte eruditi, ac fide renouati, & confirmati, in uocatione Dei ambulemus & cœlestem fœlicitatem consequamur, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXXIII.

QVOD uidit, (inquit Baptista) & audiuit, hoc testatur. Hęc est insignis cõmendatio doctrinę Christi, à certitudine & ueritate. Nam quod Christus testatur, ac docet, hoc non cognouit ex aliena fama, sed uidit ipse, & audiuit. Quid ergo illud est, quo Christus differt à Patriarchis & Prophetis? An non & Patriarcha Iacob uidit Deum facie ad faciem, & audiuit uocem dei loquentis cum ipso de scala, quæ & testatus est, & docuit suam Ecclesiam? Nonne Moses uidit & audiuit deum recitantem in monte Sinai decalogum, & loquentem ex propitiatorio, quę postea testatus & contionatus est in Ecclesia Israelis? Quid dicemus de Esaia & alijs prophetis, qui & ipsi testati sunt & docuerunt, quæ uiderunt & audiuerunt? Recte. Patriarchæ & Prophetæ testati sunt, quæ uiderunt & audiuerunt, Sed magnum est inter uisionem & auditum Christi ac illorum discrimẽ. Quod enim illi uiderunt & audiuerunt, non fuit natura Deus, aut uerbum Dei, sed uiderunt tantum quædam signa præsentię Dei, & audiuerunt quandam uocem angeli loquentis nomine Dei. Ac docuerunt quidem magna & pręclara de uerbo ac uoluntate dei, nõ aũt docuerunt ea ex natiua sua cognitione, sed ex aliena reuelatione. Quod uero Christus ab ęterno uidit & audiuit, hoc natura est Deus ipse, & quod docuit de uoluntate Dei, hoc docuit ex propria & natiua sua ipsius cognitione, propterea q̃ ipse sit ęternum dei uerbum, & in sinu patris sui. Quare, ut testimonio & doctrina eius nihil est certius, ita humanæ saluti nihil est utilius, ac magis etiam necessarium. Sed hic uide mihi testimonij eius euentum. Testimonium eius (inquit) nemo accipit. Quid potest dici iniquius? Testimonium, seu doctrina Christi, etsi est uerissima, ac certissima, adeoque diuina, tamen nemo accipit eam, nemo adhibet ei fidem. Siccine loqueris Baptista? Quid ergo illud est, quod supra de Andrea, de Petro, de Philippo, de Nathanaele commemoratur? Quid, quod post miraculum mutatæ aquæ in uinum dicitur, Crediderunt in eum discipuli eius? An non pauloante tu ipsius discipuli nuntiauerunt tibi

cp omnes ueniant ad Iesum, quomodo igitur dicis, Nemo testimonium eius accipit? Primum, nemo dicitur tempore Ioannis Baptistę credidisse in Iesum, quia nemo adhuc credebat Iesum esse talem, qualis erat, & qualem Ioannes Baptista testificabatur, qualem etiam Iesus se ipsum doctrina & miraculis suis significabat, uidelicet, uerum Messiam, ac naturalem filium Dei, adeocp Deum ipsum. Habebāt quidem nonnulli Iesum pro magno propheta, sed nondum sentiebant de ipso iuxta suam & Baptistæ prædicationem. Deinde, permittamus sane, cp nonnulli discipuli uere tunc crediderint testimonio seu Euangelio Christi, hi tamen paucissimi adhuc erant, ac præ reliqua turba, penè nulli uidebantur. Veniebat quidem maxima hominum multitudo ad Iesum, cum institueret baptismū & ęderet miracula, sed magna pars ueniebant magis nouitatis, cp ueræ pietatis studio. Nam hæc ferè est fortuna rerum Christi in hoc seculo. Cum ędit miracula, & pascit multa milia hominum in deserto, multos habet assectas. Cum uero capitur & crucifigitur, uix unum inuenias, qui constanti ipsum fide sectetur. Credēdum aūt est in Iesum Christum, non tantum cum est fœlix, & apparet gloriosus, sed etiam cum est infœlix, & apparet humilis atcp contemptus. Qualis enim qualis appareat in oculis huius seculi, semper est unigenitus filius Dei, semper est propitiatio & redemptio nostra. Sed audiamus iam, quantum cultum Deo prestet,
» & quantum fructū accipiat is, qui adhibet fidem doctrinæ eius. Qui
» accepit eius testimonium, is obsignauit, cp Deus uerax sit. Testimonium Iesu accipere, est credere seu fidem adhibere Euangelio, quod Iesus docet. Obsignare autem est assensu & testimonio suo confirmare. Quod ergo Ioannes dicit, hanc habet sententiam. Qui adhibet fidem Euangelio Iesu Christi, is testatur & confirmat sua fide & assensu, quasi sigillo quodam, Deum esse ueracem. Nam quemadmodum honestus uir, qui in cæra publicarum literarum imprimit sigillum annulo suo, testatur & confirmat suo sigillo, ea, quæ in literis continentur, uere ita, ut conscripta sunt, acta esse, ita qui doctrinam Iesu Christi fide accipit, is confirmat fide sua, quasi sigillo & annulo, quod Deus sit uerax, & promissi sui seruans. Deus enim ab initio conditi orbis promisit se missurum filium suum Messiam, qui seruet homines ab interitu, & uindicet ipsos in ueram & cœlestem fœlicitatem, ac quod promisit, hoc tempore etiam impleuit. Messias enim uenit, & docet Euangelion suum, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti, atcp confirmat Euangelion magnis & cœlestibus miraculis. Quare qui accipit Euangelion eius fide, is quasi obsignat annulo fidei suę ueritatē diuinæ promissionis
de Messia,

de Messia, ut recte dixeris unumquemuis credentem Euangelio, esse obsignatorem diuinæ ueritatis. Maximus autem & excellentissimus, deoq; gratissimus cultus est tribuere DOMINO Deo nostro gloriam & laudem ueritatis. In hominibus magnus quidem honor est, si cui alij homines de uia cedunt, & eum maiorem ac superiorem geniculatione sua significant, sed non potest homini maior honor contingere, quàm si habeatur uerax & promissi seruans. Nam quem homines habent ueracem, ei tuto sese salutem suam credere putant, ac libenter se ipsi subijciunt, ita uidetur quidem DOMINO Deo nostro honor præstari, si externis geniculationibus, & manuum in altum eleuationibus significes te agnoscere ipsum DOMINVM Deum tuum, & adorare eum, Sed longe maximus est honor, si iudicaueris Deum esse ueracem & seruantem promissi. Vt enim nihil turpius, nihil fœdius, nihil magis Satanicum est, quàm mendacium, ita nihil honestius, nihil amabilius, nihil diuinius est ueritate. Quare cum is, qui credit Euangelio Iesu Christi, tribuat Deo gloriam & laudem ueritatis, manifestum est, quod fides sit longe omnium maximus & præstantissimus cultus Dei. Quid ergo dicemus? num fides meretur homini credenti uitam æternam, propterea quòd sit maximus cultus Dei? Homo credens, habet quidē uitam æternam, quemadmodum supra dictum est, & paulo post sequitur, non autem habet eam merito fidei, sed tantum merito Christi, qui per solam fidem accipitur. Sicut enim nullus hominum tantum diligit Deum, quantum lex exigit, ita nullus hominum tantum fidei habet, propter carnis imbecillitatem, quantum ueritas uerbi Dei postulat. Cum igitur nostra fides sit imperfectum opus, fieri non potest, ut sit meritum æternæ uitæ. Solus autem Iesus ille Mariæ filius perfectus est, ac propter hunc solum, & in hoc solo accipitur & habetur æterna uita. Audiamus igitur quis sit Iesus, ut intelligamus quomodo uita æterna in ipso habeatur. Nam is, quem misit Deus, uerba Dei loquitur. Ioannes uidetur his uerbis generalem sententiam recitare, sed quia instituit contionem de Iesu, quem discipuli accusauerant, interpretanda etiam sunt hæc uerba proprie de Iesu. Et habent hanc sententiam: Vos estis mihi hortatores, ut suscipiam bellum aduersus Iesum, quem dicitis baptisare, & omnes homines ad ipsum uenire. At si me audieritis, id quod ratio salutis uestræ exigit, non solum non condemnabitis eum, uerum etiam accipietis doctrinam eius, tanquam uerbum Dei, & adhærebitis ei, tanquam seruatori uestro. Iesus enim, quem uos accusastis apud me, is est, qui non uenit temere in hanc terram, sed missus est à Deo. Nec loquitur, aut contionatur

Credentes Euangelio, obsignatores diuinæ ueritatis.

Cultus Dei maximus, credere.

somnia hominis, sed uerba Dei, adeoque si recte iudicare uultis, Iesus, is propheta est, de quo dixit Deus, se positurum uerba sua in ore eius. Ad Mosen enim dicitur: Prophetam suscitabo eis, de medio fratrẽ suorẽ, similem tui, & ponam uerba mea in ore eius, loquetur q̃ ad eos, oĩa quę pręcepero illi. Qui autem uerba mea, quę loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Iesus autem, is propheta est, qui uerba Dei, quæ in ore eius posita sunt, loquitur. Nec Ioannes tm̃ exponit prophetã Mosi promissum, de Iesu, sed etiã Petrus in Actis Apostolicis ca. tertio, & Stephanus cap. septimo, nihilq̃ certius est, q̃ Iesum esse prophetam illum, de quo Deus ad Mosen post promulgationẽ Decalogi contionatur. Postq̃ enim Decalogus promulgatus esset horribili uoce, & maximis terroribus, accessit contio Israelitarum ad Mosen & dixit. Non audiam ultra uocem domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non uidebo, ne moriar. His uerbis fatentur Israelitę se imbecilliores esse, q̃ ut queant implere decalogum, (Non posse em̃ audire uocem Dei, est non posse mandatis eius satisfacere) ideoq̃ significant se esse damnatos, petere autem, ut Deus mittat ipsis seruatorem, per quem & iustificentur (id quod non possint consequi ex decalogo) & è damnatione liberentur. Promittit igitur Deus prophetam, hoc est, Christum, ut qui ipsum audiat, & credat, consequatur propter ipsum iustitiã & salutem. Is autem propheta seu Christus, est Iesus ille, quem uos (inquit Ioannes) contemnitis. Quare, nisi resipueritis & hunc audieritis, manet uos seueriſſima ultio Dei. Sequitur aliud encomium Iesu. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Cum hoc dictum recitetur, quasi esset ἀιτιολογία pręcedentis sententię, & refutatio opinionis discipulorum, uidetur ἐκ μέτρου, quod interpretes transferunt, Ad mensuram, positum esse pro ἐκ διαμέτρου, ut hic sit huius dicti sensus. Deus non dat spiritum suum, ut doceat pugnantia & sibi contraria. Ego Baptista, scio quidem me à Deo missum, & me uerbũ Dei loqui, sed idem ego scio etiam hunc Iesum, quem uos de baptismo & doctrina accusastis, multo magis atq̃ excellentius à Deo missum esse, quippe qui sit propheta ille, quem Deus Mosi promisit, & in cuius ore Deus uerba sua posuit. Quare nunquam impetrabitis, ut suscipiam cum ipso pugnam. Deus enim non mittit prophetas spiritu suo, ut secum inuicem ex diametro pugnent, & Ecclesiam Dei in diuersas inter se partes trahant, sed ut eam concordi doctrina ædificent. Hæc sententia non uidetur esse huic loco dissentanea. Nos uero sequemur nunc ueterum interpretationem, qui ἐκ μέτρου, hoc est, Ex mensura, exposuerunt, pro parce & modice, & intellexerunt hunc locum de plenitudine spiritus in Christo. Baptista em̃ ornat Iesum sua laude

Iesu, propheta Mosaicus.

laude coram discipulis suis, ut excitet eos ad sectandum Iesum. Iesus, inquiens, is est, cui Deus dat spiritum suum non ad mensuram, hoc est, haudquaq̃ parce & modice, sed large, abundanter & affluenter. Iesus enim is est de quo Esaias ait: Egredietur uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus DOMINI, Spiritus sapientię & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientię & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Hæc certe non est parua mensura, sed magna superabundantia spiritus. Dicitur autem Deus pater dare Christo filio suo superabundantiam spiritus, primum, quia filius Dei, unus est deus cum spiritu sancto, deinde quia filius dei homo factus accepit à deo patre suo innumera eaq̃ maxima dona spiritus sancti. Spiritus Domini, inquit, super me, eo q̃ unxerit me. Ad euangelisandum pauperibus misit me, ut mederer contritis corde, & prędicarem captiuis indulgẽtiam. Porro autem, Iesus Christus non sic accipit abundantiam donorum spiritus, ut eam soli sibi retineat, sed ut effundat eam largissime super oẽs credentes in ipsum. Erit, inquit, posthæc, & effundam spiritum meũ super omnem carnem, & prophetabunt filij uestri & filiæ uestræ. Et Paulus: Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis ac renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos opulente per Iesum Christum seruatorem nostrum. Non negari quidem potest, quin sua sit mensura personalium donorum spiritus in singulis credentibus. Sic sentiat unusquisq̃, inquit Paulus, ut cuiq̃ Deus partitus est mensuram fidei. Et iterum. Vnicuiq̃ nostrum data est gratia iuxta mensuram donationis Christi. Ac rursus. Huic datur per spiritum sermo sapientiæ, alij uero sermo scientię secundum eundem spiritum, alij uero fides per eundem spiritum, alij uero dona sanationum. Hęc sunt dona personalia, quæ donantur nonnullis per spiritum sanctum ad ędificationẽ Ecclesię. Generalia autem dona spiritus, quæ unicuiuis priuatim necessaria sunt ad salutem, dantur singulis credentibus per Iesum Christũ, sine modo & mensura. Adoptio in filium & hæredem Dei, generale donum spiritus est, quem, obsecro, modum, quam mensuram habet hoc donum? Quis potest hoc donum in credente metiri? Remissio peccatorum, generale donum spiritus est, quod contingit unicuiuis credenti in Christum, Sed sine modo & mensura. Vt enim non potes metiri peccata, ita nec potes metiri remissionem peccatorum, imo etiamsi peccata numerare posses, non tamen potes remissionem peccatorum numerare. Vbi exuberauit, inquit Paulus, peccatum, ibi MAGIS exuberauit gratia. Victoria super mortem, generale est donum spiritus, quod ut necessarium est unicuiuis ad salutem, ita datur credenti in Christum abundanter & affluenter.

Romano. 12.

Ephe. 4.

1. Corinth. 12.

Nemo enim poteſt humana ratione comprehendere, quanta ſpiritus potentia, & quàm admirabili uirtute conſeruet Chriſtus credẽtes in morte. Quare tanta eſt liberalitas Chriſti, ut quemadmodum ipſe accepit ſpiritum à patre ſuo abſq; modo & menſura, ita effundat etiam ſuper credentes, largiter & abundanter omnia neceſſaria dona ſpiritus, & tribuat eis incommenſurabilem fœlicitatem. Poſtremo, addit
„ Baptiſta aliud pręconium Ieſu Chriſti. Pater, (inquiens) diligit fili-
„ um, & omnia dedit in manu eius. Quemadmodum ſuperiores ſententiæ, ita & hæc refutat opinionem diſcipulorum de Ieſu. Vos diſcipuli exiſtimatis hunc Ieſum, quẽ apud me de baptiſmo & doctrina eius accuſaſtis, eſſe filium tantum hominis, ego autem dico uobis, eum eſſe uerum & æternum Dei patris ſui filium. Ieſus enim is eſt, ad quem loquitur Deus pater in ſecundo pſalmo. Filius meus es tu, ego hodie genui te, de quo & ad Dauidem ait. Suſcitabo ſemẽ tuum poſt te, ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium. Non eſt autẽ ſentiendũ, q̃ Deus pater tam frigido affectu proſequatur hunc Ieſum filium ſuum, q̃ ſolent aliquoties ἄστοργοι parentes huius carnis ſuos proſequi filios, ſed tam ardenti dilectione & amore complectitur eum, ut tradat omnia in manus & poteſtatem eius. Poſtula à me, inquit, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. Et iterum. Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper OMNIA opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues uniuerſas, inſuper & pecora campi. Volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. Hoc certe eſt Ieſu Chriſto datam eſſe omnẽ poteſtatem in cœlo & in terra. Spiritus eũ ſanctus non ſentit hac corporaliũ bonorum enumeratione, regnum Chriſti eſſe corporale in hoc ſeculo, ſed intelligit his uerbis ſpirituale, cœleſte, & æternum regnum, in quo ſit perpetua omnium rerum abundantia, & fœlicitas. Deinde Deus pater ita diligit hunc Ieſum filium ſuum, ut non ſolum tradiderit in manum eius omnia cœleſtia & perpetua bona, ſed etiam tradat ea per manũ eius, & propter ipſum, omnibus credentibus in ipſum. Vera & perfecta iuſtitia, cœleſte bonum eſt. Hoc bonum Deus pater ita tradidit filio ſuo, Ieſu Chriſto, ut etiam propter filium reputet eos uere iuſtos, qui credũt in ipſum. Victoria mortis, & fœlicitas perpetuę uitę in regno cœlorum, ſunt cœleſtia bona, quę pater ſic propria tradidit filio ſuo, ut propter filium ſeruet in morte & reddat perpetuo fœlices oẽs eos, qui fide ſua filiũ accipiũt. Cũ ergo Ieſus tanta maieſtate ſit pręditus, ut ueniat è ſupernis, ſit propheta ille, in cuius ore Deus poſuit uerba ſua, acceperit ſpiritum abundantiſsime, ſit unigenitus filius dei, & intantum diligatur à deo patre ſuo, ut omnia ſint in manum eius tradita, & per ma

num eius

num eius omnia tradantur, quid, obsecro te, hinc sequitur? Hoc nimirum sequitur, ꝙ Qui credit filio, habet uitam æternam. Qui uero non credit filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Ergo ne, inquis, meremur uitã æternam fide nostra? Absit. Fides est quidem prestantissimus & Deo gratissimus cultus, quemadmodum supra diximus, uita autem eterna non datur nobis propter nostram fidem, sed datur per nostram fidem, propter Iesum Christum. Solus enim Iesus Christus habet uitam æternam in sua manu & potestate. Qui autem credit in Christum, is accipit Christum fide sua. Quare qui credit in Christum, accipit etiam in Christo eternam uitam. Pauca hec sunt uerba. Qui credit filio, habet uitam æternam, sed uide mihi, quàm multa, ꝗ magna in se complectantur. Primum enim abrogant uniuersam Leuiticam legem Mosi, una cum sua circumcisione. Si enim habemus eternam uitam propter filium Dei, fide acceptum, manifestum est, ꝙ non habeamus eam propter circumcisionem, aut propter sacrifitia Leuitica. Deinde abrogant omnia merita politicorũ & moraliũ operum. Non dico abrogari bona opera, quæ uerbo Dei exiguntur, sed merita bonorum operum. Nam bona opera stabiliuntur per fidem, quippe ꝙ fides non potest se continere, quin bonos fructus afferat, sed hi fructus non sunt tanti momenti, ꝓpter carnem, ut possint per se constare in iuditio Dei, & mereri uitam æternam. Quare necesse est, ut uita æterna contingat nobis tantum per fidem propter solum filium Dei. Postremo hec pauca uerba equant omnes homines in consequenda æterna uita. In hoc quidem seculo magnum est discrimen hominum, sed quod attinet ad consequendam cœlestem salutem, nullum est discrimen. Qui enim credit filio, siue dominus, siue seruus, siue mas siue fœmina, siue diues siue pauper, siue iuuenis siue senex, siue Scytha, siue Græcus, habet uitam æternam. E contra autem, Qui non credit filio, non uidebit uitam. Quid ergo? Num in creduli non resurgent a mortuis? Certe resurgent, sed non uidebunt uitam, hoc est, non consequentur uitam iucundam & fœlicem, sed ibunt in perpetuam infœlicitatem. Nam, cum non credant filio Dei, seu Euangelio eius, ira Dei manet super eos. Manifestum quidem est, ꝙ omnes homines sint natura filij iræ. Soli autem hi, qui credunt filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, ꝙ ipse solus sit propiciatio nostra, transferuntur de ira, in gratiam & fauorem Dei, propter Christum. Reliqui omnes manent in ira Dei. Nunc ergo recense mihi, qui sint hi Oẽs, oẽs nimirũ Iudæi, quales hoc tempore sunt Iudæi, Omnes Ethnici idolatræ, omnes Sarraceni, omnes Turcæ, omnes hypocritæ, omnes impœnitentes inter Christianos, quamuis potentes, sapientes, & honesti. Omnes hi manent in ira Dei. Vbi autem est ira

Aeterna uita datur non propter, sed per fidem.

Opera bona, & merita operum bonorum.

Impij resurgent, sed ad supplitium.

Dei, ibi nulla est iustitia, nulla tranquillitas uitæ, nulla benedictio, nulla salus, nulla fœlicitas, sed perpetua maledictio, damnatio & interitus. Fugiamus igitur, amicissimi, consortium incredulorum, sectemur autem Ecclesiam credentium in filium Dei, & obediamus uocationi Euangelij eius, ut restituti ex ira, in gratiam Dei, consequamur ueram & perpetuam uitam per Iesum Christum Dñm nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus benedictus in secula, Amen.

CAPVT QVARTVM

HOMILIA XXXIIII.



IN PROXIMO CAPITE CONscriptę sunt duę excellentes contiones. Altera est Christi ad Nicodemum, altera Ioannis Baptistæ ad discipulos suos, quæ continent in se summam totius Euangelij ac Christianę doctrinę. Quare si uera salus nobis curę est, non existimemus nos nostro munere defunctos, si has contiones semel tantum audiuerimus, aut legendo percurrerimus, sed ediscendę sunt ad uerbum, ut rectam ex eis cognitionē Christi, seruatoris nostri, assequamur. Sequitur nunc quartū caput Euangelistę Ioannis, in cuius initio describitur secessus Christi è Iudęa in Galilæā, deinde proponitur nobis in muliere Samaritana exemplum iustificatiōis. Postremo additur miraculum editum in
,, Capernaum, in filio Reguli. Vt ergo cognouit (inquit Euangelista)
,, Dominus, audisse Pharisęos, q̃ Iesus plures discipulos faceret & ba-
,, ptisaret, cq̃ Ioannes (quanq̃ Iesus ipse non baptisaret, sed discipuli e-
,, ius) reliquit Iudęam, & abijt iterum in Galilęam. Supra dictum est, Iesum uenisse in Iudęam, ac instituisse, ut discipuli baptisarent, quemadmodum Ioannes & ipsius discipuli baptisabant. Quare cum Ioannes in Galilęa, & discipuli Iesu in Iudęa baptisarent, ac maxima hominum multitudo baptismum eorum susciperent, uidebatur Pharisęis, penes quos erat summa Iudaicę religionis, res intolerabilis. Primum enim iudicabāt hunc baptismum esse abrogationem circumcisionis. Si autem circumcisio abrogaretur, an non tota Iudaica religio interiret? Deinde sentiebant hunc baptismum esse abrogationem oblationum, sacrificiorū, & aliorū sacrorum in lege Mosi. Si enim homines persuasi fuerint, se consequi remissionem peccatorum intinctione in

aquam,

aquam, quis deinceps ad expianda peccata oues & boues tanto sumptu offerret? quis ad consequendam peccatorum remissionem alia sacra faceret? Adhæc metuebant Pharisæi honori & quæstui suo, si baptismus Ioannis & Christi promoueret. Quare insidiantur uitę Christi, ut si Christus è medio sublatus fuerit, tam sibi, ꝗ legi suæ consulatur. Hæc est magna impietas & crudelitas Pharisæorum. Etsi enim unusquisq; operam suam conferre debet ad conseruandam ueram religionem, nihil tamen inauditum & incognitū damnandum est. Pharisęi autem nondum cognouerūt, qualis sit baptismus Ioannis & discipulorum Christi, num diuino mandato institutus sit, an ab hominibus excogitatus, & tamen ita damnant eum, ut etiam cogitent Christum, quem audierant esse baptismi uel autorem, uel approbatorem, è medio auferre. Quare peccant furiosa crudelitate. Quod autem uolunt honori & quæstui suo consulere persecutione, ac etiam occisione innocentis, uulgare hominum uitium est, qui cum putent summæ esse prudentiæ, opes aut parare, aut paratas conseruare, nullum non genus sceleris designant, ut animo suo satisfaciant. Ac non peccat quidem, qui uel honorem uel facultates suas legitime & iuste tuetur. Sed hæc peccatis, iniquitatibus, & sceleribus tueri, hoc demum non est sua conseruare, sed est uere sua amittere. Nihil enim potest esse fœlix ac benedictum, quod inique, iniuste, & impie conseruatur. Quare, si quid non potes retinere, nisi pecces, uelociter relinquendum est, ut Deo obedias. Nec potes conqueri de damno, si quid hac caussa dereliqueris. Nam quod derelinquitur, ne peccetur, hoc derelinquitur propter iustitiam, & propter nomen Dei, ut uerbo eius obediatur. Quod autem nomine Dei derelinquitur, hoc Deus iuxta promissionem Christi filij sui, centuplum restituit. Non igitur in damno sed in lucro esse deputandum est, quod ad obsequendum uocationi Dei dimittitur. Cæterum, ꝗ Christus instituerit quidem discipulos ut baptisarent, ipse autem non baptisauerit aqua, non fecit hoc consilio, ꝗ uel displiceret baptismus, quem ipse à Ioanne acceperat, uel puderet ipsum baptismi, quem Ecclesiæ usq; ad nouissimum huius seculi diem utendum commendauit, sed ut testimonio Ioannis Baptistę, q̃d erat testimonium spiritus sancti, sese accommodaret. Baptista enim dixerat, se baptisare quidem aqua, Christum autem baptisaturum igni. Quare Christus non baptisat aqua, ut cum postea in die Pentecostes baptisaturus sit discipulos suos igni, manifeste cognoscatur, hūc solum esse uerum Christum, de quo non solum Baptista, uerumetiam omnes alij prophetæ uaticinati fuerint. Sed uideamus nunc, quid Iesus fecerit. Postq̃ audiuit Pharisæos insidiari uitę ipsius: Reliquit Iudæam & abijt iterum in Galilæā. Quid? metuit ne mortem à Pha-

Opes conseruare aut derelinquere legitime.

Christus non baptisauit aqua.

risæis? An non potuisset uno uerbo omnes pharisæos perdere? An non uenerat in hunc mundum, ut pro peccatis nostris mortem susciperet? Recte dicis. Christus tanta fuit potentia, ut potuisset uel captiuus è manibus aduersariorum mirabiliter euadere, uel omnes aduersarios, priusq; caperetur, uno nutu opprimere. Venit etiam in hunc mundum, ut sua morte nostra peccata expiaret, sed uoluit suscipere timorem mortis iuxta humanam imbecillitatem, & fugere, donec adueniret legitimum, & à Deo patre definitum moriendi tempus, tribus pręcipue de caussis, quas commemorat epistola ad Hebræos. Debuit, inquiens, per omnia fratribus similis reddi, ut misericors esset & fidelis Pontifex in his, quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Nam ex hoc quod ipsi contigit tentatum esse, potest & his, qui tentantur, succurrere. Hic habes perspicue caussas, propter quas Christus suscepit in se humanas infirmitates, absque tamen peccato. Primũ enim suscepit eas, ut similis esset fratribus ac declararet se uerum semen Abrahæ, hoc est, uerum hominem assumpsisse. Nisi enim uerum assumpsisset hominem, non esset uerum semen Abrahæ, hoc est, non esset uerus Christus, qui patriarchis promissus erat. Deinde suscepit humanas imbecillitates, ut fidelis esset Pontifex ad expianda peccata populi. Nam peccata solent expiari suis supplitijs. Inter supplitia autem peccati continetur etiam Timor mortis. Nisi enim Adam peccasset, ut nec mors ita nec timor mortis intrasset in hunc mundum. Cum igitur Christus aduenit, ut expiaret peccata nostra suscipiendis peccatorum supplitijs, suscepit & mortis timorem, ac fugit, ut Pontificatu suo probe defungeretur. Non enim sentiendum est, quod Christus expiauerit peccata nostra tantum in cruce, sed quod tota uita Christi in hoc mundo fuerit peccatorum nostrorũ expiatio, quemadmodum alias docuimus. Postremo suscepit humanas imbecillitates, ut possit his qui tentantur succurrere. Christus enim seruator noster est in omnibus afflictionibus, & ut scriptura loquitur, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Maiori autem uoluntate, & ardentiori studio iuuant afflictos hi, qui eadem pericula pertulerunt, ac ijsdem afflictionibus defuncti sunt. Quare suscepit Christus affectum eorum, qui insidias hostium metuunt, ut ex hoc quod ipsi contigit tentatum esse, quẽadmodum apostolus ait, possit & his, qui tentantur succurrere. Sed redeamus ad Euange
,, listam. Oportebat aũt eum transire per Samariam. Venit ergo in ciui
,, tatẽ Samarię, quę dicitur Sichar, iuxta prędium, quod dedit Iacob Io
,, seph filio suo. Erat aũt ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, se
,, debat sit super fontem. Hora erat ferme sexta. De Samaria et Samaritanis superuacaneum est ea hic repetere, quæ copiose scripta sunt, in tertio li-

Humanæ imbecillitates à Christo susceptæ.

tertio libro Regum, capite decimo sexto, & in quarto libro Regum, capite decimo septimo. Dicemus tamen de his quædam paulo post, cum locus id exegerit. Sichar autē uolunt corrupte dici pro Sichem, de qua in Iosua cap. ultimo scriptum est, & quam aiunt postea Neapolim dictam fuisse. Nam de prędio, quod donauit Iacob filio suo Iosepho, uide Genesim, cap. quadragesimo octauo. Iesus igitur rediturus in Galilæam uenit ad hunc locum Samarię, & sedit ad fontem Iacob fatigatus & sitiens. Erat enim hora diei sexta, hoc est meridies, quo tempore æstus solis feruentissimus esse solet. Hic iterum audis in Iesu Christo humanas imbecillitates. Cui cœlum sedes est, & terra scabellum pedum eius, hic fatigatur ex itinere. Et qui pascit & potat omnia animantia, ita sitit, ut etiam a' muliere peccatrice aquam petat. Quid sibi uult tanta hæc imbecillitas? non certe aliud, q̃ quod paulo ante de timore mortis & fuga diximus. Voluit enim Christus his imbecillitatibus se declarare uerum esse hominē, & expiare peccata nostra, ac experiri affectum miserorum hoim, ut ipsos oportuno & tempore & modo iuuet. Ac hactenus quidē diximus de profectiōe Christi è Iudęa in Samariam. Audiamus nunc, quid in Samaria gestum sit. Venit mulier Samaritana, ut hauriret aquā. Dixit ei Iesus. Da mihi quod bibam. Nam discipuli eius abierant in ciuitatem, ut cibos emerent. Hoc est institutum, propter quod Euangelista commemorauit profectionem Iesu in Samariam. Suscepit enim describendam iustificationem mulieris Samaritanæ, ut exemplo eius cognoscamus, quomodo peccator fiat iustus. Nam hæc mulier dedit operam scortationi (quemadmodum postea sequitur) & uenit ad fontem impudica & peccatrix, sed redit domum, à fonte iusta & sancta. Obseruandum igitur est, quid actum sit, q̃ consecuta sit iustitiam & sanctitatem. Ac initio uides mulieri contingere cœleste & diuinum benefitium iustitiæ, nullo suo merito, sed prorsus aliud agenti. Primum enim uenit ad fontem, nihil minus quærens, q̃ ueram iustitiam, sed haustura aquam. Non sitit cœlestem sanctitatem, sed sitit terrestrem aquam. Deinde secura est in peccatis suis. Etsi enim Christus initio colloquij admonet eam salutis suæ, tamen ipsa suauiter interim ridet uerba Christi, nec ulla afficitur cura ueræ iustitiæ. Existimat fortassis se satis iustam, si peccatum hominibus lateat, & ipsa aliquoties offerat arietem pro peccato, ac bibat ex eo fonte, ex quo sanctus patriarcha Iacob cum filijs suis bibit. Ac prorsus idem agit hæc mulier, quod Salomon de adultera scribit. Talis, inquiens, est uia mulieris adulterę quæ comedit, & tergens os suum dicit: Non sum operata malum. Vides igitur hanc mulierem nullum prorsus habere meritum coram Deo, pro-

Imbecillitas Christi.

Iustificationis exemplū in muliere Samaritana.

pter quod possit consequi benefitium iustitiæ & salutis. Nihilominus tamen Christus suscipit cum ipsa colloquium, ut eam iustificet. Hoc illud est, quod Esaias scribit. Omnes nos quasi oues errauimus, unusquisque in uiam suam declinauit, sed DOMINVS posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Et Ioannes: In hoc est caritas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & misit filium suum propiciationem pro peccatis nostris. Porro colloquium Christi cum muliere hoc fuit. Da mihi, inquit Christus, quod bibam. Christus ex itinere fatigatus, sitit quidem aquam, sed multo magis sitit mulieris salutem, ideoque quærit hac petitione occasionem docendæ mulieris, ut reducat ipsam in uiam iustitiæ. Quod uero additur, discipulos profectos fuisse in ciuitatem, ut cibos emerent, significat Christum, solum, absque arbitris, ad fontem sedisse, & cum muliere collocutum fuisse, interim autem refutatur horum hypocrisis, qui ex instituto professionis suæ non attingunt pecuniam, quæ est mera superstitio, ad decipiendos homines, specie sanctitatis, excogitata. Quid enim dicemus? Si Apostoli emerunt cibos, certe & habuerunt, & attigerunt pecuniam. Ergone Monachi illi sectantur multo sanctius institutum, quàm Apostoli? Sed ualeant hæ uanissimæ superstitiones, indignæ prorsus, de quibus in seria Christianismi doctrina mentionem faciamus. Nos persequemur ea quæ sequuntur, & audiemus, quid mulier respondeat Christo. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana. Quomodo tu Iudæus cum sis, poscis à me potum, quæ sum mulier Samaritana? Non enim commertium habent Iudæi cum Samaritanis. Ex hoc responso animaduertere licet, mulierem non solum in peccatis suis securam fuisse, uerum etiam aliquam sibi iustitiam præ Iudæis arrogasse. Quod enim dicit, σαρκασμός est, & mordax insultatio. Quid? Tu ne ex Iudæis illis, qui sibi soli uidentur iusti & sancti, petis potum à me Samaritana, cum tamen nos Samaritani iudicemur à uobis impiissimi? Non metuis, ne ex meo colloquio uel potu sordideris? Sed quales quales sitis, certe intelligo etiam uos nostra opera indigere, & nos, qui bibimus ex fonte Iacob, non esse tam abiectos à Deo, q̃ uos iudicatis, alioqui enim cur tu peteres à me ex hoc fonte potum? Hæc linguæ procacitas in muliere merito reprehendi debet. Mulierem enim decet modestia, & uerecundia. Quę autem hæc est modestia, insultare in miseriis uiri, Iudęi quidem, alioqui tamen ignoti? Et quæ est illa uerecundia,

Pecuniã non attingere, hypocrisis est.

cundia, publicam gentis consuetudinem uni sitibundo uiro contumeliose exprobrare, ac se illi propter usum fontis à patriarcha effossi, in sanctitate præferre? Sed audiamus nunc consuetudinem Iudæorum, quam allegat mulier. Iudæi, inquiens, non habent commertium cum Samaritanis. Hæc consuetudo non fuit in lege Mosi mandata, sed traditione maiorum à Iudæis obseruata, ab eo uidelicet tempore, quo Zorobabel & principes populi noluerunt permittere, ut Samaritani restaurarent cum ipsis templum, quemadmodum scriptum est in Esdra, ca. iiij. Videntur autem magnas & graues caussas huius obseruationis habuisse. Nam Samaritani uarie peccabant aduersus Deum & aduersus Iudæos, qui erant populus Dei. Primum enim, non sectabantur synceram religionem, quam Moses & prophetæ docuerant, sed habebant religionem ex Iudæorum & Gentium ritibus collectam. Postq̃ enim Rex Assyriorum eiecisset Israelitas è Samaria, deduxit colonias ex Gentibus Babylonijs & Chutæis in Samariam. Hi initio coluerunt in Samaria deos suos fictitios, deinde cum propter impietatem à leonibus interficerentur, didicerunt etiam sacra Israelitica, quæ una cum suis impijs sacris obseruarunt. Et cum DOMINVM colerent, inquit scriptura, dijs quoque suis seruiebant iuxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerunt in Samariam. Verisimile autem est, quod his gentibus admixti sint postea multi ex Israelitis, qui & ipsi partim secuti sunt sacra Mosaica, & gloriati sunt se esse posteros Patriarcharum, partim secuti sunt impietatem gentium. Itaque Gentes & Israelitæ in Samaria redacti tandem sunt in unum corpus reipublicę, & obseruarunt religionem compositam ex Iudæorum & Gentium sacris. Tales Samaritani sunt & hi, qui hoc tempore nullam certam religionem probant, sed seligunt quędam è religione Pontifitia, quędam è religione, quam ita uocant, Euangelica, quędam è religione Turcica, quędam etiam è Iudaica. Hi etsi gloriantur se unum tantum Deum, creatorem cœli & terræ colere, tamen uere sunt homines impij, ac sine religione. Vna enim est tantum uera religio, uidelicet, ea quam tradiderunt prophetæ & Apostoli de Iesu Christo seruatore nostro, et quam nos docent sacræ literæ. Hanc, qui non sectatur, impietatem sectatur, ut maxime iactet se uerum Deum colere. Deinde Samaritani peccabant aduersus Iudæos uirulento odio, inconstantia, mobilitate & leuitate. Cum enim Iudæi utebantur prospero flatu fortunæ, simulabant Samaritani se quoque Iudæos esse, & cupiebāt sese cum Iudæis societate coniūgere. Cum aūt Iudæi

Samaritæ.

4. Reg 17.

Religio uera quæ sit.

Vide Iosephū li. 11. Antiquitatum.

infœlices erant, non habebant capitaliores hostes, q̃ Samaritanos. Vtinam autem soli hi Samaritani hac in re peccassent. Nunc, q̃ multos, obsecro, reperias, quorum animus eodem, quo fortuna, inclinat, & quos cum fœlix fueris, amicos, cum infœlix, hostes habeas? Hac leuitate nihil turpius, hac crudelitate nihil detestabilius est. Quod enim tempus magis opportunum, aut quando Deus ipse ac natura diuinitus condita magis exigit, ut proximo exhibeas offitia amicitiæ, q̃ cum premitur infœlicitate? Cum igitur derelinquis proximum in difficillimis temporibus, non uideo, quid aliud facias, quàm quòd & Deum contemnas & hominem exuas, ac indignus sis, qui ullum inter homines locum habeas. Postremo Samaritani peccabant etiam hac parte in coniunctionem uicinitatis, q̃ præbebant tutum asylum his Iudæis, qui ad ipsos metu supplitiorum propter scelera sua confugiebant. Hos tuebantur, hos defendebant, non affectu clementiæ erga miseros, aut cupiditate propugnandæ iustitiæ, sed odio Iudæorum. Cum igitur Samaritani, peccarent tam impietate aduersus Deum, quàm leuitate & crudelitate aduersus Iudæos, non mirum est, q̃ Iudæi non habuerint publicum commertium cum Samaritanis, ne uiderentur impietatem eorum approbare, & ne infirmiores assuefierent unà cum commertio, etiam impietati. Hæc autem consuetudo, etsi habuit honestas caussas, fuit tamen humana tantum pædagogia. Nunquid ergo tanti momento habenda erat, ut assurgeret ei, & cederet lex Diuina? Nihil certe minus. Propter traditionem humanam, non est transgrediendum preceptum diuinum. Lex Dei est: Diliges proximum tuum sicut teipsum, & nomine proximi non intelligitur tantum amicus, sed etiam inimicus, quemadmodum Samaritanus ille, qui in Euangelio Lucæ, suscepit curam Iudæi semiuiui, recte hanc legem intellexit. Quare si Samaritanus quispiam comprehensus fuisset eodem periculo, quo Iudæus à latronibus despoliatus, & semiuiuus relictus, ac præterijsset Iudæus, non licuisset ipsi, nisi impio & crudeli, prætexere publicam gentis suæ consuetudinem, ac miserum Samaritanum derelinquere, sed necesse habuisset humanam pædagogiam transgredi, ac miserum adiuuare, ut diuinæ legi obsequeretur. Ordinatio Dei est, ut Christus filius Dei uocet peccatores ad pœnitentiã. Etsi autem Christus, cuius regnum non est de hoc mundo, subiecerat se publicis Iudaicę politię cõsuetudinibus, tamen cum uocat hic mulierẽ Samaritanã ad pœnitentiã, recte uiolat humanam pedagogiam, ut diuinam suam uocationẽ sectetur. Quare danda quidem nobis est opera, ut politicas consuetudines, quę habẽt honestas caussas, pro uirili nostra obseruemus, & quantum in nobis est, publicam

Diuina Lex, non debet cedere humanæ ordinationi.

est, publicam tranquillitatem exemplo obedientię nostrę conseruare studeamus. Si uero tale quid acciderit, ut aut humanum aut diuinum mandatum uiolandum sit, obediendum magis est Deo q̃ hominibus, quo in uocatione Dei perdurantes, ambulemus in adiutorio & protectione dei altissimi ad ueram salutem, propter Iesum Christum seruatorem nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula. Amen.

HOMILIA XXXV.

VScepit Christus colloquium cum Samaritana muliere, ad fontem Iacob, contra publicam quidem gentis suę consuetudinem, sed iuxta diuinam suam uocationem, ut peccatricem mulierem ad pœnitentiam, & ueram iustitiam perduceret, ac toti Ecclesiæ exemplum iustificatiõis in ea proponeret. Ac initio uidemus talem esse hanc mulierem, quales peccatores omnes, iuditio peccati nondum reuelato, esse solent. Hæc enim mulier, etsi scortata est, tamen quia peccatum non est uulgatum inter ciues, & ipsa aliquoties offert sacrifitia pro peccatis, bono animo est, secura est, pollicetur sibi non tantum impunitatem, sed etiam iustitiam propter sacra, quæ unà cum ciuibus suis peragit. At his moribus nemo consequitur coram Deo remissionem peccatorum & iustitiam. Quare Christus pergit cum muliere colloqui, ut tandem reducat eam in ueram & rectam uiam iustificationis. Nam cum mulier admiraretur, qui fieret, quòd Iesus ab ipsa peteret aquã, Respondit Iesus, & dixit: Si scires donum Dei, & quis sit, qui dicit tibi, Da mihi quod bibam, tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam. Nihil respondet Iesus mulieri ad publicam gentis consuetudinem, quam mulier allegauerat, sed dicit ea, quæ ad salutem mulieris necessaria sunt. Si tu, inquiens, cognosceres quantum benefitium ego petendo à te aquam, in te conferre cupiam, ac intelligeres & tuam miseriam, & meam maiestatem, non expectasses, dum ego petijssem aquam, sed tu me petẽdo ueram tuam salutẽ, prœuenisses. Hic primũ uide tolerantiã & clementiã Christi. Derisus à muliere, non uicissim eam deridet, sed salutẽ eius curat. Qui ergo nos sumus, q̃ uno tm̃ ridiculo uerbo excitati, ira sic intumescamus, ut rumpi uelle uideamur? Deinde, cũ Christus filius dei petat à muliere aquã, magis ut ipse det

Ira cõpescenda.

mulieri, cum accipiat benefitium, discendus nobis est hic theologicus Canon, cum DOMINVS Deus noster hanc habeat consuetudinem, ut petendo & exigendo à nobis nostra, quæ sic uocantur, bona, significet & promittat se potius sua nobis bona affluenter daturum, cum à nobis nostra ablaturum, aut si quid abstulerit, centuplum redditurum. Quid ergo, inquis, petit aut quid exigit à nobis Deus? primum, cum homo afflictus petit opem nostram, sentiamus Deum ipsum id à nobis petere. Quod uni, inquit, ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Deinde, petit Deus à nobis, ut nomine eius relinquamus, quod non possumus aut consequi aut conseruare, nisi peccemus aduersus deum. Nam quod sic relinquitur, hoc Deus sibi datum esse, interpretatur. Preterea petit, ut patienter feramus, si quid à nobis uiolenter auferitur, aut amittitur. Nam & hoc Deus sibi datum esse iudicat. Cum ergo Deus hæc petit, profecto non petit ea, ut nos relinquat egenos, sed ut faciat nos locupletes. Petit enim, non ut auferat, sed ut det, & si quid ablatum fuerit, abunde restituat. Deus enim non indiget nostra ope, nos autem ipsius ope indigemus. Meæ sunt, inquit, omnes feræ syluarum, iumenta in montibus & boues. Cognoui omnia uolatilia cœli, & pulchritudo agri mecum est. Si esuriero non dicam tibi. Meus est enim orbis terræ & plenitudo eius. Quare Deus petit à nobis nostra bona, non quia ipse indigeat, aut nos uelit indigentia perdere, sed ut habeat occasionem plura in nos beneficia conferendi, quia aut optare aut sperare audeamus. Multo enim liberalior est dando, quam nos accipiendo. In lege Mosi iubet Deus manipulos in agris relinquere aduenæ, pupillo, & uiduæ. Hos enim manipulos sibi potius, quam hominibus dari intelligit. Quid ergo? num Deus hoc petit, ut defraudet dominos agrorum, & conijciat eos in paupertatem? Minime omnium, sed petit hoc sibi dari, ut dominos agrorum ditet. Additur enim. Vt benedicat tibi DOMINVS Deus tuus, in omni opere manuum tuarum. Apud Lucam Christus ait. Date & dabitur uobis. Dando igitur magis accipimus, quàm accipiendo. Deus petijt ab Abrahamo unigenitum filium suum Isaacum. Cum ergo Abraham daret eum Deo ac offerre uellet intantum non amisit ipsum, ut potius maximo cum fœnore sit restitutus. Per memetipsum, inquit deus, iuraui, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & uelut arenam, quæ est in littore maris. Chaldæi diripuerunt quondam facultates Iobis, & domus collapsa oppressit liberos eius. Petijt ergo Deus à Iobe, ut sibi daret facultates & liberos, hoc est, ut patienter hanc iacturam ferret. Quid factum est? Dedit ea Iob Deo: DOMINVS, inquens, dedit, Dominus abstulit. Sit nomen Dñi benedictum. Sed uicissim

Deus, quæ auferit, reddit affluenter.

Dei liberalitas.

ciſſim reddidit Dominus Iobi omnia duplitia, & benedixit nouiſſimis eius pluſq; principijs. Dauid eiectus fuit è regno ſuo per Abſolomē. Qua in re petijt Deus à Dauide, ut ſibi daret regnum, hoc eſt, ut exilium ex fide & obedienter ſuſciperet. Dedit ergo Dauid Domino Deo ſuo regnum. Si inuenero, inquiens, gratiam in oculis domini, reducet me, Si autem dixerit mihi, non places, preſto ſum, faciat, quod bonum eſt coram ſe. Sed Deus uiciſſim ita reſtituit Dauidi regnum, ut non ſolum in Dauidis, ſed etiam in Salomonis filij eius manu confirmaretur. Quare ſi quid Deus petierit uerbo ſuo, certo credendū eſt, q̃ magis dare uelit q̃ accipere, ut diſcamus petitioni Dei gratificari, & noſtra iuxta mandatum Dei obedienter derelinquere. Sed reuertamur ad mulierem Samaritanam. Dicit ei mulier, Domine, neq; quo haurias, habes, & puteus profundus eſt. Vnde ergo habes aquam illam uiuam? Num tu maior es patre noſtro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipſe ex eo bibit, & filij eius, & pecora? Etſi nonnulli interpretes ſentiunt, hæc uerba non ridendi ſed diſcendi gratia à muliere dicta eſſe, tamen quia uidimus antea ſecuritatem mulieris in peccatis ſuis, quam poſtea magis declarabit, intelligemus & hæc uerba iuxta ingenium mulieris ſupra indicatum. Nam Chriſtus dixit de aqua cœleſti, hoc eſt, de uera & perpetua ſalute, quam dare uelit, Mulier autem intelligit eum loqui de aqua fontana. Quare ſuauiter ridet prolixam illam promiſſionem Chriſti, de aqua uiua, idq; duobus nominibus, Altero, q̃ ipſe ſitientiſſimus & aqua egentiſſimus, polliceatur uiuam aquam, cum tamen ne ſitulam quidem habeat, qua hauriat putealem illam aquam. Altero, q̃ uideatur ſe præferre Iacobo, Patriarchæ ſanctiſſimo, cum promittat meliorem aquam, q̃ Iacob cum familia ſua biberit. Sed qua ratione mulier accipit promiſſionem Chriſti, eadem ſolet humana ſapientia omnes promiſſiones Dei accipere. Nam quemadmodū mulier putat promiſſionem Chriſti de uiua aqua ridiculam eſſe, propterea q̃ nihil uideat in Chriſto, quod cum hac promiſſione conueniat, imo uideat plane contraria in Chriſto, ſitim uidelicet, & indigentiam, ita diuinæ promiſſiones uidentur humano iuditio prorſus ridiculæ, q̃ longe alia polliceantur, q̃ natura rerum ferat. Ac ſi quidem naturalia & congruentia cum diuinis promiſſionibus manifeſta compareant, non difficile uidetur uerbo Dei fidem habere. Nam ſi agri multa frumenta ferant, & parata ſint ea, quæ ad uictum ſuppeditant, uidemur nobis recte huic uerbo credere. Qui dat eſcam omni carni. Et, Dat eſcam eſurientibus. Aut ſi bona corporis ualetudine utamur, non uidemur dubitare, quin Deus ſeruet uitam noſtram. Si autem grando uaſtauerit agros, & immineat mors, pmiſſiones dei de dando uictu et conſeruāda uita

Promiſſiones diuinæ, ſunt ridiculæ humanæ ratiōi.

non ſolum ridiculę, uerumetiam mendaces iudicantur. At enim DOMINVS Deus noſter non fundauit promiſſiones ſuas aut naturali rerum curſu, aut humana potentia & iuſtitia, ſed ſua tantum omnipotentia, & miſericordia. Promiſit deus ambulantibus in uocatione ſua uictum. Hanc promiſſionem ſeruat, etiamſi defuerint frumenta. Nõ enim in ſolo pane uiuit homo, ſed in omni uerbo, quod egreditur de ore DOMINI. Promiſit Deus uitam omnibus credentibus in Chriſtum. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Hanc promiſſionem ſeruat Deus, etiamſi ſanitas & uita corporis euaneſcant. Quare primum omnium curæ nobis ſit, ut habeamus & intelligamus promiſſionem Dei, qua cum ſi naturalis rerum curſus congruit, utamur ſane, quo uti licet, ſi uero nihil eſt, quod conuenire uidetur, ſufficiat nobis ipſa Dei ueritas, quæ cum ſita ſit in omnipotentia & miſericordia Dei, fieri non poteſt, ut ſpem credentium fallat. Deinde, ingenio huius mulieris, quæ ridet Ieſum, cp præferat ſeſe Iacobo Patriarchæ tam ſancto, & promittat meliorem aquam, adumbrantur etiam hi, qui maiorum ſuorum inſtituta ſine iuditio ſequuntur. Manifeſtum quidem eſt, cp debeamus caniciei & autoritati maiorum noſtrorum aſſurgere, Sed ne ipſi quidem maiores hoc à poſteris ſuis exigunt, ut citra iuditium, & teſtimonium uerbi Dei, omnia placita ipſorum, ut ſacroſancta & inuiolata amplectamur. Nam quemadmodum Patriarcha Iacob, non eò fodit puteum, ut poſteros ſuos ad uſum huius putei, quo ne ipſe quidem ſemper uſus eſt, alligaret, aut prohiberet, quo minus meliorem & commodiorem fontem uel quærant, uel fodiant, ita pij & prudentes maiores multa tam in rebus politicis cp eccleſiaſticis inſtituerunt, non quidem hoc conſilio, ut quod ipſis uiſum ſit, perpetuum maneret, ſed ut rationem ſui temporis haberent, ac interim poſteris liberum relinquerent, etiam pro ſui temporis opportunitate rebus conſulere. In humanis enim ordinationibus nihil poteſt, præter uerbum Dei, perpetuum eſſe. Quare maiorum autoritati ita cedendum eſt, ut tamen meminerimus uerbo Dei ſemper & perpetuo obſequendum eſſe. Sed audiamus nunc
,, quid ad hæc mulieris uerba Chriſtus dicat. Reſpondit Ieſus, & dixit
,, ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, ſiciet iterum. Quiſquis autem bibe
,, rit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſiciet in æternum, Sed aqua, quam
,, ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis, in uitam æternam. Hęc eſt duarum aquarum collatio, ex qua Chriſtus manifeſte ſignificat mulieri, cp promittat ipſi non terreſtrem ſed cœleſtem aquam, quæ afferat homini ſalutem, non caducam & mutabilem, ſed ſempiternam & immortalem. Memorabile dictum, quod magno nobis uſui eſſe poteſt, ſi eo de-

Maiorum autoritas ſuſpicienda quidẽ, nõ autem preferenda autoritati Dei.

teſt, ſi eo dextre ut ſciamus. Nam ſi id quod Chriſtus de puteali aqua dicit. Omnis qui bibit ex hac aqua, ſitiet iterum, transferamus ad iuſtitiam humanam, & ad omnia ea terrena, quorum uſus nobis proponitur & oſtentatur, non ſolum recte intelligemus earum rerum naturam, ſed etiam diſcemus cupiditates noſtras compeſcere, ac in uocatione Dei ad ueram noſtram ſalutem pergere. Nam ſi de humana iuſtitia loquēdum eſt, recte conferetur cum hac puteali aqua, ex qua qui biberit, iterum ſitiet. Etſi enim habes humanam iuſtitiam, tamen ea non explet ſitim iuſtitiæ in diuino iuditio, quia non eſt perfecta. Ac prestanda quidem eſt ex fide, nemo autem poteſt per eam coram tribunali Dei conſtare. Sola illa iuſtitia ſeruat nos, quam nobis donat Chriſtus, & quam ex Euangelio eius per fidem accipimus. Quod autem attinet ad alias res terrenas, hoc eſt hominum ingenium, hæc natura, ut cum alicuius terrenæ rei deſiderio tenentur, tanta aliquoties cupiditate flagrent, ut exiſtiment ſibi pereūdum eſſe, niſi aſſequantur. Alius in uenalem agrum tanta auiditate imminet, ut niſi comparet eum ſibi, putet ſe non poſſe diutius uitam agere. Alius tanta propoſiti magiſtratus cupiditate inflāmatus eſt, ut niſi conſequatur eum, iudicet totam ſalutem ſuam perijſſe. Alius amore uirginis aut uiduæ ita ardet, ut non tam uiuere malit, q̄ eam in uxorem ducere, ac ſic ſentiat, ut ſi nō factus fuerit compos uoti ſui, è uita ſibi diſcedendum ſit. Et quis enumerare poſſet omnia cupiditatum genera, quibus homines ita flagrare ſolent, ut exiſtiment ſe beatos, ſi aſſequantur, quod cupiunt, infœliciſſimos autem, & longe omnium miſerrimos, ſi ſpe ſua fruſtrentur. Sed in tantis cupiditatibus reuocanda eſt in animum hæc ſententia, (Omnis qui bibit ex hac aqua, ſitiet iterum) ut ardorem & flagrantiam earum extinguamus. Nam quēadmodum aqua illa putealis non ita depellit ſitim ut amplius non ſitias, ſed quantumcunq̄ in preſentia biberis, iterum tamen ſities, ita in omnibus rebus terrenis nihil eſt tam excellens, tam preſtabile, tam eximium, quod humano animo diu ſatisfacere ſuapte natura queat. Quicquid enim in hac terra, quamuis preciosum, quamuis iucundum, & delectabile, in medium produxeris, ea eſt aqua, ex qua qui biberit, iterum ſitiet. Audi mihi Salomonem ſapientiſſimum & diligentiſſimum rerū perſcrutatorem. Is in Eccleſiaſta ſuo, primum ædificat ſibi domos, plantat uineas, facit hortos & pomœrea, extruit piſcinas aquarū. Deinde poſſidet ſeruos & ancillas, oues & boues, preterea, coaceruat argentum & aurum. Adhæc, inſtituit cantores, cantatrices & delitias filiorum hominum. Breuiter, Salomon queſiuit in omnibus huius ſeculi rebus uel utilibus uel iucundis fontem earum aquarum, ex quibus ita biberet, ut deinceps non ſitiret. Sed audi ingenuam ipſius confeſſionem.

Cum conuertissem me ad uniuersa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaueram, uidi in omnibus uanitatē & afflictionē animi, et nihil permanere sub sole. Hoc quid aliud est, cū si dixisset, nullum inueni fontem sub sole, q̄ potuerit meam sitim explere? Salomoni, inquis, hoc accidit, sed nō cuiuis homini. Imo Salomon in hoc diuinitus excitatus est, & tanta fœlicitate ac maiestate ornatus, ut posset sua ipsius experientia conditiones rerum huius seculi cognoscere, ac de uanitate earum toti orbi testimonium dicere. Obsecro igitur te, ut exponas nobis, quid caussæ sit, cū nulla sit aqua in terris, quæ sitim nostram explere possit, ac nulla res sit in hoc seculo, quę mentem nostram ita exaciare queat, ut nulla amplius cupiditate teneatur. Quid caussæ sit, rogas? Dicam uno uerbo. Peccatum. Peccatum inquam, in caussa est. Postcū enim Adam peccauit, & nos in ipso peccauimus, amisimus ueram tam cognitionem cū possessionem Dei. Deo autem amisso, quid obsecro, reliquū nobis esse potest? Deus enim uere est copia rerum, & thesaurus omnium bonorum, ac ut paucissimis dicam, Deus est OMNIA in OMNIBVS. Quare si Deo carueris, nihil prorsus est, quod in alijs rebus inuenire queas. Si, exempli gratia accesseris ad pecuniam, quamuis multam & copiosam, nihil tamen est in pecunia, quod te iuuare, aut animum exaciare posit. Pecunia enim non est Deus ipse, & tu cares Deo, qui est omnia in omnibus. Quid ergo aliud relinqueretur tibi in pecunia, cū inanitas & uacuitas? Si accesseris ad regiam maiestatem, qua nihil in terris sublimius putatur, ea tamen te egentem dimittet. Regia enim maiestas non est Deus ipse, & tu propter peccatum, cares Deo, qui solus est omnia in omnibus. Nihil ergo habes, si Deo cares, etiamsi regiā maiestatem habeas. Sed quid faciam, inquies, ut amissum Deum recuperem? Omnia enim, ut uideo, recipiam, si hunc recipiam. De hac re audiēda est posterior pars huius sententię, quā Christus hoc loco mulieri recitauit. Quisquis, inquiens, biberit ex aqua, quā ego dabo ei, non sitiet inæternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Nulla est in terris aqua, quāuis ex fonte Iacob hausta, quæ posit hominum sitim explere. Sola autē illa aqua, quā Christus dat, homines ita exaciat, ut nunquàm deinceps sitim sentiant. Quę est ergo illa tam pręciosa aqua, q̄s est ille tam salutaris fons, ut & nos ex ipso aquam hauriamus & ad perpetuā uitam conseruemur? Profecto hic fons non est alius, cū Christus ipse, unà cum omnibus bonis suis, quę à Deo patre suo accepit. Aiunt fontanā aquā tam alte assurgere, cū descenderat. Hoc idem de Christo uero fonte dici potest. Descēdit ille de cœlo, & idē etiā ascendit. Nemo, inquit, ascendit in cœlum, nisi qui descendit, filius hominis, qui est in cœlo.

Peccatum facit homines miseros & pauperes.

Pecunia non est Deus.

Ergo ne

Ergone homines necesse habent semper in terra manere? Nihil certe minus. Audis enim quid hoc loco dicatur. Fiet in eo fons aquę salientis in uitam ęternam. Si enim Christum fide acceperis, quemadmodum fons ipse, qui est Christus, in cœlum assurgit, ita & homo Christo insertus una cum Christo in cœlum ascēdit. Hic enim Iesus Christus, solus ille est, per quem ascendamus in cœlum, & ingrediamur in æternam uitam. Solus item ille est, per quem recuperare possumus Deum antea peccato amissum. Nam ut intelligas quanta sit maiestas Christi, reuoca iterum in mentem contionem Baptistæ de Christo, quam supra exposuimus. Sic enim ait Baptista. Pater diligit filium, & dedit illi OMNIA in manū. Audi & Paulum de maiestate Christi contionātem. Credimus, inquit, secundum efficatiam roboris fortitudinis Dei, quam exercuit in Christo, cum suscitaret eum ex mortuis, & sedere fecit ad dextrā suam in cœlestibus, supra omnem principatum ac potestatem, & uirtutem et dominium, & omne nomen q̄d nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiā in futuro, & omnia sub iecit sub pedes illius, & eum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet. Hæc est descriptio maiestatis Christi, quam idcirco hoc loco ex Paulo recitauimus, ut cognita maiestate Christi, perspicue uideamus, cp accepto Christo, Deum ipsum, qui est omnia in omnibus, recuperemus, & cupiditatem nostram cumulate expleamus. Deus enim pater omnia dedit in manum Christi filij sui. Ac primum, cum suscitasset eum à mortuis, iussit eum sedere ad dextrā suam, hoc est, habere æqualem cum ipso potestatem & maiestatem super omnia in cœlo & in terra. Deinde dedit etiam eum caput Ecclesiæ, uidelicet, ut non solum ipse habeat ęqualem maiestatem cum deo patre, uerum etiam cōmunicet eam cum Ecclesia sua, quemadmodum capitis dona comunia sunt cum reliquo corpore. Ac breuiter, deus pater extulit Christum filium suum in tantam sublimitatem, ut sicut ipse, ita & Christus sit omnia in omnibus, quod quid aliud est, quàm cp Deus tradidit sese totum, quantus quantus est, unigenito filio suo domino nostro Iesu Christo. Quare qui accipit Christum, (accipit autem eū, qui credit Euangelio eius, de qua re alias sępe) is accipit, aut potius recuperat Deum antea peccato amissum. Quid ergo nunc deesse tibi potest, siue ad prospera siue ad infœlitia accesseris? Si habes Christū & recuperasti deum per Christum, eam habes aquam, ex qua, qui biberit, nunquam in ęternum sitiet. Quocunqꝫ te uerteris, inuenis rerꝫ omnium abundantiam & fœlicitatem. Si ueneris ad pecuniam, inuenis thesaurꝫ, quia maximum omnium thesaurum, qui est Christus, ac Deus ipse, tecum affers. Si ueneris ad indigentiam pecunię & pau

Christi maiestas.

pertatem, nihil minus, q̃ ante in pecunia, inuenis, quia gestas tecum thesaurum inexhaustum. Si accesseris ad uitam, expleberis uita, quia adducis tecum uitæ autorem. Si contra accesseris ad mortem, certe & hic non minus expleberis uita, q̃ antea. Mors enim non potest mors esse, ubi est uita, Iesus Christus DOMINVS noster. Quare cum exarserint in te cupiditates terrenarum rerũ, noli peccatis, sceleribus & impietate ad consequendas eas contendere, (non enim sunt aqua illa, quæ possint sitim explere) sed omni cogitatione & cura in hoc studium incumbe, ut habeas Iesum Christum seruatorem nostrum, qui ut omnia in omnibus adimplet, ita est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXXVI.

TSI Iesus Christus Dominus noster haud obscure hactenus obtulit Samaritanę mulieri ueram & perpetuam salutem duabus eximijs promissionibus, quarum altera est, Si tu scires donum dei, & quis sit, qui dicit tibi, da mihi quod bibam, tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam, altera, Quisquis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet inęternum, mulier tamẽ in peccatis suis secura, ut nullo adhuc uerę salutis desiderio tenetur, ita nondum eam adsequitur, donec agnitione peccatorum territa, et ignibus inferni inflammata incipiat cupiditate liberationis flagrare. Fieri enim non potest, ut qui cæcata mente ignorat magnitudinem & grauitatem peccati sui, magnopere afficiatur promissione diuinæ clementiæ & Euangelio salutis. Nam, cum in præsentia nullum nec in corpore nec in animo incommodum ferre uideatur, putat se in optimo statu collocatum esse. Audiamus igitur quid secura adhuc mulier respondeat Iesu Christo ad liberalissimam illam promissionem de fonte scaturiente in æternam uitam. Dicit ei mulier, Domine, da mihi istam aquam, ut non sitiam, neq̃ ueniam huc ad hauriendum. Hoc uero non est serio petere aquam promissam, sed est promissionẽ uanam iudicare & ridere. Bene profecto mecum ageretur, si possem talem aquam assequi, Sum enim admodum segnis, ad ingrediendum singulis diebus hoc iter è ciuitate, & ad hauriendam è tam profundo puteo aquam. Facies igitur mihi rem gratissimam, si talem mihi aquam dederis, quam si bibero, non amplius sitiam. Sed quid? Tu ne mihi talem posses dare aquam, qualis nulla unquam fuit in toto orbe terrarum? Quod igitur promittis, reputo nugas esse uanissimas. Primum, hæc

mum, hæc mulier significat exemplo suo, quomodo securi peccatores & ij quorum deus uenter est, excipere soleant Euangelion Christi. Nam Euangelion Christi prædicat Christum esse thesaurum omnium bonorum, & pollicetur in Christum credentibus, omnem rerum abundantiam. Hoc si audiuerint uentres, continuo exclamant, cur ergo Christus non largitur nobis frumenta & uina in hac magna inopia & caritate? Adhæc Euangelion Christi prædicat Christum esse gratuitum peccatorum remissorem, ut qui credit in eum, consequatur remissiõem omnium peccatorum, sine ullo merito, sed plane gratis per fidem, propter Christum. Hæc si ex Euangelio docentur, securi hypocritæ ea admurmuratione excipiunt, ut existiment, nihil uanius unq̃ dictum esse. Nihil ergo boni, inquiunt, faciemus, Sed peccabimus libere, siquidem peccatorum remissio contingit nobis tãtum oscitantibus. At si isti recte intelligerent, quid uere esset coram Deo peccatum, & quantam secum afferret pernitiem, profecto minime riderent Euangelion de remissione peccatorum, sed obuijs manibus, ac toto pectore exciperent. Quare nisi serio suscipiant curam salutis suæ, audient tandem, quod Sapientia apud Salomonem dicit: Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoq̃ in interitu uestro ridebo, & subsannabo cum uobis id, quod timebatis aduenerit. Deinde uides in hac muliere, quid caussę sit, cur tam pauci Euangelion Christi seria fide amplectantur. Mulier enim tantisper ridet promissiones Christi, dum ignorat magnitudinem peccatorum suorum. Itaq̃ ignorantia & cæcatio mentis in cognoscenda grauitate peccatorum, caussa est, propter quam paucissimi studiose Euangelion sectentur. Non enim fieri potest, ut Euangelion Christi, in speciem uile, & uarijs afflictionibus comitatum, grato excipiatur animo, nisi ab ijs, qui & peccatum uere agnoscunt, & supplitium peccati sensu uel aliqua ex parte percipiunt, quorum ut paucissimi sunt, ita maxima est multitudo eorum hominum, qui ducunt uitam sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Discamus igitur magnitudinem & meritum peccati nostri agnoscere, ut & ardenti amore Euangelion Christi affectemur. Sed ueniendum est uel tandem ad id, quo Iesus mulierem iustificaturus ducit eam primum omnium ad agnitiõem peccatorum suorum. Dicit ei Iesus: Vade uoca uirum tuum, & ueni huc. Amâbo te, cur iubet Christus mulierem uocare maritum suum, an non decet mulierem audire contionem de uera iustitia, nisi p̃sente marito? Nõ hoc agit Christus, sed uult hac occasione mulierẽ ducere in agnitionem, & pœnitentiam peccatorum, quæ est initium consequendę iustitię per Christum. Voca, inquiens, uirum tuum. Satis hactenus fui tibi ludibrio. Nunc res serio agetur. Obtuli tibi ue-

Securi rident Euangelion Christi.

ram ſalutem, ſed ut uideo, nondum es ueræ ſalutis ſitiens. Effitiam igitur, ut fias ſitibunda. Volui, ut tu confitereris tua peccata, quo intelligerem te inflammatam deſiderio iuſtitiæ, ſed tu in peccatis ſecura es. Confitebor igitur ego tibi tua peccata, ut incipias remiſſionem peccatorum ex animo quærere. Sed mulier nondum intelligit inſtitu
» » tum Chriſti. Reſpondit igitur & dixit ei: Non habeo uirum. Ex hoc
» » mulieris reſponſo accipit Chriſtus occaſionem reuelandi peccati. Et
» » ait. Bene dixiſti, Non habeo uirum. Quinq; enim uiros habuiſti, &
» » nunc quem habes, non eſt tuus uir. Hoc uere dixiſti. Hæc eſt reuelatio occulti peccati mulieris. Non perſcrutemur autem curioſe, num mulier quinq; legitimos maritos habuerit, & tantum cum ſexto uiro poſt aliorum maritorum mortem, illegitimum ſtuprum commiſerit, an omnes ſex uiri fuerint mulieri illegitimi. Hoc manifeſtum eſt, mulierem fuiſſe impudicam, & deſignaſſe peccatum ſcortationis. Primũ ergo, Chriſtus reuelans mulieri occultum peccatum, perſpicue ſignificat, nullum ſcelus inter homines tam occulte tam abſcondite perpetrari, quod non manifeſte pateat in conſpectu Dei. Deus eſt oculus omnia uidens ſiue interdiu, ſiue noctu. Quo ibo, inquit, à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Quid igitur polliceris tibi impunitatem, quod in tenebris noctis, & non in luce pecces? Peccata tua latent quidem homines, non autem latent Deum, non latent angelos miniſtros Dei. Quanto impudentius, quanto horribilius eſt peccare coram diuina, quam coram humana maieſtate? Deinde Chriſtus docet hoc loco quod ſit initium conſequendę iuſtitiæ, ſanctitatis & ſalutis. Iuſtificaturus enim impudicam mulierem, primum omnium ducit eam ad pœnitentiam, hoc eſt, ad agnitionem & deteſtationem peccati. Hoc initium eſt ueræ iuſtificationis. Nam ad conſequendam ueram iuſtitiam ac beatitudinem, neceſſaria eſt remiſſio peccatorum. Beati, inquit, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Nemo autem ardet deſiderio remiſſionis peccatorum, niſi qui agnoſcit peccatorum magnitudinem & grauitatem. Nam quemadmodum nullus flagrat cupiditate recuperandæ ſanitatis corporalis, niſi intelligat & ſentiat magnitudinem morbi, ita nullus affectat remiſſionem peccatorum, niſi cognoſcat, quantam pernitiem, quantam damnationem peccata ſecum afferant. Quare ad conſequendam iuſtitiam neceſſaria eſt agnitio & pœnitentia ac deteſtatio peccati. Et quia originali uitio ita cæcati ſumus, ut non intelligamus ex nobis ipſis, quanta ſit peccati magnitudo, ſed potius amemus peccatum, & blandiamur nobis in eo, idcirco Deus inſtituit contionem Decalogi, non ut operibus, quæ in ipſo præcipiuntur, & à nobis fiunt, poſſimus expiare peccatum, ſed ut diſcamus ex eo peccatum agnoſcere, et

Manifeſta omnia, in oculis Dei.

Iuſtificatiõis initium.

Decalogi uſus.

peccati

peccati pœnitere. Quod si uero uerba decalogi ita oscitanter à nobis excipiantur, ut securi in peccatis ambulemus, Solet Deus addere uerbis uerbera, & immittit uarias tum publicas tum priuatas afflictiones, nunc pestilentiam, nunc bellum, nunc inopiam & caritatem rerꝝ, & alias id genus calamitates, quibus non hoc significat, ut afflictionibus expiemus peccata, sed ut afflictionibus admoneamur de peccatis, & discamus peccatorum pœnitere, quo excitemur ad quærendam ueram peccatorum remissionem & salutem. Audiamus igitur decalogum diligenter, & suscipiamus afflictiones diuinitus nobis immissas obedienter, ut quod ad consequendam iustitiam necessarium est, agnoscamus magnitudinem peccatorum, & detestemur ea, tanꝗ̃ presentem pestem ac pernitiem nostram. Quæ cum ita se habeant, audiamus nunc, quid mulier respondeat Christo. Domine, inquit, uideo, quod propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & uos dicitis, quod Hierosolymis est locus, ubi oporteat adorare. Hic nunc obserua mulieris modestiam. Alij solent in reprehensorẽ contumeliose inuehi. Necꝗ enim possunt ferre, ut peccata ipsorum arguantur. Mulier autem excipit reprehensionẽ Christi tanta pacientia, ut non solum confiteatur Iesum uera dixisse, uerumetiam honoret eum epithetis domini ac prophetæ, & quærat ab eo ueram salutis cognitionem. Nam sentiendum est ꝙ uerba Christi recitantis peccatum mulieris, non peruenerint tantum ad mulieris aures, sed penetrauerint in latebras animi, & excitauerint in corde flammas ignis inferni, ut mulier non solum agnouerit magnitudinem peccatorum suorum, uerumetiam senserit se uere obnoxiam perpetuæ damnationi. Quod ergo dicit, DOMINE, uideo, ꝙ propheta es, hunc habet sensum: DOMINE, fateor te uerissima dicere, & ex uerbis tuis non tam agnosco peccata mea, ꝗ̃ inflammata sum supplitio ignis inferni. Quid ergo nunc faciam? Num, qui mihi reuelasti peccatum, non etiam reuelabis rationem, qua remissionem peccati consequar? num qui me coniecisti in flammas ignis inferni, non reduces me ad gaudium regni cœlestis? Quo me uertam? Ostendisti peccatum, ostende etiam expiationem peccati, ut iustificata ueram salutem habeam. Hoc certe est recte intelligere propositum & finem agnitionis peccatorum. Deus enim reuelat impio peccatum, & iuditium peccati in hoc seculo, non ad hunc finem, ut impius desperet, quemadmodum Cain, aut se suspendat, quemadmodum Iudas Ischariotes, sed ut excitetur ad quærendam expiationẽ peccati & salutẽ. Viuo ego dicit DOMINVS, nolo mortẽ impij, sed magis ut cõuertat & uiuat. Quare cum mulier hũc finẽ agnitiõis pctõrꝝ intelligeret, interrogat christũ de cultu dei, aut de sacris, qbus satisfatiat ꝓ pctis suis, & cõsequat iustitiã. Propo-

Afflictionum usus.

nit autem Christo duo genera sacrorum. Patres, inquiens, nostri in monte hoc adorauerũt, uos autem dicitis, q̃ Hierosolymis est locus, ubi oporteat adorare. Primum, Adorare hoc loco non est tantum genua in precibus flectere, sed est omnia sacrorum genera, quibus deus colitur, facere, ut adorare sit Deum sacrifitijs, precibus, & alijs id genus sacris colere. Deinde, cum mulier dicit, Patres nostri in monte hoc adorauerunt, loquitur de monte Garisim, in quo fuit ędificatum templum ad exemplar templi Hierosolymitani, quod qua occasione sit ędificatum, non uidetur ab instituto alienum paucis cõmemorare, ut collatio Hierosolymitanorum & Samaritanorum sacrorum melius intelligatur. De Samaritanis, quos & Sichimitas uocarunt, supra dictum est. Cum igitur Darius ultimus, rerẽ Persicæ Monarchię potiretur, constituit Sanaballathum, Satrapam gentis Samaritanæ. Hic Sanaballathus dedit filiam suam in uxorẽ Manassæ, fratri Iaddi summi apud Iudæos Pontificis. Sed has nuptias abominabantur Iudæi, non tam q̃ odio haberent Samaritanos, q̃ q̃ iudicabant sacerdotalẽ dignitatem externis nuptijs prophanari. Vetant igitur Manassen ingredi sanctuarium, & sacra pro more facere. Quam contumeliam Manasses minime ferens, fugit ad Socerẽ, Satrapã Samaritanum, qui generẽ humaniter excipiens, promisit se templũ ad exẽplar Hierosolymitani, ædificaturum in monte Garisim, in quo ipse & posteri eius summo Pontificatu fungerentur. Postq̃ igitur Darius ab Alexandro Magno uictus esset, & Sanaballathus tradidisset Samariã Alexãdro, impetrauit ab eo, ut concessione eius ædificaretur templum in monte Garisim. Itaq̃ ædificatum est templum in Samaria, & instituta sunt in eo sacra Leuitica, quemadmodum peragebantur in templo Hierosolymitano, creatusq̃ est Manasses Pontifex templi, non tantum Satrapę, sed etiam Monarchę autoritate. Videbatur autem Manasses, se institutionis horum sacrorum iustas & pias caussas habere. Primum, q̃ cum Deus esset altissimus, delectaretur etiam in altissimo monte, qualis erat mons Garisim, coli. Deinde, quòd Manasse habebat à parte sua exemplum patriarcharum. In ijs enim locis instituit quondam altare patriarcha Iacob, & iussit Deus Israelitas recitare ibi benedictiones & maledictiones legis, quemadmodum scriptum est in Deuteronomio cap. uicesimo septimo, & in Iosua cap. octauo. Quare Manasses sentiebat se institutione horum sacrorum, maximum cultũ Deo prestare. Ab hoc aũt tempore multo maius dissidium oriebatur inter Iudęos & Samaritanos, q̃ unquam antea fuerat. Iudęi enim contendebant, in solo Hierosolymitano templo sacrificandũ. Samaritani autem iactabant in suo templo, exemplo patriarcharẽ sacrificandum. Ac multi Iudæorum autoritate Pontificis Manassæ permoti secedebant ad

Adorare quid sit.

Samaritani templi institutio.

Vide Iose. li. 11 ca. 7. & 8. & li. 12. ca. 1 de Antiquita.

bant ad sacra & cultus Samaritanorum. Sed & Iudæi in Ægypto habitantes rixabantur inter se de his templis. Alij em̃ mittebant ex Ægypto sacrifitia sua ad templum Hierosolymitanum, alij ad templum Samaritanum. Etsi autem tradunt Samaritanum templum Antiochi tempore consecratum fuisse in honorem Iouis Cretęi, ex hoc tamen Euangelij loco apparet pristinos ritus sacrorum in hoc templo post Antiochum restitutos fuisse. Cum igitur mulier Samaritana sciret publicam & diuturnam fuisse contentionem de sacris Hierosolymitanis & Samaritanis, rogat Christum, ut siquidem ipsa nunc post agnitũ peccatum, quęrat expiationẽ peccati, doceat quę sacra debeat facere, num Hierosolymitana, an Samaritana, & ad quod templum debeat sacrifitia sua mittere, quibus expiet peccata sua, & satisfaciat pro eis, coram Deo. Vides mulierem adhuc errare, non quidem affectu. Rectum enim est, agnito peccato, quęrere expiationem peccati, sed delectu. Peccatum enim non expiatur meritis sacrifitiorum, siue in templo Hierosolymitano, siue Samaritano offerantur, sed expiatur uno tantum sacrifitio domini nostri Iesu Christi, quod semel peractum, sanctificat omnes eos, qui credũt in Christum. De qua re quoniam Christus postea contionabitur mulieri grauiter & copiose, faciemus nunc finem dicendi, precantes DOMINVM, ut & nobis post peccatorꝫ agnitionem, clementer condonet remissionem eorum, propter Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Ioseph. li. 12. ca. 7. Antiquitatum.

HOMILIA XXXVII.



Ominus noster Iesus Christus, postq̃ resurrexisset à mortuis, aperiens mentem Apostolorum suorum, ut intelligerent scripturas, Sic scriptum est, inquit, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Quibus uerbis docet, ad consequendam iustitiam & salutem necessariam esse, primum, pœnitentiam, quæ fit ex agnitione peccatorum, deinde remissionem peccatorum in nomine Christi, quæ contingit per fidem propter Christũ. Cum igitur mulier Samaritana, in cuius historia explicanda nunc uersamur, peruenerit admonitu Christi, ad priorẽ illum gradum iustitię, qui est pœnitentia, seu agnitio, odium & detestatio peccati sui. Videamus nũc, quõ pducatur in alterꝫ gradum, q̃ est Remissio peccatorꝫ per fidẽ, ppter Christũ. Non em̃ satis est ad iustitiã corã deo habendã, agnouisse, odisse & detestari peccatum, nisi etiã consequaris

peccati remissionem. Beati, inquit, quorum remissę sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Non ait: Beati, qui tantum detestantur peccatum. Sed quorum peccata sunt remissa. Nam quemadmodū in recuperanda sanitate, non sufficit egroto, magnitudinem morbi nouisse, & abhorrere, sed admonēda est medicina, quæ morbum curet, ita in assequenda iustitia coram Deo, agnoscenda quidem est & detestanda iniustitia, sed adijcienda etiam est curatio, quæ est fides in Iesum Christum, propter quem solum iniustitia non imputatur coram deo. Postq̄ igitur mulier uidet grauitatem peccati sui, quærit curati-
» onem seu expiationem eius. Patres, inquiens, nostri in monte hoc a-
» dorauerunt, & uos dicitis, q̄ Hierosolymis est locus, ubi oporteat a-
» dorare. Agnosco & detestor peccatum meum. Reliquum igitur nunc est, ut queram expiationem peccati. Proponuntur autem mihi duplicia sacra, alia Hierosolymis, alia in hoc mōte, ac dubito, quę facienda suscipiā, ut expiem mea peccata. Obtestor igitur te, quem ex sermone intelligo prophetam & doctorem ueræ pietatis esse, ut cum reuelaueris mihi magnitudinem peccati, doceas etiam me quę sacra faciā, quorum meritis pro peccato meo SATISfaciam. Hæc mulier recta quidem incedit, q̄ post agnitionem peccati, non despondeat animum, sed inquirat peccati expiationem, in hoc autem errat, q̄ putet peccatū posse meritis suorum sacrorum, & operum expiari. Quare ut Christus antea reprehendit eam peccati, ita corrigit nunc errorem eius, ac
» docet ueram rationem consequendę remissionis peccatorum. Dicit ei
» Iesus: Mulier crede mihi, uenit hora, quādo neq̄ in monte hoc, neq̄
» Hierosolymis adorabitis patrem. Laudo quidem te q̄ non desperes de salute tua, quemadmodum Cain, in hoc autem nō laudo te, q̄ existimes te posse peccatum expiare meritis sacrifitiorum illorum, quæ uel in templo Hierosolymitano, uel in hoc Samaritano fiunt. Nulla sacrifitia templorum tanta sunt, ut possint coram deo peccata expiare. Quare prædico tibi, q̄ omnia illa sacra una cum templis suis abolenda sint, imo nunc tempus est, quo labefactari & interire incipiunt. Quod Christus hoc loco uaticinatur, uidelicet sacra Mosaica una cū templis suis abolenda esse, uidebatur tunc admirandū & stupēdum, ac tam incredibile iudicabatur, q̄ si quis superioribus annis in regno Pontifitio uaticinatus esset, Sacrifitium Missæ, quod offerri solet pro peccatis uiuorum & mortuorum, breui una cum collegijs sacrificulorum & Monachorum abrogandum. Quis non iudicasset talem uatem aut delyrare aut insanire? Et tamen Monsaica sacra diuinitus fuerunt instituta, cum sacrifitium Missæ pro peccatis uiuorum & mortuorum, sit non humanum tantum, sed etiam Satanicum inuentum. Sed quod Christus uaticinatus est, hoc res ipsa testatur euenisse.

Missæ sacrifitiorum, inuentum Satanicū.

euenisse. Templum enim Hierosolymitanũ unà cum sacris suis, paucis post annis, ita subuersum est, ut postea nulla humana, ne quidem Cæsarea aut Imperatoria potentia restitui potuerit. Iulianus ille, cognomento Apostata, Romanus imperator iussit Iudæos restaurare dirutum suum templum, & reuocare Mosaicum usum sacrificandi. Addidit præterea sumptum & præsidia. Sperabat enim omnino fore, ut restitutis Mosaicis sacris, uaticinium Iesu Christi, quem uirulentissimo odio prosequebatur, publice conuinceretur mendatij. Itaq; Iudæi adiuti Cęsarea autoritate et potẽtia toto animo & oĩ studio in ędifitiũ templi incumbebant. Sed maior erat potentia Christi q̃ hominum. Initio enim prohibebant conatus eorum ruinę fossarum, deinde horrenda uis uentorum, postea terręmotus. Sed cum ne sic quidem ab incepto desisterent, ignis subito è fundamentis egrediens tanto impetu grassatus est, ut alios mutilauerit, alios prorsus absumpserit. Quare ut omnis conatus eorum irritus fuit, ita ueritas et maiestas Christi clarissime illustrata est. Cæterum, quam caussam abrogationis Mosaicorum sacrorum significat Christus hoc loco, eam perspicue cõmemorat epistola ad Hebręos, Abrogatur, inquiens, quod pręcessit pręceptum, propter imbecillitatem & inutilitatẽ. Nam nihil ad perfectionẽ adduxit lex, uerum erat introductio ad spem potiorẽ. Hoc etsi totam legem Mosi pro sua ratione comprehendit, tamen loquimur nunc tãtum de sacris Mosaicis, quæ sunt per se imbecilliora, q̃ ut possint cultorem reddere iustũ, & inutiliora, q̃ ut queant expiare peccata coram Deo. Non enim potest (inquit) sanguis taurorum & hircorum auferre peccata. Dices ergo, si Mosaica sacra, quæ peragebantur ex prescripto diuinę legis in templo Hierosolymitano, fuerunt per se ad expiatiationem peccatorum coram Deo imbecillia & inutilia, quæ est differentia, quod discrimen inter hæc, & sacra quę peragebantur in templo Samaritano? Nam nec hęc nec illa iustificabant cultores suos. Quid ergo sacra templi Hierosolymitani præferuntur sacris templi Samaritani? De hac re contionatur nunc Christus, & ait. Vos adoratis, quod nescitis, nos adoramus, quod scimus, quia Salus ex Iudæis est. Etsi nec ista nec illa sacra iustificant per se homines coram Deo, & utraque abolebuntur propter imbecillitatem & inutilitatem, tamen si inter se conferantur, alia sunt laudanda alia refutanda. Vos Samaritani adoratis, quod nescitis. Non estis certi de cultu uestro. Non habetis uerbum Dei, quo istiusmodi cultus institueretur. Et commiscuistis sacra uestra cum ritibus gentium. Nam templum Samaritanum & sacra eius fuerunt tribus nominibus impia. Vno, quod instituta erant sine uerbo Dei, tantum ad exemplar templi Hierosolymitani, cum uerbo Dei cautum esset,

Iulianus Imperator conatus est restituere sacra Mosaica.

Samaritanorũ sacrorum impietas.

ne offerrẽt in quouis loco holocausta sua, sed in eo, inquit lex, quem elegerit DOMINVS, in una tribuum tuarum. Et iterum. Quod præcipio tibi, hoc tantũ facias DOMINO, nec addas quicq̃ nec minuas. Altero, q̃ Samaritani non contenti sacris in lege traditis, admiscuerint etiam sacra fictitiorum deorum, quemadmodum scriptũ est in quarto libro Reg. cap. xvij. Talia sunt & sacra Pontifitia. Hæc enim collecta sunt partim ex ritibus Iudaicis, partim ex ritibus Gentium, partim ex scriptura, partim ex ijs quę sunt humana sapientia excogitata, ex quibus conflatum est unum quasi corpus religionis, Sed quam deus merito destatur. Tertio, q̃ Samaritani faciebãt sua sacra, ut meritis eorum expiarent peccata, & consequerentur cœlestem salutem, id quod est commune cum opinione omnium impiorum hypocritarum. Quare templum & sacra Samaritana nihil prorsus habuerunt utilitatis, sed fuerunt plena impietatis, ideoq̃ dignissima, quæ oẽs pij detestarentur & fugerent. Nos autem, inquit Christus, adoramus, quod scimus. Nos Iudęi (nam & Christus ex Iudęis erat) sumus certi de cultu nostro ex uerbo Dei. Etsi enim sacra, quę hactenus peracta sunt in templo Hierosolymitano, non expiant uere peccata corã Deo, & multi hypocritę his sacris impie abusi sunt, tamẽ fuerunt suo tempore & loco pia sacra. Primum, q̃ sint diuinitus instituta, quemadmodum scriptura testatur, deinde q̃ adumbrent ueram expiationem peccatorum, quę fit per Messiam seu Christum, adeoq̃ sunt cõtiones de sacrifitio Messię, quod solum est uera peccatorum expiatio. Salus enim est ex Iudęis. Hoc est memorabile dictum, & uerę Euangelion. Salus, inquit, ex Iudęis est, non ex Samaritanis. Nunquid ergo salus idcirco ex Iudęis est, q̃ fuerint apud Iudæos in templo Hierosolymitano legitima sacra? Hoc quidem nõ nihil est, Sed si de hac re proprie loquendum est, salus ideo ex Iudęis esse dicitur, q̃ diuinitus fuerit promissum, Messiam seu Christum, qui solus est Salus nostra, uenturum ex Iudæis, & q̃ etiam Christus iam ex Iudęis uenerit. Postq̃ enim Adam initio peccauit, & amisit non tantum suam, sed etiam totius humani generis salutem propter peccatum, non fuit alia reliqua spes recuperandę amissę salutis, q̃ ut peccatum expiaretur, & deus reconciliaretur. Nihil autem fuit in tota rerum natura, inter oẽs creaturas, quod ausum fuit sese irę Dei opponere, & suscipere offitiũ pacificationis. Non homo quispiã. Homo emẽ ipse erat iã hostis dei. Non angelus. Maior enim & horribilior est ira dei, q̃ quę à creatura quamuis excellentissima sustineri queat. Sileat, inquit Abacuc, à facie dei oĩs terra, imo sileat etiam à facie dei omne cœlum. Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem. Quare cum nulla creatura nec in cœlo nec in terra inueniretur, quę idonea esset ad pla-

Sacrorũ Hierosolymitanorum pietas.

esset ad placandam iram Dei, & ad expiandum peccatum hominis, & tamen Deus, quãuis iratissimus, misereret pro immẽsa sua clementia calamitatis creaturæ suæ, assensus est unigenito filio suo, ut ipse susciperet offitium expiandi peccati, & placandæ irę diuinæ. Peccatum autem ab homine designatum, non expiatur nisi supplitio hominis. Filius autem Dei non potuit ferre supplitium hominis, nisi hominem ipse assumeret, ac homo fieret. Itaqꝫ postq̃ homo peccasset, & salutem amisisset, promisit Deus filium suum nasciturum hominem ex muliere, qui conterat potentiam Satanæ, hoc est, expiaret peccatũ & aboleret mortem, ut omnis qui crederet in eum, reconciliaretur cũ Deo, & recuperaret amissam salutem. Dicit enim ad serpentem, hoc est, Satanam, Semen mulieris conteret caput tuum. Nondum autẽ definitum erat manifesto uerbo, ex qua hominum familia nasciturus esset filius Dei. Quare Deus postea definiuit familiam expresse, dicẽs ad Abrahamum: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Post Abrahamum igitur filius Dei in nulla alia familia requirendus erat, cꝫ in familia Abrahami. Sed quia posteritas Abrahæ in uarias familias diuidebatur, iccirco Deus paulo post iterum designauit per patriarcham Iacob certam familiam, ex qua uenturus esset filius Dei, uidelicet familiam Iudæ, pronepotis Abrahæ, quæ cum & ipsa in uaria genera diuideretur, uentum est tandem ad familiam Dauidis, de qua filium Dei nasciturum tantisper per prophetas diuino spiritu prædicatum est, dum natus est ex Maria uirgine, quæ genus suum è familia Dauidis duxit. Et quod promissionibus prædicabatur de filio Dei, uidelicet, cꝫ assumpturus esset hominem, & sanguine suo expiaturus peccatum, hoc idem significabatur usitatis inter Iudæos sacrifitijs. Quare, cum non solum promissiones & sacrifitia, quibus Christus filius Dei adumbratus est, inter Iudæos conseruata sint, uerumetiam Christus ex Iudæorum gente natus sit, rectissime dictum est, Salutẽ esse ex Iudæis. Sed hic mihi uide horribilem rerum mutationem. Iudæi fuerunt quondam selectissimus populus Dei, & tanta dignitate à Deo ornatus, ut ex ipsis prodierit in hanc lucem uera & perpetua hominis salus. Nunc autem sunt populus à Deo longe omnium abiectissimus, ex quo nihil in hunc mundum prodit, nisi execrabiles impietates, uirulentissima odia aduersum DOMINVM & Christum eius, ac iniquissima inter homines fœnora, ut non commemorem alia flagitia, quæ sunt ipsis cum quibusuis sceleratis communia. Gentes uero incircumcisę, ex quibus et nos genus nostrum ducimus, erant quondam à deo alienissimę, ex quibus nihil unqꝫ uere salutare prodijt, Artes quasdam, & pręcepta quędam huius politicę uitę excoluerũt. Sed hęc, ut sunt in suo genere utilia, ita prorsus nullã afferunt

Peccatum supplicio expiatur.

ueram ſalutem. Nunc autem, o' fœliciſſimos dies, Euangelion ueræ ſalutis inter nos gentes ita ſonat, ut niſi eam inter nos quæras & accipias, perpetuo tibi ſit pereundum. Vnde iſta tanta rerum mutatio, & inuerſio? Num extat aliquod meritum noſtrum, propter quod Deus tanta in nos benefitia contulit? Plane nullum, ac ne minimum quidē. Clementia Dei eſt, non humanum meritum. Nam quemadmodum Deus uſus eſt ſeueritate ſua erga ingratos Iudæos, q̃ abiecerit eos in extremam internitionem, quia ueram ſalutem ob oculos poſitam impie & peruicaciter contempſerūt, ita uſus eſt erga nos bonitate & clementia ſua, q̃ nobis infernum potius q̃ cœlum meritis, reuelauerit ueram uiam cœleſtis ſalutis. Sed quid? Si Deus, inquit Paulus, naturalibus ramis nō pepercit, uide ne qua fiat, ut nec tibi parcat. Ecce bonitatem & ſeueritatem Dei. In eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatē, in te uero bonitatem, ſi permanſeris in bonitate. Quare id agamus, eo tendamus, ut benefitium, quod Deus in nos immeritos contulit, fide et obedientia conſeruemus, per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXXVIII.

Ocuit Chriſtus diſcrimen inter ſacra Hieroſolymitana & Samaritana, & addidit uaticinium, fore, ut utraq̃ ſacra breui aboleantur. Etſi enim ſacra Hieroſolymitana longe ſuperāt dignitate ſua ſacra Samaritana, tamen qualiacunq̃ ſint, non expiant peccata corā Deo, nec reconciliant cultores cū deo. Et erant inſtituta, non ut perpetuo uſq̃ ad conſummationem ſeculi, perdurarent, ſed ut tantiſper conſiſterent, dum reſpub. Iſraelitica incolumis ſtaret, & carnalis Iſrael, populus dei eſſet. Quare nō fuit iniquum, ut ea ſacra ſuo tempore abrogarentur. Dices ergo, Quid? Si non Samaritana tantū, ſed etiam Hieroſolymitana ſacra abolenda ſunt, quę manebit adoratio, quis cultus, quæ religio? Nemo deum amplius colet. Nemo aliquid boni faciet. Quæ eſt hæc miranda, & inuſitata, imo, ut uidetur,
» heretica doctrina? De hac re diſſerit nunc Chriſtus & ait. Sed uenit
» hora & nunc eſt, quando ueri adoratores adorabūt patrem ſpiritu &
» ueritate. Nam & pater tales quęrit, qui adorēt ipſum. Spiritus eſt De
» us, & eos qui adorant eum, ſpiritu ac ueritate oportet adorare. Quod Chriſtus cum muliere loquitur, hanc ſentētiam habet. Non iubeo te uel Hieroſolymis, uel in hoc monte ſacra facere, primum, quia nulla horę ſacrorę expiant pctā, deinde quia iam in propinquo eſt, ut aboleant. Etſi em̄ ſacra Hieroſolymitana habuerunt ſuperiori ętate ſuum uſum, tamen

usum, tamen nunc tempus illud est, quod affert finem usus eorꝝ. Nihil ergo boni amplius faciam? nec ullam sectabor religionem? Absit. Ab hoc enim tempore Deus colendus est sacris, non quidem carnalibus, sed spiritualibus, non adumbratis, sed ueris. Deus enim quærit tales cultores & adoratores, qualis ipse est. Deus autem non est caro, aut umbra, sed est spiritus & ueritas. Quare uult etiam spiritualiter & uere coli. Quid? Si oportet nos Deū adorare spiritu & uult Deus coli spiritualiter, ergo necesse habebimus oēs fieri monachi & eremitæ, quos hactenus uocarunt, spirituales? Nihil certe minus. Abeat hypocriticus ille monachismus, quem superstitiosi, aut excogitarunt, aut sectantur & tuentur. Nam Christus non loquitur de monastico cultu, quem antea nomine cultus Samaritani damnauit, sed loquit de uero & spirituali cultu Dei. Audiamus igitur quid sit Deū spiritualiter ac uere colere. Et quia spiritus opponitur carni & ueritas umbris, uideamus ante, quis sit carnalis & adumbratus cultus Dei, ut eo melius intelligamus, qs sit spiritualis & uerus Dei cultus. Carnalis ergo & adumbratus cultus Dei est, qui constat externis, & certis personis, cerimonijs, ritibus, locis & temporibus, in hoc institutus, nō ut per se sanctificet cultorem coram Deo, sed ut admoneat eum de uera sanctificatione. Spiritualis autem & uerus cultus dei est, qui ut à spiritu sancto proficiscitur, ita affert cultori ueram iustitiam & salutem. Ac primū, offerre holocaustum, aut aliud genus sacrificij, quod lex Mosi describit, est cultus Dei carnalis, & adumbratus. Carnalis, qp erat terminatus certo loco in Hierusalem, & certis cerimonijs, ac personis. Non enim licebat in alio loco offerre holocaustum, prętercp in eo, qui publice definitus erat. Nec mutare licebat ritus & cerimonias sacrificij, nec permittebatur, ut alius præter sacerdotē Aheronici generis, sanguinem sacrificij funderet. Adumbratus autem, quia nihil ualet ex opere, ut uocant, operato, nec est perfectus Dei cultus, etiamsi quispiā multa millia boum ac ouium offerret, sed fuit cultus aliud significās, & adumbrans. Nam quemadmodum pictores solent in pingēda hominis aut alterius rei forma, primum oīm obscuram quandā & tenuem effigiem carbone utuncp notare, quæ nondū est uera rei imago, sed tm̄ adumbrata, quę & abolet inducta & expressa uera rei effigie, ita & spūs sanctus cum instituisset ueros dei cultus, quibus iustitia & salus paratur, describere, pinxit initio externa & carnalia sacra, quæ essent qualiscuncp uerorꝝ cultuum Dei imago, & spiritualiū umbra. In quorum numero principem obtinent locum sacrifitia seu oblationes. Primus enim externus cultus dei in orbe terrę describitur oblatio Cain & Abelis, primus itē post diluuium est oblatio holocaustorum Noë. Sacrificauit et Abraham priuscp circumcisus esset. Spūalis

Adorare Deum spiritu ac ueritate quid sit.

Cultus Dei carnalis quid sit.

autem & uerus dei cultus est Sacrifitium illud, quo Iesus Christus u-
nigenitus filius dei obtulit seipsum deo patri suo in cruce pro pecca-
tis hoim. Etsi enim hoc sacrifitium peractum est per certam personā,
& in certo loco, non tamen est carnale sed spirituale sacrifitium. Non
sunt autem obscurę caussę, cur hoc sacrifitium proprie dicatur spiritu
ale sacrifitium. Vna est, ꝙ qui hoc sacrifitium peregit, uere fuerit spi
ritualis, tum ꝙ fuerit homo ex spū sancto conceptus, & excellentissi-
mis donis spūs sancti ornatus, tum ꝙ sit Deus, qui est essentia sua æ-
ternus spūs. Altera est, ꝙ hoc sacrifitium non habuerit ullam externā
& carnalem speciē sacrificij, sed necesse fuerit ut iuditio spūs pro sa-
crificio cognosceretur. Christus enim captus & ductus est ad crucem
à militibus & carnificibus, non ut innocens ad sacrifitium, sed ut no-
centissimus ad supplitiū. Nos reputauimus eum, inquit Esaias, tanq̃
plaga percussum à deo & infirmatum. Putauerūt em̃ hoīes Iesum pro
pter sua ipsius delicta afflictum, tm̃ abfuit, ut supplitium eus iudica-
retur esse sacrifitium pro alienis delictis. Quare cum hoc sacrifitium
solo spiritus iuditio cognitum sit, proprie dicendum est spūale sacri-
fitium. Sed est etiam Verę sacrifitium, propterea ꝙ hoc illud sit sacri
fitium, quo solo peccata hoīm uere corā Deo expiata sint, & q̃d solū
Dño Deo nostro uere placuerit. Sacrifitia em̃ legis, etsi etiā ipsa pro
suo modo fuerunt cultus deo acceptus, tm̃ hic cultus non fuit tanti mo
menti, ut potuerit pctā expiare, & deum hoibus reconciliare. Nullus
aūt unq̃ cultus in terris peractus est, qui & perfectior, & dño deo no
stro gratior atq̃ acceptior fuerit, q̃ sacrifitium filij dei. Ac Deus hoc
cultu intantum delectatus fuit, ut propter ipsum non solū extulerit fi-
lium suum in summā oīm maiestatem, uerę etiam reconciliatus sit cū
omnibus his hoibus, qui credunt in filium, ac adoptet ipsos in filios
& hęredes cœlestis regni. Quare cum de uero & perfecto cultu Dei,
ac sacrificio sermo est, non aliud intelligas, q̃ sacrifitium Dñi nostri
Iesu Christi, quod semel per ipsum in cruce peractum est. Sed quidꝫ
inqes. Cum solus Christus uerę, perfectum, & spūale sacrifitium ob-
tulerit deo patri suo, num solus ipse est, qui adorauit patrē spū & ue-
ritate? Recte. Qui solus est uerus ueri dei filius, & uere spūalis, solus
etiā adorauit patrē spiritu & ueritate. Sed quia fides, quę est in Chri
stum, facit credentes unum corpus cum Christo, idcirco, qui credit in
Christū, is etiā adorat patrē spiritu & ueritate. Credere igit̃ in Chri-
stum, est uerus & spiritualis dei cultus, nec potest deo ab hoibus gra-
tior & acceptior hoc cultu pręstari, primū, quia deus iussit Christum
filium suū audire. Hunc, inquiens, audite. Melior aūt est obedientia,
q̃ uictimę, & auscultare magis, q̃ offerre adipē arietum, deinde, qui
credit in Christū, tribuit deo honorē ueritatis. Promisit em̃ deus in
Christo

Cultus dei spiritualis, quis sit.

Credere in Christum, cultus Deo gratissimus.

Christo filio suo benedictionem. Quare qui accipit filium fide, ut consequatur benedictionem, is iudicat deum esse ueracem. Maximus autem oim honor est, uerax haberi. Preterea, qui credit in Christum, offert fide sua Deo patri Christum pro pctis sacrificatum. Nullum autem Deo acceptius unq; sacrifitium fuit, q; quod peregit Christus filius eius. Nullus igitur potest Deo maior & excellentior, ac etiam gratior cultus prestari, q; ut credamus in Christum filium eius, q ipse expiauerit pctã nostra, & redemerit nos à potestate Satanæ. Omne iuditiũ, inqt, dedit pater filio, ut oẽs honorent filiũ, sicut honorãt patrem. Qui non honorat filium, non honorat patrẽ, qui misit illũ. Hic aũt cultus, uidelicet credere in Christum, dicitur spũalis, nõ tam hoc noie, q spũs sanctus sit autor fidei in credentibus, q; q non sit alligatus ad unam gentẽ & locum, quẽadmodum cultus Leuiticus, sed q per spũm sanctum uulgatus sit uerbo Euangelij in totum orbẽ terrę, inter oẽs gentes, de quo Malachias ita cõcionat. Ab ortu solis usq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus dicit Dñs Zebaoth, & in oi loco sacrificat & offert nomini meo oblatio munda. Dicitur etiã uerus ac perfectus dei cultus. Etsi em̃ fides in hoibus semper habet suã imbecillitatẽ, tñ Christus, qui per fidem accipitur, totus perfectus est, q ut uere expiauit pctã nostra corã deo, ita cõpensat sua perfectiõe oẽs credentiũ imbecillitates. Reuertamur ergo nũc ad mulierẽ, & uideamus quid eam Christus his uerbis, Veri adoratores adorabunt patrẽ spũ ac ueritate, docere uoluerit. Mulier em̃ petijt doceri, q sacra debeat facere, ut expiet pctã sua, Christus ergo nõ ablegat eã ad sacra uel Hierosolymitana uel Samaritana, q certis locis et cerimonijs externis ac Leuiticis peragebant, sed uocat eã ad hũc dei cultũ, q erat in toto orbe terrarũ per Euãgelion instituẽdus, qui est, fides in Christũ, ac significat ei, q necesse habeat in Christũ credere, ppter quem solũ possit cõsequi remissionẽ pctõrũ. Qui em̃ in Christum credit, is adorat & colit patrẽ spũ ac ueritate. Deinde in numero diuinorũ cultum recenset etiam: Adolere thymiamata. Hic aũt cultus est carnalis et adumbratus. Non em̃ licebat hũc cultũ peragere, nisi in certo loco, & certis cerimonijs, nec deus uere adoratus & inuocatus erat, etiãsi incẽdisses multum thuris & odorũ. Spũalis aũt & uerus dei cultus est adorare & inuocare patrẽ spũ & ueritate. Hunc cultũ solus Iesus Christus perfecte pstare potuit Deo. Christus em̃ est solus uerus, unigenitus & æternus Dei patris filius, & conceptus est homo in utero uirginis uirtute altissimi, ac potẽtia spũsancti. Quare solus ipse adorauit et in uocauit Deum uere ac spiritualiter ut patrẽ, de quo & uicissim pater ipse testat, Hic est, inquiens, filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacitum est. Quid igitur dicemus de nobis hoibus? nullus ne est

Fides, est uerus cultus Dei.

Adolere thymiama, est cultus carnalis.

inter hoīes, qui possit deum uere ac spūaliter ut patrē inuocare? Nullus certe id potest sua quidem ipsius natura. Sed quemadmodum hi, qui credunt in Christum, efficiuntur membra Christi, & adoptātur in filios dei propter Christum, ita concipiunt etiam ex fide spiritum adoptionis, ut possint deum uere & ex animo ut patrem inuocare, idque non natura sua, qua corrupti sunt pctō, sed diuina gratia, propter Christum. Accepistis, inquit Paulus, spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Reliquum ergo est, q̃ nec̃ idololatrę Ethnici, nec̃ Iudęi, quales hoc tempore sunt Iudęi, nec̃ Turcę, nec̃ hypocritę uere adorent aut inuocent deum patrem, etiāsi multis uerbis, & ardenti desiderio clamauerint ad deum. Aut enim ignorant, aut contemnunt & persequuntur filium dei, qui ut solus adorauit deum patrē suum spiritu et ueritate, ita soli hi uere et spiritualiter adorāt deum patrem qui credunt in ipsum. Et hic cultus dei nō est alligatus ad unum tantum locum, in unā tantum regionē, & ad unā tantum gentē, sed est uulgatus per Euangelion Christi in totum orbem terræ, ut quisq̃s, siue Græcus siue Scytha, siue Germanus siue Hispanus, siue dns siue seruus, crediderit in Iesum Christum, inuocet deum ut patrem spiritu ac ueritate. Quare si tu, ō mulier, uolueris cōsequi hęreditatē cœlestē, non est tibi peregrinādum uel ad templū Hierosolymitanū uel ad tēplum Samaritanū, ut noīe tuo adoleatur incensum, sed est tibi credendum in Christum, et inuocandus est Deus pater ē spiritu Christi. Sic em̄ fiet, ut deus agnoscat te filiā suā, ac faciat te hęredē oīm cœlestium bonorum. Præterea ē catalogo diuinorū cultuum numerātur Circumcisio, sanctificatio p̃ aquā expiationis, abstinētia à carne suilla, & multa id genus alia, q̃ in lege Mosi descripta sunt. Sed et hi cultus nō sunt nisi carnales & adumbrati. Tametsi em̄ hęc oīa diligentissime obseruaueris, tamē nōdum uere es corā deo circumcisus et sanctificatus. Solus Christus filius dei uere fuit ac spiritualiter circumcisus atq̃ sanctificatus, propterea q̃ peccatum nō fecerit, nec unq̃ fuerit dolus in ore eius. Sed et nos, qui credimus in Christum circumcidimur et sanctificamur uere ac spiritualiter, primū, quia propter Christum nō imputant nobis pctā, deinde, quia datur nobis spiritus, quo mortificamus reliqas carnis, ut discamus deū diligere ex toto corde, & proximum sicut nos ipsos. Etsi enim hi cultus dei nō fiunt perfecte in hac nostra carne, tamē ubi est fides in Christum, ibi cōpensat p̃ Christum, q̃d operibus nostris deest. Christus em̄ est iustitia, sanctificatio & redemptio nostra. Quare si quis uoluerit deū adorare & colere non necesse habet uel ad Hierusalē uel ad montē Samaritanū proficisci, sed colat deum spū et ueritate, hoc est, credat in Christum, inuocet deum patrē ex fide Christi, & mortificet ex spiritu Christi reliquias carnis suę, ut ex fide ambulet in uocatiōe dei. Quod qui fecerit, ut uere ac spūaliter

Circumcisio est cultus carnalis.

colit deum, ita ueram & ſpiritualem adeoq; cœleſtem & perpetuam cõſequetur hereditatẽ. Porro Chriſtus addit hoc loco cauſſam cur deus nõ uelit agnoſcere carnales & adumbratos, ſed ſpũales ac ueros cultores. Pater, inquiens, tales querit, qui adorent ipſum. Spiritus eſt deus, & eos qui adorãt eum, ſpũ ac ueritate oportet adorare. Hęc eſt manifeſta raciocinatio. Pater tales q̃rit adoratores & cultores, qualis ipſe eſt. Quid poteſt uerius dici? quis poſſet hoc negare? quis neſcit, Simile gaudere ſimili? quis ignorat, non poſſe inter eos bene conuenire, qui ſunt diſparis cõditionis, ac diuerſorũ ſtudiorũ? Quis ergo, aut qualis eſt DEVS? Deus (inqt) eſt ſpũs. Memorabile dictum, q̃d ut melius intelligatur, conſiderabimus initio antitheſim. Spũs enim opponitur carni. Deus igitur nõ eſt CARO. Si aũt non eſt caro, quõ q̃rereret cultores carnales? Cęterũ, cum dicimus deum non eſſe carnẽ, primũ intelligit deũ natura & eſſentia ſua nõ eſſe carnalẽ aut corporalẽ, ſicut hõ, aut aliud genus aiantis. Etſi em̃ filius dei, qui eſt natura unus uerus, & ęternus deus cũ patre, aſſumpſit hoiem, Deus tm̃ ipſe ſecundum ſuã eſſentiã non habet humanã effigiẽ, non habet corporales oculos manus & pedes. Deinde intelligit deum non iudicare ſecundũ carnalẽ rationẽ, nec reſpicere carnales cultus, nec coli, ut Paulus ait, humanis manibus, nec includi in unũ locum, ut caro, aut in unũ certũ genus ueſtis, ciborũ, & aliarũ id genus rerũ. Quare, qui ſentiunt Deũ placari, ſi hoies geſtauerint nigrã aut cęruleã ueſtẽ, ac delectari ſi homines abſtineãt ſe à carne ſuilla, aut ſi ueſcantur piſcibus tm̃, & non carnibus, hi impie affingunt diuinę naturę carnalẽ effigiẽ, q̃ quid poteſt eſſe horribilius? Deus enim non eſt CARO, ſed eſt SPũS. Non eſt aũt unum tm̃ genus ſpiritus. Sunt em̃ et Angeli ſpũs. Qui creat, inqt, angelos ſuos ſpiritus. Et oẽs angeli ſunt adminiſtratorij ſpiritus. Deus aũt multo excellentior eſt ſpũs. Illi em̃ ſunt creati, & quanq̃ in ęternum uiuent, non tm̃ fuerunt ab ęterno. Hic aũt eſt ſpũs ipſe quidẽ increatus, oim aũt rerũ creator, ac non ſolum in æternum pmanſurus, ſed etiã ab ęterno uere exiſtens, ut ſine fine, ita etiã ſine initio. Vocat & tertia perſona in diuina natura ſpũs cognomine Sanctus. Hoc autẽ loco, cum deus dicit eſſe ſpũs, uocabulum ſpũs ita accipiẽdum eſt, ut ſit cõe oibus perſonis, in diuina natura. Pater em̃ ſpũs eſt, filius ſpũs eſt, Spũs ſanctus, ſpũs eſt, qui qualis ſit ſubſtãtia, nulla humana ratio in hoc ſeculo cõprehẽdere poteſt. Cœlum & terrã ego impleo, dicit Dñs. Et, Lucẽ habitat inacceſſam. Neq; em̃ quiſq; unq; uidit deum. Vnigenitus aũt filius q̃ eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit nobis. Quare filius dei, q̃ eſt Ieſus Chriſtus ſeruator noſter cognoſcẽdus eſt, ut cognita p ipſum in hoc ſeculo uoluntate dei, cognoſcamus Deũ ipſum in uenturo ſeculo, quẽadmodũ nos nũc ab ipſo cogniti ſumus. Sed ut ad

Deus eſt ſpiritus.

Angeli ſunt ſpiritus creati.

institutum redeamus, cum Deus sit spūs, quid ex eo sequit? Supra dictum est, ꝙ Deus tales quęrat cultores, qualis ipse est. Cum igitur deus sit spūs & non caro, manifeste sequit, ꝙ quęrat etiam cultores spūales & non carnales. Ergo, inqs, nullus hoīm potest esse uerus cultor dei? Oēs enim hoīes sunt natura sua carnales. Vndę & carnis noīe homo in sacra scriptura sępenumero significat. Et si externus Dei cultus est carnalis, nec respicit à Deo, quid dicemus de externis nostris precibus? quid de externa prędicatione Euāgelij? quid de externis operibus caritatis, quę unusquisqꝫ proximo suo debet? Num dicemus hęc oīa esse carnalia, ideoqꝫ deo abominabilia? De hac re etiā paulo āte q̄dam diximus. Nullus em̄ hoīm natura sua uerus est cultor dei, nec hominū opa per se sunt uerus dei cultus, quippe ꝙ tam hoīes ipsi q̄ꝫ opera eorꝝ sunt natura sua CARO. Quid ergo? Abrjciemus ne oēm spē salutis nostræ? Nihil certe minus. Nulla q̄dem reliqua esset spes salutis, si ita carnales essemus, ut nullo modo possemus fieri spūales. Sed bene habet. Etsi natura nostra sumus carnales, tm̄ possumus gratia dei per Christum fieri spūales, possunt & opa nostra fieri spiritualia, quātumuis carnalem speciē habeant. Nam si acceperimus Christum per fidem, primum quidem nos ipsi reputamur coram Deo spirituales, propter Christum. Is enim totus est spiritualis, & quia donat se credentibus in ipsum, una cum oībus suis bonis, perspicuum est, quod & donet credentibus in ipsum, ut reputentur spirituales. Deinde opera eorum iudicantur spiritualia. Non est nobis nunc sermo de malis operibus seu sceleribus. Hæc enim non sunt opera diuini, sed maligni spiritus, & ut non possunt fieri ex fide Christi, ita excutiunt hominibus Christum, sed loquimur de bonis operibus, quæ uel generalibus Dei præceptis, uel personalibus ijsqꝫ legitimis uocationibus exiguntur. Generale opus est, Adiuuare egenum operibus, aut consolari afflictum, aut honorare parentes, aut pudica loqui, aut sobrietatem sectari, & infinita alia. Personale opus est prędicare Euangelion Christi, tueri fines ab excursionibus hostium, educare liberos, purgare domum, exercere opifitium. Hæc omnia, carnalia quidem sunt, si consideres externam speciem, & fiant ab hominibus, qui adhuc sunt carnales. Sed sunt spiritualia, si fiant ab hominibus spiritu renatis, et considerentur secundum fidem in Christum, ex qua prj ea faciunt. Etsi enim hæc hominum piorum opera non sunt ex omni parte spiritualia, quippe quòd adhuc multum carnis admixtum sit, tamen iudicantur coram Deo uere spiritualia propter Christum, qui se totum cum omnibus bonis suis credenti donauit. Audiamus igitur Euangelion Christi, discamus Christum, credamus in Christum, ut renati è spiritu Christi, & facti spirituales, colamus, adoremus & inuocemus Deum spi-

Hoīes fiunt spirituales quomodo?

Spiritualia opera quæ sint

Deum ſpiritu & ueritate per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrꝫ, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXXIX.

Stendimus, uerum & ſpiritualem cultum Dei eſſe, Credere in Chriſtum, et inuocare Deum patrem ex fide Chriſti, q̃ cultus, etſi tum primũ inter gentes reuelatus & uulgatus eſt, cum Apoſtoli, ornati donis ſpiritus ſancti, emiſſi ſunt poſt Pentecoſten, ad prędicandum Euangelion in toto orbe terrę, tñ nunq̃ non habuit ſuum in hac terra locum. Nam patriarchæ, prophetę & oẽs pñ, qui fuerũt ante aduentũ Chriſti & uerſati ſunt in medijs carnalibus Dei ſacris, peregerunt uerum & ſpiritualẽ cultum, quia crediderũt in Chriſtum, nondum quidem carne, attamen promiſſiõe reuelatum, & adorauerunt patrem ex fide Chriſti. Quare quod Chriſtus cõtionatus eſt mulieri de uera & ſpirituali adoratione patris, non ſentit hãc non fuiſſe antea inter pios patriarchas, ſed ſignificat eam nunc eſſe prędicatione Euangelij in totum orbem terrę uulgandam, ut hominibus propior fiat ſalus, quemadmodum Paulus loquit, q̃ tum cum credebamus. Ac de hoc quidẽ ſpirituali cultu Dei, ſatis, quantum ad hoc noſtrum argumentum attinet, ſuperiori die dixiſſe uidemur. Audiamus nunc mulierem. Dicit ei mulier. Scio q̃ Meſſias aduenit, qui dicitur Chriſtus. Cum ergo uenerit ille, nũciabit nobis omnia. Quod mulier dicit, hanc habet ſententiam. Intelligo te contionari de ſalute, quę nobis continget per Meſſiã. Scio aũt tempus modo eſſe, quo Meſſias aduenire debeat, ut exponat nobis oẽm ueritatẽ, & reſtituat oĩa quę tam in religiõe, q̃ in politica uita collapſa ſunt. Obſecro igit te, dicito mihi, num Meſſias iã aduenerit, & q̃s ſit ille Meſſias. Duo cõmemorat mulier de Meſſia ſeu Chriſto. Alterꝫ eſt, de aduentu Chriſti. Alterꝫ de offitio Chriſti. Ac initio ait ſe ſcire, Chriſtũ iam aduenire. Etſi aũt ad alia explicãda ꝓperandũ nobis eſt, tñ hoc ꝓtereundum nõ uidet, q̃ hęc mulier alioqui inhoneſta, non fuerit ignara ſuę religiõis. Nõ laudamus, nec excuſamus inhoneſtatẽ ꝓpter aliquã religiõis cognitionẽ, attamẽ inhoneſta hęc mulier in hoc excellit multos honeſtos hoĩes, qui ducũt quidẽ uitã corã humano iuditio inculpatã, rebus aũt terrenis ita immerſi ſunt, ut nullã prorſus habeant curã cognoſcendę religiõis, ac ſentiant eã rem prorſus nihil ad ſe pertinere. Hi certe tãto ſeuerius iudicabuntur, quãto clarius hoc opere Euangelion Chriſti publice prędicatur. Cæterꝫ ex uerbis mulieris manifeſte cognoſcit, q̃ eo tẽpore publica fama uulgatũ fuerit, tẽpus iã aduenisſe, quo Chriſtus uenturus ſit in

Aduentus Chriſti tempus inter Iudæos uulgatum.

hunc mundum. Hæc autem fama surrexit primum ex uaticinio patri/ archę Iacob, qui prædixerat, tum uenturum Messiam, cum sceptrum de Iuda ablatum esset, deinde ex uaticinio Danielis, qui ab eo tempo re, quo Aggęus & Zacharias inceperunt prophetare, numerauit sep tuaginta hebdomadas, hoc est, quadringentos nonaginta annos uscꝫ ad Christum. Et hi anni complebantur circa ea tempora, quibus Iesus iam aduenerat, & Euangelion suum prędicabat. Huc etiam nonnihil faciebat uaticinium Aggæi, qui dixerat, non multum temporis reli/ quum esse, quo sit uenturus desideratus cunctis gentibus. Sed & He/ rodes interfecerat pueros Bethleemiticos. Propterea quod diceretur Christus aduenisse. Ac Iudas Galilæus & Theudas, quia uidebant impleri tempus, quo Christus esset aduenturus, somniabant se diui/ nitus excitatos esse, ut populum Israeliticum Romana tyrānide libera rent, & in libertatem uindicarent, hoc est, ut ipsi implerent, quod de Christo expectabatur. Percrebuit etiam hęc fama apud gentes, ac pub lice iactabatur exoriturum eo tempore principem in oriente, qui sit dominaturus in toto orbe terrarum. Hęc idcirco cōmemorauimus, ut cognoscamus hunc Iesum filium Mariæ natum in Bethlehem, quem colimus, uerę esse Messiam seu Christum per prophetas promissum. Nullus enim alius eorum, qui circa illa tempora fuerunt, perfecit ea, quę prophetę de Christo uaticinati sunt, prętęr hunc Iesum. Etsi enim nonnulli sentiebant uaticinium de principe in oriente exorituro, & in tota terra dominaturo, impletum fuisse in Vespasiano, qui post ea tempora in Iudæa à militibus in Romanū Imperatorem electus erat, tn nec hic Vespasianus nec alij defuncti sunt uero illo offitio, quod prophetę de Christo descripserunt, sed oēs una cum seditionibus & regnis suis interierūt. Solus Iesus filius Marię, is est, qui & descendit de familia Dauidis, & natus est in Bethlehem, & illustris fuit illis tē poribus doctrina Euāgelij, miraculis, resurrexiōe à mortuis, & diuul gatione Euangelij sui in totum orbem terrę, quemadmodū prophetę de Christo p̄dixerant. Quare si nobis salus nostra curę est, hunc solū p uero Messia seu Christo seruatore nostro colamus, & huius solius Euangelij uocationē sectemur, Deinde, cum dicit mulier, Messias, cū uenerit, annūciabit nobis oīa, admonet nos de offitio Christi. Nam offitium Christi est, ut doceat oīa, quę sunt uerę religionis & restitu/ at oīa, quę ad ueram tranqllitatem & fœlicitatem pertinent. Nuncꝫ e/ nim tam bene cum rebus humanis actū est, ut uera ubicq; esset cogni/ tio religionis, & uera in oībus regnis ac politiis huius seculi tranqlli tas. Religio suos semper habuit contēptores, irrisores & aduersarios. Ac ante aduētū Christi, nō Ethnici tm pugnabāt cū uera religiōe, sed etiā Iudęi ipsi, qui erant populus dei, cōtendebāt inter se de religiōis

Christi offi ttum.

ueritate.

ueritate. Aliud sentiebant Pharisæi, aliud Saducæi, aliud Essęi, aliud Samaritani. Politeia autem nunq̃ non fuit turbulenta, & infedata. In imperijs Ethnicorum, rex cum rege, ciuitas cum ciuitate, bellum gerebat, & ut publica aliquoties pax fuerit, semper tamen erant inter priuatos odia, dissensiones, & contentiones. Inter Iudæos autem dominabatur nunc crudelis rex, nunc ignauus, nunc externus, eijciebantur & aliquoties in exilia, & quid fœlitius ac tranquillius regno Salomonis? audit tamen Rehabeam filius Salomonis, Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis. Finge autem mihi publicam ubiq̃ fuisse in regnis pacem, ac reges clementissimos, attamen nunc grassabatur pestilentia, nunc publica rerum penuria & fames. Et quid priuatim? alius alio genere aut morbi aut alterius calamitatis afflictabatur. Ac postremo omnium uenit mors, quæ nulli hominum parcebat. Nec unq̃ fuerunt tam sapientes & potentes reges, qui potuerint subditos suos, à morte, quæ putatur oim malorum summa, seruare. Cum igitur ab initio orbis terræ nihil unq̃ fuerit integri, nec in religione nec in politeia, sperabant pij Messiam seu Christum uenturum, qui omnia tam in religione quàm in rebus politicis restitueret. De restituenda enim uera doctrina religionis per Christum, contionatur Esaias. Fluent, inquiens, ad montem domini omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, Venite, ascendamus ad montem domini, & domum Dei Iacob & docebit nos uias suas, & ambulabimus in semitis eius. Et Ioel. Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabũt filij uestri & filiæ uestræ. De restituenda autem publica tranquillitate & fœlicitate Esaias ait. Conflabunt gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Et iterum. Ponam uisitationem tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam. Non audietur ultra iniquitas in terra tua, uastitas & contritio in terminis tuis. Et Ieremias. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter. Quare, cum tanta fœlicitas tam in doctrina religionis, q̃ in rebus politicis in Christo per prophetas promissa fuerit, magna erat expectatio Christi ut homines uel tandem erroribus & miserijs liberarentur. Sed quæ de Christo & restitutione rerum prędicta erant, longe aliter intelligenda sunt, quàm homines carnales intelligebant. Hi sperabant futurum, ut omnes homines consentirent in uera doctrina religionis per Messiam prædicanda, & fœlicem uitam in hac terra uiuerent. Christus autem prædicaturus erat Euangelion suum, & uulgaturus per Apostolos in totum orbem terræ, quod etsi est uerissima doctrina ueræ religiõis, & certissima uia salutis, tamen non accipiendũ erat ab oibus obediẽti fide. Quis credidit, inquit Apostoli in Esaia, auditui

nostro, & brachium DOMINI, cui reuelatum est? De politica autem fœlicitate, Christus restituturus quidem erat gratiæ Dei credentes Euangelio suo, ac seruaturus ipsos in morte ad æternam fœlicitatem, non erat autem mutaturus externas huius seculi turbas & calamitates, donec ueniret nouissimus dies. Hoc est spirituale regnũ, quod contemnitur quidem ab impijs, qui sectantur tantum carnalem uoluptatem, multo autem maiorẽ affert pijs fœlicitatem, q̃ ullus unq̃ Monarcha in terris potuerit uel sibi uel subditis suis parare. Nullus em̃, quantumuis potens, tantas unq̃ uires habuit, ut potuerit homines cum Deo reconciliare, & seruare eos, ne morte perirent. Hoc, cum Christus prestiterit, sentiendum est, ipsum summa in homines beneficia contulisse, etiamsi afflictiones huius seculi, quæ ut hoc ipsum seculum non est perpetuũ, ita nec ipse possunt perpetuę esse, non mutauerit. Sed de his rebus alias copiose diximus. Audiamus nũc, qd Christus mulieri respondeat. Dicit ei Iesus: Ego sum, q loquor tibi. Quid potest breuius dici? Sed quid etiam mulieri iucundius, & acceptius, adeoq̃ magis salutare? Nam quemadmodum uerba Christi, quę ante dixit, Quinq̃ uiros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus uir, fuerunt prędicatio legis & in animum mulieris ita penetrarunt, ut uere agnouerit peccata sua, & senserit se obnoxiam flammis inferni, ita hęc uerba, Ego sum, qui loquor tecum, uerum sunt Euangelion, & ita in cor mulieris penetrant, ut & per fidem concipiat ueram iustitiam, quę est remissio peccatorum, & sentiat cœleste gaudium. Itaq̃ mulier, quæ ante erat peccatrix, nunc facta est iusta, quæ ante erat prophana, nunc facta est sancta, quę ante erat damnata, nunc facta est beata, adeoq̃ consecuta est eam diuinarum rerum cognitionem & possessionem, ad quam consequendam homines sumus, & uitam in his terris agimus. Nam qui Christum nouit & possidet, is nouit, & possidet omnia. Christus enim est uera salutis uia, imago Dei patris sui, et thesaurus omnium cœlestium bonorum. Quare cum mulier Samaritana hunc sit consecuta, quid ei, obsecro, nunc deest? quid opus est longiori disputatione? ideoq̃ opportune admodum interueniunt discipuli.

Sequitur enim. Et continuo uenerunt discipuli eius, & mirabantur q̃ cum muliere loqueretur. Nemo tamen dixit, quid quęris, aut quid loqueris cum ea? Hęc ab Euangelista idcirco recitantur, ut commemoratis rei gestæ circumstantijs, sciamus rem uere ita gestam esse. Miratur autem discipuli, q̃ Iesus, uir tantus, susceperit colloquium & disputationem cum muliercula Samaritana, ut apparebat, uili & abiecta. Non tamen interrogant eum. Sentiebant enim de ipso, q̃ nihil temere & imprudenter faceret. Magna hæc est discipulorum modestia & reuerentia erga præceptorem suum, quod exemplum immitari debent libe-

Discipulorũ Christi modestia.

bent liberi erga parentes, ſubditi erga magiſtratum, ac omnino omnes homines erga DOMINVM Deum noſtrum. Multa, quę inſtituunt aut faciunt parentes & magiſtratus, uidẽtur liberis aut ſubditis ridicula ac inutilia, aliquoties etiam iniuſta, quæ tamen exitus probat eſſe prudẽtiſſima & iuſtiſſima. Loquor autem de his rebus, quæ ſunt per ſe indifferentes, non de his quæ ſunt manifeſte impię, & pugnantes cum uerbo Dei. Impietatẽ enim nemo probare debet. Sunt & multa quę Deus ipſe, DOMINVS noſter agit, quæ cum ſint utiliſſima, uidẽtur nobis maxime inutilia eſſe, uidelicet, cum immittit nobis cruces, afflictiones & calamitates. Hic cohibenda erit temeritas noſtra, & cedendum iuditio ac uoluntati Dei. Quod enim nobis apparet perniciosum, hoc exitus declarabit eſſe maxime fructuoſum. Vide mihi hoc colloquium Chriſti cum muliercula Samaritana. Videbatur initio diſcipulis eſſe inconſultum, ſed cõmorare pauliſper, & uidebis occaſione huius colloquij Euangelion ſalutis peruenire ad uniuerſos ciues urbis Sichar, & multos aſſequi cognitionem Chriſti, ſeruatoris noſtri. Sequitur enim. Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus. Venite, uidete hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunq; feci, num hic eſt ille Chriſtus. Exierunt ergo è ciuitate, & ueniebant ad eum. Audiuimus ante in muliere iuſtitiam per fidem in Chriſtum, audiamus nunc fructus iuſtitiæ. Hæc enim mulier, ante quidem, cum adhuc in peccatis ſuis eſſet, tantum abfuiſſet, ut hydriam ſuam reliquiſſet, ut ſi quis eam auferre uoluiſſet, inuolaſſet in crines capitis eius, nunc autem ſua ſponte relinquit eam, ut expeditior eſſet ad adnũciandum Chriſtum, quem inuenerat. Ante tarda & ignaua uenit ad fontem, nunc ſalit ſicut ceruus, & recurrit ad urbem uelociſſima. Ante ſeducebat uiros petulantia ſua à uia ſalutis, nunc fit Apoſtola Chriſti, & uocat uiros pietate ſua ad cognoſcendam ueram ſalutem. Magnum hoc eſt miraculum. Sed talia miracula ędit Euangelion Chriſti fide acceptum. Abducit enim homines ab amore rerum terrenarum, & inflãmat eos deſiderio rerum cœleſtium. Excitat ignauum, & reddit eum uelocem ad currendam uiam DOMINI. Non permittit ut homo hominem uel uerbo uel facto offendat, ſed efficit, ut alter alterum iuuet, & ad Chriſtum ueram ſalutem ducat. Accipiamus igitur Euangelion Chriſti fide, ut & accepto ſpiritu Chriſti, ea faciamus officia, quæ & DOMINO Deo noſtro, & alter alteri debemus. Nam, quod offitium mulier præſtat ciuibus ſuis, in adnunciando Chriſto, hoc debet pater familias familię ſuę, pręceptor diſcipulis ſuis, magiſtratus ſubditis ſuis, & oĩno uicinus uicino ſuo præſtare, uidelicet, ut alter alterum exhortetur ad cognoſcendum & ſectandum Chriſtum ſeruatorem noſtrum, & nos mutuo excitemus,

Euangelij miracula.

dicentes iuxta Prophetam. Venite aſcendamus ad montem DOMI/
NI, & ad domũ Dei Iacob, & docebit nos uias ſuas, & ambulabimus
in ſemitis eius. Cęterꝫ dum hęc à muliere in ciuitate geruntur, diſci/
» puli hortantur Ieſum ut edat. Sic enim dicit Euangeliſta. Interea roga
» bant eum diſcipuli dicentes: Rabbi, comede. Sedebat em̃ Chriſtus co
gitabundus, & magis de hoĩm ſalute procuranda, q̃ de corporali ci/
» bo ſumendo ſollicitus, ideoq̃ dicit diſcipulis: Ego cibum habeo co/
» medendũ, quem uos neſcitis. Chriſtus nullam omittit occaſionẽ do/
cendi & explicandi Euangelij ſui corã diſcipulis. Hi em̃ futuri erant
doctores Euangelij in toto orbe terrarum. Quare ut antea ſumpſit oc
caſionem docendę mulieris, ex aqua, & poſtea capite vi. ſumet occaſi/
onem ex pane, ita nunc ſumit eam ex cibo, quẽ diſcipuli emerãt. Ego
cibum, inquiens, habeo comedendũ, quem uos neſcitis. Hoc aũt diſ/
» cipuli nondum intelligunt. Dicebant ergo inter ſe: Nunquis attulit
» ei, quod ederet? Sed Ieſus non patitur eos diutius errare. Et ait: Meus
» cibus eſt, ut faciam uoluntatẽ eius, qui miſit me & perficiã opus eius.
Exiſtimatis me uos uocaſſe diſcipulos, uentris mei gratia, ut mihi ci/
bos ematis, & putatis me hoc ſolum agere, & in hãc curam tm̃ incum
bere, ut uentrẽ paſcam. At res longe aliter ſe habet. Meus cibus, mea
cura, meum ſtudium eſt, ut faciam uoluntatẽ dei patris mei, & perfici
am opus, q̃d ille mihi perficiendum demandauit. Quę ergo eſt uolũ
tas dei patris? & quod eſt opus, q̃d deus mandauit Chriſto filio ſuo,
ut perficiat? Hęc eſt, inqt, uoluntas eius qui miſit me patris, ne quid
perdã ex oĩbus, quę dedit mihi, ſed reſuſcitem illa in nouiſſimo die.
Et mox. Hęc eſt uoluntas eius, qui miſit me, ut oĩs, qui uidet filium,
& credit in eum, habeat ęternã uitã, & ego ſuſcitabo eũ in nouiſſimo
die. Quid aũt agendum, quid faciendum eſt Chriſto ne quid perdat,
ex oĩbus, quę dedit ei pater? Primum, non ſunt ferẽdę leges, quibus
augentur peccata, ſed eſt prędicandum Euangelion, quo remittuntur
pctã. Deinde non eſt exercẽda externa dominatio, qua opprimuntur
magis hoĩes, q̃ iuuantur, ſed ſuſcipiẽdę ſunt afflictiones, & mors ip
ſa, qua expiantur pctã coram deo, & ſeruantur hoĩes. Præterea nõ eſt
in morte manendum, ſed reſurgendum à morte, ut Euangelion diuul
getur in totũ orbem terrę, & non ſolum Iudęi, ſed etiã Samaritani, &
oẽs alię gentes conſequantur ſalutem, ſi Euangelion fide acceperint.
Quare hęc eſt uoluntas dei patris, et hoc eſt opus, q̃d mandauit Chri
ſto filio ſuo, ut adnunciet Euangelion remiſſionis pctõrum, ut ſuſci/
piat mortẽ ad expianda pctã, & ut à morte reſurgat, quo oẽs credẽtes
in ipſum mortem euadãt, & regnũ cœleſte conſequant. Hic eſt cibus,
hoc eſt offitium, hęc eſt cura & cogitatio Chriſti, ut hęc oĩa perficiat.
Porro, Chriſtus hac uoce, Meus cibus eſt, ut faciam uoluntatem eius,

qui me mi/

qui me misit, & perficiam opus eius, non solum exponit quæ sit præcipua eius cura & cogitatio, sed etiam monet nos, ut exemplum eius imitemur, et semper in omnibus negotijs cogitemus, quod sit proprium nostrum offitium, quę pręcipua nostra uocatio in hac terra. Nam opus, ad quod nos uocauit Deus, & quod uult à nobis maxime omnium perfici hoc est, ut audiamus & credamus in eum, quem ipse misit Iesum Christum. Hunc, inquit, audite. Multa autem sunt, quæ nos ab hoc opere auocant. Alius est opifex, & cogitat sibi non esse integrum præ sua inopia, ut discat Euãgelion Christi, & cognoscat Christum, sed se necesse habere dies noctesq; in labore manuum suarum uersari, ut sustentet inopiam suam. His cogitationibus obuiam procedendum est hac uoce Christi, in suum usum translata, Meus cibus non est labor manuum. Laborandum quidem est suo tempore & loco, mea autem pręcipua uocatio, meum pręcipuum offitium non est, laborare manibus, sed facere uoluntatem dei, & perficere opus eius, quod est, Cognoscere Christum, & obedire uocationi Christi. Alius est mercator, & cogitat sibi non esse ocium ad audiendam doctrinam Euãgelij, & ad cognoscendum Christum, quippe q̃ necesse habeat tã festis q̃ profestis diebus tota mẽte in negotiationẽ suã incumbere. At hę cogitationes excutiendę sunt per uerba Christi ad nostrę usum accommodata. Meus cibus est, non ut mercaturam faciam. Honestum quidem est, legitime negociari, non est autem meus cibus, non est meum præcipuum offitium, ad quod diuinitus uocatus sum, sed meus cibus, mea pręcipua uocatio est, ut faciam uoluntatem dei, & perficiam opus eius, (hoc est) ut discam Euangelion Christi, & secter uocationem Christi. Videtur quidem cibus ex opificijs, & mercatura parari, sed quid proficit homo, si lucretur uniuersum mundum, se autem ipsum perdat, aut iacturam suijpsius faciat? Accedit huc, q̃ non opificia aut mercatura, sed benedictio DOMINI diuites faciat. Et homo uiuit, non solum pane, sed omni uerbo, quod egreditur de ore DOMINI. Primum igitur quæramus regnum Dei & iustitiam eius, ut non solum adijciantur nobis terrena bona, quæ sunt corpori necessaria, quæ & ipsa Deus clementer dabit ambulantibus in uocatione sua, & sperantibus in ipsum, sed etiam ut tribuantur nobis cœlestia & perpetua bona, per Iesum Christum DOMINVM ac seruatorem nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Homines, ad quod opus uocati sint.

HOMILIA XL.

Oncionatus est Christus de suo offitio, Meus, inquiens, cibus est, ut faciã uoluntatem eius, qui misit me, & perficiã opus eius. Nunc autem contionatur de offitio discipulorũ suorum. Non enim uocauit eos ad se, ut essent œconomi rerum terrenarum, & emerent cibos, quanq̃ & hoc aliquoties, per occasionem, fecerint, sed ut essent œconomi rerum spirituali um, & uocarent per Euangelion non Iudæos tantum, uerũ etiam Gen
,, tes ad communionẽ cœlestium bonorum. Nonne uos, inquit, dici
,, tis, adhuc quatuor menses sunt, & messis ueniet? Ecce dico uobis, at
,, tollite oculos uestros, & uidete regiones, quoniam albæ sunt iam ad
,, messem. Ex his uerbis apparet Christum è Iudæa per Samariam, quo tempore hæc contionatus est, profectum esse circiter mensem Nouẽbrem. Nam messis solet in Iudæa mense Martio aut paulo post esse, quippe q̃ et calida sit regio, et Iudęi necesse habuerint altero die Paschę (quod festum celebrabatur decima quarta die primi mensis, qui est Martius) manipulum nouarum frugum offerre, quemadmodũ in Leuitico libro capite uicesimo tertio scriptum est. A Nouembri autem usq̃ ad Martium numerãtur quatuor menses. December, Ianuarius, Februarius, Martius. Confert autem Christus hoc loco antithesi messem terrenã cum spirituali, et facit ex discipulis Messores. Vos, inquiens, dicitis adhuc quatuor menses esse usq̃ ad messem. Et hoc quidem uerum est, si intelligatur de terrena illa externarum frugum messe. Ego autem loquor nunc de spirituali messe, & affirmo eam nõ post quatuor menses futurã, sed iam instare, & modo adesse. Regiones, seu agri, albescunt, fruges peruenerunt ad spicam, & ad maturitatem. Tempus est, ut demetanẽ. Quę est ergo spiritualis illa messis, de qua Christus hic loquitur? Ea nimirum est, qua homines, tanq̃ fruges, congregantur per prędicationẽ Euangelij ad horreum regni cœlestis, de qua messe etiam alias dicit, Messis multa, operarij pauci. Christus enim uidet mox futurum, ut Samaritani adueniant magna multitudine è ciuitate sua ad audiendum Euangelion Christi, & accipiendam salutem. Hæc una est regio, unus ager, qui iam ad messem albescit. Deinde uidet etiã futurę, ut Galilęi, qui uiderant, quanta miracula ędidisset Hierosolymis, excipiant eum paulo post magno honore & fide, quẽadmodum mox sequit. Hæc est altera regio, alter ager, albescens ad messem. Postremo uidet quoq̃ iã hoc agi, ut postq̃ resurrexisset à mortuis, & amandasset discipulos suos in uniuersum mundũ, Gentes accepturę sint maxima alacritate & multitudine Euãgelion salutis. Hę sunt magnę & multę regiões, magni & multi agri,

Meßis in Iudæa.

Apostoli messores.

Meßis spiritualis.

ad messem

ad messem albescẽtes. Cum igitur Christus hęc iam instare uidet, palam profitetur, ueram messem nunc adesse. Qui ergo erũt messores? & quia messem p̃cedit sementis, qui fuerunt antea seminatores? sequitur. Et qui metit, mercedẽ accipit, & cõgregat fructum in uitã ęternã, ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim est sermo uerus, ꝙ alius est, qui seminat, & alius qui metit. Ego misi uos ad metendum, quod uos non laborastis. Alij laborauerunt, & uos in labores eorũ introijstis. His uerbis Christus haud obscure significat Seminatores fuisse patriarchas & prophetas, Messores aũt esse apostolos. Nã patriarchę et prophetę adnunciauerunt Christum uenturũ, qui restituat uerã iustitiam & salutẽ, ac instituerunt & administrarunt politeiam Israeliticã, ut in ea conseruarentur & prędicarent promissiones de Christo, donec ipse ueniret, & diuulgaret Euãgelion suum in oẽs huius terrę politeias. Etsi aũt patriarchę & prophetę susceperunt unius tm̃ Israeliticę gentis curã, tñ quemadmodum sementis multo maiori labore constat, q̃ messis. Ager stercorandus est. Terra proscindenda, glebę cõminuendę, semen iaciendum, occandum, & zizania reuellenda, ita maximo sudore constitit patriarchas & prophetas conseruatio Israeliticę politię, quo & prędicatio promissionum de Christo cõseruaret. Multi sępe nimbi, multę niues, & horrendę grandines inciderunt in hanc sementem, ut de salute eius pene desperaretur. Cogita quantę molis fuerit, Israelitas ex Ægypto educere, et cum ad eremum uenissent, in offitio continere. Cogita, cum terrã Canaan accepissent, quanto discrimine, imo quanto sanguine tutati sint fines suos à finitimis hostibus. Quid dicã de captiuitate Assyriaca & Babylonica? Hæ fuerunt horribiles grandines, quibus minima pars sementis reliqua uidebatur. Sed quid? postq̃ redijssent è Babylone, quanto sudore restituta sunt urbs & tẽplum, quanta postea difficultate defensa? Hęc fuerunt tẽpora sementis, quibus promissiones de Christo in gente Israëlitica conseruarent, donec ueniret messis, hoc uidelicet tẽpus, quo ea q̃ prędicata sunt de Christo in una tm̃ gente, reuelarentur in toto orbe terrarũ, inter oẽs gentes. Tẽpus igitur messis hoc est, quo aduenit Christus, & docuit Euangelion suum, ac misit, postq̃ resurrexisset à mortuis, Apostolos suos ad p̃dicandum Euãgelion in uniuerso mundo. Itaq̃ Apostoli sunt Messores, qui messuerunt, q̃d patriarchæ & prophetę seminauerunt, quia quas promissiones de Christo hi in una tantum gente p̃dicauerunt, eas Apostoli inter oẽs gentes p̃dicauerunt impletas, & q̃d prophetę futurũ p̃dixerunt, hoc Apostoli reipsa euenisse adnunciauerunt, adeoq̃ accidit prophetis & Apostolis, q̃d ueteri prouerbio dicitur, Alij faciunt sementẽ, alij uero metunt. Alij laborant, alij percipiunt emolumentum. Quid ergo dicemus? Num prophetę dãnum aliquod contraxerunt, ꝙ Christus non ipsorũ, sicut

Patriarchę & prophetę Seminatores.

Meßis tẽpus.

ἄλλοι μὲν σπείρουσιν, ἄλλοι δ' ἀμήσουσι.

Apostolorꝫ tempore uenerit, & cꝯ Apostoli in ipsorꝫ labores intra/
uerint? Minime oim. In messe quidem corporali aliquoties detrimẽ/
tum accipit is, qui cum sementem fecerit, non metit, in hac autem spi/
rituali messe tam prophetę seminatores, ꝯ Apostoli messores fructũ
accipiunt. Qui metit, inquit, mercedem accipit, & cõgregat fructum
in uitam æternam, ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. V/
num enim est corpus, una unius domini familia, prophetæ & Apo/
stoli, in qua familia, etsi alius alio fungitur offitio, tamen una est om
nium merces, unus fructus, & unum gaudium. Quam ergo dicemus
esse mercedem prophetarꝫ & Apostolorum? primum, quod prophe
tę in una gente fecerunt, hoc fecerunt Apostoli inter omnes gentes. Il
li contionibus promissionum suarum de Christo congregarunt pios
è gente Israelitica ad æternam uitã, hi similiter Euãgelio suo de Chri
sto, qui iam aduenerat, cõgregarunt pios ex omnibus gentibus ad ui
tam ęternam. Vides eandem mercedem, & eundem fructum laboris.
Deinde prophetę acceperunt etiam ipsi iustitiam, & hęreditatem cœ
lestium bonorum, per fidem, propter Christum, quem uenturum ad
nuntiauerunt. Sic & Apostoli acceperunt iustitiam & hęreditatẽ cœ/
lestium bonorum per fidem propter Christum, quem iam uenisse ad
nuntiauerunt. Vides iterum eandem mercedem, eundem fructum &
idem gaudium. Non enim existimandum est, quòd cum Christus fa
ciat hoc loco mentionem mercedis, sentiat prophetas & Apostolos
meruisse sua ipsorum iustitia æternam uitam, cum scriptum sit: Non
iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens, Et, Si iniquitates obserua
ueris domine, domine quis sustinebit? Sed Christus nomine merce/
dis intelligit fructum, quem partim auditores, partim ipsi, ex Euan/
gelio Christi perceperunt. Euangelion autem docet, nullum hominẽ
iustificari & seruari propter sua ipsius merita, sed tantum ex miseri/
cordia Dei propter Christum, si in ipsum crediderís. Quare tantum
abest, ut defensores humanorum meritorum possint ex hoc loco erro
ri suo patrocinari, ut potius ex eo refutentur. Quę cum ita se habeant, ui
deamus nunc, quam utilitatem nos ex hac contione Christi de Apo/
stolica messe capere debeamus. Ac initio, uaticinium Christi de ad/
uentu Samaritanorum, & gentium ad cõmunionem Euangelij, mag/
num est miraculum, quo confirmatur ueritas doctrinæ & Euangelij
Christi. Nam quæ Christus uaticinatus est, ea reipsa euenerunt. Sa/
maritani mox magna ueniunt multitudine. Postea gentes suscipiunt
prædicatiõe Apostolorꝫ Euãgelion Christi. Sed & prophetę uatici/
nati sunt, cꝯ Gẽtes recepturę sint Euãgelion Messię. Fluẽt, inqt Esai/
as, ad eũ oẽs gẽtes, et ibũt populi multi. Ac iterꝫ. Videbis et afflues,
& mirabit et dilatabit cor tuũ, quãdo conuersa fuerit ad te multitudo
maris, et fortitudo gentiũ uenerit tibi. Cũ igit Gentes acceperint hoc
Euangelion,

Merces quid significet.

Euãgelion, quod Apostoli de Iesu adnuntiauerunt, manifestum est, hunc Iesum esse uerũ illum Messiam seu Christum, de q̃ prophetę uaticinati sunt, & qui est saluator mundi. Deinde cognoscimus ex hac cõtione Christi de messe, cp una sit religio patriarcharũ, prophetarũ, ac nostra. Prędicatio enim prophetarũ, fuit sementis, prędicatio autẽ Apostolorũ, quam nos sectamur, est messis. Sicut aũt messis colligit ex eo semine, q̃d in semente iactum est, ita nos eundem Christum agnoscimus, quem quondam prophetę adnunciarunt. Quare nostra religio qua solum Iesum Christum credimus nostrũ seruatorẽ, non est noua, sed uetus, id q̃d & Apostoli ipsi in contionibus suis manifeste docuerunt. Petrus in prima contione, quã habuit in die Pentecostes, allegat Ioelẽ, & Dauidẽ, uidelicet, q̃d hi seminarunt, hoc Petrus metit. In alia contione, quã habet ad Gentes, dicit de Christo. Huic oẽs prophetę testimonium ferunt, cp remissionẽ pctõrum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. An nõ & in hac contiõe Petrus metit, q̃d ante prophetę seminarũt? Audi & Paulũ, Ad Rom. ita scribentẽ. Paulus seruus Iesu Christi, uocatus ad munus Apostolicum, segregatus in Euangelion dei, q̃d ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo. An non et hoc est metere, q̃d prophetę antea seminarunt? Quare manifestum est, unam esse nostrã & prophetarũ ac patriarcharũ religionem. Monet & nos hęc cõtio de messe, ut in tempore expergiscamur, ac per resipiscentiã fructum spiritualis messis colligamus. Nam quẽadmodum politicus annus suas habet partes, uidelicet tẽpus sementis, tempus messis, & tẽpus percipiendi fructus, qui in messe collectus est, ita spũalis annus (quo noĩe complectimur uniuersum illud ęuum, quod cepit à conditione mundi, & duraturũ est perpetuo) suas habet partes. Tempus enim q̃d fuit ante aduentum Christi in carnem, ab initio orbis, est tẽpus sementis. Quod aũt est post aduẽtum Christi, uscq̃ ad nouissimum diẽ, uel priuatum uniuscuiusq̃ hoĩs, uel publicum totius terrę, tẽpus est messis, quo tempore non solum Apostoli & ministri Euangelij congregant populos tanq̃ spicas & manipulos, ad horreum cœlestis regni, uerũ etiam populi ipsi, auditores Euangelij, suam habent messem, qua sibi quisq̃ congregat cœlestia bona ad perpetuã suã salutem. Fructus eĩ spiritualis messis, non solum sunt hoĩes Euangelio uocati, sed etiam spiritualia et cœlestia bona, quę hoĩbus Euãgelio credentibus donantur, remissio uidelicet peccatorũ, adoptio in filios & hęredes Dei, liberatio à morte, & perpetua fœlicitas in regno dei. Hę sunt spicæ, hi sunt manipuli, qui in hac messe congregant. Porro, q̃d post hanc corporalem uitã uenturũ est seculum, hoc æuum illud est, non q̃ fructus colliguntur, sed quo collecti fructus usu suo percipiunt. Quid ergo

Religio una, nostra & patriarcharũ.

Temporis partes.

hinc sequitur? hoc nimirꝝ, ꝙ summa nobis danda sit opera, ut dum sumus in hac corporali uita, & hoc tempore, quo Euãgelion Christi nobis perspicue adnunciatur, & quo uera est messis, nequaꝗ ignaui simus, ac cessemus, sed expergiscamur, colligamus spicas Euangelij, cõgregemus manipulos cœlestium bonorꝝ, ut cum uenerit tempus hiemis, quod est, horror diuini iudicij, possimus indigentiam nostrã collecto fructu sustẽtare. Nõ erit messis in futuro seculo, sed erit usus earꝝ frugum, quas in messe huius seculi cõgregauimus. Nã in hoc p̃senti seculo, messis est, ac quẽadmodum in corporali messe cõgregat̃ tantum fructus, & reponitur usqꝗ ad id tempus quo uti licet, interim autem messores uigilãt, sudãt, sitiunt, ac nihil nõ laboris perferunt, donec fructum in horrea cõuehant, ita & in spũali messe, multa quidem cœlestia bona per Euãgelion congregant̃, interea aũt temporis multę & magnę ferendę sunt afflictiones, ut collectis frugibus suo tempore uti liceat. Meminerimus igit̃, quod Salomon dicit. Qui congregat in messe filius sapiens est, qui aũt stertit ęstate, filius cõfusionis, ut excitati à somno, laboremus unusqsqꝗ pro sua uocatiõe in agro dñi, & percipiamus fructũ cœlestiũ bonorꝝ. Postremo, prouerbiũ, q̃ Christus hoc loco utit̃. Alius seminat, alius metit, non est oscitãter p̃tereundũ. Etsi em̃ hoc ꝓuerbium ducit originẽ suam a supplitio impiorꝝ, qui sic diuinitus puniunt̃, ut quę ipsi inique acquirunt, ijs alij fruantur, tñ habet et locũ suum inter pios. De qua re paucis dicemus. Nam quod ad impios attinet, hoc est legitimũ eorꝝ supplitiũ, ut quod ipsi seminãt, alij metãt. Si audire nolueris, inqt Mose, uocem dñi dei tui ut custodias & facias oĩa mandata eius, uxorẽ accipies, & alius dormiet cum ea, domum ędificabis, & nõ habitabis in ea, plantabis uineã, & non uindemiabis eã. Bos tuus mactabitur coram te, & non comedes ex eo. Et Michęę, ca. vij. Tu seminabis & nõ metes, tu calcabis oliuã, & nõ ungeris oleo, mustũ, & non bibes uinum. Cum igit̃ hoc sit supplitium eorꝝ qui impie agũt, amãbo te, quis ille furor, q̃ illa insania est, ꝙ noctu diuꝗ hoc unũ agas, ut multas opes nugis, imposturis, fraudibus, peiurijs, & rapinis congreges? Hoc em̃, quid aliud est, q̃ alijs quidẽ, ijsqꝗ quibus minime faues, tranquillitatẽ, tibi ipsi aũt magno labore & sudore, non nisi exitium & internitionẽ parare? Si aũt cupis ita seminare, ut & tu metas, age, da operã pietati, imitare prophetas, qui etsi apostoli introierunt in labores eorꝝ, tñ & ipsi perceperunt una cum Apostolis fructum æternę uitę. Qui seminat (inquit) & qui metit, simul gaudẽt. Nam prophetę laborarunt iuxta uerbũ domini, ambularunt in uocatiõe dei, seminarunt uerꝝ fructũ iustitiæ, ideoqꝗ nullum damnũ fecerunt, sed magis fructũ perceperunt, etiãsi Apostoli labores eorꝝ messuerint. Reliquũ igitur est, ut si imitatus fueris exemplũ prophetarꝝ, & seminaueris uerã iustitiam, percipias etiã cum messoribus

ribus fructum perpetuæ fœlicitatis in Christo Iesu seruatore nostro, qui est una cum patre et spũ sancto deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XLI.

DIXImus Samaritanam mulierem factam esse Apostolã Christi ad ciues suos. Audiamus igit nunc, qd Apostolico mulieris offitio apud Samaritanos effectũ sit. Ex ciuitate illa, inquit Euangelista, multi crediderunt in eum Samaritanorũ, propter sermonem mulieris testificantis, ꝙ dixisset sibi oia quęcunq; fecisset. Cum uenissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eũ, ut apud se maneret. Et mansit ibi duos dies. Ac multo plures crediderunt propter sermonẽ ipsius, & mulieri dicebant. Iam non propter tuã orationem credimus. Ipsi em audiuimus & scimus, ꝙ hic est uere seruator mundi, Christus. Hęc si diligenter excutias, inuenies non solum quę admireris, uerũ etiam quę addiscas. De Samaritanis supra dictum est, ꝙ fuerint apud Iudęos, qui habebant nomen populi Dei, tam uanitate q̃ impietate infames. Vanitatis em & incõstantię fuit, ꝙ quo se fortuna Iudęorũ, eodem etiã Samaritani inclinabant. Nam si prosper erat Iudaicorũ rerũ successus, simulabant se Iudęos. Si uero Iudęi infœlices erant, non habebant capitaliores hostes, q̃ Samaritanos. Impietatis aũt fuit, ꝙ Samaritani non sectabant certã religionem, sed collecticiã è Iudęorũ & Gentium sacris, nihilominus tm Iesus Christus diuertit ad eos, & contionatur apud eos Euangelion suum, mansitq; apud ipsos, duos dies. Quod certe admiratiõe non indignũ est. Deinde, si contuleris Samaritanos cum Iudęis, in agnoscendo Christo, multo uehemẽtius admiraberis. Nam Christus multo iam tempore fuerat inter Iudęos, ac ędiderat etiã aliqt insignia miracula, non tm uel inuitant eum, ut apud se maneat, uel credunt in eum, sed potius uitę eius insidiant. Samaritani aũt unius mulieris sermone excitati, procedunt ei obuiã magna multitudine, excipiunt eum summa humanitate, & quanq; nullum adhuc uidissẽt miraculum ab ipso ęditum, sed tm audiuissent testimonium mulieris, & contiones Christi, attamen tantã fidem in ipsum concipiunt, ut ingenue ac publice fateantur, hunc uerũ esse Christum, seruatorẽ mundi. Quid his rebus admirabilius? Etsi aũt Christus uetat alias Apostolos in ciuitatem Samaritanorũ ingredi, id quod suo quodã consilio fecit, uidelicet, ut primum oim huic adnunciaret populo, ex quo ipse secundum humanam naturã descẽdebat, & ad quẽ preciptie missus erat. Non em sum missus, inquit, nisi ad oues perditas domus Israel, tamen tanto fauore complexus est Samaritanos, ut post resurrectionem suã, nõ solum noiatim iubeat Apostolos contionari Euangelion in Samaria. Eritis, inqens, mihi testes Hierosolymis, in uniuersa Iudæa, & Samaria, uerũ etiam ornet eos per ministerium Petri & Io-

Samaritanorũ ingenium.

annis, admirabilibus illis spiritus sancti donis, quibus antea Apostolos in die Pentecostes ornauerat, quemadmodum testantur Acta Apostolica, cap. octauo. Itaq; Samaritani quondam abiectissimi, fiunt Deo acceptissimi, & ut Euangelion loquitur, nouissimi fiunt primi. Qua quidem re manifeste reuelatur & commendatur nobis offitium Christi. Etsi enim impij, ut alias calumniati sunt Christum, q̃ diuerteret ad peccatores & Publicanos, ita potuissent etiam nunc in pessimam partem interpretari q̃ recepisset se ad Samaritanos, homines uanos, & infidos, tamen hoc est pręcipuum offitium Christi, & maxima gloria eius. An non medici offitium, imo gloria est, q̃ accedat ad egrotos, & suscipiat morbos eorum curandos? Multo honestius est, si medicum apud ægrotos, q̃ si ipsum in publicis conuiuijs uideas. Christus autem uenit in hunc mundum ut medicus. Et ut ipse ait, non uenit ad uocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Quod de medico diximus, idem de regibus ac principibus dicendum est. Hi uidentur quidem in magno honore esse, cum incedunt multis satellitibus comitati, & regijs diadematis ornati, sed maximus eorum honor est, cum audiunt & iudicant caussam miserę uiduæ ac pupilli, & tuentur pastores, abiectum hominum genus, ab incursionibus latronum. Christus autem uenit in hunc mundum, ut seruet miseros, & tueatur abiectos. Quare, cum diuertit ad contemptos & abiectos Samaritanos, tantum abest, ut præter offitium suum faciat, ut tum maxime partes offitij sui impleuerit & magna gloria celebrandus sit. Ex hoc Christi seu exemplo seu offitio primum excitanda est fides in nobis, & succurrendum imbecillitati fidei. Nam, ut nullus est hominum, qui non sit peccator coram Deo, ita nullus est qui in tentatione non fiat sibi conscius tam imbecillitatis fidei, quàm etiam impietatis. Dicit ergo Satan. Quid? Tu ne sperare potes, quód Christus te agnoscat, cum manifeste sentias te minimam ac pene nullam habere fidẽ, ut nihil dicã de uanitate & incõstantia ac mutabilitate mẽtis tuæ, quatoties fidẽ uiolasti? In hac aut simili tentatiõe producendũ est exemplũ Christi in Samaritanis æditũ, & cognoscendũ est offitiũ Christi. Quicqd em̃ uel ante actum sit, uel adhuc reliquũ imbecillitatis nobis inhæreat, non debet nos ita perturbare, ut deficiamus à Christo, et fugiamus eũ, sed potius excitare nos debet, ut eo arctius ipsum cõplectamur. Etenim, ut tum maxime indigemus opera medici, cum periculo se ęgrotamus, ita tum præcipue ad Christum festinandum est, cum obnciuntur nobis in conscientia, corã tribunali Dei uetera peccata, & præsens imbecillitas. Nec est metuendum, q̃ qui ad Christum uel qualicunq; fide confugit, non recipiatur à Christo. Qui recepit Samaritanos, tam uanos homines, quem, obsecro, accurrentem ad ipsum, re-

Medicorum honor.

Regum maiestas.

Imbecillitatis fidei remedium.

ſum, repelleret? Calamum, inquit Propheta, quaſſatum non cõteret, & linum fumigans non extinguet. Dicit & Chriſtus ipſe. Venite ad me oẽs qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo uos. Ac Paulus. Certus, inquit, ſermo & dignus, quem modis omnibus amplectamur, q̃ Chriſtus Ieſus uenit in mundum, ut peccatores ſaluos faceret. Quare ſi te inueneris in catalogo peccatorum, non dubium eſt, quin etiam in eorum ſis numero, quos Chriſtus uenientes ad ſe per fidem, obuijs, quod aiunt, ulnis excipiat. Deinde exemplum Chriſti in Samaritanis ęditum docet nos modeſtiam erga proximos. Homines enim natura ſunt κακολόγοι & maledici, ac ſolet alter alteri uetera ſua, aut etiam familiæ ſuæ delicta obijcere & exprobrare. Hæc eſt magna inhumanitas & crudelitas. Vide enim mihi exemplum Chriſti. Samaritani ueniunt ad Chriſtum & uocant eum ad urbẽ ſuam. Quid uiciſſim Chriſtus? Non obijcit eis uel maiorum illorum impietatem & inconſtãtiam, uel ipſorum uanitatem, Non ait: Apagete, homines eſtis impij, leues, inconſtantes, & mutabiles. Nihil mihi negotij erit uobiſcum, Sed inuitatus complectitur eos tam humaniter, q̃ ſi nihil unq̃ mali deſignaſſent. Et ut dicam, quod res eſt, etſi Samaritani hactenus multa nefanda ſcelera perpetrauerunt, tamen poſtq̃ recipiunt nunc Chriſtum, omnia ea obtecta ſunt, imo deleta & abſterſa. Non enim eſt aliud uerius iniquitatis operculum, q̃ Ieſus Chriſtus, fide accepitus. Hypocritę multa alia opercula quęrunt, hic certa ieiunia, ille certas precatiunculas, hic peregrinationem ad ſepulcra ſanctorum, ille abſtinentiam ab eſu carnis. Adam aſſumebat perizama ex folijs ficus conſutum, ut eſſet iniquitatis ſuæ operculum. Hæc autem omnia nunquam tam probe tegunt hominem, quin appareat nequam, & trãsluceat iniquitas. Solus Chriſtus operculum illud eſt, quo iniquitas uere, etiam coram deo et iuditio eius obtegitur ac deletur. Non enim exiſtimandum eſt, q̃ Chriſtus ſic tegat pctã noſtra, quemadmodum nonnunq̃ impij & hypocritę diſſimulant & abſcondunt ſcelera ſua honeſta quadã ſpecie coram hoĩbus, cum interim maneant in ſceleribus ſuis, & perpetrent ea occulte, Sed Chriſtus ita operit pctã noſtra, ut quod p̃teritum eſt, condonet, q̃d in prę̃ſentia adhuc reliquum eſt imbecillitatis in carne, non imputet, ac det ſpũm ſanctum, quo & futura ſcelera pro uocatione noſtra, & quantũ in hac corporali uita fieri poteſt, uitare queamus. Propitiabor, inq̃t, iniquitati eorꝝ, et peccati eorꝝ non memorabor amplius. Et iterꝝ. Reuertetur, & miſerebitur noſtri, Deponet iniquitates noſtras, et projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra. Audi ergo maledice. Qui quondam peccauit, fieri poteſt, ut reſipuerit, & conſecutus ſit remiſſionem peccati á deo propter Chriſtũ. Vidiſti pctũm, Deus aũt uidit reſipiſcentiã, & oblitus eſt peccati eius. Quæ eſt ergo illa immanitas, quod cum Deus

Iniquitatis operculum Chriſtus.

Hierem. 31. Mich. 7.

ipse non uelit meminisse peccatum illius, tu de eo in omnibus tonstri nis declames? In cœlo magnum est silentium de hoc pectato, & tu tan to clamore audes hoc in terra uulgare? Hoc nõ est hominis sed Sata/ næ negotium, cuius & membrum est, & hæres, maledicus. Ac finge mihi illum, cui tu exprobras uetera delicta, nondum egisse pœniten/ tiam, ne tamen sic quidem licet tibi maledico esse. Tu enim quis es, qui iudicas de alieno seruo? Proprio domino stat aut cadit. Nolite, inqt, condemnare, ut nõ condemnemini. Cur uides festucam quę est in oculo fratris tui, trabem autẽ, quę est in oculo tuo non animaduer/ tis? Tu fide constitisti. Ne efferaris animo, sed timeas. Nam si proxi mus, qui est caro tua, cecidit, fieri potest, ut & tu cadas. Quare præte rita delicta non sunt proximo exprobranda, sed imitandum est exem plum Christi, & tegenda sunt aliena peccata coram hominibus, ut & nostra per Iesum Christum, in conspectu Dei tegantur. Postremo ob seruandum etiam est, quod Samaritani de Christo prędicant: Ipsi (in quiunt) audiuimus & scimus, ꝙ hic est uere seruator mundi, Chri/ stus. Hęc est insignis confessio de Iesu Christo, & summa totius Chri stianę religionis. Multi fuerunt, qui iactarunt se Messias & seruato/ res, sed hi seipsos seruare non potuerunt. Hic autem Iesus, uerus est Messias, uerus seruator. Et est seruator non Iudæorum tantum, sed MVNDI, hoc est, Samaritanorum, & oim gentium in toto orbe terrarum, nec honestorum tantum, sed etiam inhonestorum, & abie/ ctorum hominum, si modo ipsum per fidem agnoscunt. Non enim tantum honesti sed & inhonesti & peccatores sunt pars huius mũdi. Quare Iesus etiam horum seruator dicitur. Seruat autẽ hic Christus, non pro more terrestrium monarchar, sed pro more cœlestis regis. Expiat enim peccata, & reconciliat nos cum deo patre suo, ut adopte/ mur ab ipso in filios & hæredes bonorum suorum. Expiato aũt pec/ cato, & assecuto iure cœlestis hereditatis, nulla calamitas tam grauis est, nulla mors tam terribilis, quę possit nobis incommodum afferre. Nihil ergo nobis in hac terra prius, nihil posterius agendum est, ꝙ ut hunc uerum seruatorem seruemus. Sed reuertemur nunc cum Iesu

Iesus seruator non unius tantum homi nis, sed MVNDI.

» & discipulis eius à Samaria ad Galilęam. Sic enim sequitur. Post du/
» os autem dies exijt inde, & abijt in Galilęam, ipse enim Iesus testatus
» est, ꝙ propheta in sua patria honorem non haberet. Quid? si prophe ta non habet honorem in sua patria, cur ergo Iesus redit in Galilęam, quę erat quasi patria eius, propterea ꝙ fuerat in Nazareth, urbe Ga lilęæ educatus? Sed quod Euangelista de patria Iesu dicit, non est in/ telligendum de tota regione Galilęæ, sed de una tantum urbe Naza reth. Significat enim, ꝙ Iesus in profectione ad Galilæam, uel non diuerterit ad patriam suam Nazareth, uel ꝙ non diu ibi mãserit, sed

contulerit se

contulerit se ad alia loca Galilęę, propter impietatem & crudelitatem ciuium Nazarethanorum. Nam quantum flagitij, Nazarethani commiserint in Iesum suum ciuem, Lucas copiose describit cap. 4. Cum enim Iesus suscepisset administrationem offitij sui, uoluit præ alijs urbibus, etiam patriæ ac ciuibus suis benefacere. Itaq; diuertit ad eos, & contionatur eis Euangelion, ac offert se ad ædenda miracula, hoc est, ad curandos ægrotos, & afflictos. Sed hi intantum non receperunt eum, ut initio deriserint ipsum, atq; contempserint. Non enim considerabant in ipso, q̃ natiuitas eius magnis miraculis esset illustrata, quod publico spiritus sancti, & Ioannis Baptistæ testimonio cõmendatus esset, q̃que doctrina eius cœlestibus miraculis confirmaretur, sed his neglectis considerabant in ipso, q̃ esset natus ex familia quondam quidem illustri, nunc autem contemptissima & abiectissima, q̃ haberet tenues & inopes cognatos, quòd esset pauper, q̃ nulla prorsus potentia inter homines præditus esse uideretur, ac fortassis uiderant ipsum aliquoties parentem suum, in extruendis ædifitijs, (Ioseph enim erat τέκτων) adiuuare. Hæc & id genus alia, cum sibi ob oculos ponerent, cogitabant id, quod Christus ipse cõmemorat. Medice, cura teipsum, hoc est, si is tantę est autoritatis, quantam de se iactat, cur non facit cognatos suos locupletes? (Vulgus enim, non nisi diuitias admirari solet) cur non restituit familiam suam in eum statum, in quo erat tempore Dauidis aut Salomonis? cur non recuperat regnum â maioribus suis amissum? Hæc cum non faciat, ac ne seipsum quidem & familiam suam seruare possit, quomodo nos aut alios seruaret? Habes risum & contemptum, quo Nazarethani Iesum ciuem suum exceperunt. Hoc autem usitatum est uitium hoim, q̃ quę maxime in altero considerãda essent, ea magna neglectiõe prętereãt, q̃ uero ptereunda essẽt, ea sola sibi ob oculos cõspiciẽda ponũt. Maritus, exẽpli gratia, considerat in uxore sua, non quòd sit donũ dei, non q̃ sit adiutoriũ marito diuinitus datum, nõ quas habeat uirtutes, sed considerat tantum uitia eius, & imbecillitates, quibus aliquoties ipsi molesta est. De his solum cogitat, de his tantum loquitur, & declamitat. Ac uicissim uxor non considerat in marito suo, quòd maritus sit diuina autoritate caput ipsius, quòd autoritas mariti tueatur ipsam, q̃ multa alia benefitia propter maritum consequatur. Sed considerat tantum uel duritiem, uel importunitatem, uel alia quędam incommoda in marito, de quibus omnia passim loca quęrelis suis implet. Sic magistratus in subditis, & parentes in liberis, ac uicissim subditi in magistratu, & liberi in parentibus uitia tantum, & malefitia, non autem uirtutes & benefitia conspicere solent. Hæc rerum consideratio, ut est prępostera & iniqua, ita occasio est multorum malorum. Nam,

Nazarethanorũ ciuium crudelitas in Iesum.

quemadmodum Nazarethani debuissent in ciue suo cõsiderasse non externam illam personæ humilitatem, sed dona Dei, quę magno honore prosequenda fuissent, ita exigit Deus ut quas ipse uirtutes in proximo conspiciendas proponit, non quę in eo uitia cęlanda tolerat, aut quas imbecillitates suo quodam consilio ferendas imponit, consideremus, & affectemur. An non in uestitu induendo solemus ea, quę sunt in ueste aspectu iniucunda & uilia introuertere, quæ autem sunt præciosa & oculis delectabilia palam ostentare? quin non eadem prudentia utimur homine proximo nostro, prę sertim cum nobis diuinitus sit propositus, ut in eo imaginem & similitudinem Dei agnoscamus? Cęterum, ꝙ Christus maluerit in humili uitę genere uersari, cꝫ regia maiestate in hoc mundo insignis esse, suo quodam eoꝫ diuino consilio factum est, quod potuissent Nazarethani optime cognoscere, si tam studiosi fuissent prophetarum, cꝫ uentris, de qua re nunc non est dicendi locus. Deinde Nazarethani non solum deridentlesum ciuem suum, sed etiam eiꝗciunt eum magno impetu ex urbe sua, ut præcipitarent ipsum è supercilio montis, quemadmodum Lucas scribit. Hæc est maxima crudelitas. Iesus enim reprehenderat tantum contemptum ipsorum duobus exemplis, Elię uidelicet, ac Elizęi, ipsi uero sic ira exardescunt, ut eum de uita quoꝫ tollere conentur. Quæ est ista immanis barbaries? Et tamen tanta est bonitas Christi, ut non uicissim grassetur in ipsos uel fulmine uel grandine, sed relinquat ipsos suæ impietati, & deserat eos, expectans resipiscentiam ipsorum, hoc tantum testatus, prophetam in sua patria honorem non habere. Quid ergo? Christus ne exigit à ciuibus suis honorem? Ambitiosi quęrunt quidem externum & carnalem honorem, Christus autem non hoc quęrit, ut ciues coram eo adhuc in hac carne uiuenti genua sua flectant, sed quęrit honorem prædicatori Euangeliꝗ debitum, uidelicet, fidem auditorum & obedientiam erga Euangelion. Quem honorem cum non posset apud suos Nazarethanos consequi, diuertit ad reliquos Galilæos, quibus aduentus eius ualde gratus erat. Sic
,, enim sequitur. Cum ergo uenisset in Galilæam, exceperunt eum Ga-
,, lilæi, cum omnia uidissent, quæ fecerat Hierosolymis in die festo, &
,, ipsi enim uenerant ad diem festum. Testantur & aliꝗ Euangelistæ, ꝙ Christus frequenter & libenter in Galilæa uersatus sit, ac etiam ceperit in ea prædicare Euangelion suum. De qua re idcirco admonemur, primum, ut & hoc signo cognoscamus hunc Iesum, uerum esse Christum, de quo prophetæ uaticinati sint. Non enim Galilæi tantum uiderunt Iesum suo tempore miracula ędere, & Euangelion cõtionari, sed etiam spiritus sanctus uidit eum multis annis anteꝫ assumpsisset hominem, Galilæam doctrina & miraculis illustrare. Esaias enim ita

dicit.

dicit. Primo tempore contempta fuit terra Zabulon & terra Neptalim, nouissimo autem tempore glorificata est uia maris trans Iordanem Galilæę gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam. Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Cum aũt prętęr alia uaticinia, etiam hoc in Iesum filium Marię natum ex semine Dauid competat, manifestum est, ꝙ sit uerus ille seruator mundi, quem prophetę nobis commendarunt. Deinde, admonemur de hac re, ut cognoscamus hunc Iesum Christum eligere abiecta et humilia, quo hoĩes abiecti de salute sua per Christum bene sperent. Quę enim urbs, quę regio fuit tempore Christi magis insignis, inter gentes, ꝗ Romae? & inter Iudęos, ꝗ Hierusalem? attamen Christus maluit in Galilęa, regione hactenus ignobili et contempta, ꝗ in Roma aut Hierusalem prędicationem Euangelij sui inchoare. Hac re non uoluit significare se in hoc uenisse, ut quasuis obscuras in terra regiones externa maiestate illustret, ac corporale regnum in eis administret, sed ut hoc argumento probet se abiectos & neglectos homines magno fauore cõplecti, & seruare eos in summis periculis, & aduersis, si modo accipiant ipsum per fidem. Non est autem maius periculum, ꝗ mors, nec abiectior aut contemptior uidetur homo, ꝗ cũ mortis tyrannide apprehenditur. In hoc em̃ periculo, etsi fortassis amici lugent, & condolescunt, tamen morientem nec adiuuare, nec in uita retinere possunt. Ac finge nonnullos commori, tñ ne hi quidem morientẽ suo periculo leuant. Itaꝗ oẽs hoĩes deserunt morientẽ, quãuis amicissimum, quãuis etiã totius terrę monarcham. Quid igit̃ abiectius, quid magis desertũ hoĩe morientę? At bene habet. Quem homines deserunt, eum haudquaꝗ deserit Christus filius Dei, per fidẽ acceptus, qui hoc noĩe, hoc epitheto gloriatur, ꝙ respiciat humilia, & eligat abiecta. Complectamur igitur filiũ dei, & obediamus uocationi Euangelij eius, ut cum in oĩbus periculis, tũ in morte per ipsum clementer & potenter seruemur, qui est Iesus Christus dñs noster, una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Abiecta eligit Deus.

HOMILIA XLII.

ROfecti sumus una cum Iesu Christo seruatore nostro è Iudęa in Samariam, in qua uidimus, quanta beneuolẽtia Samaritani Iesum exceperint, & quanta fide ipsum cõplexi sint, deinde profecti sumus cum ipso è Samaria in Galilęam. Videamus igitur nunc quid mirabilium rerę ab ipso in Galilæa gestum sit. Commemorat autem Euangelista Iesum ędidisse in Galilęa insigne atqꝗ obseruabile miraculum in filio Regij cuiusdam Caper-

naïte. Ac priusq̃ hoc miraculum explicemus, admonendi sunt auditores, q̃ huiusmodi narrationes Euangelistarum, de miraculis à Christo æditis, longe alia obseruantia, & animi attentione considerandæ sint, q̃ historiæ Ethnicorum. Hi enim non semper laborarũt, quàm uere, sed q̃ diserte, q̃ ornate & eloquenter dicerent, ac ex narrationibus eorum ciuilem tantum fructum capimus, nisi si quando hę sacrarum literarum administræ fuerint. Euangelistæ autem hoc maxime omnium egerunt, ut uera & certa scriberent, & habent non Ecclesiã tantum suorum temporum, sed etiã innumeros alios spectatores, narrationum suarum testes. Præterea quę de doctrina & miraculis Christi scripserunt, ea non solum ipsi, uerę etiam multi alij tanta constantia affirmarunt, ut maluerint sanguinem suum profundere, q̃ ueritatem illam certissime cognitam negare. Huc accedit, q̃ hæ narrationes sint tantus Ecclesiæ thesaurus, ut ex ipsis capiamus non ciuilem illum & periturum, sed cœlestem & ęternum salutis nostræ fructum. Audi quid Euangelista noster prope in fine huius libri dicat. Multa, inq̃t, alia signa fecit Iesus, quę non sunt scripta in hoc libro. Hæc aũt scripta sunt. Ob quam, obsecro, caussam? num ut in his seu legendis seu audiendis traducamus tempus, & cõsumamus otium? Nihil quidem pio homini iucundius lectu est, non aũt scripta sunt, ut tantum ciuilẽ uoluptatẽ afferãt, sed ut CREDATIS, inq̃t, q̃ Iesus est Christus ille filius dei, & ut credẽtes VITAM HABEATIS per nomẽ eius. Hic est spiritualis fructus. Hæc est cœlestis ac perpetua utilitas. Inter illa aũt signa, quę Euangelistę cõmemorant à Christo ędita, non postremum locum obtinet hoc, quod Ioannes in filio Regij Capernaïtæ æditum esse scribit. Quare in hãc curã incũbendum nobis est, ut q̃d Christus ad consulendum saluti nostræ gessit, hoc omni studio cognoscamus.

Historiæ gentium, ciuilẽ fructũ habẽt.

Historiæ sacræ usus.

» Venit ergo (inquit Euangelista) Iesus iterum in Cana Galilęę, ubi
» fecerat ex aqua uinum. Et erat quidam Regius, cuius filius infirmabatur Capernaum. Hic cum audisset, quod Iesus aduenisset à Iudæa in
» Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum, ut descenderet, ac sanaret ipsius filium. Siquidem is agebat animã. Principio, hic Capernaïta, cuius filius laborabat febri, quemadmodum Euangelista postea significat, uocat Regius, siue quod esset generis regij, siue ministerij regij. Quod utcunq̃ se habeat, certe apparet eum fuisse uirę magna dignitate & autoritate prędituṁ. Deinde, hic uir Regius, recte quidem ac pie facit, q̃ in ęgrotatione filij sui accedat ad Iesum & imploret auxilium eius, sed quia mox reprehenditur à Christo, peccata eius diligenter consideranda sunt, ut ex alienis peccatis, nostra corrigamus. Vnũ est, q̃ Regius non prius inuocat opem Christi, q̃ cum filius eius ageret animã, & in extrema esset necessitate. Ante em q̃ filius periculose

ęgrotaret,

ęgrotaret, nullam uidetur habuisse ratiōem Christi, sed tum demum festinat ad Christum, periculum artis eius facturus, cum uidet nihil aliarum rerum posse filium suum iuuare. Hoc est uulgare inter hoīes uitium. In sanitate, nullam aut ignauam habēt curam inuocationis diuini auxilij. In extrema aūt ægrotatione, cum oīa humana prius tentauerint, nec quicq̄ adiuti fuerint, tum uel tandem attollunt oculos ad cœlum, (si tamen id faciant) & ut uideantur diuinum auxilium petere, petunt communionem cœnę dñicę, idq̄ cum iam animam efflant, quale quid faciebant quondam, qui non accipiebant baptismum, nisi mox spūm exhalaturi, quos uocabant κλινικούς. Non est quidem unq̄, ne in extrema quidem necessitate à deo deficiendum, & de salute desperandum, quemadmodum mox docebimus. Sed hæc ignauia & socordia, q̄ non requiramus diuinum auxilium, nisi in extrema necessitate, reprehensione dignissima est. Etsi em̄ non semper percipimus pręsenti sensu extremam & summā necessitatē, ea tñ semper pro foribus nostris accubat, & capitib. nostris imminet. Siue sani sumus, siue saturi, siue in dignitatibus huius seculi constituti, siue potestate inter hoīes pręditi, semper manent nos maxima pericula. Etenim natura nostra nunq̄ non gestamus in nobis pctūm, in quo & concepti sumus & nati, & quod etiā nostris sceleribus cumulauimus. Vbi aūt est pctūm, ibi sunt & stipēdia peccati, hoc est, Mors & infernus, quæ etiamsi hoc temporis momento non sentiuntur reipsa, tñ in sinu nostro ita pręsto adsunt propter peccatum, ut reuelatio eorz nunq̄ non sit nobis expectanda. Nam quēadmodum pręgnans mulier, cum appropinquauerit tempus partus, etsi non sentit hac hora dolorem partus, sed potius conuiuatur & ridet, necesse tamen habet quouis mōmēto incursum doloris expectare, quia fœtus, quem gestat, maturus est, ita oēs hoīes quia natura sua pręgnantes sunt pctō, sunt etiā pręgnantes stipendijs peccati, morte & inferno, quę etiāsi in pręsentia nō sunt molesta, semper tñ ius inuadendi nos habent, & solent in hoīes, cum sunt securissimi, & longe aliud cogitantes incurrere, aut potius sese reuelare. Ad Cainum dicit. Si male egeris, statim in foribus peccatum aderit, hoc est, etiamsi pctūm non statim puniat, iuditium tñ & supplitium eius pręforibus est, & suo tēpore patefiet. Et Paulus. Per pctūm, inquit, peruasit mors in oēs hoīes. Cum igit quouis tempore impendeat ceruicibus nostris summa & extrema necessitas, semper nobis in hanc curā incumbendū est, ut siue sani siue ęgroti, nomē Dñi ex fide inuocemus, & salutē nostrā clemētię eius per Iesum Christum, uerz seruatorem nostrz cōmendemus. Alterz pctūm regij est, q̄ etsi sentit Christum posse filio suo opē ferre, tñ perspicue indicat se non credere, q̄ Christus possit filium absentē, aut mortuū seruare,

Christiani Clinici.

Homines sunt pregnantes peccato & inferno.

ideoq; urget eum, ut festinet, ac descendat ad Capernaum, priusq; filius moriat. Est & hoc pctum inter hoies uulgare. Alius enim in ęgrotatione putat Deū non iuuare, nisi ostendat externā medicinā. Alius in rerum penuria existimat deū non seruare egentes, nisi proponat abundantiā frumēti & uini. Sunt, qui opinantur, eos tantū diuino auxilio conseruari, qui euadunt pericula mortis mirabiliter, ne moriantur. Cęterū, eum qui moritur, sentiunt à deo non esse adiutū. Hæc est maxima fidei imbecillitas, q propemodum nihil ab incredulitate differt. Nā DOMINVS deus noster est oīpotens rerū administrator, q pios, inuocantes ipsum ex fide, seruet in rerum penuria, tam sine frumento, q frumēto, & in ægrotatione tam sine externis medicinis, q medicinis, denicq eiuscemodi est seruator, ut tueat pios, in media etiamnum morte, & putrefactione, quo & uiuāt cum Christo, & excitētur suo tempore ad percipiendā etiam corpore perpetuam fœlicitatē, tantum abest, ut qui moriunt, non adiuuentur à deo. Idem sentiendū est de Christo filio Dei, q cum sit diuina potentia & maiestate patris sui prędituS, iuuare potest nō solum pręsens pręsentē, sed etiā absens absentem. Seruare item potest, tam imposita manu, q solo uerbo dicto. Quare reprehendit hanc incredulitatem Regij, & dixit ad eum.

„ Nisi signa et prodigia uideritis, nō creditis. Hęc est grauis reprehensio, qua non Regius tantū, sed etiam Iudæi & Galilæi perstringūtur. Nam quod ad Regiū attinet, etsi audiuit doctrinā Iesu, & quanta miracula Iesus ædiderit, tam in Cana Galilæę, q in Hierusalē, tamē his signis nō ita mouet, ut rectā fidē in Iesum concipiat, nisi plura & maiora signa uideat. Nam si suscepisset accuratam considerationē de doctrina Iesu, & de miraculis, q tā de Iesu in natiuitate eius, q ab ipso Iesu pauloante ędita fuerāt, potuisset facile cognoscere eū esse uerū Messiam, seu Christū per pphetas promissū, Quod si est Christus, certe filius dei est, sedēs ad dextrā dei patris sui, & oīa ei subiecta sunt. Hoc eū scriptura de Christo testat. Dns, inquiens, dixit ad me filius meus es tu. Et iterū. Dixit Dns dno meo sede à dextris meis. Ac rursus. Gloria & honore coronasti eum, cōstituisti eū super opera manuū tuarū. Omnia subiecisti sub pedibus eius. His certe scripturæ testimonijs, si diligenter expendas, spūs sanctus tribuit Christo æqualē maiestatem & oīpotentiā cū deo patre suo. Quare si Iesus est Christus, manifestum est q posit filiū febri laborantē, non solum corpore pśens, et imposita manu, sed etiā absens & solo uerbi sui mādato seruare, imo etiā mortuū excitare. Hęc est uera de Iesu fides, quā cum nō habeat hic Regius, merito reprehendit. Sed cum eā aliās habeat Centurio, q dicebat: Tantū dic uerbum et sanabit famulus meus, haud immerito, pleno ore à Christo cōmendat. Quod autē attinet ad Iudęos et Galilęos, ac pśertim ciues Nazarethanos, digni sunt p Samaritanis seuerissima reprehensione. Samaritani enim, quemadmodum paulo ante explica

Deus seruat uarijs modis.

Christi maiestas.

tum est, cum nulla uidissent signa et prodigia à Iesu edita, sed tantum audiuissent doctrinam eius, tantam in ipsum fidem concipiunt, ut publice & ingenue fateantur eum esse Christum, seruatorem mundi. Et quanq̃ mulier cõmemorauerat de ipso, q̃ narrasset ei occultas uitæ suę actiones, Samaritani tũ dicunt: Iam non propter tuam orationem credimus, Ipsi enim audiuimus & cognoscimus, q̃ hic est uere seruator mundi, Christus. Iudęi aũt et Nazarethani, etsi non solum doctrinam Euangelij eius sępenumero audiuerant, sed etiã quędam iam signa & prodigia uiderant, tamen ne sic quidẽ credunt eũ esse uerę Christum, nisi ea faciat signa & miracula, q̃ ipsi pro suo arbitrio exigunt, & prescribunt. Quare haud iniuria etiam ipsi, una cum Regio, propter incredulitatem reprehendunt, nec immerito Samaritanis inferiores habẽtur. Sed Regius pergit urgere Christum, ut uelociter descendat. Et dicit. Dñe, descende, priusq̃ moriatur filius meus. Hic magis prodit Regius suam seu incredulitatem seu fidei imbecillitatẽ. Quid enim de Iesu sentis? cur sic eum urges? An nõ credis eum posse seruare filium, etiamsi non descendat, etiãsi filius moriatur? Sed hoc est ingenium eorę hoim, qui non habent rectam de deo, aut filio eius fidẽ. Instant, urgent, & festinant. Nec urgent promissionẽ dei, aut clementiam & potentiam eius, sed urgent eum subueniendi modum & rationem, quam ipsi excogitarunt, ac deo prescripserunt, & quasi mandarunt. Hoc certe non est deum ex uera & obedienti fide inuocare, sed est fere aduersus deum tumultuari. Deinde Regius prodit etiã hac uoce magnitudinẽ doloris sui, quẽ propter morbũ filij, in aĩo suo conceperat. Nõ eñ sic ursisset Iesum, nisi summo & incredibili, ut est natura parentũ erga miserias liberorę, dolore affectus esset. Cũ igit̃ Christus intelligeret non minus Regium imbecillitate fidei & dolore animi, q̃ filium morbo corporis egrotare, suscipit ambos curandos. Et dicit ei, Vade, filius tuus uiuit. Vno hoc dicto sanat Christus duos, parentẽ uidelicet, ac filium, alterę qdem animo, alterę aũt corpore ægrotum. Nã parens concipit uerã fidẽ, & doloris sui leuationẽ, filius uero liberat̃ febri, quẽadmodum mox sequitur. Hic ergo consideranda nobis est, quanta bñuolentia Christus cõplectatur Regium, & quõ filium eius sanitati restituerit. Nã hic Regius, nõ affert ad Christum uerã fidẽ, sed tñ scintillã quandã fidei, ac non fuisset indignus qui propter importunitatẽ suã à Christo repelleret, sed tñ abest, ut Christus abijciat eum propter fidei eius imbecillitatẽ, & importunitatẽ, quã doloris magnitudo extorserat, ut tanto clementius eum suscipiat, quanto maior est imbecillitas fidei, et dolor animi eius. Venit eñ Christus, nõ ut miseros opprimat, sed ut seruet. Calamum, inq̃t, quassatum non cõteret, & linum fumigans nõ extinguet. Et itere: Spiritus DOMINI super me, eo q̃ unxerit me, ad prædicandum humi-

Incredulitas festinat.

Imbecillis fide Christus suscipit.

libus misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captiuis liberationem. Vide mihi, quanta fuerit imbecillitas fidei in Petro ambulante super aquas, ut ueniret ad Iesum, quēadmodum in Mattheo cap. xiiij scriptum est? Nam cum Petrus uideret uentum magno impetu in se ferri, ita dubitare cepit, ut etiam mergeretur. Quid ergo fecit Christus? Reprehendit quidem Petri dubitationē. Modicæ, inquiens, fidei, cur hesitabas? non autem submergit eum, sed apprehendit eum extenta manu, & seruat. Quid parēs ille apud Marcum? Credo, inquit, domine, Succurre incredulitati meæ. Hic ingenue confitetur fidei suę imbecillitatē, & tamen filius eius sanatur. Audi & Thomā. Nisi uidero, inquit, in manibus eius uestigium clauorum, & mittam manus meas in latus eius, nō credā. Sed intantū non abijcitur propter hanc incredulitatem, ut Christus suscipiat propter ipsum admirabile genus reuelandæ & confirmandæ suæ resurrectionis. Hoc offitium Christi idcirco nobis explicatur, non ut approbemus imbecillitatem fidei, & blandiamur nobis in ea, sed ut possimus resistere diabolo in die malo. Deus enim adoptauit nos per Iesum Christum, in filios & heredes bonorum suorum, & habemus propter Christum ius cœlestis regni. Sicut autem magno labore constat magistratum urbis, ut conseruet ac tueatur iura ciuitatis suæ aduersus finitimos regulos, ita magnæ molis est tueri spirituale ius cœlestis regni, aduersus Satanā. Hic enim solet nobis coram tribunali Dei in conscientia nostra obijcere peccata nostra, Tu, inquiens, peccator es, damnaberis igitur. Quod si tum refutemus obiectionem eius, ac dicamus, nos non esse damnatos, propterea quod Christus, in quem credimus, expiauerit peccata nostra, statim excipere solet hanc uocem & in nos retorquere. Recte, inquiens, Christus expiauit peccata, sed eorum, qui credūt in eum. Tu uero non credis in eum, aut habes tam imbecillem fidem, ut ea ab incredulitate nihil differat. Pone tibi ob oculos ueteres illos sanctos Abraamum, Esaiam, Paulum, & alios, qui habuerunt magnam & heroïcam fidem, ac multa admiranda opera ex fide sua fecerunt. Quorum cum nihil in te inuenias, quid reliquum est, cū quod sis perpetuæ damnationi obnoxius? In hac aut simili conscientiæ disputatione primum diligenter cognoscendum est, quod inueniamus gratiam apud Deum patrem, per fidem quidem, non autem propter fidem, hæc enim nunquam est in hac mortali carne perfecta, sed propter Christum, qui fide, etiam imbecilli accipitur. Infirma quidem est fides, sed non est infirmus Christus, qui per fidem accipitur. Deinde cogitandum est exemplum huius Regij, & alia, quæ supra de offitio Christi diximus. Et his enim intelligimus Christum non abijcere imbecilles in fide, sed potius eos seruare, ac tueri.

Satanæ tentatio de imbecillitate fidei.

Infirma fides, sed non infirmus Christus.

Quæ si

Quæ si forti & constanti animo retinuerimus, eam reportabimus uictoriam, non quidem, qua expugnamus Constantinopolim Turcarum, sed quod maius, & saluti nostræ plus necessarium est, infernum Satanarum, & intramus in ciuitatem angelorum, cum Christo filio Dei, & omnibus sanctis perpetuo et fœliciter uicturi. Cæterum, non est tantum in hoc Regio considerandum, qua beneuolentia complectatur eum Iesus, sed quo etiam modo restituat filium eius sanitati. Ablegat eum à se, Vade, inquiens. Nec ipse proficiscitur cum eo, nec dat ei aliquam medicinam, nec docet eum, quid remedij filio aduersus febrim admouere debeat, sed tãtum proponit ei nudum uerbum, Filius tuus uiuit, hoc est, ualet & sanus est. Hæc est uetus Dei consuetudo. Nam quemadmodum Christus non proficiscitur corporali incessu cum Regio, sed tantum dicit ei uerbum, filius tuus uiuit, quo Regius contentus esse debuit, sicut & fecit, ita in administratione Ecclesiæ suę non solet se suis uisibilem comitem adiungere, aut externa auxilia proponere, sed dicit uerbum, promittit se presto adesse, quod fide excipiendum est, & ex ea uocationi non aliter obediendum, cũ si Christus coram uisibilis & manibus tractabilis astaret. Misit quondam Mosen in Ægyptum, ad liberandos Israelitas. Veni, inquiens, mittam te ad Pharaonẽ, ut educas populum meum filios Israel ex Ægypto. Quid ergo? num profectus est una cum Mose uisibili specie? an adiunxit ei exercitum militum? Minime omnium. Sed dicit ei uerbum. Ego ero tecum. Et hoc uerbo amãdat eum ad Ægyptum. Sanctificauit quondam Hieremiam in prophetam, ut prędicatione sua euelleret, destrueret, disperderet, dissiparet, ędificaret & plantaret regna. Quibus uiribus? quo exercitu? Num comitabatur eũ externa forma? Nihil certe minus. Sed dicit ei uerbũ. Tecum ego sum, ut eruam te. Misit etiam Apostolos in totum orbem terrę, ut prędicarent Euangelion suum, hoc est, ut demolirentur omnes gentium religiones, & instituerẽt uerã dei cognitionẽ per Christum, inter medios hostes dei. Non autem proficiscebatur cum ipsis uisibili specie, nec tradebat eis externã manum militum, sed dicebat uerbum. Ecce uobiscum sum oĩbus diebus usq; ad consummationem seculi. Vocamur & nos ꝑ Euangelion ad accipiendã hęreditatem perpetuæ iustitię & uitę in cœlesti regno. Sed quid fit? nũ Christus peccatum et mortẽ è carne nostra ita euellit, ut ea non sentiamus? profecto minime. Sinit enim pctũm in carne nostra hęrere, & nos morte affici, sed dicit uerbum. Ego sum resurrectio & uita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet, & omnis qui uiuit et credit in me, non morietur ingternum. Hoc est uerbum, hoc est Euangelion, q̃ cum Christus ipse nobis donet, ita cõtenti esse debemus, ut etiãsi morte ipsa arripiamur, credamus tamen nos in Christo & propter Christum uiuere. Nec sentias, uerbum Dei

Deus comitatur pios per uerbum.

imbecillius esse, cp̃ ut queat extremis periculis obiectum seruare. Etsi enim apparet nudum esse & imbecille, ac omnium hominum ope destitutum, tamen habet à parte sua omnes angelos, Deum ipsum, patrem, filium & spiritum sanctum. Quo quid est fortius, quid potentius? Quare perdurandum est in fide uerbi Dei, etiamsi omnes creaturæ in cœlo & in terra diuersum sentire uideantur. Proponamus nobis ob oculos exemplum huius Regij nostri, de quo ita sequitur. Credidit homo sermoni, quem dixerat ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerũt dicentes. Filius tuus uiuit. Sciscitatus est autem horam ab eis, in qua melius habuisset. Et dixerunt ei. Heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, cp illa hora erat, in qua dixisset sibi Iesus, filius tuus uiuit, & credidit ipse & domus eius tota. Vidimus antea in Regio exemplum incredulæ, ut ita dicam, fidei. Videamus nunc in eo exemplum rectę ac uerę fidei. Nam Regius audit à Christo, Filius tuus uiuit, Hoc est Regio iucundissimum Euangelion. Primum igitur, etsi reliquerat domi filium agentem animam, nec uidebat eum coram incolumen, tamen quia excepit hoc uerbum, ut uerbum Messię, filij Dei, & cœleste Euãgelion, adhibet ei fidem suam, & repetit domum magna animi lætitia, non dubitans, quin reperturus sit filiũ suum fœliciter ualere. Deinde in itinere, confirmat fidem suam, ex cõmemoratione seruorum. Postremo narrat familiæ rem gestam, & facit prędicatione Euangelij huius totam domum suam Christianã. Memorabile factum, quo de nostro quocp offitio admonemur. Nam pij hominis est, ut contentus sit certo uerbo Dei, & Euangelio Christi, nec hoc agat, ut mox corã externo sensu percipiat res promissas, sed adhibeat uerbo Dei firmã fidem, etiamsi omnia alia contraria uideantur. Postea confirmanda est fides repetitione uerbi Dei, recordatione diuinorum miraculorũ, & usu eorum sacramentorum, quæ nobis Christus utenda instituit. Ad extremum, testemur fidem nostram bonis operibus, quæ Deus præcepit, & prædicemus gloriam Christi, pro sua quiscp uocatione, ut et alij nostra uel doctrina uel exemplo excitati Christum agnoscãt, & salutem consequantur. Non enim satis defuncti sumus nostro offitio, si tantum curemus, ut nos ipsi coram Deo iusti simus per Christum, sed danda est opera, ut per nos & alij cognoscãt Christum. Magistratus curare debet, non ut ipse tantum sciat Christum, sed ut & Christus adnuncietur subditis suis. Patrisfamilias est, non ut ipse solus cognoscat ueritatem Euangelij de Christo, sed ut etiam familia eius fiat Christiana, & ducat piam ac Christianã uitã. Priuati hominis est, ut non solum suæ salutis rationem abscondite habeat, sed ut manifesta uitę suę pietate Christũ glorificet, & exemplo suo proximum

da sectan-

ad sectandum Christum inuitet, ut inter homines huius seculi luceamus, quemadmodum Paulus ait, tanq̃ luminaria in mundo. Porro, quod addit Euangelista in fine huius capitis. Hoc iterum secundũ signum edidit Iesus, cum uenisset à Iudea, in Galileam, loquitur de ijs signis & miraculis, quę publice in Galilęa ædita, & ab ipso conscripta sunt. Primum enim signum edidit Iesus in Cana Galilęę, quemadmodum supra cap. ij. scriptum est. Ædidit & secundum in Cana Galilęę, sed absente filio Regij. In singulis autem miraculorũ Christi descriptionibus non incommode addetur, quod Ioannes ca. xx. scribit, Multa, inquiens, & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorũ suorum, quę non sunt scripta in hoc libro. Hęc aũt scripta sunt, ut CREDATIS, q̃ Iesus est Christus ille filius Dei, & ut credentes VITAM HABEATIS per nomen eius. Hic est generalis usus oĩm miraculorum Christi, uidelicet, ut miraculis admoniti & excitati cognoscamus doctrinam Iesu, ex qua manifestum nobis erit, q̃ is sit uerus Messias, unigenitus filius Dei, solus & uerus seruator noster. Quæ cognitio, cum afferat nobis summam salutem, & ęternam uitam, tanta cura, tanto studio apprehẽdenda est, ut cogitemus, nos ad hoc solũ creatos & recreatos esse, ut Christum DñM nostrũ assequamur, qui est unà cum patre & spũ sancto deus benedictus in secula, Amen.

Miraculorũ usus.

CAPVT QVINTVM

HOMILIA XLIII.

CVM TANTA SIT HVMANÆ naturæ imbecillitas & fragilitas, ut cum corpus graui & diuturno morbo afficit, animus difficilioribus ac periculosioribus morbis impacientia uidelicet, ac dubitatione de diuino fauore tentetur, magna nobis cura & diligentia consideranda est ea historia, quæ de Paralytico ad piscinam Hierosolymitanã per Christum sanato conscripta est. Etsi enim uidetur in ea tractari tm̃ de corporali sanitate, quam Paralyticus benefitio Christi consecutus est, tm̃ si rem gestam probe perpendas, inuenies in ea proponi nobis in graui ssimis quibusq̃ animi morbis cœlestem medicinam. Quare, cum in corporalibus ęgrotationibus, animus plus fere ęgrotare soleat, q̃ corpus ipsum, non est nobis cõmittendum, ut hanc historiã, quæ de eo, qui triginta octo annis morbo affectus, & tandẽ à Christo sanatus fuit, sequitur, oscitanter prætereamus. Posthæc, inquit Euangelista, erat dies festus Iudæorum. Et ascendit Iesus Hierosolymam.

Hunc festum diem alij sentiunt fuisse Pentecosten, alij Pascha illud, quod proxime secutum est ei, quo Iesus eiecit Hierosolymis uendentes & ementes è templo. Est autem Hierosolymis ad probaticam piscina, quæ nominatur hebraice Bethseda, quinq; porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cęcorum, claudorum, aridorum expectantium aquę motum. Probatica, deducitur à nomine πρόβατον, quod ouem significat. Fuit autem, uel domus, ad custodiã ouium deputata, uel lacus, in quo oues ad immolationem selectę, lauabantur. Iuxta hanc uel domum, uel lacum, fuit piscina, quę dicta est hebraïce, hoc est, à populo hebręorũ, Bethzeda, uel Bethzaïda. Nam בית beth significat domũ, צדא zeda significat Syriace, (qua lingua hebręi uulgo, post reditum è captiuitate Babylonica utebantur) piscationem, ut sit domus piscatiõis pro piscina. Porro in porticibus huius piscinæ magna iacebat multitudo hominum, qui uarijs morborũ generibus affecti erant. Etsi autem in rep. bene constituta caueri debet, ne miseri illi homines, claudi, aridi, cæci, & alij passim in plateis, in triuijs & compitis iaceant. Tanta enim liberalitate conferenda est à pijs eleëmosyna, ut hi miseri homines domi alantur, tamen deus ponit sanis tales, & tam calamitosos homines singulari quodam consilio ob oculos. Nam quod ad corpus attinet, non hi tantum ægroti, uerumetiam sani tam caducam tãq; fragilem carnem gestant, ut & illis, & multo grauioribus morbis affici possint, nec ulla tanta est aut aridi aut claudi miseria, quæ non possit etiam in optima ualetudine affectum incidere. Quod autem ad meritum attinet, omnes sumus in peccato concepti & nati. Quo igitur iure Deus immisit suam claudo aut arido afflictionem, eodem plane posset cuiuis, quantumuis aut sano, aut etiam infanti immittere. Quare, cum Deus proponit sanis hominibus languidos, cęcos, claudos, & id genus alios, uult nos docere & commonefacere, ut in alienis exemplis cogitemus nostras miserias, et excitemur, non solum ut gratias agamus pro beneficio, quod deus in nos immeritos contulit, sed etiam tangamur misericordię affectu erga afflictos, & iuuemus eos liberaliter, ac operemur, quemadmodum Paulus loquitur, salutem nostram cum timore & tremore, quo Deus, aut seruet nos, ne tantis miserijs obijciamur, aut si omnino libet Deo nos sic affligere, euentum faciat, quo possimus sufferre. Sed uideamus nũc quã ob caussam tanta multitudo languentiũ iacuerit Hierosolymis, in porticibus huius piscinæ. Expectabant, inquit, aquæ motum. Angelus enim descendebat suo tempore in piscinam, & turbabat aquã. Itaq; qui primus descẽdisset post turbationẽ aquæ, sanus fiebat, quocunq; morbo detinebatur. Magnum hoc est miraculum, Sed maius pene uidetur, q; primus tantum, non item secundus, & tertius, ac

Hieronymus de locis hebraicis.

& tertius, ac omnes ægroti, qui post aquę turbationem ingrediebantur, consecuti sint sanitatem. Quid enim an manus non dni sic aggrauata fuit, ut non potuerit duos simul, aut tres, aut centum quoq; sanare? Nihil certe minus. Deus condidit uerbo uniuersum mundum, quomodo ergo non potuisset etiam absq; huius aquæ turbatione omnes ægrotos sanare? Sed diuino consilio sic constitutum fuit, ut solus is, qui primus post turbationem aquæ in piscinam descenderat, sanitatem consequeretur. Nam initio condidit quidem Deus hominem integrum, firmum, nullis morbis obnoxium, ac immortalem. Postq; autem homo peccauit, tunc una cum peccato intrauerunt in mundum omnia genera morborum, ac mors etiam ipsa. Quæ orbem ita inuaserunt, ut ante nouissimum huius seculi diem, è dominatione sua non eijciantur. Nam quemadmodum cūctis diebus terræ, non requiescēt, ut scriptura loquitur, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hiems, nox & dies, ita non requiescēt lęticia & tristitia, sanitas & morbus, uita & mors. Si autē deus conderet eiuscemodi piscinas, aut thermas, in quibus homines uel ab omnibus morbis pręseruarentur, uel in omnibus curarentur, non esset iam amplius uetus illa, & confirmata huius externi & corporalis seculi conditio, nec remaneret solennis ille huius mundi cursus, qui una cum peccato inchoatus, & constitutus est. Cum igitur is ante extremum diem mutari non debeat, uisum fuit DOMINO Deo nostro, ut thermæ Hierosolymitanæ, non omnes ægrotos, sed solum eum, qui primus post aquæ motum in illas descendisset, sanarent. Voluit autem Deus hoc miraculo significare & testari, q̃ adhuc habitet in hac Iudæorum regione, & complectatur eam gentem suo fauore, ac excubet pro salute eius. Nam Iudæi, post Aggęum, Zachariam & Malachiam, nullos habuerunt prophetas, ex quorum prędicatione potuissent agnoscere pręsentiam & fauorem Dei. Deinde externi & Ethnici principes dominabantur iam in Iudęa, ac fiebat in ea terra colluuies Iudęorum & Ethnicorum. Quare potuissent pij cogitare deum prorsus dereliquisse hanc regionem, & deseruisse totam gentem Iudæorum. Reuelat igitur Deus sese hoc miraculo, in Thermis Hierosolymitanis, ut pij cognoscant ipsum adhuc amare posteritatē patriarcharum, & excubare pro salute eorum. Quod cum satis significaretur, si is miro quodam modo sanus fieret, qui primus post motum aquæ, in piscinam descendisset, uisum fuit Deo, ut & is solus consequeretur sanitatem, ne si omnes ægroti incolumes ex hac aqua egrederentur, status huius seculi mutatus esse uideretur. Atq; hoc quidem miraculo Deus manifeste ostendit, quanta beneuolentia prosequatur posteros patriarcharum. Sed multo manifestius, multoq; illustrius ostendit eam in unigenito filio suo, domi-

Thermarum Hierosolymitanorum miraculum.

no nostro Iesu Christo. Is enim missus est à Deo patre suo in hunc mundum, ut fieret caro, & indueret hominem, qua coniunctione filij Dei & hominis, ut nullum est aliud nec in cœlo nec in terra admirabilius opus, ita Deus eo opere clarissime & certissime testatur, q̃ sempiterno fœdere coniunxerit sese, non tantum cum populo Iudęorum, sed etiam cum toto humano genere. Nam cum filius dei assumpserit hominem, & collocauerit eum in throno diuinæ maiestatis, supra omnes cœlos & angelos, quid est aliud, cũ q̃ Deus humanum genus tanto fauore complectatur, ut omnes eos homines, qui fide sua suscipiunt filium eius Iesum Christum, adoptet in filios suos, & faciat eos heredes omnium cœlestium bonorum, ut una cum Christo filio Dei, sempiterna gloria & fœlicitate fruantur? Quotquot, inquit, receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, uidelicet his, qui credidissent in nomen eius. Quare, etsi illustre est miraculum, quod in Thermis Hierosolymitanis ędebatur, multo tamẽ illustrius est miraculum, quod in filio Dei, Iesu Christo ędituin est. Vnde & Christus præsentia sua obscurat & quodam modo abolet illud thermarum miraculum. Accedit enim ad ægrotum, iacentẽ ad Thermas, ac expectantem motum aquæ. Et quod ęgrotus in triginta octo annis consequi non potuit, hoc tribuit ei Christus uno uerbo. Quæ, quomodo acta sint, cognoscere operæpretium est. Erat, inquit Euangelista, quidam homo illic, qui triginta & octo annos morbo tenebatur. Priusq̃ reliqua quæ sequuntur cõmemoremus, consideranda est huius hominis miseria. Primum uide mihi magnitudinem morbi eius. Tanta enim ęgritudine affectus fuit, ut nõ potuerit solus sine adiutore ad piscinam in tempore uenire. Hoc enim significat, cum postea cõqueritur se non habere hominem, qui portet ipsum ad piscinam, cum turbata fuerit aqua. Deinde uide etiã morbi diuturnitatẽ. Non enim una tantum hebdomada, non uno anno, sed triginta octo continuis annis morbo tenebatur. Accedit huc quoq̃ infœlicitas eius. Hactenus enim nunq̃ tã fœlix esse potuit, ut alios ad piscinam præueniret, sed alij eum semper præuenerunt. Postremo notanda est & paupertas eius, & desertio ab amicis. Neq̃ enim famulum neq̃ amicum habuit, qui ipsum ad piscinam opportuno tempore ferret. Itaq̃ tanta est miseria, tanta calamitas eius, ut tam à deo, cũ q̃ ab hominibus desertus esse uideatur. Sed quid? num qui sic humano iuditio desertus esse uidetur, re ipsa à Deo desertus esse censendus est? Num Deus obliuiscitur eius, quem homines contemnunt? Num Deo non est curæ is, quem homines negligunt? Minime omnium. Deus optime nouit morbum huius ægroti. Et nunq̃ non uidit, q̃ alij ipsum præuenerint. Distulit autem sanationem eius, non ut perderet eum, sed

incarnatiõis Christi miraculum.

ut opera

ut opera filij dei in eo manifestarent. Sic em sequitur. Hunc cum uidisset Iesus decumbentē, & cognouisset, q iam multū temporis morbo teneret, dicit ei. Vis sanus fieri? Quid hęc percūctatio sibi uelit, miror fortassis alicui uideri posset. Quid em in hac porticu faceret ægrotus, si nō maximo sanitatis desiderio teneret? Et Christus est cordium scrutator. Cur ergo sic interrogat? Non est stulta aut otiosa interrogatio. Sed Christus perstringit primū hac interrogatiōe, eos mēdicos, q non cōcupiscunt firmā corporis ualetudinē, sed potius amāt & alunt morbos suos, ut hac occasione multā colligant eleemosynā, et alienis sumptibus in otio & ignauia nutrianī, quibus si sanitatē conferres, existimarēt se potius maleficio cp beneficio affectos. Quærit igitur Christus, uis sanus fieri? hoc est, multo tempore hic decūbis, ut appareat te ex eorū numero esse, qui malunt esse ęgroti, ut otiosi alantur, cp ut sani necesse habeāt multo sudore uictum qritare. Hi sunt ignauissimi impostores, & indigni, qui uel eleemosyna uel sanitate fruantur. Dicito ergo ingenue, nū tenearis aliquo sanitatis desiderio? Deinde interrogat Christus ęgrotū, ut magnitudo miseriæ eius, sua ipsius confessione, publice nota fieret, et qd Christus optime sciebat; hoc etiā alij cognoscerēt, quo disceremus, diuinum auxiliū tūc proximum esse, cū miseria maxima fuerit. Confiteī ergo languidus tam cupiditatē cp calamitatē suā. Et respondit ei. Dne, hoīem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinā. Sed interim dū ego uenio, iam alius ante me descendit. Magna quidē est infœlicitas huius languidi, & magnū uitium corporis eius, interim autē habet ipse suas animi uirtutes. Non execratur diem natiuitatis suę, non est maledicus in eos, qui pueniunt ipsum in piscinā, sed simpliciter narrat suā infœlicitatem, sine alterius contumelia. Hæ sunt uirtutes dignę cōmendatione, sed non sunt tanti momenti, ut propter ipsas languidus mereatur fauorem filij dei, & tā admirabile benefitiū sanitatis. Nam Christus non excitatur aliquo huius languidi merito, ut iuuet ipsum, sed excitat sua ipsius clemētia, & miserrima languidi calamitate. Et dicit ei. Surge, tolle grabbatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabbatum suum, & ambulabat. Hic nunc obserua mihi, quo euaserint magnitudo & diuturnitas morbi, ac miseria et infœlicitas huius languidi. Quid potuit ei iucundius, quid admirabilius, ac etiam gloriosius cōtingere? Multo certe maiori lętitia ac iucunditate animi gestauit grabbatum suum, cp si ante fuisset capiti eius imposita corona regia. Accedit huc, q præter corporalem sanitatem, paulopost agnoscit etiam Christum, cuius cognitio, est uera iustitia & æterna uita. Voluit autem Christus hoc miraculo reuelare, & testari potentiam maiestatis suę. Non rogatur à Paralytico, imo ne

Mendicorum iniquitas.

agnoſcitur quidem ab ipſo, quis ſit, tantum abeſt, ut initio exceperit eum fide ſua paralyticus, tanq̃ Chriſtum. Sic enim poſtea dicitur. Is, qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet. Nihilominus tamen Chriſtus liberat eum à morbo, & confert in eum ſanitatem, quemadmodum aliâs excitauit à mortuis adoleſcentem filium uiduę, nihil tale (mortuus enim erat) uel petentem uel cogitantem. Quid igitur? num incogitantes & increduli capiunt fructum benefitiorum Chriſti? Corporalia quidem benefitia contingunt aliquoties etiam ijs, qui non credunt in Chriſtum, uera autem, & ſpiritualia atq̃ æterna nulli hominum poſſunt abſq̃ fide contingere. Fieri non poteſt, inquit apoſtolus, ut quis ſine fide Deo placeat. Nam, q̃ Chriſtus contulit in quoſdam non agnoſcentes ipſum corporalia benefitia, hoc conſilio fecit, ut ſignificaret potentiam iuuandi & ſeruandi in ipſo, non in efficatia humanæ fidei ſitam eſſe. Etſi enim ad accipienda à Chriſto ſpiritualia & ęterna bona, quę ſunt remiſſio peccatorum, & uita æterna, neceſſaria eſt fides in Chriſtum, hęc tamẽ fides, quam nos habemus, non facit Chriſtum omnipotentem ſeruatorem, ſed cum Chriſtus reipſa ſit omnipotens ſeruator, accipimus ab eo ſalutem, per fidem, ut fides noſtra non ſit per ſe autor ſalutis, ſed organon quo ſalus à Chriſto accipitur. Hoc idcirco cognoſcendum eſt, ut cum docemus hominem iuſtificari & ſeruari fide in Chriſtum, non ſentiamus nos aliquo noſtri operis merito conſequi iuſtitiam & ſalutem, ſed ſentiamus nos accipere quidem Chriſtum per fidem, reputari autem iuſtos, & ſeruari gratis, tantum propter Chriſtum fide acceptum. Deinde docet Chriſtus hoc miraculo Eccleſiam ſuam, quid ſint corporales egritudines, & diuturnæ infœlicitates in hoc ſeculo. Nam, quemadmodum hic paralyticus non incidit in morbum, nec tanto tempore laborauit ex morbo, nec alij toties eum in piſcinam præuenerunt, neſciente & ignorante, ſed optime cognoſcente & adminiſtrante DOMINO Deonoſtro, uidelicet, non ut periret, ſed ut tanto maiori ſuo commodo & gloria ſeruaretur, quanto grauior & diuturnior eſſet morbus, ita nihil aduerſi, nihil infœlicitatis in hoc ſeculo accidit ijs, qui ſunt membra Eccleſiæ, ſine uoluntate & adminiſtratione Dei. Quis eſt ille, inquit Hieremias, qui dixit, ut fieret, domino non iubente? ex ore altiſſimi non egrediẽtur nec mala nec bona? Et Chriſtus. Nõne duo, inquit, paſſerculi minuto aſſe ueneunt? & unus ex illis non cadet in terram ſine patre ueſtro. Veſtri etiam pili capitis omnes numerati ſunt. Quod ſi aduerſa incidunt in membra Eccleſiæ uoluntate Dei, & perdurant diuturno tempore prouidentia & gubernatione Dei, quomodo poſſent eſſe internitio? Deus enim fauet Eccleſiæ ſuę propter Chriſtum, & hoc unum agit, ut etiam ueram & perpetuã ſalutem conſe-

Fides nõ eſt autor ſed organõ ſalutis.

Aegritudines corporales quid ſint.

consequatur. Quare si immiserit aduersa, certe non facit id hoc consilio, ut uel ipsam Ecclesiam, uel membrum eius opprimat & perdat, sed ut seruet, ac maiorem & diuturniorem fœlicitatē donet. Scimus, inquit Paulus, ꝙ his, qui diligunt Deum, omnia simul adiumento sunt in bonum. Et iterum. Simul cum Christo patimur, ut & una cum ipso glorificemur. Nam reputo non esse pares afflictiones præsentis temporis ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Hæc & id genus alia diligēter cogitanda sunt, ut in grauibus & diuturnis aduersis compescamus impatientiam animi, & contineamus nos ipsos in offitio obedientiæ erga Deum, cum nihil certius sit, q̄ Deum afflictis suis ita fauere, propter Christum, ꝙ uelit tēporarias illas calamitates, æterna fœlicitate compensare. Sed quid est, inquies, ꝙ Christus unum tantum paralyticum sanauit? an non erat in harum thermarum porticibus magna multitudo languentium? Potuisset autem Christus tam facile omnes illos languidos, q̄ unum sanare. Cur igitur neglectis aliis, unum tantum curandum suscipit? Potuisset certe omnes illos sanitati restituere. Sed quo consilio Deus uoluit eum tantum, qui primus post motum aquę, in piscinam descendisset, curare, eodem & filius Dei unum tantum illum, qui triginta octo annis ægrotauerat, sanandum suscipit, uidelicet, ut hoc miraculo testaretur fauorem dei patris erga miseros homines, & confirmaret ueritatem Euangelij sui, quo prædicabatur, omnes eos, qui agnoscunt ipsum uerum Messiam seu Christum, consequi iustitiam, liberationem à morte, & cœlestem hęreditatem. Christus enim, etsi multos ægrotos sanauit, & obtulit se dum adhuc in his terris uitam ageret, omnes eos, qui ad ipsum ueniunt, & credunt, sanaturum, id quod etiam reipsa præstitit, tamen non uenit in hunc mundum, ut institueret tale aliquod ministerium, aut pharmacopolion, quo omnes ęgroti consequerentur corporalem sanitatem, sed ut institueret ministerium prædicandi Euangelij, quo omnes Euangelio credentes consequerentur spiritualem sanitatē, & cœlestem fœlicitatem. Quod ut homines intelligerent, & Euāgelio suo fidem adhiberent, addidit miracula, tanq̄ publicas, quas sic uocant, campanas, quibus auditores ad contionem Euangelij conuocarentur, & ad attentionem ac fidem excitarentur. Cum igitur Christus id suum institutum uno tantum paralytico sanato, recte, hoc quidem tempore, perfecerit, quemadmodum Euangelista mox describet, uisum non fuit, ut & alios in porticibus decumbentes sanitati restitueret, quanq̄ potuissent & ipsi eam consequi, si modo cognouissent ex hoc miraculo Christum, & curassent se ad ipsum deferri, ac petijssent ab eo sanitatem, per fidem. Extat enim promissio Christi, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Cæterę,

Miracula sũt loco campanarum.

cum iam ueritas Euangelij, tam multis & tam magnis miraculis confirmata sit, non hoc nunc agamus, ut corporis morbo laborantes mirabiliter sanemur, Sed ut fidem adhibeamus Euangelio Christi, & perseueremus in uocatione eius, quo in corporis morbo seruemur uera spirituali & cœlesti salute per Iesum Christum dominum nostrum, qui est una cum patre & spũ sancto Deus bñdictus in secula, Amen,

HOMILIA XLIIII.

Vdiuimus insigne miraculum, quod edidit Christus in eo paralytico, qui triginta et octo annos in graui morbo fuerat, audiamus nunc, quam tragœdiam excitarint Iudæi, ꝙ Christus curauerat languidum, & iusserat eum tollere grabbatum suum sabbato. Sic enim ait Euangelista. Erat autem sabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi ei, qui sanatus fuerat. Sabbatum est, non licet tibi tollere grabbatum. Respondit eis. Qui me sanum fecit, is mihi dixit tolle grabbatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum. Quis est ille homo, qui dixit tibi, tolle grabbatum tuum & ambula. Is aũt qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim subduxit se, ꝙ turba esset in eo loco. Quod Ioannes narrat de gestatione grabbati in sabbato, etsi hoc quod ab eo, qui sanatus fuerat, factum est, paruipenditur inter Christianos, qui suam habent in diebus festis libertatem, tamen apud Iudæos fuit horribile spectaculum. Extant enim grauissima pręcepta in lege, de obseruatione sabbati. Et in Hieremia dicitur. Si non audieritis me, ut sanctificetis diem sabbati, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Hierusalem in die sabbati, succendã ignem in portis eius & deuorabit domos Hierusalem, & non extinguetur. Ac Nehemias, cum uidisset in Iuda calcantes torcularia in sabbato, & portantes onera ad nondinas, dixit. Quę est hæc res mala, quam facitis, & prophanatis diẽ sabbati? Nũquid non hęc fecerunt patres nostri, & adduxit deus noster super nos omne malum hoc, & super ciuitatẽ hanc? Quibus uerbis testatur Nehemias, ꝙ onera in die sabbati portare, fuerit una ex ijs caussis, propter quas Deus permisit Chaldęis, ut urbem Hierusalem deuastarent, Quę pręcepta de sabbato, nõ habent hunc sensum, ꝙ nihil prorsum operis, in sabbato facere licuerit, sed ꝙ non esset publice tale opus faciendum, quo sabbatum aboleatur. Iudęi aũt superstitiosissime interpretabantur legem de sabbato, & nouis subinde traditionibus cumulabãt superstitiones. Nam per Pharisaicam doctrinã non solum non licebat lectum de domo in domũ die sabbati portare, sed etiam nõ licebat lectum sternere. Postea addiderunt in die sabbati, non esse ambulandum super herbam, ne pedibus eam euellas, sinapi non cõmiscendum

Hie. 17.

Nehe. 13.

Sabbati obseruatio.

ſcendum aqua aut uino, pulicem hinc inde ſaltantem non eſſe uenandum, niſi te pungat, non eſſe pulſandum tintinabulo, ut puerum flentem demulceas, & multas id genus alias nugas, quas incertum ſtultas ne, an inſanas traditiones dicas. Iam conſidera mihi & hoc, ꝙ circa ſabbatum illud, quo is qui ſanatus fuerat, deportabat grabbatū ſuum è porticu piſcinæ, celebratus ſit dies feſtus uel Paſchæ, uel Penteco-ſtes, quo tempore maxima ſemper hominum multitudo conuenire ſolebat in urbe Hieruſalē. Autores quidam tradunt, quod circa ea tēpora quibus Romani dñati ſunt ludęis, cōuenerint aliquoties in diebus feſtis ad urbem Hieruſalem pluſq̄ deties centena millia hominum. Vnde & Euangeliſta ait, turbam in eo loco fuiſſe. Cogita ergo, quale hoc fuerit ſpectaculum, cum is, qui ſanatus fuerat, portauit publice grabbatum ſuum, in die ſabbati, per medium tantę turbę, in qua maxima pars ita ſuperſtitioſe affecti fuerunt, ut exiſtimauerint deportationem grabbati in die ſabbati, non ſolum ſcelus eſſe, ultimo ſuppliticio expiandum, uerumetiam niſi ſeueriſſime uindicetur, allaturum toti genti pręſentem internitionem, quēadmodum quondam urbs Hieruſalem à Chaldęis, propter uiolationem ſabbati, deleta fuit. Sed hęc eſt prępoſtera religio, & merito deteſtāda ſuperſtitio. In ciuitate Hieruſalem, & gente Iudaica, infinita erant immaniſſimorum ſcelerum genera, impietas, blaſphemia, contemptus Dei, inuidia, homicidium, latrocinium, auaritia, impoſtura, furtum, rapina, impudicitia, ſcortatio, adulterium, & quis iſta omnia enumerare poſſet. Hęc ludęi non faciebant ualde magna, nec ſentiebant ſibi propter illa imminere exitium, ſed ꝙ is qui triginta octo annos paralyticus fuerat, deportet lectum ſuum in die ſabbati è porticu, hoc demum ita nefarium ſcelus uidebatur, ut iudicauerint urbem mox interituram, niſi in autorem grauiſſime animaduerterint, cum tamen hæc deportatio non fuerit aduerſus ſententiam diuinę legis, ſed tantum aduerſus Phariſaicas traditiones. Hęc uana ſuperſtitio, reprehenſione digniſſima eſt. Nā debemus qdem, extra neceſſitatē, etiam humanis ordinatiōibus obedire, ne ſine iuſta cauſſa offendiculū prębeamus, et tumultū excitemus. Sed maxime oīm nos aſſuefacere debemus, ut ea corā deo pctā eſſe iudicemus, & caueamus, q̄ deus uerbo ſuo pctā uocat, & cauere p̄cipit. Cōſcientia cauterio, non ſpū ſancto notata eſt, q̄ trepidat timore, ubi nō eſt timor, et q̄ maiorē habet rationē humani, q̄ diuini mādati. Ac extat qdem in uerbo dei, etiā illud, Memēto, ut diē ſabbati ſanctifices, non extat aūt in diuina lege, ꝙ deportare lectulū de domo in domū, aut ſternere, aut pulicē occidere, ſit ꝓphanare ſabbatū. Sed de ſabbati explicatiōe alias copioſius, nūc pſeq̄mur noſtræ inſtitutū. Nā is, q̄ deferebat lectū ſuū è porticu, etſi grauiter à ludęis increpat, pgit tn in me

Vide Ioſeph. li. 7. ca. 17. de bello iudaico.

dia turba onustus lecto suo ambulare, exclamans se non temere, sed mandato eius, qui ipsum sanauerat, lectum sustulisse. Apagete, inquiens, cum oportuna uestra prohibitione, ac superstitione. Qui em me sanũ fecit, is mihi dixit, tolle grabbatum tuũ & ambula. Necesse autem habui ei obedire. Nam si morbus meus tam diuturnus obedijt uerbo eius, & discessit, quis ego essem, qui uerbo eius nõ obedirem? Scilicet magis obsequerer uestris monitis, q̃ tanto benefactori? Nesciebat autem (inquit Euangelista) quis esset. Iesus enim subduxit se, q̃ turba esset eo in loco. Subduxit autem sese, non q̃ timeret turbam, aut diu latere uoluerit, sed ut hac occasione miraculum latius diuulgaretur, & homines ad inquirendum autorem excitarentur. Iesus enim profectus fuit hoc festo die ad urbem Hierusalem, ut contionaretur Euangelion suum. Non licuit autem ei publica aut buccina, aut campana, ut uocant, auditores ad contionem uocare. Contionaturus ergo edit miraculum, quo auditores non solum conuocantur, sed etiam ad diligentissimam attentionem mouentur. Quare, cum hoc miraculum satis iam per paralyticum, & per lecti deportationem diuulgatum esset, ac omnes autorem sollicite inuestigarent & perscrutarentur, prodit tandem Christus in medium, ac primum omnium accedit ad eum, qui sanatus fuerat. Sic enim dicit Euangelista. Postea reperit eum Iesus in templo, & dixit illi. Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne q̃d deterius tibi cõtingat. Reperit eum, inquit, in templo, non in foro, non in conuiuijs, ut hoc ipso admoneamur, post accepta Dei benefitia, gratias Deo agendas esse. Sed de hac re admonet Iesus paralyticum, etiam uerbis. Ecce, inquiens, sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid deterius tibi accidat. Ergo ne is antea peccauit, & morbi solent hominibus contingere propter peccata? profecto dubitandum non est, quin Deus possit optimo iure, non adultis tantum, sed etiã infantibus immittere grauissimos quosq̃ morbos. Nos enim omnes peccauimus in Adam, & meriti sumus propter peccatũ, quemadmodum mortẽ & infernum, ita etiam morbos, qui sunt mortis precursores, dñs tamen Deus noster nõ semper immittit morbos hoibus propter peccatum, sed etiã ꝓpter alias quasdã caussas. Nã aliquoties affligit hoiem egrotatione, ut probet fidẽ eius. Exemplo est Iob, quem permisit deus, ut percutereť pessimo ulcere, non ꝓpter aliq̃d pctũm, sed ut innocẽtia eius probareť. Aliq̃ties obijciuntur hoies morbis, ut illustreť gloria dei. Sic de eo, qui à natiuitate cecus fuerat, ait Christus. Neq̃ hic peccauit, neq̃ parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo. Sed & peccata aliquoties caussa sunt, propter quam Deus affligit homines morbis. Ad Ioram regem Iuda dicitur. Quia non ambulasti in uijs Iosaphat patris tui, sed incessisti per iter

Morbi ex quib. caussis accidãt hominibus.

regum

regum Israel, & fornicari fecisti Iudam & habitatores Hierusalem, ecce Dominus percutiet te plaga magna, & egrotabis pessimo languore uteri donec egrediantur uitalia. Et mox. Percussit eum Dominus alui languore insanabili. Huc facit, quod lex dicit: Si audire nolueris uocem Domini tui, percutiet te deus ulcere Ægypti, & scabie ac prurigine ita ut curari non possis. Ac in ipsa quidem egrotatiõe quacunque de caussa quis morbo detineatur, danda est gloria deo, confitendum est rectum iuditium dei, & siquidem manifesta est nobis caussa peccati, agenda est pœnitentia, & concipienda fides remissionis peccati propter Christum, ut si non corporalem, at saltem spiritualem, cœlestem, & æternam salutem consequamur. Si autem non est manifesta peccati caussa, tamen ne sic quidem aduersus Deum impatientia & conuitijs debacchandum est, sed ferenda est manus Domini obedienter, cogitandum est, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et illud Pauli. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus, concipienda est certa fidutia, q̃ iuxta prophetã, dominus, qui ceperit, etiam sit sanaturus, & qui percusserit, etiam sit curaturus. Dominus enim est, qui mortificat & uiuificat, & qui deducit ad inferos ac reducit. Quod si uero ægrotationem secuta est sanitas, semper necessaria nobis est cohortatio illa Christi, Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne deterius tibi contingat. Nec in accepta tantum sanitate, sed quodcunq̃ benefitium à Deo acceperis, exempli gratia, Si ex periculis aquarum fueris ereptus, si incendium euaseris, si uictoriam ex hostibus reportaueris, aut aliud dei benefitium consecutus fueris, semper tecum admonitionem illam Christi (Ecce liberatus es è periculo, & acepisti benefitium Dei, uide ne deinceps pecces, ne deterius tibi contingat) repositam conserues, ut in offitio gratitudinis erga Deum continearis. Magna enim est insolentia humani ingenij, & cum emerserit ex periculis ac peruenerit ad prosperum euentum, existimare solet, se deinceps nullius nec Dei nec hominis auxilio indigere, ac licere sibi facere, quodcunq̃ libeat, ut & publico prouerbio iactetur, hominem nunq̃ peiorem esse, q̃ cum ex morbo euaserit, & sanitatem recuperauerit. Sed mane paulisper. Non dum perueniſti ad firmam & stabilem fœlicitatem, etiamsi consecutus sis corporalem sanitatem, aut aliud quoddam externum benefitium. Sed tanto maiorem debes deo obedientiam, quãto maius & gratius benefitium accepisti. Primum enim considera mihi, magnitudinem & grauitatem eius peccati, quod post acceptum benefitium designari solet. Cum em̃ ante acceptum benefitium, reputet̃ simplex peccatũ, post iudicat̃ esse duplex. Altera enim est ipsum peccati opus, q̃d semper peccatum est, siue ante siue post acceptum benefitium cõmit-

Osee 6.

Da der Kranck gnaß / ye böser er nie waß.

tatur. Alterum est ingratitudo erga benefactorem, quæ certe multo grauius reddit peccatum, q̃ si nullum accepisses benefitium. Deinde considerauda est etiam magnitudo periculi seu supplitij, quod ingratis diuinitus inferri solet. Ne quid deterius, inqt, tibi cõtingat. Nam qui post accepta benefitia peccat, non meretur corporale tantũ, & temporale, sed etiam spirituale & sempiternum supplitium. Extrema, inquit Christus, hominis illius fiunt peiora primis. Etsi enim opus & uoluptas peccati suum habent finem, supplitium tamen peccati nullũ unq̃ habebit finem. Discedite, inquit, à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Et Paulus. Infligit ultionem his, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio domini nostri Iesu Christi, qui pœnã luunt interitum ęternum. Nec iniquum est, q̃ temporario peccati operi reddatur sempiternum supplitium. Nam qui peccant, & manẽt in peccato impœnitenter, hi etsi non sunt in perpetua actione peccati, habent tamen perpetuam uoluntatem peccandi. Adhęc, qui peccant, auertunt se peccato suo, à perpetuo bono, DOMINO Deo nostro. Quare æquissimum est, ut peccatum perpetuo supplitio puniatur. Quod cum ita se habeat, cauendum & prouidendum nobis summo studio erit, ne ingratitudine nostra, non solum amittamus acceptum benefitium, sed etiam proijciamur in sempiternum interitum. Cęterum is qui sanatus fuerat, postq̃ cognouit se à Iesu sanatum esse, abijt & nunciauit Iudæis, quod Iesus esset, à quo sanatus fuisset. Quid? num is homo accusat, & prodit benefactorem ac seruatorem suum? Non prodit eum maleuole, sed beneuole. Non hoc agit, ut Iudęi Iesum interficiant, sed ut Iesum, tanti miraculi autorem honore prosequantur. Nunciauit Iudæis, ut nomen Iesu celebret, & gloriam eius illustret, quo auditores excitentur, ut & suam salutem in Iesu quęrant. Sed uide Satanicum furorem Iudęorum. Propterea, inquit Euangelista, persequebantur Iudæi Iesum, & quęrebãt illum occidere, q̃ ista fecisset in Sabbato. Quid est insania, si hęc nõ est? De miraculo tacent, de sabbato tantum clamitant, nec admirantur potentiam Iesu, ut agnoscant diuinam eius autoritatem, Sed sabbati tantum uiolationem exaggerant, ut eum interficiant, cum tamen Iesus non uiolauerat legem dei, sed tantum traditiões Phariseorum de sabbato. Sed hoc est uetus hypocritarum ingenium. Malunt opiniones & superstitiones suas, etiam homicidijs tueri, q̃ uel ex uerbo domini, uel ex miraculis ueritatem cognoscere. Quare haud immerito ad Esaiam dicitur, Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte uideat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & cõuertatur & sanem eos. Habes & hoc loco Sycophantarum & calumniatorum ingenium. Quod enim in facto

Peccato temperario reditur supplitium æternũ.

Christi

Christi optimum ac diuinissimum erat, uidelicet admiranda curatio Paralytici, hoc dissimulant, quod autem uidebatur illegitimum, uidelicet, iubere lectum tollere in die sabbati, hoc exaggerant, & amplificant. Sic & calumniatores magno silentio pretercunt ea, quæ sunt in aduersarijs digna laude, Vociferãtur autem tragice de his, quę habẽt inhonestam quandam speciem. Hoc est artifitium diaboli, cum Christo ex diametro pugnantis. Nam Christus filius Dei interpellat pro credentibus in ipsum apud Deum patrem, & tegit uitia eorum sanguine suo, commemorat autem uirtutes ipsorum, Esuriui, inquiens, & dedistis mihi edere, sitiui & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me. Diabolus autem accusat homines apud Deum, & tacet de uirtutibus, aut extenuat eas, uitia uero auget & amplificat, unde & nomen diaboli habet. Quam naturam, cum calumniatores referãt, quid reliquum est, ꝗ ꝗ calumniatores sint membra diaboli, cuius etiam coheredes erunt? Fugiamus ergo artifitium diaboli, discamus etiam coheredes erunt? Fugiamus ergo artifitium diaboli, discamus autem artifitium filij Dei, ut si aliena uitia tegamus, & uirtutes prędicemus, nostra uitia in iuditio Dei, per Iesum Christum tegantur. Sed reuertemur ad propositum, & uidebimus, quomodo Christus factũ suum defendat. Sequitur enim. Iesus autem respondit eis. Pater meus usqꝫ modo operatur, & ego operor. Considera mihi, obsecro, maximam bonitatem Christi. Potuisset uno uerbo, ad unum omnes uitæ suæ insidiatores perdere, sed maluit rationem facti sui reddere, ꝗ uiolenter eos opprimere. Potuisset etiam perspicuis argumentis docere, se hac paralytici curatione & iussione, non uiolasse sabbatum, quemadmodum apud Matthęum capite duodecimo, & apud Lucam capite decimo tertio fecit, Sed uisum est ei hoc loco ad autoritatem patris sui appellare, perinde ac si uiolasset sabbatum, ut & suam maiestatem exponat, & falsam Iudæorum sententiam de sabbato repræhendat. Pater meus, inquiens, ad hoc usqꝫ temporis operatur, & ego operor, hoc est, Cur mihi non liceret in sabbato operari, cum idem faciat cœlestis meus pater? Nam Deus uerus ille pater meus, exercet opera sua non tantum feria, ut uocant, secunda, aut tertia, aut quarta, aut quinta, sed etiam die sabbati. Postquam enim cõdidit mundum, non sedet ociosus in cœlesti throno, quemadmodum carnales homines fingunt, sed primum portat, ut ita dicam, humeris suis, cœlum & terram, & omnia quę in eis sunt. Hęc enim, nisi potentia Dei sustinerentur, iamdudũ fuissent in nihilum collapsa. Deinde mouet non solum cœlum et cœlestia lumina, solem lunã, et stellas, ut certo cursu sine intermissiõe ferant, sed mouet etiã quęcunqꝫ in aëre, in terra, et in aquis nascunt et crescunt. Non posset herba ex semine, culmus ex grano assurgere, nisi manibus Dei promoueret. Nec infans adolesceret, nisi diuina potentia erigeretur. Quod inter animantia uiuit, Dei

Sycophantarũ ingenium.

opera uiuit, quod ex ægrotatione conualescit, Dei opera conualescit. Et hæc negotia exercuit Deus iam inde à rerum conditione, nec unq̃ ea intermisit, sed pergit ea semper exercere, siue noctu, siue interdiu, siue festo, siue profesto die. Cum igitur hoc faciat meus ille cœlestis pater, fieri non potest, quin ego filius eius plane idem faciam. Eadem enim est Dei patris & mea essentia, potentia, & maiestas. Duæ quidem personę sumus, sed unus tantum Deus. Sciamus aũt nunc, quod sit maius & laboriosius opus. Deus pater, & ego filius eius, conseruamus & curamus etiam in die sabbati, omnia animantium genera in sua uita & incolumitate, cur ergo non liceret mihi unum paralyticum in die sabbati curare? Deus pater & ego filius eius portamus, etiam in die sabbati, cœlum & terram, ac mouemus solem & lunam, ut in suo cursu sine ulla intermissione ambulent. Cur igitur nõ liceret mihi iubere unum paralyticum portare in die sabbati lectum suum, & ambulare? Quæ enim est potestas Dei patris, eadem est & mea, qui sum filius eius, ipsi ęqualis. Nam, q̃ Christus hoc dicto (pater meus operatur, usq̃ modo, & ego operor) significet se esse Deo patri æqualem, non solum testantur Iudęi, qui dictum Christi, ut mox sequitur, sic intelligunt, ac propterea quęrunt eum interficere, sed etiam Christus ipse perspicue exponit in ea contione, quam Euangelista paulo post in hoc capite pluribus describit. Sed quid? inquies. Si Deus ab initio conditiõis rerum nunquam quieuit, sed semper operatur, quomodo dictum est. Requieuit Deus die septimo, ab omni opere, quod patrauerat, & benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus ut faceret? De hac re sic sentiendum est, q̃ Deus dicatur septimo die requiescere, non q̃ abiecerit curam administrationis huius mundi, & sedeat ocio sus rerum spectator in cœlo, sed q̃ non condat alium mundum. Videbant enim spiritus nonnullos futuros, qui confecturi essent, innumerabiles esse mundos. Hos refutat scriptura, cum dicit deum requieuisse die septimo, pręterea significat Deum in hoc mundo à se condito ita acquiescere, q̃ uelit hunc mundum tueri, & per hunc mundum agnosci, & glorificari. Hæc est requies Dei, quæ tamen reipsa maxima omnium est operatio. Nã sabbati institutio in politeia Israelitica, ut fuit cerimonia, qua eo tempore pri admoniti sunt, q̃ hic mundus nõ fuerit perpetuus sed in principio, sex diebus à Deo creatus, q̃ nõ sit alius (præter hunc) externus & corporalis mundus, & q̃ Deus hunc mũdum administret, ac uelit per hunc mundũ illustrari, ita externa obseruatio sabbati nõ fuit diuinitus tanta religione cõmendata, ut nõ licuerit eo die uel ęgrotũ curare, uel lectũ de domo in domũ deportare. Quod cum magis perspicuum sit, q̃ ut hoc loco pluribus ex

plicari debe-

plicari debeat, pergemus ad reliqua, ut audiamus, quo animo Iudæi acceperint dictum Christi. Propterea ergo (inquit) magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluisset sabbatum, sed patrem suum dixisset Deum, æqualem se faciens Deo. Iudæi optime intelligunt dictum Christi. Nam Christus significat Deum esse patrem suum, non uulgari modo, qualiter est pater omnium piorum, & qualem se significat esse patrem Israelis, cum ait, Filius meus primogenitus Israel, sed singulari & proprio modo, uidelicet, ꝙ pater & ipse sint eiusdem essentiæ & maiestatis, ut quemadmodum pater est ab æterno, ita & filius, & quemadmodum pater est omnipotens rerum creator & administrator, ita etiam filius. Considera nunc mihi, quanta sit cæcitas Arrianorum, qui in uerbis Christi ne id quidem uident & intelligunt, quod tamen impij & crudeles Iudæi uiderunt & intellexerunt. Dicunt Iudæos peruerse intellexisse aut calũniatos esse uerba Christi. Non nego Iudæos tanta inuidia flagrasse in Christum, ut omnem occasionem captarint, quo sermonem eius in peruersum sensum detorquerent, sed ꝙ hoc loco dictum Christi recte intellexerint, non solum significat Euangelista, cum non reprehendit sententiam eorum, quod aliâs, ubi opus est, facere solet, uerum etiam Christus ipse in ea, quæ sequitur, contione aperte confirmat, cum se uere Deo patri suo æqualem esse, pluribus exponit. Quare scelerati Iudæi hac quidem in parte multo melius intelligunt uerba Christi, q̃ impij Arriani. Sed ut optime intelligunt dictum Christi, ita pessime faciunt, ꝙ quærant ipsum interficere. Ac zelus quidem Dei uidetur, ꝙ cupiant gloriam Dei tueri, & blasphemiam nominis eius uindicare, sed hic zelus non est secundum scientiam, ideoq; fit nefarium scelus. Primum enim, non inquirũt pro offitio suo in hunc Iesum, num, quod publice iactabatur, sit uerus Messias, sed continuo decernunt eum, tanq; blasphemum, occidendum. Hoc certe non est gloriæ Dei fauere, sed impio & crudeli animi sui furori seruire. Deinde manifeste indicant, ꝙ non intelligant dicta prophetarum de Messia. Nam prophetæ clare docent Messiam esse filium Dei, & sedere ad dextram Dei. DOMINVS, inquit, dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Et iterum: Dixit DOMINVS Domino meo sede à dextris meis. Sedere aũt à dextris Dei est æqualem habere cum Deo potentiam & maiestatem. Quare, cum Iudæi sentiant eum, qui se profitetur esse Messiam, blasphemum & contumeliosum esse in Deum, cum prædicat se Deo æqualem, haud obscure produnt imperitiam suam, & palam significant, se nondum cognouisse ueram sententiam earum contionum, quæ de Messia in prophetis extant. Sed abeant impij illi homines, indigni de quibus tot uerba faciamus. Nos autem ma-

neamus in Iesu Christo dño nostro, qui cũ sedeat à dextris dei, & gubernet ac moderetur oĩa uerbo potentię suę, exhibuit semetipsum seruatorem oĩm credentium in ipsum, ut consequantur cœlestẽ salutem, qui est unà cum patre & spũ sancto deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XLV.

AGna est impietas & crudelitas, qua Iudęi persequuntur Christum, et quęrunt ipsum interficere. Sed maior est pietas et bonitas, qua Christus maluit aduersariis sermõe respondere, ꝗ fulmine eos ferire. Sequitur enim apologia, in qua Christus primũ exponit, opera sua non esse humana, sed diuina. Deinde recenset quędam diuinorũ operum genera, quę ipse à deo patre suo facienda accepit. Postremo commemorat aliquot testimonia, quibus manifeste probatur, ꝙ ipse talis sit, qualẽ se prędicat, uidelicet, uerus Messias, & filius dei. Hęc est summa totius contionis, quam Christus habet usꝗ ad huius capitis finem. Erigamus igitur mentes & aures nostras, & Christum DñM nostrum de rebus optimis, atꝗ ad salutem
» nostram maxime necessariis dicentem attendamus. Respondit itaque
» Iesus, & dixit eis. Amen amen dico uobis, non potest filius à se facere
» quicꝗ, nisi quid uiderit patrem facientem. Quęcunꝗ enim ille fece-
» rit, hęc similiter & filius facit. Quod Iesus dicit hanc habet sententiã. Vos existimatis me hoĩem tantum, ac mea opera, humana dumtaxat opera esse, ideoꝗ iudicatis me impie agere, ꝙ et sabbato curem ęgrotum, & affirmem deum, proprium meum patrem esse. Ego autem nõ dissimulo, sed ingenue fateor, me uerum esse Messiam illum, quem prophetę, autore spiritu sancto, uenturũ promiserunt, ideoꝗ dico me uerum esse, & naturalem ac ęternum filium dei, & mea opera esse uere dei opera. Nam de Messia in ij. psal. sic scriptum est. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. In hoc psalmo, qui manifeste de Messia seu Christo contionatur, Christus clare dicitur filius dei. Non est autẽ filius dei, creatione, ut deus dicatur pater eius, quemadmodum in Iobe dicitur pater pluuię, & gignere stillas roris. Nec est filius adoptione, ut deus talis sit pater eius, qualis est omnium piorum, Sed est filius Dei natura, ab ęterno à deo patre genitus, & eiusdem cum deo substantię seu essentię ac maiestatis. Cum igitur Christus sit uerus & ęternus filius Dei, fieri non potest, quin opera eius sint dei opera. Primum enim, filius non potest facere quicꝗ nisi uiderit patrẽ facientem. Natura etiam inter hoĩes fert, ut filius referat patrem su-

Christus Dei filius quomõ?

Iob 38.

patrem ſuum, multo magis hoc fit in diuina natura. Ac ſolet quidem inter homines aliquoties fieri, ꝗ filius degeneret à patre ſuo, cuius rei multa ſunt exempla, & pręcipua, in filijs ſanctiſſimorum uirorum Samuelis & Dauidis. Extat & publicum dictum. Heroum filij, noxæ. In diuina autem natura nullo modo fieri poteſt, ut filius degeneret à patre. Vna enim eſt, & eadem patris & filij eſſentia, poteſtas & maieſtas. Nec eſt ulla ibi trāſmutatio aut uiciſſitudinis obumbratio. Qua re nec fieri poteſt, ut filius quicquā aliud à ſeipſo excogitet aut faciat, q̄ quod uiderit patrem facientem. Deinde, Pater (inquit) diligit filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit. Nam in humana natura patres tanto amore ſolēt liberos ſuos, quos uel in literis, uel in opifitio erudiunt, complecti, ut nihil eos, quod profuturum ipſis intelligunt, cælent, ſed omnia eis demonſtrent ac doceant. Longe aliter tractant ſeruos, quippe à quibus opera tantum exigunt, cum filijs aūt, etiam arcana quęq̄ artis ſuę cōmunicant, quanto magis in diuina natura, pater tantopere diligit filium, ut omnia ei demonſtret. Ac interdum fieri poteſt, ut inter homines tam inuidus, tam durus et crudelis ſit pater, qui nihil magis faueat filio, q̄ ſeruo, ac nihilo plus arcana artis ſuę cum illo q̄ cum hoc cōmunicet. In deo autem longe aliter res ſeſe habet. In diuina enim natura pater, non differt eſſentia & maieſtate ſua à filio, ſed quicquid eſt Deus pater natura ſua, hoc totum, ut ita dicam, effudit in filium, ut filius ſit ſplēdor gloriæ & expręſſa imago ſubſtantię Dei. Quare opera, quæ filius facit, non ſunt humana opera, ſed uere diuina, ideoq̄ minime damnanda, ſed magna ueneratiōe ſuſpiciēda. Habes unam partem contiōis Chriſti, in qua, qa alius prędicatur pater, alius filius, manifeſte traditur, patrem & filium in diuina natura duas eſſe diſtinctas perſonas, quibus & aliàs accedit tertia perſona, quæ eſt ſpiritus ſanctus. Sed quia prorſus eadem ſunt opera patris & filij & ſpiritus ſancti, ſequitur, has tres perſonas, non eſſe tres Deos, ſed unum tantum uerum, & æternum Deum, benedictum in ſecula. Videamus aūt nunc alteram partem contionis, in qua Chriſtus enumerat aliquot genera operum, quę Deus pater ei demonſtrat. Pater, inquiens, omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit, & maiora his demonſtrabit ei opera, ut uos miremini. Quid ad hæc dicemus? Cum pater demonſtret filio opera ſua, ergo ne filius minor eſt patre, & indiget præceptore, aut pręmonſtratore? Quod ad diuinam naturam attinet, certe filius non eſt minor patre, ſed eiuſdem cum patre eſſentiæ & maieſtatis. Vtitur autem Chriſtus uerbo demonſtrandi, primum, ut ſignificet ſe filium Dei, non eſſe à ſeipſo, ſed à patre genitum. Itaq̄ in humana quidem natura, demonſtrare ſignificat ignorantem docere, in diuina aūt natura ſignificat patrem ſuam potentiam & maieſta-

Demōſtratio Dei, quid ſit

tem ab ęterno, cum filio, quem genuit, cõmunicare. Filius enim Dei, æternus est Deus, hoc differens à patre suo, ꝙ pater sit genitor, ipse autem genitus. In principio, inquit Ioannes, erat uerbum, (quod est filius dei) & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Deinde, cum Christus filius Dei hæc loqueretur, assumpserat iam hominem, qui etsi coniunctus est in unitate personę, cum filio dei, tamen profecit sapientia, ętate & gratia apud Deum & homines, quemadmodum Lucas loquitur. Quare ut dicitur profecisse sapientia, ita etiam recte dicitur à deo patre edoctus esse, in ędendis miraculis. Pater (inquit) omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, & maiora his demõstrabit. His uerbis confert Christus inter se, ea miracula, quę hactenus diuina potentia ędidit, & ea quę postea æditurus est. Nam Christus fecit ex aqua uinum. Hoc certe magnum & insigne opus est, quod ei pater demonstrauit, hoc est, quod Iesus fecit sua ipsius diuina potentia et natura, quã habet ab ęterno, à deo patre suo. Prętera restituit paralytico triginta octo annorum, repentinam sanitatem. Est et hoc magnum opus, quod Deus pater demonstrauit filio suo. Atqꝫ hęc quidem, & id genus alia sunt magna & præclara opera, Sed maiora, inquit, his demonstrabit ei, Iesus maiora ędet miracula ex propria diuina sua uirtute. Quę ergo sunt illa maiora opera? Sequitur. Sicut enim pater suscitat mortuos, & uiuificat, sic & filius, quos uult, uiuificat. Hic iterum uides duas personas, patrem & filium, sed unum ac idem opus, ut scias unam & eandem esse naturam atqꝫ essentiã patris & filij. Primum ergo maius opus mutatione aquę in uinum, & curatiõe paralytici est suscitare ac uiuificare mortuos. Sicut pater, inquit, uiuificat mortuos, sic & filius uiuificat, quos uult. Non deest filio potestas, si modo adfuerit uoluntas. Si uult tantum, potest etiam, quia habet eandem naturam & essentiam cum deo patre suo. Nec existimes hãc esse uanam iactationem. Filius enim dei reipsa probauit potestatem suam, in resuscitandis mortuis. Reuocauit enim ad uitam mortuum filium uiduæ, excitauit & Lazarum iam quatriduanum, & alios, de quibus scribũt Euangelistę. Sed & prophetę, inquies, suscitarunt mortuos, quemadmodum scriptura testatur de Elia & Elizęo, & tamẽ hi non iactarunt se eiusdem esse cum deo essentię & potentię? Recte. Suscitarunt mortuos, diuina quidem, non aũt sua propria, sed aliena et mutuaticia uirtute. Christus aũt suscitauit mortuos sua ipsius propria uirtute, prętera illi suscitarunt alios mortuos, non potuerunt aũt sese ipsos à morte suscitare. Sed Christus suscitauit seipsum à morte, qua etiã re manifeste probauit & declarauit, ꝙ ꝗs ante suscitauerat mortuos, eos sua propria uere diuina uirtute suscitauerit. Declaratus est, inqt Paulus, filius dei potẽter, ex eo ꝙ resurrexit à mortuis. Adhęc prophetę suscitarunt

Prophetarũ miracula.

citarunt quosdam mortuos, ad hanc corporalem & caducam uitam. Christus autem non solum suscitauit quosdam mortuos ad hanc caducam uitam, sed etiam suscitabit omnes homines è puluere terrę, ut qui bona fecerint, habeant ęternam fœlicitatem, qui uero mala, habeant ęternam damnationem, de qua re Christus postea copiose contionabitur. Hoc certe non est opus humanę, sed diuinę potentię. At hoc, in quis, opus nondum uidetur, & incertum est, num sit futurum. Quam hic audio impietatem? Omnia alia, quę prophetę de Christo prædixerunt, impleta sunt, & dubitas de huius impletione? Prophetę prædixerunt Christum uenturum, Et uenit. Prędixerunt Christum ęditurum miracula, Et ędidit. Prędixerunt eum moriturum quidem, sed iterum à morte resurrecturum. Mortuus est, & Resurrexit, ac resurrectionem suam certissimis argumentis testatus est. Prędixerunt Euangelion Christi uulgandum esse in totum orbem terræ, & Gentes recepturas Euangelion eius. Vulgatum est, & gentes receperũt. Quid? cum hęc omnia manifeste impleta sint, diffidis generalem resurrectionem mortuorum, per potẽtiam Christi, uenturã? Scio pertinacibus & obstinatis impijs nunq̃ posse satisfieri, sed scio etiam, q̃ hi euersi sint, ac peccent proprio iuditio condemnati. Quare his suę impietati relictis, persequemur nostrę institutum. Habes unũ opus, uidelicet, suscitare & uiuificare mortuos, quod maius est mutatione aquę in uinum, & sanatione paralytici. Sequitur nunc aliud maius opus, quod est, Iudicare uniuersum mũdum. Dicit enim Christus. Neq̃ pater iudicat quemq̃, sed omne iuditium dedit filio, ut omnes honorent filium, sicut honorant patrem. Qui non honorat filium, non honorat patrem, qui misit illum. Sicut resuscitare mortuos excellit opus sanationis paralytici, ita etiã iudicem esse uiuorũ et mortuorũ, excellit omnia alia miracula, & superat oẽm humanam maiestatem. Pater autem non solum demonstrat filio, ut resuscitet mortuos, sed etiã fecit eum iudicem uniuersi mundi. Pater (inquit) non iudicat quemq̃, sed omne iuditium dedit filio. Quid aũt sibi uult hic sermo? An non ante dictum est, non potest filius à se quicq̃ facere, nisi quid uiderit patrem facientem? Si ergo pater neminem iudicat, quõ quempiam iudicabit filius, cum non uideat patrem iudicantẽ? Quid, q̃ & postea dicit Christus: Non ueni, ut iudicem mundum? Hęc sunt digna accurata considerationе. Nam q̃d dicitur, Pater non iudicat quemq̃, sed oẽ iuditium dedit filio, una est è prącipuis γνώμαις Euangelij, & continet statum totius Christianismi, certioresq̃ facit oẽs in Christum credentes de uera & perpetua sua salute. Quare hac sententia nihil nobis notius, nihil cõmendatius esse debet. Quid ergo est, Pater non iudicat quẽq̃? Primũ, ecclesiastici scriptores sic interpretantur, q̃ pater idcirco nõ iudicet

Ad Titum 3.

Ioannis 12.

quemq̃, sed oē iuditium filio dederit, quia filius manifestus uēturus sit ad iuditiū apparens in humano corpore, ut hoīs forma uideatur à pijs & impijs, à iustis & iniustis, à confisis & confusis. Sentiunt em̄ Christum uidendum in iuditio in humana forma, à pijs et impijs, sed postea uidendum tm̄ à pijs, in diuina forma. Deinde non intelligendum est, Patrem omnino nullum iudicare, sed intelligendum est, patrem nō iudicare de hoībus, sine unigenito filio suo. Iudicat em̄ oēm terrā, ut Abraham ait, sed iudicat per filiū, & iuxta sententiam, ac doctrinam filij. Itaq; diciť oē iuditium dedisse filio, non q; ipse oīno nō iudicet, sed q; ipse prorsus accōmodet iuditium suum, ad arbitrium, sentētiam, & doctrinā filij sui. Videamus ergo, q̄d sit arbitrium, quę sit doctrina filij dei, ut & cognoscamus, iuxta quā legē seu doctrinam sententia nouissimi iuditij ferenda sit. Non possumus aūt id certius cognoscere, q̄q; si conferamus genera legū & doctrinarę, cum eo officio, quo proprie filius dei in his terris defunctus est. Ac primū, unū genus legis seu doctrinę est, quā uocamus legem naturalē. Hęc est humanæ rationi diuinitus insita, & quasi insculpta. Etsi em̄ cognitio eius obscurata est per peccatū originis, tm̄ remanserunt etiam in hac uitiata natura uestigia quędam, ex q̄bus diuina impressio haud difficulter notari potest. Quid ergo dicemus? num sententia extremi iuditij pronūtiabitur secundum hanc legem naturalē? ut qui eam seruauerit, seruetur, qui uero uiolauerit eam, cōdemnetur? Posset quidem deus iuditium secūdum hanc legem ferre, sed omne iuditium dedit filio, qui etsi docuit & ipse aliquoties ea quę naturali lege cōtinentur, uidelicet, Deum esse bonum, deum esse diligendum. Et, Omnia quęcūq; uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis, hæc tamen doctrina non fuit proprium illud offitium, propter quod filius Dei è cœlo in terrā missus est. Nam hæc doctrina extitit in terris, priusq̄q; filius dei hominē assumpsit, & si secundum eam sententia extremi iuditij pronūtiaretur, nullus hominum consequeretur salutem. Nullus em̄ hominum hanc legem perfecte seruauit, sed omnes declinauerūt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, nō est usq; ad unū. Quare si deus non dedisset omne iuditium filio suo, sed iudicaret secundū hanc legem, omnes homines sempiterno interitu perirēt. Deinde aliud legis seu doctrinę genus est, Lex Mosi, quæ & exponit legem naturę, & addit quędā politica & cærimonialia. Nū ergo iudicabitur in nouissimo die iuxta hanc legem? Minime oīm. Non em̄ dicitur, pater dedit omne iuditiū Mosi, sed diciť, pater dedit omne iuditium filio, FILIO, inquā, non Mosi. Etsi em̄ filius dei fuit obediēs legi Mosi, & aliquoties explicuit eam copiose & grauiter, non tm̄ uenit in hūc mundū, ut esset doctor legis Mosaicę, nec hoc fuit p̄cipuum eius

Legis naturalis doctrina.

Legis Mosi doctrina.

offitium

offitium propter q̃d è cœlo descendit, quia hęc lex erat antea tam per Mosen ipsum, q̃ꝫ per prophetas explicata, & sicut nullus hoīm seruaretur, si deus ferret extremū iuditium secundū legē naturæ, ita nullus seruaretur, si deus pronuntiaret sententiam extremi iuditij secundum legem Mosi, propterea q̃ & hęc lex cōtineat legem naturę, & q̃ sunt politica atq̃ cęrimonialia eius, non solum non obseruant inter gētes sed ne ab ipso quidem Mosaico aut Iudaico populo semper, ac perfecte unq̃ obseruata fuerunt. Accepistis, inquit Stephanus, legem per dispositiones angelorꝝ, nec seruastis. Præterea aliud genus legis est, Lex Romana, aut lex Attica, aut leges aliarū rerumpublicarū & impiorum in his terris, quę cōtinent quidem aliquam doctrinā ciuilis honestatis & tranquillitatis, non pronunciabit autem extremum iuditiū secundum has leges. Nam præter hoc, q̃ Gentium leges statuant aliquoties aut iniqua aut impia, non docent, etiā ubi optime docent, nisi ciuilem quandam iustitiam, q̃ in iuditio Dei non potest constare. Et q̃d maximum est, scriptura non ait, Pater dedit omne iuditium Solonī, aut Lycurgo, aut Iustiniano, sed ait, Pater dedit omne iuditium FILIO suo. Numerātur & inter genera legum, Canones Pontifitij, sed nec secundum hos iudicabitur in nouissimo die. Tametsi enim Romani Pontifices gloriantur se esse successores Petri, cui datæ sunt claues regni cœlorum, tamen hę claues longe aliud significant, q̃ꝫ quod Pontifices de summa sua potestate, aut potius tyrannide in Christianorum imperio interpretantur, & sunt aliquot Canones, qui impia, & manifeste cum uerbo Dei pugnātia docent. Quomodo igitur fieri posset, ut secundum eos sententia extremi iuditij pronūciaretur? Huc pertinent etiam Regulæ Monasticæ, sed quid? num dicitur, Pater dedit omne iuditium Francisco, aut Dominico? Hi fuerunt fortassis boni uiri. Pater aūt nō dedit iuditiū suū horꝝ decretis, aut successorum eorū cōstitutionibus, sed dedit omne iuditium FILIO suo. Postremo in legū & doctrinarꝝ ordine suum etiam locum uident habere Iudęorum Thalmud, & Sarracenorum ac Turcarū Alcoranus, sed cum in his cōtineātur innumera, quę partim sunt absurda, partim iniqua, partim blasphema & impia, indignū est, ut legis noīe ornentur, ac manifestum est, q̃ pater non dederit iuditium suum Rabbinis & Mahumeti, sed soli unigenito filio suo, domino nostro Iesu Christo. Quæ ergo est sententia, quę est doctrina Christi, filij dei, ut sciamus secundum quam doctrinam extremum iuditium ferendum sit? Multa quidem docuit Christus ex lege Mosi & prophetis, sed hæc est propria eius doctrina, ad quam uulgandam è cœlo descendit, quod ipse sit uerus ille Messias filius Dei, qui uenerit in hunc mundum ad expianda peccata hominum, & quod omnis qui credit in eum, nō

Lex Romana

Pontificij Canones.

Monasticæ Regulæ.

Iudæorum Thalmud.

Alcoranus.

pereat, ſed habeat æternam uitam. Hæc ſola eſt doctrina illa, hoc ſolum eſt Euangelion illud, iuxta quod iudicabitur in nouiſſimo die. Non audiet te iudex, ſi dixeris, Secutus ſum legem naturę, aut obediui legi Moſi, & ſuſcepi circumciſionem, aut ſeruaui leges Romanas. Multo minus audiet te, ſi dixeris, Duxi uitã ſecundum Canones pontifitios, aut factus ſum Monachus, aut ſectatus ſum decreta Rabbinorum, ſeu Mahumetis. Rurſus, nõ reijciet, non condemnabit te iudex, etiãſi conuictus fueris peccati, & fatearis te legem dei uiolaſſe, ſi modo probaueris te uere in Chriſtum filium dei credere. Nam eum tantum audit, & ſeruat, qui eſt Chriſtianus, aut ut nunc uulgo loquũtur, Euangelicus, hoc eſt, qui uere in Chriſtum crediderit, & hunc ſolum ſuum ſeruatorem agnouerit. Pater em̃ omne iuditium dedit filio ſuo. Filius autem hoc publice teſtatus eſt, ꝙ nullum eorꝝ, qui in ipſum credunt, condemnet. Omnis, inqt, qui credit in filium, habet ęternam uitam. Et iterum. Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, uiuet, & omnis qui uiuit & credit in me, nõ morietur ingęternum. Quid poteſt dici manifeſtius? Scio quidem multos fingere fidem, & interim ſcelera ſectari. Nos aũt nunc non loquimur de ficta et hypocritica fide, ſed de uera fide in Chriſtum, qua et Chriſtus apprehenditur, ut iuſtificator & ſeruator, & ex qua etiam fit, ut renouemur, ac in nouitate ſpũs ambulemus. Seruamur autem in iuditio Dei, non propter hanc noſtram nouitatem, ſed tantum propter Chriſtum, per fidem acceptum, ideoque non dicitur, pater dedit omne iuditium nouitati noſtræ, ſed filio ſuo, uidelicet, ut quiſquis Euangelio filij crediderit, & acceperit per Euangelion, Chriſtũ, pro iuſtitia & ſalute ſua, ſeruetur in iuditio dei, ut non cõdemnetur, ſed ſempiternam ſalutem cõſequatur. Hoc idem docet aliâs Chriſtus, cum affirmat Apoſtolos ſuos iudicaturos mundum. Amen, inquiẽs, dico uobis, ꝙ uos qui ſecuti eſtis me in regenerationę, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuę, ſedebitis & uos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael, hoc eſt, extremum iuditium pronũtiabitur, non ſecundum legẽ Moſi, aut Canones pontificum, ſed ſecundum doctrinam Apoſtolorum. Hæc aũt eſt doctrina, propter quam Apoſtoli miſſi ſunt in uniuerſum orbem terræ, ꝙ ſolus Ieſus Chriſtus ſit iuſtitia ſanctificatio & redẽptio noſtra, et quod hi ſoli, qui in Ieſum Chriſtũ credunt, ſeruentur propter Chriſtum. Cum ergo omne iuditiũ datum ſit filio dei, Dño noſtro Ieſu Chriſto, quid nũc nobis faciendum erit? Audi quid ſequatur. Vt oẽs, inquit, honorent filiũ, ſicut honorant patrẽ. Qui non honorat filium, non honorat patrem, qui miſit illum. Obſeruabilis appendix, qua et excitanẽ hoĩes ad credendũ Euangelio Chriſti, et refutatur eorꝝ impietas, q̃ etſi cõtemnunt Chriſtum, tñ quia glorianẽ de deo, polli-

Iuditiũ extremum pronuntiabitur iuxta ſententiam filij Dei.

centur ſibi

centur sibi absq; Christo salutem. Nam honorare filium, est credere Euangelio Christi, q̃ ipse sit uerus filius Dei, expiator peccatorum nostrorum, iustificator & seruator noster. Adhæc, honorare filium, est ex fide in Christum, facta carnis mortificare, in nouitate uitæ ambulare, ac diuinæ uocationi obedire. Nunc ergo uide mihi, quæ sit spes salutis eorum, qui gloriantur de Deo, & tamen non requirunt filium Dei, Iesum Christum. Ethnici profitebantur quondam Deum, ac dicebant eum esse optimum, maximum, patrem hominumq; Deumq;, quem etiam suis sacris honorare uisi sunt. Sed hæc professio nullam attulit eis salutem, propterea q̃ non honorarunt filium. Non enim crediderunt, quod contingat ipsis benedictio per semen Abrahæ promissum, quod est Christus, filius Dei. Qui autem non honorat filium, non honorat patrem, qui misit illum, hoc est, frustra gloriatur de Deo, frustra iactat se Deum habere propitium, frustra sperat à Deo salutem, qui ignorat, aut contemnit filium Dei. Iudęi, qui, nunc sunt, multa & magna prędicant de Deo, creatore cœli & terræ, ac liberatore ipsorum è seruitute Ægyptiaca atq; Babylonica, sed prędicatio eorum uanissima est, nec quicq̃ eis ad salutem prodest. Non enim honorant filium Dei, sed potius proscindunt eum omnibus conuitiorum, & blasphemiarum generibus. Qui autem non honorat filium, non honorat patrem, qui misit illum. Turcę, hoc unum semper in ore habent, Deus unus est, & insolentissime iactant se hunc deum, conditorem mundi colere et adorare. Sed quid? num dicemus eos esse ueros dei cultores? Minime omnium. Nõ enim honorant filium dei, quia etsi Alcoranus Turcarum fatetur Christum esse uerbum Dei, tamen dicit eum fuisse legislatorẽ et negat eum esse filium Dei, adeoq; uerę deum. Quod certe est Christum cõtumelia afficere, et honorem debitum ei detrahere. Qui aũt non honorat filium, non honorat patrem, qui misit illum. In hoc catalogo ponendi etiam sunt hypocritæ inter Christianos, qui uidentur & Deum inuocare, & Christum filiũ Dei adorare, & tamen iudicantur impij. Quid ergo deest eis? Nõ honorant Christum, ut Christum. Nõ tribuunt Christo filio Dei debitã maiestatẽ. Sentiunt em̃ sua opera esse merita remissionis peccatorũ et uitę eternę, ac Christũ esse legislatorẽ, et iudicẽ humanorũ meritorũ. Hoc est ex Christo cõdemnatorẽ facere, & meritis humanorũ op̃m maiestatẽ Messię tribuere, quæ quãta sit blasphemia, obscurũ nõ est. Quõ ergo honorarent patrẽ, qui sic inhonorãt filium? Postremo his annumerãdi sunt scelerati hoĩes, q̃ etsi designãt scelera impœnitẽter, et pergũt semper secundũ carnẽ uersari, tm̃ gloriant̃ de misericordia dei, et iactãt se, inimicos q̃dem hoĩm, amicos aũt Dei creatoris nostri. Sed hi, cũ manifeste indicẽt sceleribus suis, q̃ nõ uere credãt in Christum,

Filium honorare quid sit.

& sordident nomen Christi impura & flagitiosa sua uita, in qua impœnitenter & præfracte pergunt, frustra blandiuntur sibi de misericordia dei. Qui enim non honorat filium, non honorat patrem, qui misit illum. Nam deus pater dedit propter hanc caussam omne iuditium suum filio, ut excitentur homines ad honorandum filium. Honoratur autem filius, quemadmodum paulo ante indicauimus, cum Euangelion eius excipitur fide, cum ipse agnoscitur per fidem, ut expiator peccatorꝝ & seruator, cum honesta agitur uita, in inuocatione dei patris per filium. Hęc sunt uera sacra, quibus & pater & filius honorantur. Amplectamur igitur filium Dei, & ut psalmus loquitur, osculemur eum, ut tranquilla & secura conscientia ad iuditium dei accedamus, & ueram ac perpetuam beatitudinem consequamur, per eundem filium Dei DOMINVM nostrum Iesum Christum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XLVI.

Xposuimus duo excellentissima opera, quę pater demonstrat filio suo, quorꝝ alterum est, Suscitare mortuos, alterꝝ, Iudicare mundum. Cum aũt Christus dixisset, patrem dedisse filio oẽ iuditium, addidit. Vt oẽs honorent filium, sicut honorant patrem. Considerãdum igitur nunc est, quid faciendum sit, ut filius honoretur, & quis sit honor, qui filio maxime oĩm placeat. Etsi aũt diximus de hac re quędam in superiori homilia, tñ ut iucũdius, ita etiam utilius est hoc ex ipsis Christi uerbis cognoscere.

„ Audiamus ergo, quę Christus doceat. Amẽ amẽ dico uobis, q uerbũ
„ meũ audit, & credit ei, qui misit me, habet uitã æternã & in iuditium
„ nõ uenit, sed transiuit à morte in uitã. Hoc dictum multis noĩbus observabile est, primũ, ꝙ non simplex homo, sed filius dei, uerus Messias hoc loquat, deinde, ꝙ non simpliciter hoc loquat, sed confirmet iuramento. Amen, inquiens, amen dico uobis. Hæc est forma, qua Christus iurare solet. O nos fœlices, quorum caussa filius Dei iurat. O nos miserrimos, si ne iuranti quidem credimus. Adhæc, docet hoc dicto, quid sit ipsum honorare, postremo indicat etiam, quid honorans ipsum consequatur. Qui uerbum, inquit, meum audit, & credit ei qui misit me. Honorare igit filium, est audire uerbum filij, & credere ei, qui misit illũ, hoc est, credere, ꝙ uerbum filij, sit uere uerbũ Dei. Nã apud Mosen dicit Deus pater de filio suo. Ponã uerba mea in ore eius, & loquet ad eos oĩa quę p̃cepero illi. Quare hic est honor, quem filius exigit, ut uerbum eius audiatur, non autem habeatur pro humano sed pro uere diuino uerbo. Videndũ ergo nũc est,

quod sit

quod ſit uerbum illud filij Dei, quod audire, & cui, ut uere diuino uerbo fidem adhibere debeamus. Nam Chriſtus, filius Dei, uaria docuit, ac uniuerſa quidem doctrina eius, pia eſt & recta, in hoc autem loco non eſt nobis ſermo de quouis uerbo, quod filius Dei in his terris locutus eſt, ſed tantum de eo uerbo, quod fuit ei proprium, & ad quod adnuntiandum miſſus eſt à Deo patre ſuo in hunc mundum. Chriſtus enim docuit aliquoties legẽ Moſi, & explicuit decalogum. Quale illud eſt, quod apud Matthęum dicitur. Audiuiſtis, ꝙ dictum ſit ueteribus. Non occides. Quiſquis autem occiderit, obnoxius erit iuditio. At ego dico uobis, ꝙ quiſquis iraſcitur fratri ſuo, obnoxius erit iuditio, & id genus reliqua. Hoc uerbum, & hæc doctrina, etſi ueriſſima eſt, tamen non eſt ea, de qua nunc nobis fit ſermo, quippe quę ante fuit per Moſen & prophetas adnũciata & expoſita, priuſq̃ Chriſtus hominem aſſumpſit, & Chriſtus non in hunc prȩcipue uſum uenit in terram, ut hanc doctrinam adnuntiaret. Deinde Chriſtus alicubi uaticinatus eſt uenturam deuaſtationem urbis Hieruſalem. Quod uaticinium, ueriſſimum fuit, ac reipſa ſic impletum eſt, in hoc autem loco non loquimur de iſto uerbo, propterea ꝙ non fuit neceſſarium, ut ad adnuntiandum hoc uerbum filius Dei, homo fieret. Potuiſſet enim ſpiritus ſanctus hoc per hominem quendam prophetam reuelare, quemadmodum & id ante per prophetas, ac præcipue per Danielem ſignificauerat. Ciuitatem, inquit ille, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce uenturo, & finis eius uaſtitas. Sed loquimur nunc de eo uerbo, quod eſt proprium Chriſto, & ad quod prædicandum uenit in hunc mundum. Quod ergo eſt illud uerbum? certe non eſt aliud quàm Euangelion Chriſti, in quo prædicatur, quòd ipſe ſit uerus filius Dei, ꝙ ſit uerus Meſſias, quem ſpiritus ſanctus per prophetas promiſerit, ꝙ ſit expiator peccatorum noſtrorum, quòd ſit iuſtificator & ſeruator noſter. Dixit enim aliàs Chriſtus. Ego ſum panis uitæ. Aliâs, ego ſum lux mundi, aliâs, Ego ſum reſurrectio & uita. Et rurſus, Ego ſum uia ueritas & uita. In contione, quam habuit in patria ſua, ex propheta Eſaia, perſpicue ſignificauit, ſe eſſe Meſſiam illum, de quo Eſaias ſcripſiſset. Hoc nullus unq̃ uel patriarcharum uel prophetarum de ſeipſo contionatus eſt. Ac promiſerunt quidem uenturum Meſſiam filium Dei, Sed nullus eorum ſuę perſonæ hanc maieſtatem attribuere auſus fuit. Solus Ieſus filius Mariæ, de ſemine Dauidis & Abrahæ, is eſt, cui licuit hæc de ſua perſona prædicare. Euangelion igitur, in quo adnuntiatur, quòd hic Ieſus ſit uerus Meſſias, filius Dei, uerbum illud eſt, quod et proprium eſt Ieſu, et ad quod prædicandum uenit in hunc mundum, nec poteſt quiſpiam maiorem honorem exhibere Ieſu filio Dei, quàm ut audiat hoc uerbum,

Lu. 4.

Euangelion, uerbũ Chriſti propriũ.

& adhibeat ei, ut diuino uerbo, fidem, hoc est, credat hunc Iesum esse, iuxta Euangelion suum, uerum Messiam filium dei, propter quem deus sit nobis reconciliatus, & adoptet nos in filios suos ac hæredes oīm cœlestium bonorꝫ. Non honoratur filius dei triduanis aut quatriduanis ieiunijs, superstitione susceptis, non honoratur chameunijs eremiticis, non monasticis obseruationibus sine uerbo dei excogitatis, Sed honorat̃ auditu & fide Euangelij sui, uidelicet, ut credamus, ꝙ ipse solus sit expiator pctōrum nostrorum, & redemptor ac seruator noster. Nam si hęc fides recta fuerit, fieri non potest, quin bonos fructus in homine proferat, & efficiat per spiritumsanctum, ut homo obsequatur diuinę uocationi, ac faciat ea opera, quę deus faciēda præcepit. Sed de operatione spiritus sancti in hoīe credente in Christum aliâs. Nunc audiamus, quid consequatur is, qui sic honorat filiū dei. Qui audit (inquit) uerbum meum, & credit ei, qui misit me, hoc est, qui credit meum uerbum esse uere dei uerbum, habet uitam æternā, & in iuditium non uenit, sed transiuit à morte in uitā. Tria dicit. Vnum est, Habet uitam ęternam. Alterum, In iuditium non uenit. Tertium, Transiuit à morte in uitam. Quę benefitia his maiora excogitari possunt? Quod postremo dicit, hoc primum tractemus. Transiuit (inquit) à morte in uitam. Omnes enim homines obnoxij sunt propter peccatum, duplici morte. Altera est corporalis, quę in homine dissolutio tantum est animę & corporis ad tempus, uidelicet usꝙ ad generalem resurrectionem. Altera est spiritualis, quę est perpetua condemnatio hoīs. Qui ergo accipit fide Euangelion Christi, & agnoscit Christum seruatorem suum, is transiuit iā de morte ad uitā. Transiuit, (inqt) nō transibit, quia Christus, quē accepit fide, expiauit peccatū, propter quod homo factus est morti obnoxius. Sed de qua morte transiuit? num de corporali? at manifestum est, oēs hoīes non impios tantum, sed etiam pios mori corporaliter. Nec id mirum. Etsi em credentibus in Christum, peccatum est remissum propter Christum, manet tamen adhuc carni & sanguini inhęrens. Quare necesse est carnem & sanguinem mori, ut & peccatum moriatur. Hæc autem corporalis mors in pijs, non est condemnatio, hoc est, non est spiritualis mors, sed est potius liberatio à peccato, & afflictionibus eius. Peccatum enim non imputatur credenti. Vbi autem non est imputatio peccati, ibi non est condemnatio. Cum igitur is, qui credit in Christum, dicitur transijsse de morte in uitam, sentiendum est, eum iam effugijsse, etiam in hac uita, spiritualem mortem, quæ est perpetua condemnatio, nec corporalem mortē tantarꝫ esse uirium, ut possit eum transmittere ad interitum, sed potius necesse habere trāsferre eum ad tranquillum et fœlicem rerꝫ statum, in quo certissime expectet reuelationem gloriæ

Mors duplex

Mors corporalis uicta.

nem gloriæ filiorum Dei, & cœlestis hereditatis. Quis hęc recte per fidem cognoscens, ad mentionem aut etiã aduentum corporalis mortis, tam horribiliter trepidaret? Quis non secura mente eam suscipe ret? Cum enim non imputetur ipsi peccatũ propter Christum, ac transierit iam à morte spirituali, seu damnatione ad ius ęternę fœlicitatis, tantum abest, ut possit ei corporalis mors officere, & fœlicitati eius obstare, ut magis sit iam uia ad cœlestia gaudia, ꝗ ad inferni supplitia. Hæc nobis cogitanda, hęc meditanda sunt, ut discamus tranquilla conscientia, ex hoc mundo, uocante Deo discedere. Deinde, nõ uenit, inquit, in iuditium. Quid ad hoc dicemus? An non statuemur omnes apud tribunal Christi? Scriptum est enim. Viuo ego dicit DOMINVS. Mihi sese flectet oẽ genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Ro. 14.
Quid ergo est, quod de credente in Christum dicitur, Non uenit in iuditium? Statuentur quidẽ omnes homines, siue impij, siue pij apud tribunal Dei. Sed magna erit inter ipsos differentia. Nam impij, qui agnouerunt Christum, quales sunt Idololatrę, Iudęi, illi uidelicet qui hoc tempore Iesum Christum blasphemia afficiunt, Turcæ, hypocritæ, qui quondam fuerunt inter Iudæos, uel nunc sunt inter Christianos, & scelerati ac impœnitentes Christiani, hi omnes sic statuentur apud tribunal Dei, ut necesse habeant de toto uitæ suę genere, de omnibus factis, dictis & cogitatis, adeoꝗ de quouis otioso uerbo rationem reddere. Nolo hic fingas mihi, in extremo iuditio, externum quendam tumultum, & longam uicissitudinem accusationum, defensionum, replicationum, duplicationum, & aliarę id genus turbarum, quales solent esse in humanis consistorijs, sed iuditium erit diuino modo, nunc quidem inenarrabili & incõprehensibili, tunc autem manifesto, ac impijs intolerando. Cum enim impij non afferant secum Christum, expiatorem peccatorum, & reconciliatorem, nõ iudicabuntur secundum misericordiam Dei quam reiecerunt, sed secundum seueritatẽ Dei, & iustitiam operum suorum. Nullus autem hominum potest merito suæ ipsius iustitiæ seuerę iuditium Dei perferre. Quare hi omnes sic statuentur apud tribunal Dei, ut etiam ueniant in iuditium, & cum non possint factorum suorum rationem reddere, perpetuo condemnentur. Pij autem, qui agnoscunt Christum per fidem, sic statuẽtur, ut cum secum afferant Christum expiatorẽ peccatorum, & seruatorem, non ueniant in iuditium. Neqꝗ enim exigitur ab ipsis factorum ratio, quippe qꝗ registrum ut uocant, eorum obductum sit atramento, ut sic dicam, rubeo, hoc est, sanguine DOMINI nostri Iesu Christi. Condonauit, inquit Paulus, nobis omnia delicta, deleto, quod aduersus nos erat, chirographo, quod erat contrarium nobis per decreta, & illud sustulit è medio, affixum cruci. Cum igitur regi-

Iuditium extremum.

Registrũ piorum obductũ sanguine Christi.

strum & chirographum piorum obliteratum sit sanguine Christi, in tantum non ueniunt in iuditiũ, ut etiam ipsi iudicaturi sint una cum Christo omnes impios, adeoq; uniuersum mundum. De Apostolis Christus ipse ait. Amen dico uobis, quod uos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suę, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. De alijs pijs, Paulus è spiritu Christi ait. An nescitis, q̃ sancti mundum iudicabunt? Et mox. An nescitis, q̃ angelos iudicabimus? Quanta hęc est, obsecro, dignitas, quanta maiestas? quam si quis diligenter perpenderet, quõ posset unq̃ deiecto & tristi esse animo? Cogita enim mihi, quid hoc sit benefitij, q̃ qui Christum habet, non necesse habeat coram tribunali dei rationem factorę suorę reddere, Sed audiat oĩm aliorum rationem, nec iudicetur, sed iudicet potius ipse? Quẽ hęc non in medijs etiamnum aduersis exhilarant, putas ne eum habere fidem? aut credere Euangelio Christi? Rursus, Si quis cogitatione tanti benefitij, non excitatur ad summam reuerentiam & obedientiã erga Christum Dñm suum, ne impietate & iniquitate amittat Christum, quęso te, num sana mente eum prędituṁ esse credas? Quare, cũ Christus tantorum bonorum autor sit, maximam demus operam, ut eum pietate conseruemus. Nam, qui habet eum per fidem, ut transiuit de morte ad uitam, & non uenit in iuditium, ita habet, ut uno uerbo dicatur, ęternã uitam. Quo nomine tota, perfecta, & perpetua fœlicitas significatur. Quid nunc est, quod amplius desideres? Etsi enim credens in Christum, nihil minus in hoc mundo sentit, q̃ uitã fœliciter constantem, Sed potius obnoxius est oĩbus generibus afflictionum, calamitatum, ac mortis quoq̃, tñ ius illud ęternę fœlicitatis, q̃d iam in Christo possidet, intantum nõ aufertur per afflictionẽ & mortem, ut magis per mortem reueletur. Vita uestra, inquit Paulus, abscondita est cum Christo, in deo. Quandocunq̃ Christus manifestatus fuerit, uita uestra, tunc & uos cum illo manifestabimini in gloria. Et Ioannes. Nunc, inquit, filij dei sumus, & nondum apparuit, quid futuri sumus. Scimus autẽ, quoniam si apparuerit, similes ei erimus, quoniã uidebimus eum sicuti est. Nam quẽadmodum filius adhuc infans, etsi habet ius totius paternę hęreditatis, ac etiã dñs est earum facultatum, quę ipsi à parentibus relictę sunt, tamen quãdiu est sub tutoribus, nihil propemodum differt à seruo, nec traduntur ei paternæ facultates, ut eas pro sua libidine administret, sed traditur potius præceptori & uerbis & uerberibus erudiendus, ita hi, qui in Christum credunt, quãdiu sunt in hoc seculo, infantes dei sunt, non adulti uiri. Quare, etsi habẽt ius ęternę fœlicitatis propter Christum, et sunt dñi

cœlestium

cœlestium bonorum, tamen dum sunt in hoc mundo, uelut sub tutoribus, uarijs aduersis erudiuntur, ut suo tempore hereditatem dei patris reipsa accipiant. Habes quid faciendum sit, ut honoretur filius, quid item hi, qui filium honorant, consequantur, quę tanto diligentius nobis cognoscenda sunt, & conseruanda, quanto maiorem & illustriorem nobis lucem ad percipienda cœlestia bona afferunt. Reuertamur nunc ad catalogum eorum operum, quę pater filio demõstrat. Amen amen (inquit) dico uobis, ꝙ ueniet hora, & nunc est, quando mortui audient uocem filij Dei, & qui audierint, uiuent. Cum hic iterum fiat mentio suscitationis mortuorum, posset quispiã putare Christum id repetere, quod supra dixit, Sicut pater suscitat mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Sed est triplex genus suscitationis mortuorum. Vnum est, cum mortui suscitantur ad recipiendã & agendam hanc corporalem uitam, iterum morituri, quemadmodum suscitati sunt filius uiduę, & Lazarus. Alterum est, cum mortui peccatis suscitantur ad uitam iustitię, hoc est, cum impij iustificantur. Tertium est, cum mortui corpore suscitabuntur in nouissimo die, in generali resurrectione, ut reportet unusquisq; quod fecit siue bonum siue malum. Ac de primo quidem genere Christus supra dixit, cum ait: Filius, quos uult, uiuificat. De postremo deinde concionabitur. Nunc autem loquitur de altero illo genere, quo impij uiuificantur iustitia. Venit, inquiens, hora, & nunc est, quando mortui audient uocem filij dei, & qui audierint, uiuẽt. Mortui hoc loco dicuntur impij, ac prę sertim Gentes Idololatrę, ꝙ & peccatis mortuę fuerint, & non coluerint deum uiuentem, sed deos mortuos, ac fictitios. Sic & Christus aliàs, impios uocat mortuos. Sine ut mortui, inquit, sepeliant mortuos suos. Et Paulus. Expergiscere qui dormis, & surge à mortuis, & illucescet tibi Christus. Ac iterũ. Cũ essetis mortui per delicta & per præputium carnis uestrę simul cum illo uiuificauit. Vox autẽ filij dei est Euangelion, quod per Apostolos uulgatum est inter gentes. Vaticinatur ergo Christus de resipiscentia pctõrum, ac præcipue de uocatione Gentium. Veniet, inquiens, hora & nunc est, quando mortui audient uocem filij dei, & qui audierint, uiuent, hoc est, Pater non solũ dedit mihi, ut resuscitem unum & alterum mortuum ad hanc corporalem uitam agẽdam, sed etiam dedit mihi, ut per Euangelion meum iustificem impios. Nam iustificare impium, non minus opus est, cũ ꝙ suscitare mortuum. Ego uero non uulgabo Euãgelion meum inter Iudęos tantum, sed etiam inter gentes, quæ à uobis Iudæis, quasi mortuę reputantur, ut quotquot audierint fide sua, uiuant, hoc est, reputẽtur coram Deo iusti, quæ est uera & spiritualis uita. Magna hoc dicto Christi, & memorabilia docentur. Primum, ꝙ impios uocet mor

Mortuorum tria genera.

Impij mortui sunt, etiam uiuentes.

tuos, quam horribile ſpectaculum nobis proponit, ſi multitudinem hominum ſpiritualibus oculis intueamur. Maxima enim hominum pars, impij ſunt, qui & tanta potentia, ſapientia, opulentia, amplitudine & dignitate præditi ſunt, ut ſoli in terris uiuere uideantur, & tamẽ ſi recte conſideres eos, non ſunt niſi cadauera per ſe quidem mortua, ſed in quibus uiuus Satan inter hoĩes obambulat. Scio eos iuxta phyſicas rationes ueros eſſe homines, ꝙ conſtent ex corpore & anima rationali, ſed ſi iudicabitur de eis ſecundum impietatem eorum, propter quam Satan in ipſos dominatur, profecto haud iniuria uocaueris ipſos ueluti cadauera mortua, ꝙ alieni ſint à deo uiuente, & tanꝗ laruas Satanę, ꝙ pro libidine Satanę ad quæuis ſcelera impellant. Quis autem ad tam fœdum ſpectaculum non cohorreſceret? quis non cõtento curſu ſocietates, cõſortia, ac etiam colloquia impiorum, quoad eius fieri poſſet, fugeret? Deinde, cum ait. Qui audierint, uiuent, hoc eſt, Qui ex auditu Euangelij filij Dei, crediderint in ipſum, iuſtificabuntur, perſpicue docet hominem reputari coram Deo iuſtum, non propter merita operum, ſed per fidem propter Chriſtum. Nam quod dicit. Qui audierint, uiuent, prorſus idem eſt, cum eo quod propheta ait. Iuſtus ex fide ſua uiuet. Et Paulus ad Romanos. Arbitramur fide iuſtificari hominem abſqꝫ operibus legis. Et ad Galatas. Scimus non iuſtificari hominẽ ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti. Hæc eſt illa doctrina, quę in Chriſtianiſmo, hoc eſt, in ſola uera religione ſummũ locum obtinet. De qua, cum aliàs copioſe tractatum ſit, agamus nũc id, quod inſtituimus. Quid ergo cauſſę eſt, ꝙ qui audierit uocem filij dei, uiuat, hoc eſt, qui Euangelion Chriſti fide acceperit,
,, reputetur iuſtus? Sequitur. Sicut em̃ pater habet uitam in ſemetipſo,
,, ſic dedit et filio habere uitã in ſemetipſo. Habes & hoc loco duas perſonas patrem & filium, ſed unam tantum diuinã naturam, unũꝫ tantum deum. Quam em̃ uitam habet pater, eandẽ plane habet & filius. Vna eſt uita, una eſt natura, una eſt eſſentia. Porro, cũ hoc loco ſit ſermo de iuſtificatiõe, perſpicuum eſt, ꝙ & uita pro iuſtitia intelligẽda ſit. Sicut ergo pater habet in ſemetipſo iuſtitiã, quia eſt ipſa iuſtitia, ita dedit & filio habere in ſemetipſo iuſtitiam. Nam, q̃d ad diuinam naturam filij Dei attinet, ita habet iuſtitiam in ſemetipſo ut ſit etiam ipſa iuſtitia. Quod autem attinet ad humanam eius naturam, peccatũ non fecit, nec eſt inuentus dolus in ore eius. Qui autẽ audit uocẽ eius, quę eſt uox Euangelij, & accipit eam fide, is efficitur per fidem membrũ eius. Membrum aũt participat naturã eius, cuius eſt membrum. Quare etſi homo natura ſua eſt iniuſtus, tamẽ ſi audit uocẽ filij dei, et fit membꝛ eius per fidem, reputabit corã deo iuſtus propter filium, quia filius eſt uera & perfecta iuſtitia. Niſi enim filius Dei haberet

iuſtitiam

iustitiam, credens in ipsum non iustificaretur. Nunc autē habet in se ipso iustitiam, adeoq; est ipsa iustitia, quia uerus est Deus, & impleuit, homine assumpto, omnes partes perfectę iustitiæ. Necesse igitur est, ut qui in ipsum credit, reputetur iustus, etiāsi in se fuerit iniustus. De qua re non possunt tam pauca dici, quin afferant pijs maximam consolationem, nec possunt tam multa dici, quin plura supersint dicēda. Quare his nunc contenti, progrediemur ad ea, quę sequuntur. Et "
potestatē dedit ei iudicādi quoq;, quia filius hoīs est. Pater (inquit) "
dedit filio habere uitam, hoc est, iustitiā in semetipso. Cui aūt data est iustitia, ad eum pertinet quoq; iuditium. Quō enim iniustus posset esse iudex? Et iuditium absq; iustitia, non est iuditium, sed tyrānis & crudelitas. Quare cum pater dederit filio suo iustitiā, dedit etiā ei potestatē iudicij, quēadmodum etiam supra dictum est, Pater oē iuditium dedit filio. Sed qd est, q̄d hic additur, Quia filius hoīs est? Quin potius sentiendum esset, patrem dedisse ei potestatem iuditij, quia filius DEI est? Nisi enim filius, uerus esset Deus, homo ille à filio assumptus, nunq; potuisset tantā maiestatem iudicandi accipere. Quid ergo est, quod ait, Quia filius hoīs est? Respōdebo uerbis Augustini, Potestatem (inquit ille) dedit ei iuditium faciendi, q; filius hoīs est, quia in iuditio homo uidebitur, deus aūt non uidebitur, sed post iuditium uidebitur ab his, qui uicerint in iuditio. Ab impijs aūt non uidebitur Deus. Et iterū. Hoc dictum est, quia hoibus in iuditio non apparebit nisi filius. Pater occultus erit, filius manifestus. In quo erit filius manifestus? In forma qua ascendit. Nam in forma dei cum patre occultus est, in forma serui hoibus manifestus. Ac paulo post. Sic ueniet in forma humana. Hanc uidebunt & impij, uidebūt & ad dextrā positi, uidebunt ad sinistram separati, sicut scriptum est, Videbunt in quem pupugerunt. Si uidebunt in quē pupugerunt, corpus ipsum uidebunt, quod lancea percusserunt. Hactenus Augustinus, qui sentit iudicandi potestatem idcirco filio hoīs datam, q; cum iudex debeat hoibus tam pijs q; impijs manifestus & cōspicuus esse, non possit conuenientius fieri, q; si appareat in humana forma, qualē discipuli uiderunt in cœlum ascendentem. Bona sententia, Sed qd si Christus hac appendice, Quia filius hoīs est, respiciat ad uaticinium prophetę Danielis? Daniel em̄ de gloria & maiestate Christi prædicans sic ait. Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Ac mox. Aspiciebam ergo in uisione noctis, & ecce cū nubibus cœli quasi filius hoīs ueniebat, & usq; ad antiquum dierū peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem & honorē & regnum, & oēs populi, tribus & linguę seruient ipsi. Potestas eius, potestas æterna, quę non auferet, & regnum eius, quod non corrumpetur.

Hęc est cõtio Danielis de maiestate Christi, quem uocat filium hoīs. Cum ergo Christus hic dicit, Potestatẽ dedit ei iudicãdi quoqꝫ, quia filius hoīs est, hanc uidetur habere sententiam. Is qui ęgrotum triginta octo annorꝫ restituit sanitati, accepit à deo nõ solum potestatem iustificandi, sed etiam iudicandi homines, quia est filius ille hominis, quem Daniel uidit oblatum antiquo dierꝫ, & datam ei esse oẽm potestatem, honorem & regnum. Quę cum ita se habeãt, omnibus studijs adnitendum est, ut uocem huius iudicis Dñi nostri Iesu Christi clementer nos ad se in hoc seculo uocantis, audiamus, et Euãgelion eius, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti, obedienter suscipiamus, quo per fidem iustificati, in uocatione Dei ambulemus, & sancti ac irreprehensibiles in conspectu eius compareamus, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XLVII.

Stendimus antea tria esse genera resuscitationis mortuorum. Vnum, quo mortui reuocantur in hanc uitã iterum morituri, quemadmodum filia archisynagogi, & Lazarus à morte excitati sunt. Alterꝫ, quo mortui peccatis, hoc est, impij suscitantur ad uitam iustitię, quę est spiritualis resuscitatio. Tertium, quo mortui resuscitabuntur in nouissimo die ad perpetuam uel uitam, si bona egerũt, uel condemnatiõem, si mala egerunt. Ac de duobus quidem prioribus generibus, supra satis dictum est. Nunc aũt Christus contionatur de hoc
,, tertio genere. Et ait. Nolite mirari hoc, quia ueniet hora, in qua oẽs,
,, qui in monumentis sunt, audient uocem eius, & prodibunt, qui bona
,, fecerunt, in resurrectionem uitę, qui uero mala egerunt, in resurrecti
,, onem condemnationis. Mirandum opus est, q̃ Christus filius dei re uocet mortuos in hanc corporalem uitam. Mirandum item opus est, q̃ impios iustificet. Sed longe magis mirãdum est, q̃ suscitaturus sit oẽs mortuos in nouissimo die, & unicuiq̃ redditurus iuxta facta sua. Hoc est illud opus, q̃ manifestissime reuelabit, quãta sit potestas, quãta maiestas Christi, filij dei. Singula autem uerba, quæ Christus hic dicit, cõtinẽt singulas res memorabiles. Veniet, inquit, hora. Quid? putas ne uanum esse, quod ex uerbo DOMINI de uentura generali mortuorum resurrectione, & iuditio Dei commemoratur? Adhuc ne cum impijs dices, Vbi est pollicitatio aduentus eius. Siquidem ex quo die patres dormierunt, sic omnia permanẽt ab initio conditionis? Audi ergo nunc mihi Christum filium Dei, Veniet, inquit, hora. Quæ hora? In qua omnes qui in monumentis sunt, prodibunt in resurrectionẽ uel uitę uel condemnatiõis. Nihil ergo certius est, q̃ uen-

est, q̃ uenturam esse mortuorum resurrectionem & iuditium Dei. Quomodo enim filius dei, qui est ipsa ueritas, mentiretur? Cœlum, inquit, & terra pręteribunt, uerba autem mea non pręteribunt. Et reliqua omnia, quæ prędixit, euenerunt, ac impleta sunt, quomodo igitur hoc ab ipso prędictum, non eueniret, non impleretur? Incertũ quidem est, quo anno, qua hebdomada, quo die, qua hora, quo horę momento mortui sint resurrecturi, nihil autem certius est, q̃ uenturam horam, qua mortui resurgent. Non em̃ uanum esse potest, quod dicit filius Dei. Veniet hora. Deinde addit. In qua OMNES. Non em̃ unus tantum & alter homo mortuus, sed OMNES homines, qui ab initio cõditionis mundi fuerunt & mortui sunt, quiq̃ adhuc erũt, et morientur, siue pij siue impij, siue pastores populorum, siue pastores ouium, siue diuites, siue pauperes, resurgent à mortuis. Quid? existimas ne tantam hoim summam numerabilem esse? Nobis quidem innumerabilis, ac etiam incredibilis est, Domino aũt Deo nostro, qui numerat multitudinem stellarũ, & arenę maris, hic numerus pœnitus perspectus, planéq̃ cognitus est. Nemo aũt sit sollicitus, quomodo cœlum & terra possint tot hoim capatia esse. In resurrectione em̃, ut nec ducent uxorę, nec nuptum dabunt, sed ęquales erũt angelis, ita nec magna occupabunt spacia locorũ, sed habebunt conditiões spirituum. Seminatur, inqt Paulus, corpus animale, sed resurget corpus spũale, hoc est, ornatum conditionibus spũs, ut nec sit graue, nec uastum. Quale aũt hoc futurũ sit, humano captu in hac uita percipi non potest, sed res ipsa suo tempe declarabit. Quare sic instituamus uitam nostrã, ut quod futurũ est, fœliciter cõperiamus. Cęterum, nec illud oscitanter pretereundum est, q̃d dicit, Qui in monumẽtis sunt. Fuerunt em̃, qui senserunt, eã tantum esse resurrectionem qua aĩa resurgit à pctõ, ad iustitiam, ac putant tũc impletam esse resurrectionẽ per Christum partã, cum impius iustificatur. Hęc quidem est spũalis resurrectio, & oĩbus modis ad salutem necessaria, sed non est sola & suffitiens resurrectio. Hymeneus (inqt Paulus) & Philetus aberrarunt circa ueritatẽ dicentes, resurrectionẽ iam factam, & subuertunt quorundã fidem. Non em̃ sufficit, ut anima resurgat ab impietate ad pietatẽ, sed etiam necessariũ est, ut corpus à morte ad uitam resurgat. Ideoq̃ Christus ait, Oẽs, qui in monumentis sunt. Nũquid anima est in monumento? Nihil certe minus, sed corpus. Resurget igit̃ corpus, et iungetur ei anima in resurrectione, ut totus homo uel perpetua fœlicitate ꝓpter Christũ fruatur, uel ꝓpetua infœlicitate ꝓpter impietatẽ condemnet̃. Sed qd? Nũ soli hi resurgẽt, q̃ sunt in monumẽtis, hoc est, qui terra obruti sunt? Quid ergo fiet de alijs, uel crematis, uel in aëre aut aqua putrefactis? Fuerunt enim uarij ritus sepeliendi inter

Resurrectio mortuorum certißime uẽtura est.

Resurrectio è monumẽtis.

Sepeliẽdi uarij ritus.

gentes, ac populos terræ. Alij condunt defunctos suos in terrã. Et hic ritus est maxime humanus. Alij cremauerunt defunctos. Alij abiecerunt eos in mare. Alij maiorẽ in defunctos inhumanitatẽ exercentes, obiecerunt eos canibus uorandos, quos canes ad hoc educatos, sepulcrales uocarunt. Hęc magna fuit crudelitas. Alij, quod est execrãdum & detestandum, deuorarunt ipsi mortuos. Existimarunt em̃ humanũ corpus in nullo sepulcro honestius condi, quàm in humano corpore. Quid ergo de his fiet, qui non fuerunt in terra conditi? Sed & multi in crucem sublati, computrescunt in aëre. An & hi resurgẽt? profecto resurgent omnes mortui, quoquo modo uel conditi fuerint, uel computruerint. Nam cum Christus dicit, omnes, qui sunt in monumẽtis, per monumenta non intelligit tantum publicas illas sepulturas, quas uocamus cœmiteria, hoc est, dormitoria, sed omnia illa loca, siue in aëre, siue in terra, siue in igne, siue in aqua, in quibus puluis humani corporis uel sparsus uel collectus iacet. Debemus quidem uita defunctos honeste sepelire, partim ꝗ corpora eorũ, qui in Christo obdormiunt, sanctę sunt reliquię, partim ut hoc argumento significemus aliam esse hominis, ꝗ̃ bestię mortem, & testemur spem futurę resurrectionis. Sed quod ad uita defunctum attinet, omnis ei locus, si in Christo obdormiscat, siue in aëre, siue in igne, siue in terra, siue in aqua, sanctum est cœmiterium. Domini enim est terra, & plenitudo eius, si autem in impietate moriatur, non effugiet manum Dei, etiam si puluis eius per mille loca dispersus fuerit. Quare cum Christus ait eos in resurrectione proditurros, qui sunt in monumentis, intelligit omnes eos resurrecturos, qui uita defuncti sunt, quocũq; modo, quocunq; loco in puluere iaceant. Iam monumenti nomine etiam hoc cõsiderandum est, ꝗ in resurrectione, anima hois, cum ea nũq̃ interierit, nec sit in monumento, non reuocetur in uitam, sed corpus tãtum. Sunt em̃ qui sentiunt, animam hois in morte extingui, ac hominem resurrecturę quidem animaet corpore in nouissimo die, sed animã interea temporis non existere, donec cũ corpore exciteť. Hoc si uerę esset, non diceret Resurrectio, sed noua hois creatio. Nec intelligunt illi, quantũ sit discrimen inter mortem hois, et bestię. Mors em̃ bestię est interitus corporis et animæ eius, mors aũt hois dissolutio tantum est animę à corpore. Conditť quidem corpus hois in monumento, et computrescit, ac reuertitur in puluerem, anima aũt deportatur uiua ad suum receptaculum. Nã animæ seu spũs pioręs seruãtur apud Christum Dñm nostrum, in maxima ac certissima perfectæ fœlicitatis expectatione. Hoc em̃ illud est, quod Christus significat in parabola Lazari et diuitis, in qua dicit. Lazarum deportatum esse ab angelis in sinum Abrahæ. Per sinum autem Abrahæ intelligendus est Christus ipse,

Sepultura honesta sit.

Anima uiuit, etiam post mortem,

olim pro-

olim promissus Abrahæ, ꝙ de sinu, aut semine eius uenturus sit in hunc mundum, nunc uero sedens ad dexteram Dei patris, & omnia gubernans. Idem etiam docet Stephanus, cum lapidaretur, & exclamaret, DOMINE Iesu, Suscipe spiritum meum. Vidit enim Stephanus cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris dei. Quare nisi sensisset spiritus piorꝝ post mortem superstites manere, & conseruari à Iesu Christo DOMINO nostro, non cõmendasset ei suum spiritum. Sed & Paulus aperte dicit. Cupio dissolui & esse cum Christo, quibus uerbis haud obscure definit mortem piorum, non esse animę internitionem, sed tantum dissolutionem à corpore, & profectionem ad Christum seruatorem suum. Abijciamus hic carnales cogitationes. Animę enim piorum non sic Christum in cœlis circũdant, quemadmodum nudi pueruli in terris, circa parẽtes suos ludunt. Non sunt tam crassa uel loca uel spectacula, in cœlesti regno. Nos quidem propter imbecillitatem nostram necesse habemus nostris uerbis uti, cum de tantis rebus loquimur, non aũt sentiendum est, ꝙ ea, de quibus loquimur, fiant in cœlis, humano & carnali, sed cœlesti & diuino modo. Spiritus ergo piorum uiuunt cum Christo, non carnalem, qualem infantes in his terris, sed cœlestem uitam, qualis est spiritibus conueniens. Spiritus autem impiorum deportantur in morte ad infernum, & ad consortium Satanæ. Significat & hoc Christus in parabola diuitis & Lazari, cum ait diuitem ex inferno Abraamum appellare. Et Petrus dicit. Deus angelis qui peccauerant non pepercit, sed catenis noctis in tartarum præcipitatos, tradidit seruatos in iuditium. Si angeli Satanę seruantur uincti in tartaro ad iuditium, certe etiam spiritus impiorum, qui sunt membra Satanæ, seruantur ad iuditium in tartaro, in magna & horribili perpetuę infœlicitatis expectatione. Cum autem aduenerit nouissimus dies, anima, quę post mortẽ superstes mãsit & interim suo receptaculo cõseruata est, iungẽt corpori suo exuscitato. Quare nõ est sentiendũ, ꝙ in resurrectione creet nouus homo, sed corpus in puluerem resolutũ suscitabitur, idem qdem, quod ante fuerat, renouatũ aũt, & spũalibus ꝓprietatibus excultũ, ut sic unusqsqꝫ recipiat, quod uel boni uel mali fecerit. Deinde, qd Christus dicit. Audiẽt uocẽ eius, admirabile fortassis uidebitur quõ mortuũ corpus sine sensu, sine auribus possit uocẽ audire. Sed hic iterꝝ abijcienda sunt carnis figmenta. Nã audire uocem filij dei, est reipsa potentiã eius percipere. Descendet, inqt Paulus, Dñs cum hortatu & uoce archangeli ac tuba Dei descendet de cœlo, hoc est, Christus reuelabitur in nouissimo die, diuina maiestate et potentia p̃ditus, qua mortui excitati, resurgẽt et ꝓdibunt. Qui uero in ea reuelatione adhuc uiuentes deꝑhendent, hi non morientur sed immutabunt. Nõ oẽs, inqt Paulus, moriemur,

Corporis humani resuscitatio.

Vocem filij Dei audire.

omnes tamen immutabimur, in puncto temporis, in momento oculi, per extremam tubam, Canet enim, & mortui resurgent incorruptibiles, & nos immutabimur. Audis tubam Dei sonituram in nouissimo die, quæ certe non erit externa aliqua ahenea aut ærea tuba, sed potentia et maiestas uocis illius humano captu in hoc quidem seculo imperuestigabilis, qua filius Dei in puncto temporis & mortuos excitabit, & uiuentes adhuc immutabit. Nam filium Dei hoc & uelle & posse facere, manifestum est. De uoluntate sua non obscure contionatur postea. Omnis, inquiens, qui uidet filium & credit in eum, habet uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Potestas autem eius patet tam ex ipsa rerum creatione, cũ ex conseruatione earum. Initio enim Deus creauit per uerbum suum, quod est filius eius, cœlum & terram, et omnia quę in eis. Et creauit ea ex nihilo. Dixit, et facta sunt, mandauit & creata sunt. Si uerbum Dei potuit in nihilo uidere, & è nihilo educere tantam cœli & terræ molem, quanto magis poterit in puluere terrę uidere, & ex eo educere humanum corpus, ac animę suę coniungere. Die tertio dixit Deus: Germinet terra lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terrã. Quid factum est? Verbum Dei tantę est potentię, ut non solum eo tempore eduxerit è terra fructiferas arbores, uerumetiam adhuc semper educat è paruis admodum granis exempli gratia, pomi uel pyri, tam patulas arbores, ut & in eius ramis aues nidificent, & sub umbra eius homines ac iumenta recubent. Si uerbum Dei uidet in tam paruo grano tantam ligni magnitudinem, & profert eam suo tempore in lucem, quomodo non uideret in puluere terræ humanum corpus, ut id suo tempore iterum resuscitaret? Tradunt Ecclesiasticæ historię, cũ Ethnici persequentes quondam Ecclesiam Christi, cremauerint corpora martyrũ, ac sparserint puluerem in profluentẽ, dicentes se hac re adẽpturos ipsis spẽ resurrectionis, ex qua illi alacres sese morti offerebant. Sed nõ est consilium aduersus decretum Dñi. Filius em̃ Dei statuit excitare oẽs mortuos. Hoc statutum eius nulla hoĩm potentia, nulla impietas, nulla immanitas abolere potest. Etsi em̃ puluis humani corporis dispersus est in mari per mille aut amplius loca, uox tñ filij dei nõ minus, hũc in resurrectiõe colliget, cũ si in tũba collectus iaceret. In hoĩm qdem oculis, mille loca multũ inter se distant, in oculis aũt filij dei residentis ad dexterã patris sui, ut mille dies sunt unus dies, ita et mille loca, unus sunt locus, Quare fieri nõ potest, ut puluis in profluentẽ dissipatus possit filio dei impedimẽto esse, quo minus humanum corpus ad uitam reuocet. Postcũ, inqt Paulus, per hoĩem mors, etiã per hoĩem resurrectio mortuorũ. Quẽadmodũ em̃ per Adam oẽs moriuntur, ita & per Christum oẽs uiuificabuntur. Quid ergo fiet?

Creatio, testatur de resurrectione.

Eusebius in Ecclesiastica historia li. 5 ca. 2.

go fiet? num sicut omnes per Christum uiuificabūtur, ita et omnes seruabuntur, & hæreditatem cœlestis regni consequentur? Hic uero maximum erit hominum à morte resurgentiū discrimē. De quare Christus ita contionatur: Prodibunt, qui bona egerunt, in resurrectionem uitę, qui uero mala egerunt, in resurrectionē condemnationis. Quid potest de differentia eorꝝ, qui à mortuis resurgent, apertius dici? Omnes quidem resurgent, & resurgent incorruptibiles, sed aliud est præmium bonorum, aliud malorꝝ. Et ne quis existimet, hæc magis ad deterrendos malos à sceleribus suis, conficta esse, q̄ ad ueritatem dici, confirmantur multis sacræ scripturæ, quæ nec fallit, nec mentitur, autoritatibus. Apud Matthæum dicit Christus. Cum uenerit filius hominis in gloria sua, & omnes sancti angeli cum eo, tunc sedebit super sedem gloriæ suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos alteros ab alteris, & his quidem qui à dextris sibi erunt, dicet. Venite benedicti patris mei, possidete regnum, paratum uobis ab exordio mundi. His autem qui à sinistris erunt dicet. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Duo hic obseruabilia dicuntur. Alterū, q̄ in resurrectione magnum erit discrimen in prēmio bonorum & malorum. Boni enim accipient regnum cœleste, mali autem accipient supplitium ignis inferni. Alterum, quod uel illorum p̄mium, uel horum supplitium, non erunt mutabilia & caduca, sed perdurabūt firma atq̄ sempiterna. Vt enim boni semper & perpetuo erūt fœlices, ita mali nūq̄ in ęternum effugient suum supplitiū, sed necesse habebunt perpetuā ferre pœnā. Ibunt, inquit, hi in supplitium. Quanto tempore duraturum? num aliquādo desiturum? minime oīm. Sed ęternum. Iusti uero ibunt in uitam, quam? num eā quę accipiet finem? Nihil minus, Sed ęternā. Audiamus de hac re etiam Pauli contionē. Redditurus est, inquit, unicuiq; iuxta facta sua, his quidem qui perseuerantes in benefaciendo, gloriam, & honorem, & immortalitatem quęrunt, uitā ęternam. His uero, qui sunt contentiosi, & qui ueritati quidem non obtemperant, sed obtemperant iniustitię uentura est indignatio & ira, afflictio & anxietas, aduersus oēm animam hominis perpetrantis malum. Et iterum. Iustum est apud deum, reddere ijs, qui affligūt uos afflictionē, & uobis qui affligimini relaxationem nobiscum, cum reuelabitur dominus Iesus de cœlo, cum angelis potentiæ suæ, cum incendio flammę, qui infligit ultionem his, qui non nouerunt deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, qui pœnam luunt interitum ÆTERNVM, à facie domini, & à gloria fortitudinis illius. Sed quid, quod Christus ait, Qui bona egerunt, prodibunt in resurrectionē uitę? num hoīes possunt consequi fœlicitatē uitę ęternæ,

Resurrectio mortuorum, suam habet differentiam.

Rom. 2.

2. Thess. 1.

meritis ſuæ bonitatis? Quid ergo eſt, quod dicitur, in conſpectu tuo non iuſtificabit omnis uiuens? Et, Ex operibus legis nõ iuſtificatur oĩs homo? Hic conſideranda et ponderanda ſunt uerba Chriſti. Non enim dicit. Qui meriti ſunt bonis ſuis, ſed ait. Qui egerũt bona. Aliud eſt mereri bonis, aliud agere bona. Merentur bonis ſuis hi, qui perfectã iuſtitiam faciunt, & totam legem ſuis operibus perfecte implent. Nullus aũt hominũ eſt, qui tale meritum habere poſsit. Bona uero agere, primũ eſt, Chriſtum filiũ dei per fidem ex Euãgelio eius agnoſcere. Hoc eſt & optimum & p̃cipuũ bonum. Nam qui accipit Chriſtum p̃ fidem, is reputatur corã Deo iuſtus, & adoptatur in filium dei, ac efficitur hæres cœleſtium bonorũ, idq̃ nullo humanæ iuſtitiæ merito, ſed tantũ propter Chriſtum, qui ſolus eſt hominis corã deo patre meritum. Deinde bona agere, eſt ex hac fide in Chriſtum, facta carnis mortificare, & in uocatione Dei obedienter ambulare, idque non ut merearis reſurrectionem ad cœleſtem uitam, cuius hæres iã ante per Chriſtum factus es, ſed ut teſteris gratitudinem tuam erga deum, & retineas Chriſtum ſeruatorem, qui obſequendo cupiditatibus peccati abijcitur. Mala autem agere, primum eſt ignorare Chriſtum, aut contemnere eum. Hoc maximum eſt malum, quippe quod nulla ſit nec iuſtitia, nec fœlicitas, ubi nõ eſt Chriſtus. Deinde mala agere eſt ex ignorantia Chriſti aut impietate uel obſequi cupiditatibus peccati, & deſignare ſcelera, uel hypocriſim ſectari, & polliceri ſibi cœleſtem hæreditatem propter operum ſuorum merita. Quare, ut pij, bona agentes, gratis accipiunt regnum cœlorum, propter Chriſtum, ita impij mala agentes, merito ſuo condemnantur, q̃ maluerint cupiditates carnis ſuę ſectari, q̃ Chriſtum gratis cœleſtia benefitia offerentẽ agnoſcere, & uocationi eius obedire. Sed non eſt, q̃ metuas, ne in reſurrectione, in qua boni à malis ſeparabuntur, cuiq̃ iniuria fiat. Sic enim ſequitur. Non poſſum ego ex meipſo quicq̃ facere. Sicut audio, iudico. Et iuditium meum, iuſtum eſt. Quia non quæro uoluntatem meam, ſed uoluntatem eius, qui miſit me, patris. Quod Chriſtus dicit, hanc habet ſententiam. In reſurrectione, ego ipſe iudex ero, ac ſeparabo iuſtos ab iniuſtis, ut hi eant in ſupplitium ęternum, illi autem in uitam æternam. Et in hoc iuditio, nulli hominum fiet iniuria. Meum enim iuditium, non eſt humanum ſed diuinum. In humanis quidem iuditijs ſolet aliquoties accidere, q̃ ei, qui bonã habet cauſſam, iniuria fiat, idq̃ uel propter ſuam ipſius imperitiam, qua non poteſt ęquitatem cauſſæ ſuæ exponere, uel propter aduerſarij eloquentiam, qua is iniuſtam ſuam cauſſam, dicendo iuſtam reddere uidetur, uel propter teſtium uanitatem, uel propter iudicis aũt ſimplicitatem aut iniquitatẽ, denique multa alia ſunt, quibus fit, ut bonus, bonã habens cauſſam, in

Mereri bonis operibus, & facere bona opera, differũt

cauſſam, in humano iuditio ſuccumbat, & uincatur. In reſurrectione autem iuditium, (quod ſit nouiſſimum ac poſtremum) erit iuſtiſſimum. Non em̃ poſſum ego ex meipſo quicq̃ facere, hoc eſt, non iudicabo iuxta carnales hoim affectus, uel ex auaritia, uel ex inuidia, uel ex iniqtate, uel ex ignorantia, ſed ex uoluntate patris mei. Iudico ſicut audio à patre meo, qui eſt Deus iuſtiſſimus, uel iudico ſicut audio & cognoſco rei ueritatem, & cauſſę uel æquitatem uel iniquitatẽ. Quare nemo metuat ullam uel iniuriam uel tyrannidem, in hoc extremo iuditio. Sed quis, inquies, mentione tam iuſti iuditij, non cohorreſceret? non obſtupeſceret? Nullus enim hominum eſt, qui non ſit ſibi peccati conſcius, nullus eſt, qui totus in ſe iuſtus & ſanctus ad hoc iuditium accedat, quomodo igitur corde noſtro non trepidaremus? Recte dicis, omnes homines eſſe peccatores, nihilominus tamen, quo iuſtius erit hoc extremum in reſurrectione iuditium, eo minus cauſſæ habemus, cur metuamus, & cohorreſcamus. Metuant hoc iuditium, qui non renati ex aqua & ſpiritu, neceſſe habent gehennæ ignibus mancipari. Metuant, qui non Chriſti paſſione & cruce cenſentur, metuant, quibus neceſſe eſt de factis ſuis rationem reddere. Nobis certe debet eſſe expectatum ac deſideratum iuditium. Etſi enim deſignauimus multa & magna peccata, tamen quia ſumus Chriſto per fidem inſerti, non ſolum habemus propter ipſum expiationem peccatorum, ſed etiam erimus aſſeſſores eius, & iudicabimus cum ipſo omnes aduerſarios eius, tãtumq̃ abeſt, ut ſi in Chriſto manſerimus, exigat à nobis factorum noſtrorũ ratio, ut potius impij omnes neceſſe habeant nobis ſuorum factorum rationem reddere. Quare non metuamus iuditium filij Dei, ſed metuamus impietatem, & ſectemur uocationem Euangelij Chriſti, ut procedamus obuiam alacres & læti uenienti in maieſtate ſua Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Iuditium extremum quibus metuendum.

HOMILIA XLVIII.

Ercucurrimus explicatione noſtra duas partes contionis Chriſti, in quibus Chriſtus expoſuit, opera ſua non humana, ſed diuina eſſe, & recenſuit quędam genera admirabilium operum, quæ facienda à patre ſuo accepit. Sequitur nunc tertia ac poſtrema pars huius cõtionis, in qua parte Chriſtus cõmemorat teſtimonia, qbus probat ſe uera de ſeipſo dicere ac prędicare. Quę pericope neceſſario prioribus partibus addit. Nam Chriſtus prædicauit hactenus de ſeipſo ea, quæ humanum modum excedunt. Dixit, ſe

esse filium Dei, & haud obscure significauit, se esse deo patri æqualē. Dixit potestatem sibi traditā à patre suo excitandi mortuos, iustificādi impios, iudicādi mundū, & suscitandi a' mortuis oēs homines, alios ad perpetuā fœlicitatē, alios ad perpetuam condemnationē. Hæc sunt admiranda & diuina opera, quę Iesus sibi ipsi tribuit. Homines autē iudicant eum esse uanū, qui sibi multa arrogat, & seipsum laudat. Quare ne Iesus accusetur uanę & ambitiosę iactantiæ, cōmemorat testimonia quibus ueritatē doctrinę suę defendit. Si ego, inqens, testimoniū perhiberem de meipso, testimoniū meū non esset uerū. Imo uerissimū esset. Dicit eū aliàs. Si ego testimoniū perhibeā de meipso, uerū est testimoniū meū. Quid ergo est, q̄d nunc ait: Nō esset uerum? Alia est propria Christi autoritas, alia hominum opinio. Christus aūt, cum hoc loco dicit, si ego perhiberē testimoniū de meipso, testimonium meū non esset uerum, nō loquit̄ de propria sua autoritate & maiestate, qua certe testimoniū eius uerissimū est, etiamsi nullius uel hoīs uel miraculi testimonium accederet, sed loquit̄ de hoīm opinione, & abiecta sua inter homines specie. Nam inter hoīes inciuile ac turpe est seipsum laudare, nec habet̄ talis laudatio alicuius momenti. Iudicāt esse uanitatē. Dicūt eū qui seipsum laudat, habere malos uicinos, significātes non esse sapientis, seipsum laudibus ornare. Primū eū uirtutes laude dignę, etiāsi sint in hoīe, tamē non sunt proprię hoīs, sed alienę. Dona dei sunt, eaq̄ gratuita. Homo igit̄ non seipsum, sed deū suum laudet. Deinde, q̄d est homine mutabilius? quas hodie habes uirtutes, fortassis cras amittes. Quid ergo tibi tuipse arrogas? pręterea, etsi humanę uirtutes proponūtur aliquoties ad exemplum imitationis, promittuntur etiā nonnunq̄ utendæ, tñ iactantia est odiosa, propterea q̄ qui sua impudenter iactat, non hoc agere uidetur, ut proponat suas uirtutes alijs utēdas, sed ut comparet aliquod glorię choragium. Quid q̄ & humanę uirtutes aliquando eiusceomodi sint, ut quas hic habet, alteri nec prosint cognitę, nec obsint ignoratę. Quare, inter homines, ut quisq̄ sapientissimus est, ita modestissime de seipso loqui solet. Longe autem alia ratio est de Deo, & unigenito filio eius DOMINO nostro Iesu Christo. Nam quas filius dei uirtutes habet, eas habet proprias & perpetuas, quæ & ignoratę, relinquunt hominem in perpetuo suo exitio, cognitę autem afferunt homini perpetuam salutem. Adhęc, etsi Christus est thesaurus omnium cœlestium uirtutum, in conspectu tamen hominum longe alius apparuit. Vidimus eum, inquit Esaias, sed nulla erat forma, quę faceret, ut eum desideraremus. Despectus & nouissimus uirorū, plenus doloribus & infirmitatibus. Adeo contemptus, ut auerterentur uultus ab eo. Quare necesse fuit, ut Christus ipse maiestatem suam expo

Ioāni. 8.

Laudare seipsum, turpe.

neret,

neret, non ut carnalē gloriam ab hoībus uenaretur, ſed ut hominibus ſalutem afferret. Ne eīm homines, ut ſunt ſuſpitioſi exiſtimarēt Chriſtum magis ficta q̄ uera loqui, non eſt contentus nuda uirtutū ſuarz expoſitione, ſed allegat etiam teſtimonia. Si ego, inquit, teſtimoniū perhiberem de meipſo, teſtimonium meū nō eſſet uerum. Scio turpe eſſe inter hoīes, ſi quis ſeipſum laudibus ornat. Scio uos eo ingenio prēditos, ut mea ipſius prēdicatio leue apud uos autoritatis pōdus habeat, niſi alia acceſſerint teſtimonia. Neceſſariū tamen eſt, ut meam ipſe maieſtatem uobis exponā. Hēc eīm mea eſt uocatio, hoc meum offitium, et propter hanc cauſſam deſcendi de cœlo, ut Euāgelion meū, hoc eſt, maieſtatem meā adnuntiem. Sed ne exiſtimetis me alienis teſtimonijs deſtitutū, agitedum, etiā hac in parte me uobis accōmodabo. Recitabo eīm nunc uaria maieſtatis meæ teſtimonia. Vnum eſt, Ioannes baptiſta, Alterū miracula. Tertiū, Vox patris de cœlo. Quartum, Sacra ſcriptura. In ore duum, inq̄t lex, aut triū ſtat omne teſtimonium. Multo igit̄ pluris ēſtimanda eſt autoritas quatuor teſtimoniorum. Primū ergo cōcionat̄ Chriſtus de teſtimonio Ioannis Baptiſtē. Alius, inquit, eſt, q̄ teſtimoniū perhibet de me, & ſcio uerz eſſe teſtimoniū q̄d teſtificat̄ de me. Vos miſiſtis ad Ioannē, & is teſtimonium reddidit ueritati. Ego aūt nō ab hoīe accipio teſtimoniū, ſed hæc dico, ut uos ſalui ſitis. Ille erat lucerna ardens & lucēs. Vos aūt uoluiſtis ad tempus exultare in luce eius. Hæc eſt cōtio de teſtimonio Ioannis Baptiſtē. Senſus aūt eius hic eſt. Ego non ſolus tantā de me maieſtatē prēdico, ſed eſt & alius, nimirum, Ioannes Baptiſta, qui prorſus eadem de me teſtatus eſt. Dixit eīm publice, non ſe, ſed me, ME, inquā, eſſe uerum Meſsiam ſeu Chriſtum. Cum autem p̄dicauerit me uerū eſſe Meſsiam, certe ſignificauit etiā me eſſe uerz dei filium, deo patri æqualem, & omnem mihi poteſtatem excitandi mortuos, iuſtificandi impios, iudicandi mundū, & ſuſcitandi omnes homines à mortuis in nouiſsimo die, traditam eſſe. Nam hanc maieſtatē tribuit ſpiritus ſanctus Meſsiæ in ſacra ſcriptura. In pſalmo ſecundo Meſsias ipſe ſic loq̄tur. DOMINVS dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. In hoc pſalmo, Meſsias uerus Dei filius dicitur. In alio pſalmo ait Dauid è ſpiritu ſancto. Dixit DOMINVS domino meo, ſede à dextris meis. Hic, Meſsias deo patri ſuo æqualis prēdicat̄. Eſaias de Meſsia ſic contionatur. Deus ipſe ueniet, & ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum. In hoc Eſaiē loco Meſsias prædicatur, & Deus, & diuina miracula æditurus. De iuſtificatione Meſsiæ, iterum ait Eſaias, In cognitione ſui iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ac rur-

Chriſti maieſtatis teſtimonia.

Ioannis teſtimonium de Ieſu Chriſto.

ſus de iuditio eius. In memetipſo iuraui, egredietur de ore meo iuſti-
tiæ uerbum, & non reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu. Nã
hæc eſſe uerba Meſſiæ, & ſignificare omnes ſtatuendos apud tribu-
Rom. 14. nal eius, Paulus ad Romanos ſcribens, perſpicue teſtatur. Et quid plu
ra? Daniel de Meſſia ſcribens omnia ſimul complectitur, Dedit, in-
quiens, ei poteſtatem, & honorem & regnum, & omnes populi, tri-
bus, & linguæ ipſi ſeruient. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non
auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Quare cum loan-
nes Baptiſta teſtatus ſit Ieſum illum Mariæ filium, uerum eſſe Meſſi
am, per prophetas promiſſum, manifeſtum eſt, ꝙ teſtatus etiam ſit
de ipſo omnia ea, quæ prophetæ è ſpiritu ſancto tribuerunt Meſſiæ.
Quis autem de ueritate teſtimonij loannis dubitaret? quis ad tanti ui
ri teſtimonium non aſſurgeret? Primum enim, Ioannes non eſt à me
humana calliditate ſubornatus, ut tale quid de me prædicaret. Quo-
modo enim uir tantæ uirtutis ac conſtãtiꝗ, qui ne Herodi quidem ad
ſua flagitia conniuere uoluit, uoluntati meæ, ſi aliquid iniqui ab ip-
ſo petijſſem, obſequutus eſſet? Nec eſt obſcurũ teſtimoniũ eius ꝗp-
pe ꝙ de me teſtatus ſit coram publica ueſtra legatione. Vos enim mi
ſiſtis ad illum legatos è concilio Hieroſolymitano, & detuliſtis ei ho
norem Meſsiæ, ac uoluiſtis in luce eius ad tempus exultare, hoc eſt,
uoluiſtis autoritate eius abuti aliquanto tempore, donec ueſtræ cupi
ditati in adſequenda tyrannide ſatisfaceretis. Sed is tantę fuit conſtan
tię, ut non ſolum non agnoſceret honorem Meſsię à uobis oblatum,
uerumetiam in me manifeſte transferret. Voluiſtis credere ipſum eſ-
ſe Meſsiam, ac decernere ab omnibus pro Meſsia habendum, ſi ipſe
hoc agnouiſſet, cur ergo nõ creditis teſtificãti, nõ ſe ſed me eſſe Meſ-
ſiam? Quid magis abſurdum, q̃ꝗ ꝙ uolueritis credere Ioanni maieſta
tem Meſsię ſibi ſumpturo, & nõ uultis ei credere teſtificanti maieſta-
tem Meſsię de alio? Deinde Ioannes erat lucerna ardens & lucẽs, hoc
eſt, fuit uir clariſsimus, & tam natiuitate, q̃ꝗ ſancto uitæ genere, ac
pia doctrina illuſtriſsimus. Et quia fuit uir maxima apud omnes auto
ritate præditus, uoluiſtis & uos cum ipſo amicitiã iungere, ut & uos
illuſtres gloria eius efficeremini. Quare ſi iudicaſtis eum ueſtra ami-
citia dignum, par eſt, ut & fidem habeatis teſtimonio, quod ipſe de
me dixit. Non enim ueriſimile eſt, quod uolueritis cum homine
uano & mendace amicitiam contrahere. Sed quid hoc, inquies, ꝙ
Ieſus Chriſtus ad confirmandam ſuam doctrinam, utitur teſtimonio
loannis? num Ioannes maior & ueratior eſt Ieſu Chriſto? Scilicet Ie-
ſus non eſſet Chriſtus, niſi Ioannes hoc teſtificatus eſſet? Abſit. Nam
Ioannes ipſe ait de Ieſu Chriſto. Non ſum dignus, ut ſoluam corrigi-
am calciamenti eius. Vtitur ergo Ieſus Chriſtus teſtimonio eius, non
propter ſe

propter se, sed propter Iudæos. Ego, inquiens, non accipio testimonium ab homine, sed hæc dico, ut uos salui sitis, hoc est, allego testimonium Ioannis propter uos, ut cum habueritis eum non solum tanq̃ prophetam sed etiam tanq̃ Messiam ipsum, credatis etiã testimonio eius de Messia, quo ueram salutem consequamini. Obseruabile dictum, quo utendum erit pro explicatione eorum, quæ nobis de autoritate Ecclesiæ, & sanctorum ab aduersariis obiici solent. Nam cum Augustinus dicat, Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoueret autoritas, fingunt autoritatem Ecclesiæ præferendam esse uerbo Dei, ac Ecclesiam posse mutare ea, quæ in uerbo Dei tradita sunt. Sed hoc Augustini dictũ prorsus idẽ est, ac si quis diceret, Non credere Christo, nisi Ioanni Baptistæ & prophetis credere, quo dicto non certe hoc intelligitur, humana testimonia excellere diuina, & prophetas ac Ioannem maioris esse autoritatis Christo, ac in ipsorum potestate situm esse, uel hunc, uel alium Christum, pro ipsorum libidine hominibus adorandum proponere, sed intelligit Christum excellere quidem sua maiestate omnes homines, nec indigere, quantum in ipso est, ullo humano testimonio, homines autem intelligentia sua ita imbecilles esse, ut necesse habeant humana autoritate quasi manu duci ad cognoscendam diuinam maiestatem. Hęc, inquit Christus, dico, ut uos salui sitis. Non indiget Christus uel prophetarum uel Ioannis testimonio, sed homines indigent iis testimoniis, ut ex cognitis ad incognita, & ex iis, quæ ipsis manifesta sunt, ad ea quæ per se quidem sunt manifestissima, sed nobis hominibus obscura, perueniant. Sic etiam Euangelio, seu uerbo Dei creditur propter testimonium catholicæ Ecclesię, non quod diuina ueritas pendeat ab humano testimonio, sed quod maiores nostri tradiderint nobis in manus scripta Euangelica, & testificati sint se ea accepisse ab Apostolis & Euangelistis, ac re ipsa comperisse hæc ita & facta & dicta esse, quemadmodum ab Apostolis descripta sunt. Hoc autem non est humanam autoritatem anteferre diuinæ, nec est hominibus concedere ius mutandi uerbi diuini, sed tantum per homines duci ad cognoscendum diuinum uerbum, ut hoc omnibus humanis autoritatibus anteferatur. Sicut & Ioannes idcirco testimonium tulit de Christo, non ut ipse præferatur Christo, sed ut Christus omnibus pręferatur. Illum, inquit, oportet crescere, me autem minui. Quare, cum dicitur nos credere Christo & Euangelio eius propter Ioannem, & Ecclesiam, de Christo testificantes, sentiendum est, nos his testibus credere, non ut his omnia, quæ fortassis ex se fingere possent, sed ut soli Iesu Christo, de quo hi testificati sunt, credamus, & salutem nostram acceptam feramus. Deinde, nec hoc pręterendum est, quod Christus

Testimonij humani autoritas.

dicat, Iudęos uoluisse ad horam exultare in luce Ioannis Baptistę. Significat enim, hoc esse ingenium hominum in hoc seculo, ꝓ quo se fortuna, eodem etiam homines inclinant, Ioannes Baptista fuit magnitudine autoritatis suę non solum in uulgo, sed etiam apud principes illustris, Iudæi igitur decernunt eum Messiam, ac iubent eum hoc decretum agnoscere, ut & ipsi autoritate eius fiant illustres, ac cõsequantur per ipsum dominationem, quam iamdudum affectarunt, uidelicet, ut fierent domini totius orbis terræ. Sed Ioannes reiecit sententiam eorum, nec agnouit maiestatem Messię, sibi delatam. Sciebat em̃, primum hanc maiestatem non competere sibi, deinde Iudæos non habere potestatem deferre maiestatẽ Messię, cui ipsi uellent, sed ei competere, cui diuinitus esset data, postremo sciebat humanum fauorem non esse firmum, ac nunc quidem Iudæos fauere ipsi, dum res fœliciter succederet, ac sperarent se per ipsum magna commoda accepturos, postꝗ autem percepturi essent aliquam infœlicitatem, primos eos fore, qui ipsum essent persecuturi & trucidaturi. Quare nullis promissis, nullis minis perpelli potuit, ut sibi oblatum Messię honorẽ sumeret. Memorabile exemplum, quo docemur, ꝓ non debeamus ad seruiendum uel nostrę uel alienę cupiditati suscipere dignitatem aut honorem, qui nobis nõ competit, et illegitime nobis offertur, primum em̃, honor, qui illegitime & iniuste sumitur, sine deo, aut fauore dei sumitur. Vbi aũt non est fauor dei, quę potest ibi esse fœlicitas? quis prosper rerꝝ successus? Absolom sumpsit sibi honorem regium iniuste sed pepẽdit. Adonias aspirauit ad regiam maiestatem illegitime, sed trucidatus est. Et ut de nostris temporibus loquar, Duces rusticorum in seditione acceperũt sine legitima uocatione gladium, & honorem ducatus, sed occisi sunt. Rex anabaptistarum accepit honorem regium iniuste & illegitime, sed miserrime una cum sectatoribus suis perijt. Deinde, fieri solet, ut hi, qui deferunt alicui honorem illegitime, primi sint, qui deficiant ab eo, & persequantur ipsum, uidelicet, cum intelligunt se cõmodorum suorum spe destitutos. Ciues Sichem creauerunt Abimelech regem suum, quod non licebat eis, in Israel. Sed paulo post primi sunt, qui non solum inuehuntur in eum omni genere contumeliæ, uerumetiam suscipiunt aduersus eum graue bellum, in quo & ipsi & rex eorum fœdissime pereunt. Abner constituit mortuo Saule, filium eius Isboseth in regem Israelis, quod erat contra diuinam ordinatiõem, qua Dauid in regem designatus erat, sed cum Isboseth non seruiret affectui Abner, factus est Abner proditor eius. Itaꝗ euenit, ut & Isboseth & Abner trucidarentur, iniuste quidem, quantum attinet ad percussores, sed non iniuste, quantum attinet ad diuinum iuditium, coram quo Isboseth illegitime acceperat maiestatem regiam, quam ei Abner illegitime obtulerat. Idem accidit nõnul

Honorẽ alienũ suscipere.

Iudi. 9.

2 Reg. 2. 3. & 4.

lis imperatoribus Romanis, qui per seditionem, à militibus electi, ab ijsdem paulo post trucidati sunt. Nam hæc est hominum huius seculi natura, ꝓ eum, à quo sperant se magna benefitia consecuturos, in cœlo posuisse cupiant, sed quum spe sua frustrantur, deuoueant eum diris execrationibus, & conentur eum, si queant, in infernum deijcere. Quare fugiendus est honor illegitime oblatus, nec confidendum est humano fauore, ut iniuste agas, sed manendum in legitima uocatione Dei, ut accipias suo tempore cœlestem et perpetuum honorem. Sed de Ioanne, & testimonio eius hactenus, de quo & aliâs multa dicta sunt. Sequitur alterum testimonium, quod est miraculorum. At ego, inquit Christus, testimonium habeo maius testimonio Ioannis. Opera em̃, quę dedit mihi pater, ut perficiam ea, ipsa, inquam, opera, quę ego facio, testificantur de me, ꝓ pater miserit me. Non reijcio testimonium Ioannis, sanctissimi quidem, & clarissimi, hominis tamen, sed huic pręferendum est, quod pater ipse, qui me Messiam fecit, de me testificatur. Hoc aũt est patris testimonium, quod per mea opera declaratur. Quę ergo sunt illa opera, quibus longe plus q̃ Ioannis testimonio probatur Iesum esse uerum Messiam? Primũ sunt miracula illa, quę Iesus in sanandis ęgrotis, in mundandis leprosis, in excitandis mortuis ędidit. Sed talia etiam prophetę quidam ędiderunt. Quare addenda sunt alia, eaq̃ maiora. Ergo uidendum est deinde, quæ Iesus pręter hæc miracula fecerit. Resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlum, quæ certe nullus prophetarum fecit. Postremo misit discipulis suis spiritum sanctum, ac uulgauit mirabiliter Euangelion suum per totum orbem terrę, ministerio apostolorum, cõtra omnem huius mundi potentiam & tyrannidem, Hęc profecto manifesta sunt testimonia, ꝓ Iesus sit missus à patre, hoc est ꝓ sit uerus Messias, filius Dei, quem pater iuxta prophetarum oracula, in hunc mundum ad seruandos oẽs in ipsum credentes, misit. Habes secundum genus testimonij, q̃d Iesus allegat, ad testificandã doctrinę suę ueritatẽ, & ad cõprobandam diuinã suam maiestatem. Addit aũt Christus in cõtione sua. Et qui me misit pater, ipse testificatus est de me. Potest & hoc intelligi dictum esse de operibus seu miraculis, quæ Christus diuina potentia ædidit, ut sit prioris dicti asseueratio. Sed recte mihi interpretari uidentur hi, qui exponunt hoc de uoce patris in baptismo. Nam, cum Ioannes Iesum baptisaret, uenit spiritus sanctus in specie columbæ, ac sedit super Iesum, et audiebatur uox de cœlis dicẽs: Hic est filius meus dilectus, quo mihi bene complacitum est. Allegat igitur Iesus nũc hoc cœleste testimonium. Qui misit me, inquiens, pater, ipse testificatus est de me, manifesta uidelicet uoce in baptismo, ꝓ sim uerus Messias, filius dei. Hoc autem est tertium genus testimo

Miraculorũ testimonia.

nij, quod in hac contione recitatur. Sed priusquam Christus recenseat quartum testimonium, refutat obiecta, quæ Iudæi aliàs quidem claris uerbis, nunc autem cogitationibus suis commemorabāt. Dicebant enim. Quid hic toties obtundit nos, ut adhibeamus uerbis eius fidē? An sine ipso non poterimus esse salui? Quid? Qui prorsus ignorant eum, num omnes pereunt? Maiores nostri audiuerunt uocem Dei, cū in monte Sinai recitaret decalogum. Multi ex prophetis nostris, Esaias, Ezechiel, & alij uiderunt speciem quandam Dei. Et nos habemus adhuc uerbum Dei, quod patriarchis & prophetis diuinitus reuelatum est. An non hęc sufficiunt nobis ad salutem? Quid ergo nobis opus est nouo illo homine, nescio quo? Ad hæc respondet Iesus, & ait:

,, Nec uocem eius unq̃ audistis, nec speciem eius uidistis, & sermo-
,, nem eius non habetis in uobis manentem. Quia quem misit ille, hu-
,, ic uos non creditis. Non nego maiores uestros audiuisse uocem Dei in monte Sinaï. Etsi enim, quod ad essentiam Dei attinet, nullus hominum in terris unq̃ potuit uocem dei audire, tamen cum Deus promulgaret decalogum, assumpsit externam uocem, auditu quidem perceptibilem, humana autem uoce maiorem. Ecce, inquit populus Israel, ostendit nobis DOMINVS Deus noster maiestatem & magnitudinem suam. Vocē enim eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie, q̃ loquente deo cum homine, uixerit homo. Quare fateor, q̃ maiores uestri audiuerint uocem Dei in deserto, nego autē uos, uos inquam, posteros eorum audiuisse unq̃ uocem Dei, etiamsi una cum patribus uestris constitissetis ad radices montis Sinaï, & audiuissetis sonum uerborum Decalogi. Patres enim uestri, si qui fuerunt inter ipsos pij, sic audiuerunt Decalogum, nō ut contenti essent decalogo, & sentirent se operibus suis impleturos eum, sed ut uehementer trepidarent, peccata sua agnoscerent, damnationem suam uiderent, ac peterēt & summe contenderent, ut DñS alium, hoc est, me ipsum mitteret, quē audirent, & per quē salutem consequerentur. Sic emī Moses ait, Prophetā de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi DñS deus tuus, IPSVM audies, ut petisti à Dño deo tuo in monte Oreb, quando contio cōgregata est atq̃ dixisti, Vltra non audiam uocem Dñi Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non uidebo, ne moriar. Vos aūt quid facitis? primū, existimatis uos posse Decalogo satisfacere uestra iustitia, ac cœlestē hęreditatē mereri uestris operib. q̃d plane ex diametro pugnat cū uoce dei. Deinde nō creditis huic prophetę, quē tūc patres uestri petierūt, et quē deus nūc misit, nimirū meipsum, qui hęc uobis cōtionor. Quare, ut uos ipsi nunquàm audiuistis uocem Dei, nec intellexistis eam, ita nihil proderit uobis, quòd maiores uestri uocem Dei audiuerint. Deinde non nego, quin

Deuter. 5.

Deuter. 18.

go, quin Deus patefecerit sese patriarchis & prophetis uestris uarijs uisionibus & speciebus. Vidit Iacob scalam stantem super terram, cuius cacumen pertingebat ad cœlum, & DOMINVM Deum innixum scalæ. Vidit Esaias DOMINVM sedentem super solium excelsum & eleuatum. Vidit Daniel antiquum dierum, & filium hominis peruenientem ad eum, & accipientem omnem potestatem. Sed his uisionibus & speciebus reuelata est eis maiestas Messiæ, hoc est, mea ipsius, quem etiam ardentissimo studio expectarunt, & ut seruatorem suum adorarunt. Vos autem damnatis me, qui sum uera Dei species ac expressa imago substantiæ Dei, & qui per has uisiones sum adumbratus. Quare etiamsi prophetæ uestri uiderunt speciem Dei, uos tamen, ut nunquam eam uidistis, ita nec intelligitis sententiam earum uisionum, nec quicquam proderit uobis, quod prophetæ has uisiones habuerint, propterea quod mihi, harum uisionum ueritati non credatis. Postremo, scio quidem uerbum Dei & sacram scripturam in Synagogis uestris tractari, non autem hoc agitis, ut cognoscatis uerum Messiam, qui est principalis totius sacræ scripturæ status & scopus, sed ut affectibus uestris, impietati, auaritiæ, & ambitioni seruiatis. Legitis & explicatis scripturam, non ut ueram iustitiam consequamini, sed ut uentri ac honori uestro consulatis. Quare etiamsi noctu diuque in scriptura meditemini, tamen non habetis uere in uobis uerbum Dei, propterea quod mihi, qui sum ipsum Dei uerbum, non credatis. Obseruabilis contio, qua perspicue damnantur impietatis, quotquot de Deo, sed sine Christo filio Dei gloriantur. Ethnici contenti humana ratione, iactarunt se colere Deum, Iudæi qui hoc tempore sunt, iurant etiamnum se adorare unum & solum uerum Deum. Mahumetistæ hoc nomine sibi mire placent, quòd sciant recitare, unum tantum esse Deum. Sed pars ignorant Christum filium Dei, pars contemnunt eum, pars proscindunt etiam ipsum conuitijs, pars etsi aliquid ei tribuunt, non tamen tribuunt ei ueram suam maiestatem, ac putant se ad consequendam iustitiam & fœlicitatem cœlestem satis sua ipsorum prudentia, & suis legibus instructos. Quid ergo de his dicemus? Certe nihil aliud, quod hoc loco Iudæis dicitur. Nihil enim prodest his omnibus gloriatio de Deo, nihil inuocatio Dei, nihil humana prudentia, nihil leges etiam sapientissimæ, quia non credunt ei, quem misit Deus, Iesu Christo DOMINO nostro, qui cum sit uerbum Dei, & expressa imago substantiæ Dei, Solus is est, per quem Deus uere sese patefacit. Deum, inquit aliàs Euangelista, nemo uidit unquam. Filius unigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et iterum. Nemo nouit filium, nisi pater, neque patrem quisquam nouit, nisi filius, et cui uoluerit filius reuelare. Expergiscamur ergo, & cõplectamur fide Iesum Chri

Messias, uera dei species.

Deus nõ cognoscitur sine Christo.

ſtum, ut & per ipſum cognoſcamus Deum patrem noſtrum, quæ una & ſola cognitio, uera eſt & perpetua noſtra fœlicitas, quam largiatur nobis clementia & bonitas Dñi noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt una cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XLIX.

Vod fauſtum ſit, protinus rẽ ipſam, quam tractandam ſuſcepi, aggrediar. Supereſt enim explicandũ quartum teſtimonium, quod Ieſus ad probandam maieſtatem ſuam allegat, uidelicet, ſacra ſcriptura. Scrutamini, inquiens, ſcripturas, quia uos uidemini uobis in ipſis uitam æternam habere, & illę ſunt, quæ teſtificantur de me, nec uultis uenire ad me, ut uitam habeatis. Quod dicitur, Scrutamini, intelligitur à quibuſdam magni iuditij interpretibus, non imperandi, ſed indicandi modo, ut ſit ſenſus. Vos magna diligentia ſtudetis in ſacra ſcriptura. Putatis em̃ hoc opere uos conſecuturos uitam æternam. Quid ergo? Si hæc eſt ſententia uerborꝫ Chriſti, an non ſic dici uidentur, perinde ac ſi non eſſet ſcrutanda ſcriptura, & errarent Iudęi, ꝙ inquirerent in ſcriptura uitam ęternam? Minime oĩm. Chriſtus em̃ non reprehendit Iudæos, ꝙ ſcrutentur ſcripturas. Omnino em̃ ſacra ſcriptura cognoſcẽda eſt, quia eſt theſaurus Eccleſię dei, & continet cœleſtem doctrinã. Prętęrea nec id reprehẽdit Chriſtus, ꝙ Iudęi, quęrant uitã ęternam in ſcriptura. Nã in ſcriptura patefit nobis uia & ratio cõſequendę ęternę uitæ, quẽadmodum mox ſequtur. Sed hoc reprehendit, ꝙ Iudęi abutantur ſcriptura ad impietatem. Multum quidem opę ponunt in legendis, & honeſte tractandis libris ſacrę ſcripturæ. Inſtituerunt, ut ſingulis ſabbatis aliqd ex ſcriptura publice recitet. In Actis apoſtolicis dicit Iacobus, Moſes ab ętatibus antiqs in ſingulis ciuitatibus habet, qui ipſum prędicent in ſynagogis, ubi per oẽ ſabbatum legitur. Et Paulus. Voces prophetarꝫ, quę per omne ſabbatũ leguntur. Hęc conſuetudo legẽdę & tractandę ſcripturę in ſynagogis fuit cõmendatione digna. Poſteriores Iudęi ſuam quoqꝫ diligentiã hac in parte oſtentarũt. Numerauerunt enim in libris ueteris teſtamenti, non ſolum ſingulos uerſus, ſed etiam ſingulas dictiones & literas, ac perſcrutati ſunt quoties ſingulę alphabeti literæ in ſcriptura contineantur. Accedit & hęc reuerentia, ꝙ non patiantur ut in aceruo librorꝫ, alius liber ponatur ſupra librũ ſcripturę, nec impune ferũt, ſi cui ex incuria liber ſcripturę in terrã decidat, Hęc ſi habeant̃ ꝑ puerili ſtudio fortaſſis tolerabilia ſunt. Sed interim ꝑnitioſe errãt. Nõnulli em̃ putãt ſe hac diligẽtia ſatisfacere diuinę legi,

Sacræ ſcripturæ ſtudiũ.

Act. 15.

Act. 13.

næ legi, & pollicentur sibi uitam æternam propter hanc diligentiam, nec habent ullam aliam pietatem. Non inuocant Deum ex fide, non benefaciunt proximis, sed furantur, nugantur, scortantur, nihilq; honesti agũt, præterq; q̃ sacram scripturam externa quadam reuerentia colant, quales sunt & inter Christianos, qui cum nullum non sceleris genus designent, hanc tantum honestatis speciem sectantur, q̃ frequenter audiant publicas contiones, & ad nomen Iesu genua sua reuerenter flectant. Alij non quærunt nec inuestigant in scriptura principalem eius statum, ac uerum eius finem, sed tantum excerpunt ex ea quasdam honestas uirtutes, quas imitentur & faciant, & quarum meritis consequantur æternam uitam. Hi, etsi in hoc non errant, q̃ discant ex scriptura bonas uirtutes, quæ non sunt quidem obtrudendæ Deo pro merito æternæ uitæ, omnino autem faciendæ sunt, tamen si nihil aliud in scriptura uideant, certe non uident uerũ ac legitimum eius finem & usum. Quis est ergo præcipuus scripturæ usus? quis eius finis? De hac re docet Iesus Christus hoc loco perspicue. Et ait. Illæ sunt, quæ testificantur de me. Recitaui antea tria genera testimoniorum, primũ est, Ioãnes Baptista. Secundum, Miracula. Tertium. Vox patris de cœlo. Nunc addo et quartum, uidelicet, Sacram scripturam. Hæc enim est, quæ manifeste dicit testimonium de mea maiestate. Rectissime ac uerissime dictum. Tota enim scriptura hunc præcipue finem sibi constituit, ut doceat, explicet, commendet, ac illustret Iesum Christum, seruatorem nostrum. Primum enim, manifestum est, ac ne ipsi quidem Iudæi hoc negare uel possunt uel audent, quòd in uniuersa scriptura ueteris Testamenti Messias promittatur uenturus, & q̃ non solum patriarchæ expectarint ex diuina promissione Messiam uerum seruatorem, sed etiam Israel eductus sit ex Ægypto, & translatus in terram Canaan, ut esset regnum & politeia, in qua publice de Messia uenturo prædicaretur. Deinde manifestum quoq; est, si res gestas cum scriptura de Messia conferas, quòd nullus alius præter solum Iesum Nazarenum filium Mariæ, sit uerus ille Messias, qui patriarchis promissus, & per prophetas prædicatus fuit. Nam omnia, quæ scriptura de Messia tradit, in hunc solum, Iesum Nazarenum competunt. Scriptura definit familiam, ex qua Messias sit nasciturus, quæ est familia Abrahæ, Iudæ, & Dauidis. Definit tempus, quo sit nasciturus, uidelicet, eo tempore, quo ablatum fuerit sceptrum à Iuda, & septuaginta hebdomadis annorum, post secundum annum Darij Longimani. Definit mulieris, ex qua sit nasciturus, qualitatem, uidelicet, ex uirgine, non ex muliere à uiro corrupta. Definit & locum natiuitatis eius, uidelicet, urbem Bethlehem. Præterea, docet eum æditurum miracula, passurum mortem, resurrecturum

Sacræ scripturæ præcipuus finis.

Iesum Nazarenum, uerũ esse Messiam.

à morte, & uulgaturum uerbum ſuum in omnem terram, & in fines orbis terræ. Dicit & regnum eius fore in medio inimicorꝝ eius, hoc eſt, non fore mundanum, ſed ſpirituale & cœleſte regnum. Hæc aũt omnia competunt in ſolum Ieſum Nazarenum, qui natus eſt temporibus Octauiani Auguſti, & paſſus eſt, ac reſurrexit ſub Pontio Pilato pręſide Iudęę. Quod etſi negant Rabini Iudæorum, homines uaniſſimi, & prorſus cæcati, nihil tamen eo certius eſt, id quod res ipſa comprobat. Quare tota ſcriptura teſtimonium dicit, de hoc Ieſu Nazareno, ꝗ ſolus ipſe ſit uerus Meſſias, ſeruator noſter. Quid ergo factum eſt? Cum tot & tanta ſint teſtimonia maieſtatis Ieſu Chriſti, quibus nihil eſt firmius, nihil certius, nihil manifeſtius, num Iudęi uenerunt ad Ieſum, et agnouerunt eum pro uero Meſſia? Audi, quid Ieſus
,, ipſe dicat. Nec uultis uenire ad me, ut uitam habeatis. Quantam ergo putas fuiſſe cęcitatem, quantam impietatem Iudæorum, ꝗ ne tot quidem ac tantis teſtimonijs conuicti, crediderint in Ieſum? Nec id impune tulerunt. Nam cum abiecerint uitam, neceſſe habuerunt perpetua morte perire. Nõ uultis, inqt, ad me uenire, ut uitã habeatis. Ergo non uenire ad Ieſum Chriſtum, eſt nõ uenire ad uitã, hoc eſt, in morte perire. Venire autem ad Ieſum Chriſtum, eſt uenire ad uitam. Quo modo igitur uenimus ad Ieſum? Venimus fide, uidelicet, cum credimus Euangelio eius, ꝗ ipſe ſit uerus Meſſias ſeu Chriſtus, filius dei, ꝗ propter ipſum Deus nobis faueat, remittat nobis peccata, & adoptet nos in filios, ac hęredes cœleſtium ſuorum bonorum. Sed obſecro te, quid cauſſę eſt, ꝗ Iudæi tot ac tantis teſtimonijs de maieſtate Ieſu obruti, non uenerint ad Ieſum, nec agnouerint eum uerum Meſſiam? Duę hic recitantur cauſſæ. Altera eſt, quòd non dilexerint Deum ac gloriam eius, ſed magis dilexerint ſeipſos, & ſuam externam atqꝫ carnalem gloriam. Altera, quòd nõ crediderint Moſi, etiamſi de eo plu-
,, rimum gloriabantur. Priorem cauſſam recitat Chriſtus, cum ait. Glo-
,, riam ab hominibus non accipio, ſed cognoui uos quòd dilectionem
,, Dei non habeatis in uobis. Ego ueni nomine patris mei, nec recipitis
,, me, ſi alius uenerit nomine ſuo, illum recipietis. Quomodo uos pote-
,, ſtis credere, qui gloriam à uobis inuicem accipitis, & gloriam, quę à
,, ſolo deo proficiſcitur, non queritis? Quod Chriſtus dicit hanc habet ſententiam. Ego, etſi magna & mirifica de me prędico, tã hoc non facio ad captandã humanam gloriam. Non indigeo hominum laude, quippe quem etiam angeli adorant. Sed ueſtram ſalutem quæro. Ac audio quidem prolixam ueſtram iactationem, ꝗ Deum diligatis ex corde, & quòd ſolam gloriam eius queratis, ſed certo ſcio hanc iactationem eſſe uaniſſimam. Nõ enim diligitis Deum uere et ex animo, ſed diligitis uos ipſos, non eſtis φιλόθεοι, ſed φίλαυτοι. Nec queritis ex corde glo-

Venire ad Ieſum quid ſit.

corde gloriam nominis Dei, ſed quęritis tantum gloriam nominis ue ſtri. Hoc unum agitis, huc ſolum ſpectatis, ut inter homines glorioſi ſitis, & ab hominibus honore afficiamini, ideoq; non eſt mirę, q̃ nul lam fidem adhibeatis meo Euangelio. Cum enim meum Euangelion uideatur aliquid detrahere de honore, de exiſtimatiõe, et de gloria no minis ueſtri, odio illud peius cane & angue habetis. Sed ne uidear uos audatius q̃ uerius accuſare contẽptus Dei, & ambitionis, agite demõ ſtrabo manifeſtius uos nec Deum diligere, nec gloriam eius quęrere, ſed potius Deum odio habere & tantum ueſtram gloriam quęrere. E go em̃ ueni nomine patris mei, nec recipitis me. Veni in hanc terram, non temere, ſed ante à Deo promiſſus, ac nũc etiam ab ipſo miſſus. Et hanc miſſionem ſeu legationem, autore deo patre factam eſſe, publice ac perſpicue probo, cuius rei teſtimonia iam primum recitaui. Præte rea, quę in hac mea legatione, quam uoluntate Dei patris ſuſcepi, facio & doceo, illuſtrant gloriam nominis dei. Sano infirmos, reddo cæcis uiſum, mundo leproſos, & facio id genus alia miracula, quæ certe pa lam demonſtrant diuinam potentiam, & ſunt benefitia ac opera homi nibus utilia, ſicut & Deus præcepit, ut homo homini benefaciat. Do ceo autem deum remittere propter me Meſſiam peccata omnibus ijs, qui me recipiunt fide ſua, & agnoſcere eos hęredes cœleſtium bono norum, ut ſeruentur in morte ad perpetuam fœlicitatem. Hęc certe do ctrina eſt gloria Dei, primum quidem gloria ueritatis Dei, q̃ ſeruet pactum ſuum, & miſerit Meſſiam, quem ante promiſerat, deinde eſt gloria miſericordię dei, q̃ gratis remittat peccata, propter filiũ ſuum. Eſt & gloria potentię dei, q̃ eripiat potentia ſua ex morte eos, qui ui dentur coram mundo perire. Quare, ſi diligeretis deum, & gloriã no minis eius, profecto fieri non poſſet, quin me reciperetis. Nunc autẽ, quia perſequimini me, verę filium dei, et uoluntate dei in terram miſ ſum, manifeſtum argumentũ eſt, q̃ magis ſitis oſores q̃ amatores dei. Sed q̃ plus affectetis gloriam nominis ueſtri, q̃ gloriã Dei, ex eo per ſpicuum fiet, quia ſi alius uenerit ſuo nomine, illum recipietis. Si alius quiſpiam, nulla certa uocatione dei, nullo mandato Dei, ſed ſuo tãtum ipſius arbitrio, & cupiditate glorię ſui nominis excitatus ad uos uene rit, & pollicitus fuerit uobis externam dominationem, & egregiam in ter homines laudem, hunc, ſi uobis uel minimam ſpem oſtenderit, ob uijs, quod aiunt, ulnis excipietis, hunc amplectemini, huius dictis & mandatis, ſed maximo ueſtro exitio, parebitis. Videamus ergo, quo modo ea quæ Chriſtus hic prędixit, reipſa euenerint. Ac initio, cum poſt reſurrectionem Chriſti, & aſcenſum eius in cœlum, Iudęi perge rent Ieſum Chriſtũ in diſcipulis ſuis perſequi, uenit in Iudęam Ægyp tius quidam pſeudopropheta, promittens Iudæis ſi ſe ſequerentur, ad

montem Oliueti, muros ciuitatis Hierusalem mirabiliter casuros, ut libere possint ingredi, ac oppresso Romanorꝫ presidio, urbem capere, et dñationem non solum in Iudęa, sed etiam in omnibus gentibus consequi. Hic uenit suo noĩe. Non enim missus erat à deo, sed impulsus erat sua ipsius cupiditate. Cum igit magna pars Iudęorum sperarent se hoc autore consecuturos libertatem, dñationem, & gloriam, coniunxerunt se cum ipso obedientissime, Sed pro gloria & libertate reportarunt nõ solum ignominiam, uerumetiam captiuitates, & mortes. Deinde exoriebantur in Iudęa multi autores seditionum, quorꝫ ut quiscꝫ poterat se maiori eloquentia, & uerisimiliori specie pro Messia, hoc est, populi seruatore & liberatore, iactare, eo plures sibi conciliabat. Venerunt & hi suo ipsorꝫ noĩe. Non eim̃ erant à deo missi, nec poterant uocationem suã certis ac firmis testimonijs probare, sed excitati erant à Satana, & à sua ipsorꝫ libidine. Et tñ Iudęi illecti spe consequendæ dominatiõis & glorię, recipiebant eos, ac agnoscebãt ipsos seruatores suos. Quid ergo factum est? Non desinebant quosuis pro suo arbitrio Messias seu defensores & liberatores recipere, donec à Romanis horribiliter opprimerentur, & urbs Hierusalem deuastaretur. Et tñ ne sic quidem quiescebant. Nam quo tempore Adrianus administrauit Romanã Monarchiam, Iudęus quidam, Cochab nomine, quod stellam significat, gloriabatur se uelut sydus è cœlo demissum, ut miseros Iudęos qui multis iã annis in tenebris oĩm calamitatum quasi sepulti iacuissent, excitaret ac illustraret, quo non solum reciperent pristinam gentis suę gloriam, uerumetiam extenderent famam noĩs sui uscꝫ ad fines orbis terrę. Etsi aũt hic Iudęus non potuit ulla diuina autoritate uocatiõem suam probare, ac manifeste ueniebat suo ipsius nomine, uidelicet, ut sibi dominationem & gloriam inter hoĩes compararet, tamen reliqui Iudęi agnoscebant eum Messiam suum, & coniungebant se cum ipso maxima multitudine. Sed hi paulopost cum suo Cochab, hoc est, sydere, ita extincti & deleti sunt, ut deinceps nullum prorsus fœlicitatis splendorem consequi potuerint. Adijciam his & illud, quod Ecclesiasticę historiæ tradunt Iudęis in Creta insula, eo tempore, quo Valentinianus Romanarum rerum pociebatur, contigisse. Iudęus quispiam, aut potius Satan, Iudęi habitu sese uenditans, uenit in Cretam insulam ad Iudæos, qui ibi tum habitabant, ac finxit se esse Mosen, promittens se educturum ipsos ex insula ad suam terrã Canaan, ut ibi fœlicitatem eis olim per prophetas promissam consequerentur. Hic manifeste uenit suo, imo Satanico nomine. Nulla enim potuit argumenta diuinę uocationis demonstrare. Iudæi tamen Cretenses tam cæci fuerunt, ut non solum reciperẽt eum pro suo Messia, uerumetiam præcipitarent se, mandato eius, inuolutos, de excelsis rupibus. Persuasi enim erant se de rupibus illæsos ad mare

Iosepb. lib. 2. cap. 12. de bello Iudaico.

Euseb in Ecclesiast. histo. lib. 4. cap. 6.

Iudæi Cretenses.

mare peruenturos, & per mare in terram suam saluos ingressuros, sed statim patuit impostura. Qui enim sese deiecerant, hi partim saxis hærebant dilacerati, partim in mari natabant suffocati. Non minus horribile est, quod Iudæis, qui sunt hoc tẽpore, contingit, diuersa quidẽ ratione, non minori tamen ipsorum internitione. Non recipiunt Euangelion Iesu Christi, ueri seruatoris. Necesse igitur habent recipere & agnoscere suos Rabbinos, scelestissimos homines, qui uulgũ Iudęorũ ita captum tenẽt, ut persuasi sint oĩa Rabbinorũ suorũ somnia, quãuis manifestissima & impudentissima mendatia, diuina esse oracula, q̃ cũ sectant̃, quid aliud reliquum est, q̃ꝝ ꝙ coniũciant sese in pręsentẽ ac sempiternum interitũ? Quod Iudęis, idem etiam Christianis cõtigit. Postq̃ enim Christiani posthabuerunt Euangelion, quod Apostoli nomine Christi prędicauerunt, circumferebantur quouis uento doctrinę, & suscipiebant Canones Pontificum, commenta eremitarum, regulas monachorum, & quæuis somnia sacrificulorum, quæ hi prętextu quidem nominis Christi, sed reuera suo ipsorum nomine, Ecclesiæ Christi obtrudebant. Hoc est iustissimum supplitium, ut qui noluerit suscipere doctrinam ueritatis, necesse habeat suscipere mendatium. Sic enim dicit DOMINVS per Ezechielem: Si homo alienatus fuerit à me & posuerit idola sua in corde suo, & scandalum iniquitatis suę posuerit contra faciem suã, & uenerit ad prophetam, ut interroget per eum me, ego DOMINVS respondebo ei per me, & ponam faciem meam super hominem illum, & faciam eum in exemplum, & in prouerbium, & disperdam eum de medio populi mei. Ac mox. Iuxta iniquitatem interrogantis, sic erit iniquitas prophetę. Et Paulus, Pro eo, inquit, ꝙ ueritatem summo amore dignam non receperunt in hoc ut salui fierent, mittet illis deus efficatiam illusionis, ut credant mendatio. Quare cum hoc tempore ueritas Euangelij Christi patefacta est iterum benefitio Dei in Ecclesia, nihil nobis prius sit, q̃ꝝ ut eam obediẽter suscipiamus, ne si abiũciamus ueritatem, abiũciamur & nos ipsi in extremas mendatiorum tenebras. Sed hic paulo diligentius considerandum est, quam caussam recitet Christus, cur Iudæi non receperint ipsum nomine patris uenientem, & tamen alios receperint. Cognoui, inquit, ꝙ non habeatis dilectionem Dei in uobis. Et mox. Gloriam à uobis inuicem accipitis. Hæc nimirum caussa est, propter quam homines tam frigide afficiuntur erga Euangelion Christi, nec adhibent ei fidem, quam debent, uidelicet, ꝙ non diligant Deum, nec quærant gloriam Dei, sed diligunt tantum seipsos, & quærunt suam gloriam, & sua externa commoda. Solus enim DOMINVS deus noster est summum bonum, & perpetua fœlicitas. Quem qui habet, omnia habet. Qui non habet, nihil nisi ignes inferni habet. Homo autem amisit Deum propter pec-

Deus solus, summum & perfectum bonum.

catum. Et tamen affectat bonum, & quærit fœlicitatem, ideoq; cum ca
reat Deo, uero bono, & uera fœlicitate, in hoc studium incumbit, ut
quoq̃modo possit, fœlicitatẽ ex alijs rebus cõsequatur. Itaq; alius que
rit opes, alius uoluptates corporis, alius gloriam & nobilitatem, alius
magnitudinem potentiæ, alius alia, quibus quisq; sperat se amissam
fœlicitatem recuperaturum. Sed longe falluntur opinione. Nihil em̃,
præter Deum, potest humanam mentem explere. Nam, quemadmo-
dum, si decoctor quispiã dissipasset amplissimum patrimonium scor-
tis, alea & conuiuijs, postea autem inopia rerum pressus, colligeret pa
leas, quisquilias, aut etiam obolos, ac speraret se his minutijs amissum
patrimonium recuperaturum, nunquid faceret operepretium? Egesta
tem fortassis sustentaret, sed si ex his magnas diuitias speraret, omni-
bus effetridiculus, ac etiamnum insanire iudicaretur, ita homo, amisso
propter peccatum Deo, amisit cœlestem hæreditatem, ac ueram fœli-
citatem. Nunc ergo circuit, alius quidem ad opes terrenas, alius ad ho
nores ciuiles, alius ad uoluptates corporis, alius ad potentiam huius se
culi, ut his rebus iterum colligant eam, quam ante amiserunt hæredi-
tatem. Hæc est mera mendicitas. Terrena enim illa, oboli sunt, paleæ
sunt, & quisquiliæ, non ipsa uera & cœlestis hæreditas aut fœlicitas.
Quid ergo faciendum est, ut cœlestem illam ac ueram & perfectam
fœlicitatem consequamur? Homo non diligat seipsum carnali modo,
non quærat carnalẽ suam gloriã, sed diligat DEVM, quærat gloriam
DEI. Sic enim fiet, ut & excitetur ad recipiendum Euangelion filij
Dei, quo recepto, recipitur etiam uera & summa fœlicitas. Nam qui
contempto Deo, immersi sunt cupiditatibus rerum huius seculi, nul-
lam habent rationem ueræ religionis, sed eam sectantur, quam uident
populares suos sectari, & quam probat magistratus, adeoq; quam pu-
tant esse tutam inter homines, quibus cum uitam agunt. Viuunt inter
Christianos. Videntur igitur & ipsi religionem Christianam sectari.
Si agerent uitam inter Turcas aut Iudæos, sectarentur & illorum reli
giõem. Qui eiuscemodi sunt, quomodo obsecro, reciperent serio Euã
gelion Christi? De his Christus etiam aliàs contionatus est, Semen,
inquiens, quod in spinas cecidit, hi sunt, qui audiunt, & a sollicitudi-
nibus, & diuitijs ac uoluptatibus uitæ euntes suffocantur, nec referunt
fructum. Et iterum. Cum inuitati uocarentur ad nuptias, alius dicit,
Villam emi, alius, iuga boum emi, alius uxorem duxi, & ideo non
possum uenire. Sed quid uicissim audiũt? Nemo uirorũ illorũ qui uo-
cati sunt, gustabit cœnã meam. Abijciamus igitur dilectionem nostri,
& cupiditatem rerum terrenarum, recipiamus autem dilectionem dei,
& cupiditatẽ cœlestis hæreditatis, ut & Euangelion filij dei, quod est
potentia ad salutem omni credenti, per fidem agnoscamus, & obedi-
enter secte-

enter sectemur. Sed audiamus nunc alteram caussam, propter quam Iudæi non crediderunt Euangelio Iesu. Nolite, inquit, putare, ꝓ ego accusaturus sim uos apud patrem. Est qui accusat uos Moses, in quo speratis. Si enim credidissetis Mosi, credidissetis utiq; mihi. De me enim ille scripsit. Si autem illius scriptis non creditis, quomodo uerbis meis credetis? Sicut uos Iudęi iactatis, uos diligere Deum, sed iactantia uestra uanissima est. Si enim Deum diligeretis, certe diligeretis etiam me, ac meum Euangelion, ita iactatis uos esse discipulos Mosi, & credere scriptis Mosi. Sed & hæc iactantia uanissima est. Si enim crederetis scripto Mosi, crederetis & meo uerbo, quia Moses de me scripsit. Cum autem nullam adhibeatis fidē scriptis Mosi, quomodo meis uerbis adhiberetis fidē? Quid ergo? num Moses antecellit autoritate sua Iesum Christum, quod Christus de Mose, quasi de maiori dicat, si huic non creditis, multo minus mihi? Non profecto antecellit Moses Iesum Christum, sed Christus loquitur hæc pro Iudæorum opinione. Nam Iudæis notior & gratior erat Moses, q̄ Iesus, ac plura Mosi q̄ Iesu tribuebant, quanquam reuera Iesus multo maior est Mose. Recte ergo dicit, Si Mosi uobis notiori, & maioris apud uos autoritatis nullā fidem adhibetis, quomodo mihi ignotiori uobis, et minoris apud uos autoritatis, crederetis? Sed uidendum hoc loco est, ubinam Moses de Iesu Christo scripserit. De me enim (inquit) scripsit. Ac manifestum quidem est, quod Moses scripserit de Messia, sed ubi quęso scripsit de Iesu? Diximus supra, & indicauimus, ꝓ omnia ea, quæ de Messia in prophetis extant, competāt in Iesum Nazarenum, filium Mariæ. Quare ubicunq; Moses scripsit de Messia, ibi etiam scripsit de Iesu illo nostro, qui est uerus Messias filius Dei. Ac primum, Moses scripsit de Iesu Christo, cum recitauit, semen mulieris contriturum caput serpentis. Deinde scripsit de eo, cum commemorat semen Abrahæ allaturum benedictionem omnibus gentibus, ac uenturum Silo, qui sit gentium expectatio seu iustificatio. Scripsit etiam de eo, cum instituit uaria genera sacrifitiorum, quæ fuerunt contiones de Iesu Christo. Maxime autem omnium scripsit de eo, cum ait, Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi DOMINVS Deus tuus, Ipsum audies. Hic propheta nō est alius, q̄ Iesus Christus. Ergo ne, inquis, Moses proponit nobis Iesum Christum ut legislatorem? Dicit enim. Prophetam suscitabit sicut ME? Moses autem fuit legislator. Dicemus igitur & Christum esse legislatorem? Minime omnium. Moses enim docuit perfectam legem, ideoq; nō fuit opus alio legislatore, sed opus potius fuit redempore ab onere & grauitate legis. Sunt igitur in quibus Moses & Christus cōueniunt, sunt et in quibus non conueniunt. Nam

Moses ubi de Iesu Christo scripserit.

Mosi et Christi collatio.

quemadmodum Moses fuit mediator, doctor, & ductor, ita & Christus est mediator doctor & ductor populi dei. Et hactenus quidē cōueniunt inter se, ideoq; dicit Moses, Prophetā suscitabit, sicut ME. In personis autē, & rebus, quas administrarunt, maxime inter se distant. Moses enim persona sua seruus tantum fuit, Christus autem Dominus est. Moses homo tantum fuit, Christus autem filius Dei est, ac Deus ipse. Deinde Moses mediator fuit inter Deum ac populum in ferenda & explicanda lege, hoc est, in reuelando peccato, in patefacienda ira dei, in ostendenda perpetua damnatione propter peccatum. Christus autem mediator est inter Deum ac populum in remittendo peccato, in reconciliando Deo, in liberando à damnatione, & conferendo regno cœlesti. Moses fuit doctor legis, Christus autem doctor Euangelij. Moses fuit ductor populi ex Ægypto ad terram Canaan, Christus autem est ductor populi sui ex hoc mundo, in cœlestem patriam, ex horroribus inferni, ad gaudia cœli, denicq; ex morte ad ueram & perpetuā uitam. Cum igitur Moses intelligeret non solum suo spiritu, sed etiam acclamatione populi Israelitici, ministerium suum esse plenum iræ & damnationis, non uoluit apud se detinere auditores suos, sed amandauit eos à se ad prophetam illum post se uenturum, Ipsum, inquiens, audies, quasi diceret, Ego mea prędicatione ostendo tantum tibi peccata, reuelo tibi iram Dei, & aperio tibi ianuas inferni, quod etsi, ut habent sese res hominum, necessarium est, tamen est iniucundum, & nisi aliter saluti hominum consulatur, exiciosum. Sed si uolueris ueram salutem consequi, audiendus tibi est alius propheta, qui cum ante me fuerit, secuturus est me. Hic est Christus, qui pctā quæ ego ostendo, expiat, ac credentes in ipsum iustificat, qui iram Dei, quam ego patefacio, placat, qui ignes inferni, quos ego accendo, extinguit, & ianuas cœli aperit, ut quotquot in ipsum credunt, cœlestia & perpetua gaudia consequantur. Habes, quomodo Moses de Iesu Christo scripserit. Habes & explicationem eius contionis, quam Christus occasione Iudaïcæ persecutionis ob æditum in Sabbato miraculum, habuit. Reliquū nunc est, ut hanc memorabilem & cœlestem contionem magna diligentia conseruemus, ut ex ipsa cognoscamus maiestatem DOMINI nostri Iesu Christi, & omnem salutis nostrę spem in ipso collocemus, qui est unà cū patre & spiritu sancto Deus benedictus in sęcula, Amen.

CAPVT

CAPVT SEXTVM

HOMILIA L.

IN SVPERIORI CAPITE Euangelista commemorauit principio, illustre miraculum, quod Iesus Christus in paralytico triginta & octo annorum ædidit. Deinde recensuit excellentem contionem, quam Christus de maiestate sua, post æditum miraculum habuit. Eundem plane ordinem seruat Euangelista etiam in hoc sexto capite. Initio enim narrat memorabile illud miraculum, quod Iesus pascendis tot milibus hominum in deserto ædidit. Postea addit egregiam contionem, quam Christus de uera in ipsum fide habuit. Ac profecto apta hæc est, & congruens narratio. Nam Iesus Christus non uoluit doctrinam suam auditoribus nudam proponere, sed munitam uariis miraculis, ut his tanquam cœlestibus testimoniis ueritas & autoritas eius tam patefieret, quàm confirmaretur. Ostendimus & antea, q̃ Christus aliquoties usus sit miraculis suis pro tintinabulis, quæ Campanas uocant, quibus conuocaret auditores ad contionem, & excitaret in eis attentionem. Audiamus igitur & nos primum omnium, sonitum Campanæ eius, hoc est, historiam miraculi in deserto æditi, ut non tam ad hanc, quæ postea sequitur, contionem, quàm ad uniuersam Christi doctrinam fide percipiendam, attentiores fiamus. Post hæc, inquit, abijt Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis, & sequebatur eum turba multa, quia uidebant eius signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur. Non est sentiendum, quòd Iesus statim post contionem, quæ in superiori capite descripta est, secesserit trans mare Tiberiadis, sed quemadmodum alij Euangelistę testantur, secessit cum Apostolis in desertum locum, postquam ante emisisset eos ad prædicandum Euangelion, & dedisset eis potestatem eijciendi dæmones, ac sanãdi morbos, & illi reuersi essent, ac cõmemorassent, quę cunq̃ fecerant, & docuerant. Tunc igit̃ Iesus assumptis his secessit seorsum trans mare Tiberiadis in Galilęa, ad locũ desertũ ciuitatis, q̃ dicta est Bethsaïda, & requiescite (inqt) paululum. Erant em̃, qui uenirẽt & abirent multi, ac ne cibum quidem capere uacabat. Quare secessit cum

apostolis à turba, ut recreati alacriores ad suam functionem redirent. Quid enim in hac humana imbecillitate, quam etiam Iesus ipse in se susceperat, durabile est, quod alterna requie caret? Sed ne sic quidem potuit eis otium contingere. Cum enim populus sensisset Iesum cum Apostolis suscipere profectionem ad desertum, tanto desiderio eius et uidendi & audiendi tenebantur, ut alij quidem præuenirent eum, in desertum, alij sequerentur. Itaq; factum est, ut magna hominum multitudo in desertum illud, ad quod Iesus, quietis gratia secesserat, conuenerit. Quid ergo de hac turba dicemus? Excitati quidem sunt magnitudine miraculorũ, ut Iesum sequerent, sed quo, obsecro, cõsilio secuti sunt eum? Non enim idem fuisse omnium consilium, res ipsa demonstrat. Nam alij secuti sunt eum ex curiositate, ut uiderent insolita miracula. Alij ex ignauia & socordia, ut ociosi cum ipso fœliciter in hac terra uiuerent. Iudicabant enim eum esse Messiam, non quidem talem, qualem spiritus sanctus docuerat, sed qualem ipsi sibi fingebant, nempe terrenum Monarcham, qui affectis suis oẽm terrenam fœlicitatem tribueret. Alij secuti sunt eum, ut captarent ex sermone eius, quod nunciarent sacrificulis & pharisæis, atq; ex hoc offitio beneuolentiam eorum consequerentur. Paucissimi secuti sunt Iesum, ut reportarent ex ipso ueram iustitiam & cœlestem salutem. Sic homines uulgo sunt affecti. Maxima pars non nisi terrenas opes, & carnalem tranquillitatem quærunt. Putant se sua ipsorum opera facile posse consequi cœlestem iustitiam & salutem, si modo consequerentur terrestrem fœlicitatem. Det uitam inquiunt, det opes, animum mihi æquum ipse parabo. Sed hæc est corruptissima & deprauatissima opinio. Ea enim iustitia, quę in iuditio Dei constat, non potest parari humanis uiribus, nec inuenitur in opibus, in otio, aut uoluptate huius seculi, sed inuenitur tantum in Iesu Christo, & paratur per fidem, quæ Iesu Christo, & Euangelio eius adhibetur, non quidem, ut consequaris ex eo terrenam fœlicitatem, sed remissionem peccatorum, & cœlestem salutem. Deus enim pater nõ proposuit huic mundo filium suum ad hunc usum, ut auaro det sacculos plenos auri & argenti, aut uoluptario uaria genera carnalium delitiarum, aut ambitioso magistratus & honores, aut ignauo otia & conuiuia, hoc est, non proposuit eum nobis, ut sit carnalis & terrenus, sed ut sit spiritualis & cœlestis Messias, qui largiatur peccatoribus remissionem peccatorum & iustitiam, ac perpetuæ damnationi obnoxijs, credentibus tñ in ipsum, regnum & gaudiũ cœleste. Quare nõ est abutendũ Christo ad cupiditates carnis, sed utendũ est eo ad cõsequenda uera ac perpetua bona. Hęc cũ ita se habeãt, audiamus nũc de miracu-

Discipuli Christi uarie affecti.

lo. Subijt aũt Iesus in montem, et ibi sedebat cum discipulis suis. Instabat au-

bat autem pascha dies festus Iudęorum. Cum sustulisset ergo oculos Iesus, & uidisset, q̃ multa turba ueniret ad se, dicit ad Philippum. Vnde ememus panes, ut edant isti? Hoc autem dicebat tentans eum. Ipse enim sciebat, quid esset facturus. Respondit ei Philippus. Ducentorum denariorum, (qui ualent pene triginta aureis Rhenanis) panes non sufficiunt eis, ut unusquisq̃ pusillum quippiam accipiat. Dicit ei unus ex discipulis ipsius, Andreas frater Simonis Petri. Est puer unus hic, qui habet quinq̃ panes ordeaceos, & duos pisces, sed hęc quid sunt inter tam multos? Dixit autem Iesus. Facite ut homines discumbant. Erat autem gramen multum in eo loco. Discubuerunt ergo uiri numero ferme quinquies mille. Miraculum, quo Iesus pauit in deserto quinq̃ panibus, ac duobus piscibus, pluscq̃ quinquies mille homines, & quod Euangelista describēdum suscepit, magnum est, ac memorabile, & tanti etiam hominibus ipsis uisum, ut eo excitati uoluerint Iesum miraculi autorem, regem creare. Quare descriptio eius diligenter obseruanda et executienda est, ut ueritas ipsius nobis certissima reddatur. Ac primum, de scriptore ipso, Ioanne Apostolo & Euangelista, non est dubium, quin sit testis fide dignissimus. Et ad testimonium eius accedūt alij tres Euāgelistę, Mattheus, Marcus & Lucas, qui & ipsi singuli hoc miraculum de quinq̃ panibus & duobus piscibus descripserūt. In ore duum aut trium stat omne testimonium. Descripserunt autem hoc miraculum non inter se confingentes & conferentes, sed diuersis locis ac temporibus, & pręsertim ijs temporibus, quibus adhuc multi superstites erant, qui potuissent hos, si ista finxissent, mendatij conuincere. Deinde Ioannes cōmemorat magna diligentia omnes huius miraculi circumstantias. Indicat locum, uidelicet, desertum trans mare Tiberiadis in Galilæa. Indicat & tempus anni, Prope, inqens, erat Pascha, festum Iudęorum. Alij adnotarunt etiam diei tempus. Dies, inquiunt, ceperat iam declinare. Sed & testes huius tanti miraculi indicantur. Hic enim pręsentes affuerunt Apostoli, inter quos Christus cum duobus nominatim, uidelicet cum Philippo et Andræa de hac re disputauit. Affuerunt etiam pene quinq̃ milia uirorum ut interim non numerentur mulieres & pueri, qui certe omnes, si opus fuisset, potuissent publicum de hoc miraculo testimonium ferre. Ioannes commemorat quoque, quid eo loci terra protulerit, Erat, inquiens, gramen multum in eo loco. Has omnes circumstantias Euangelista tam diligenter recenset, ut perspicue significet, se narrationem huius miraculi haudquaq̃ confinxisse, sed rem certissime gestam literis mandare. Præterea describit etiam modum, quo Christus suscipit hoc miraculum ædendum. Potuisset enim Christus hos omnes qui ipsum ad desertū secuti

ſunt, inuiſibili potentia ſine externo cibo cõſeruare, ne fame perirent, quemadmodũ quondam conſeruati ſunt Moſes & Elias, ac ipſe quoq; in deſerto quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Potuiſſet etiam inuiſibili potentia unicuiq; panẽ ex improuiſo in gremium ſuum deponere, ſed uide quid faciat. Nouit quidem magnam eſſe hominum multitudinem, nouit quibus rebus homines famelici opus habeant, cogitauit etiam, quomodo eos paſturus ſit. Hoc dicebat, inquit Euangeliſta, tentans eum. Ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus, non proponit autem continuo famelicis cibum, ſed diſſimulat omnia ac ita ſe gerit, perinde ac ſi nullam prorſus curam huius rei ſuſcepiſſet. Itaq; cum ueſpera appeteret, & Chriſtus longe alia cogitare uideretur, ecce tibi ſolliciti diſcipuli inſtant & urgent, ut dimittat turbas ad finitimos uicos, quo emant ſibi cibum. Attamen Chriſtus ne ſic quidem ſignificat aliquam ſe curam de paſcendis famelicis adhibere, ſed pergit quaſi contemnere. Date illis uos, inquiens, quod edant. Ex hoc igitur reſponſo diſcipuli nacti opportunitatem explicandæ ſuæ prudentiæ, & exponendæ ſuæ penuriæ. Quid, inquiunt, nos ne tantam turbam paſceremus? Viginti aut triginta aurei numi uix nobis ſufficerent, ut panes emeremus. Quis autem nobis tantam pecuniæ ſummam numeraret? ac etiamſi tãta ſumma repoſita eſſet in noſtro erario, quid? iubes ne eam ad aliorum uſum inſumere, ut nos poſtea egeamus? Hic Chriſtus quaſi & ipſe dubitaret, ac indigeret alieno conſilio, Philippum ſingulariter compellat. Vnde ememus, inquiens, panes, ut edant iſti? quid tu cenſes faciendum? Philippus autem adſcribit ſe ſententiæ collegarum ſuorum. Idem plane, inquiens, cenſeo, quod iſti mei collegę. Nam etiamſi emamus panes triginta aureis numis, non tñ ſufficient, ut unuſquiſq; puſillum quiſpiam accipiat. Quot ergo, inquit Chriſtus, panes, uos habetis? Et audit ex Andræa, puerum adeſſe inter ipſos, qui habeat quinq; panes ordeaceos, & duos piſces. Sed nec hac quidem ratione uidetur rebus cõſultum. Quid enim hæc ſunt, inter tam multos? Animaduerte, obſecro, quam conſtanter Chriſtus propoſitum animi ſui diſſimulet, & quam longis ambagibus utatur, priuſq; famelicos paſcat. Quid ergo dicemus? num Chriſtus tam longas deliberationes cum diſcipulis ſuſcepit, cp aut neſcierit, quid deſit turbę, aut non uoluerit, aut non potuerit fami mederi? nihil certe minus, ſed uoluit manifeſtam & cognitam eſſe panis penuriam, ut magnitudo miraculi, quod ęditurus erat, probe agnoſceretur, & altius memoriæ infigeretur. Cum enim Apoſtoli futuri eſſent doctores Euangelij Chriſti, & teſtes factorum eius, in toto orbe terrarum, neceſſarium erat, ut miracula Chriſti penitus cognita perſpecta & explorata haberent. Eſt & aliud hic obſeruandum. Nam Chriſtus filius Dei docet nos hac

ſua diſſi-

ſua diſſimulatione et extractione ædendi miraculi, quo conſilio Deus ſoleat nonnũq̃, quamuis diu multis precibus imploratus et fatigatus, auxilium & liberationem in longinquum tempus differre. Deum, inquit Euangeliſta, nemo uidit unq̃, filius unigenitus qui eſt in ſinu patris ipſe enarrauit. Et iterum. Nemo nouit patrem, niſi filius. Quare in filio dei, qui eſt Ieſus Chriſtus, cognoſcenda eſt uoluntas dei, et perſpiciendum eſt conſilium eius. Videmus autẽ hoc loco filiũ dei in paſcendis famelicis cunctari, & ita ſeſe gerere, perinde ac ſi non uellet, aut non poſſet eos paſcere, et tamen opportuno ſuo tempore paſcit eos mirando modo. Sunt ergo ijdem plane mores Dei patris noſtri cœleſtis. Is enim ſolet ad piorum preces ſurdus pene uideri, ac nullam proprius curam de ſeruandis ipſis adhibere. Quo conſilio id facit? num q̃ piorum preces non exaudierit, aut ſeruare non uelit? Abſit? Quęcũq̃, inquit, petieritis in deprecatione credentes, accipietis. Et iterum. Erit anteqũ clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus, audiã. Ac rurſus. Inuoca me in die tribulationis, et eruam te et honorificabis me. Deus igitur ex fide inuocatus non cunctatur in conferendo auxilio, q̃ nolit ſeruare, ſed cunctatur primum, ut dilatione excitet in afflicto maiorem ardorem inuocandi ſe, hoc eſt, præſtandi ueri diuini cultus. Quo enim ardentius Deum inuocas, eo maiorem præſtas Deo cultum. Sumus autem in hunc uſum poſiti, ut colamus DOMINVM Deum noſtrum. Deinde cunctatur, ut pręſtantiora benefitia afflicto conferat, ex quo & afflictus maiorem conſequatur fœlicitatem, & gloria nominis dei clarius illuſtretur. Sicut em granum agro iniectum, non amittitur, etiãſi terra obruatur, & interire uideatur, ſed potius fœneratur, id quod tempore meſſis manifeſte apparet, ita preces in ſinum Dei ex fide depoſitę non ſunt uanę, etiamſi uideantur minime exauditę, ſed afferunt ſuo tempore uberrimum fructum, ac Deus tanto copioſius reddere ſolet benefitium, quanto altius dormitare uiſus eſt. Hoc conſilium Dei, in differendo ſuo auxilio diligenter eſt cognoſcendum. Nam quemadmodum multum prodeſt ſeruo ad pręſtandum dño gratum obſequiũ, ſi recte cognouerit uoluntatẽ & conſilia domini ſui, ita nos plurimũ iuuat ad probe ſeruiendum DOMINO Deo noſtro, ſi in dilatione diuini auxilij, quod in afflictione implorauimus, cognoſcamus, quæ ſit uoluntas, quod conſilium eius, uidelicet, Deum non differre auxiliũ, q̃ non uelit nos ſeruare, ſed q̃ uelit glorioſius, & utilius, q̃ quiſq̃ hoim cogitare queat, ſeruare. Quid ergo, inqes, prodeſt nobis hęc cognitio? Primum conſeruat in nobis tolerantiã, quę ut eſt magna uirtus, ita eſt cultus deo gratiſſimus. Nã qui perſuaſus eſt ſpũ ſancto, quod deus differat auxilium ſuum, non ut aufferat ſed ut copioſius roganti conferat, fieri non poteſt, quin patiẽter toleret, quicquid aduerſi

Deum uidetur ad piorũ preces ſurdus.

Preces ex fide.

acciderit. Deinde hęc cognitio retinet precantem in offitio et perseuerantia precandi. Est & hęc magna uirtus, & Deo cultus acceptissimus. Qui enim certa fiducia sperat sibi dilatione diuini auxilij benefitia cumulari, quomodo in precatione non perseueraret? quomodo non constanter pergeret? Postremo retinet precantem in obedientia eorꝫ offitiorum, quę tam deo ꝗ proximo ex diuina uocatione debet. Nam qui futurum uidet per spūm sanctum, ut tanto maiora benefitia accipiat a Deo, quāto diutius protrahitur diuinum auxilium, teneri non potest, quin uocatiōi dei diligentissime obsequatur, ne benefactore ad iracūdiam inobedientia prouocato, malefitiū pro benefitio accipiat. Quod autem opus gratius est deo, ꝗ obedientia? Melior est, inquit, obedientia, ꝗ uictimæ. Quare, cum aduersa in nos insurgunt & augentur, non existimemus deum nostri oblitum, aut uō agere nostri curam, sed agnoscamus & bene consideremus consilium Dei, ut fide confirmati, in offitio nostrę uocationis pergamus. Cæterum ut miraculum, quod Christus ęditurus est, manifestius cognoscatur, penuria panis non solum Apostolis uerumetiam turbę nota esse debet. Dicit ergo Iesus. Facite, ut homines discumbant. Erat aūt gramen multum in eo loco. Discubuerunt ergo uiri numero ferme quinquies mille. Alij Euāgelistæ cōmemorant etiam ordinem discubitus, uidelicet, ꝙ discubuerint diuisi in uiridaria centeni & quinquageni. Ac significant præter uiros numero ferme qnquies mille, etiā mulieres ac pueros adfuisse. Quid ergo sibi uult Christus, ꝙ non distribuit panes, nisi discubuerint, idꝫ suo ordine? Num homines illi non potuerunt edere, nisi prius discubuissent? Potuerunt. Sed quemadmodum iam diximus, penuria panis debuit etiā hominum turbæ cognita esse, ut miraculum fiat illustrius. Nam cum homines iussi essent discumbere, atꝫ iam ex ordine consedissent, excitati sunt hoc spectaculo, ad quęrendum & inuestigandum inter se, quid hoc rei esset? quis daturus esset ipsis cibum? unde panis sumendus esset, siquidem nullus ipsorum secum panes accepisset? Hic ergo patefacta est ipsorum indigentia, et erecti sunt ad expectationem cibi a Christo accipiendi. Sed & ordo ipse discubitus fecit miraculum obseruabilius, quod in turba inordinata nō sic animaduerti potuisset. Cum igitur hæc ita præparata essent, aggreditur Iesus ad miraculum. Accepit enim panes, cumꝫ gratias egisset distribuit discipulis, discipuli uero discūbentibus. Similiter ex piscibus, quantum uolebat. Admirati sumus, quid sibi uellet Christus mandato discubitus, nunc aūt magis admiramur, quid sibi uelit cerimonia gratiarum actionis. Non enim distribuit panes, nisi sublatis antea in cœlum oculis, et actis publice in conspectu omnium gratijs. Quid opus est Christo his cerimonijs? An non ipse est uerbum Dei, ac Deus ipse? Dixit, & facta sunt, manda-

Gratias agit Christus.

mandauit & creata sunt. Cur ergo & nunc non simpliciter dicit, ut panes multiplicentur? Potuisset quidem Christus non expresso tantum uno uerbo, uerumetiam sola uoluntate panes multiplicare, sed uisum est, his cerimonijs uti, primum ut in conspectu turbę significaret se nõ docere alium deum, prętercq; uerum illum deum creatorem cœli & terræ, nec miracula sua ędere pręstigijs, sed cœlesti & diuina potẽtia. Deinde uoluit etiam docere, quid sit gratiarum actio, & quantum efficiat. Nam quod Ioannes dicit. Egit gratias, hoc alij dicunt. Benedixit. Ex hac enim gratiarum actione quinq; panes & duo pisces ita benedicti, aucti & multiplicati fuerunt, ut ex ipsis non solum quinquies mille uirorum, una cum mulieribus & pueris pasti sint abundanter, sed etiam collecti sint duodecim cophini pleni fragmẽtis. Sic et in nouissima cœna accepit Iesus panem, & quod alius Euangelista dicit, Egit gratias, hoc alius ait, Benedixit. Hac enim gratiarum actione Christus panem & calicem cœnę suæ ita benedixit, ut essent credentibus in Christum nõ solum cibus & potus corporis, ad conseruandam uitã corporalem, sed etiam cibus ac potus animę, imo totius hominis, ad conseruandam uitam spiritualem & ęternam. Gratias igitur Deo agere pro collatis et propositis benefitijs, est benefitia illa proposita benedicere, fortunata efficere, augere & multiplicare, ideoq; qui tenetur desiderio augendi & multiplicandi bona sua, quæ diuino fauore accepit, non potest id & magis pie, & cõmodius facere, quàm si contentus proposito benefitio, quantũcunq; paruo, gratias deo agat, et quoq̃modo fieri potest, referat. Hæc sunt diligenter animaduertenda, ut discamus ueram & piã rationem augendarum opum, aut aliorum benefitiorum dei. Nam homines corrupta sua natura ita affecti sunt, ut quicquid benefitiorũ diuinitus acceperunt, existiment se minus, cq; par sit, accepisse. Quare in hoc studium omni cura & cogitatione incumbunt, ut quod acceperũt, & habent, augeant, si non pie & iuste, at impie, iniuste, & quoquo modo possunt, tantum ut augeant. Sed hac ratione acceptum benefitium magis maledicitur, cq; benedicitur, & plus minuitur, cq; augetur. Dicit enim scriptura. Si non audieris uocem Dñi dei tui, ut custodias & faciias omnia mandata eius, maledictum horreum tuum, maledictæ reliquiæ tuę. Inter mandata autem dei, etiam hoc continetur. Non fureris, quo et imposturę, quibus homines solent opes suas augere, prohibentur. Et iterum. Nũquid iustificabo statheram impiam, & saccelli pondera dolosa, quibus diuites repleti sunt iniquitate? Tu comedes & nõ saturaberis, & humiliatio tua in medio tui. Quare impostura, & mali doli in negociationibus, nõ sunt ea ratio, quibus opes uere benedicuntur & augentur, sed ut recte hoc fiat, ab exemplo Christi discendum erit. Sumpsit Christus quinq; panes et duos pisces in manus, & quãcq;

Gratiarum actio est benedictio.

hic cibus, minime uidebatur tantę hominum multitudini sufficere, tamen pro hoc pauco admodum, egit deo patri suo gratias. Qua gratiarum actione factum est, ut tot millia ex isto paucissimo cibo saturarentur. Faciamus & nos similiter. Sumamus pauca illa, quę nobis Deus dedit in manus nostras, fidenti animo, simus ijs, quanq̃ paucissimis contenti, agnoscamus nos ne illa quidem meritos nostra iustitia, sed consecutos ea ex liberali dei clementia, & agamus Deo gratias tam uerbis, q̃ operibus. Sic enim fiet, ut & nostra, quantumcũq̃ pauca multiplicent̃, ac nõ tã nobis, q̃ toti familiæ nostrę sufficiant. Sed non sum, inq̃s, Christus, qui possim mea potẽtia panes aut alias res sic multiplicare, nec collatũ est in me donũ ędendorẽ miraculorẽ. Recte dicis. Nõ es Christus, sed si crediderís in Christũ, membrum es Christi. An putas nihil benedictionis à capite in membrum defluere? An non caput & membrum ita coniuncta sunt, ut habeant cõmunem uirtutem? Non multiplicabis panes tuos per gratiarẽ actionem, externo et uisibili, sed spũali & cœlesti incremento. Ecce serui mei, inquit, comedent, & uos esurietis, bibent, & uos sitietis, lętabuntur, & uos cõfundemini. Et iterẽ. Non affliget Dominus fame, animam iusti. Quare si gratiarẽ actione panes tui ita aucti fuerint, ut non intereas fame, sed consequaris uere & perpetuo fœlicem uitam, quid hoc incremento potest esse copiosius? quid utilius? Sed persequamur & reliqua. Vt aũt impleti sunt, dicit discipulis suis. Colligite, quæ superfuerunt fragmenta, ne quid pereat. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmẽtorum ex quinq̃ panibus ordeaceis, quę superfuerãt his, qui comederant. Quid hoc? dicit Sycophanta quispiam. An non hæc est auaritia, q̃ Christus iubet tanta cura colligere fragmenta? Num & ipse sollicitus est in crastinum? Quod Christus facit, non est auaritia, aut impia sollicitudo, (Peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius) Sed est magna & obseruabilis prudentia. Primum enim iubet colligere fragmenta, ut ueritas miraculi tam illustrior, q̃ probatior fiat. Nã si non multiplicasset quinq̃ panes ueris panibus, & non uere pauisset tot homines, profecto non potuissent tam multa fragmẽta colligi, sed reipsa apparuissent prestigię. Nunc aũt colliguntur fragmenta, et sunt etiam ipsa esui apta. Quare manifestum est, miraculum uere esse ædítum. Deinde docet Christus, prę̃sentibus benefitijs dei non abutendũ esse, ac licere quidem nobis fructum eorẽ quantum necessitas exigit, capere, sed reliquias ipsorẽ, exempli gratia, uel frumenti uel uini, uel opum, non esse pedibus cõculcandas. Reliquię aũt frumenti aut uini, & aliarẽ id genus rerum, pedibus conculcantur, non solum cum externis hominum plantis in terra contemptim proteruntur, sed cum homines helluantur, cum epotandis poculis certãt, cum opes, quas à maioribus accepe-

Fragmenta colliguntur.

acceperunt, dilapidant. Hoc certe est fragmenta pedibus cõculcare, q̃d cum fiat, uenit ira dei in filios inobedientes, ut affligantur & bellis, & rerꝫ penuria. Ve, inquit, qui consurgitis mane ad sectandam ebrietatẽ & potandum uscꝫ ad uesperam, ut uino ęstuetis. Cithara & lyra & tympanum & tibia & uinum in conuiuijs uestris, & opus Dñi non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Propterea captiuus est ductus populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. Fragmenta igitur non sunt conculcanda pedibus, sed colligenda, ut benefitijs dei recte utentes, in die necessitatis conseruemur. Sed tẽpus nunc est, ut de usu huius miraculi aliqd dicamus. Etsi enim facile intelligi potest ex ijs, quę ante dicta sunt, cꝫ multiplicem utilitatem afferat hoc miraculum Ecclesiæ Christi, tñ quia Christus ipse commemorat p̃cipue duplicem eius usum, non est nobis cõmittendum, ut quicquid id est rei oscitanter p̃tereamus. Nam alterꝫ recitat in ea contione, quę postea in hoc capite describit. Non enim sentiendum est, cꝫ ędiderit hoc miraculũ, ut significaret se esse terrenum Messiam, & externum Monarchã, qui sit in terra pro aliorꝫ regum more dñaturus, & oẽs, qui ipsum agnoscant, in otio & rerum affluentia fœlices in hac corporali uita conseruaturus. Non est quidẽ passus, quã diu ipse in hac terra uitam egit, ut hi, qui ipsum sectabant, alicuius necessarię rei indigerent. Quando misi, inquit, uos sine sacculo, & pera & calciamentis, nũ quid defuit uobis? non uoluit aũt hoc miraculo testari, se esse terrenum Monarchã, & afferre hoibus externã huius mundi fœlicitatem, sed potius uoluit confirmare ueritatem Euangelij sui, quo docebat se esse spũalem & cœlestẽ Messiam, ac afferre hoibus spũalia ac cœlestia bona, uidelicet, remissionem pctõrum, reconciliationem cum deo, adoptionem in filios dei, liberationẽ in morte, & perpetuã in cœlesti regno fœlicitatẽ. Hic est panis, hic est cibus, quẽ Christus in se pręcipue quęri uoluit. Vnde & fugit, cum aĩaduerteret uulgũ deliberare de creando ipso rege, & postea cum magna hoĩm multitudo ad ipsum redijsset, dixit: Amen amen dico uobis, q̃ritis me, nõ quia uidistis signa, sed qa comedistis de panibus & saturati estis, hoc est, Quęritis me, non ut ex miraculo confirmetis fidem uestrã, quã debetis Euangelio meo adhibere, quęritis me, non ut consequamini in me ueram coram deo iustitiam, & salutem, ad q̃d quęrendum uos miraculum pręcipue uocat, Sed quęritis me, ut apud me in otio & ignauia uictum, ac rerꝫ affluentiã habeatis. Quęritis me, non ut menti sed ut uentri cõsulatis, Ego uero dico, Operemini non cibum, qui perit, sed qui permanet in uitã ęternã, quẽ filius hoĩs dabit uobis. His uerbis Christus manifeste docet, cꝫ uoluerit hoc miraculo excitare hoĩes, ut discant Euãgelion suum, ex quo cognoscant ipsum esse uerꝫ panẽ cœlestẽ, quo qui uescat,

Euangelij cognoscẽdi gratia, miracula edita sunt.

hoc est, in Christum credat, cõseruetur perpetua fœlicitate. De qua re, quoniam Christus postea copiose contionabit, non erimus nunc longiores. Alter usus huius miraculi extat apud Matth. ca. xvi. Cum enim discipuli de panibus solliciti essent, ait Christus. Quid cogitatis intra uos ipsos, o parum fidentes, q̃ panes non sumpseritis? Nondum intelligitis, neq̃ memoria tenetis quinq̃ illos panes, cum hoies essent quinquies mille, & quot cophinos sustuleritis? Hic docet Christus, q̃ edi derit miraculum de panibus etiã propter has caussas, primum, ut significaret discipulis suis, q̃d quãdiu corporali p̃sentia cum ipsis uiueret, nullum etiã corporale incommodum accepturi essent. Cum essem, inquit, cum eis in mundo, ego seruabã eos noĩe tuo. Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis perĩt, nisi filius ille perditionis, ut scriptura compleretur. Huc etiã pertinet illud, q̃d apud Marcum exprobratur discipulis incredulus error, quo afficiebant, cum uidebant Christũ ambulantem super mare. Vehementer, inquit Euangelista, supra modum intra sese stupebant & admirabant. Non em intellexerant de panibus, erat enim cor eorũ obcęcatum, hoc est, Etsi paulo ante uiderãt miraculum de panibus, tm non erant tam ingeniosi, ut ex eo intelligerent Iesum esse uerũ seruatorẽ, qui non se ipse tm, sed etiam oẽs suos, qui secum essent, tã in marinis fluctibus, & tẽpestatibus, q̃ in oĩbus alijs periculis seruare posset ac uellet. Deinde ędidit hoc miraculum, ut confirmaret ueritatẽ huius dicti, Quærite primum regnum dei & iustitiam eius, & hęc oĩa adijcientur uobis. Nã hoc miraculum est cœleste sigillum, quo deus testat se unicuiuis ex fide in diuina uocatione ambulanti sufficientem uictum & amictum daturũ. Quẽadmodum enim in familia recte instituta, paterfamilias hoc à familiaribus siue liberis siue seruis exigit, ut unusquisq̃ suum faciat offitium, & alius quidẽ colat agrũ, alius putet uineam, alius secet ligna, alius uerrat domum, ipse aũt sibi sumit curã parandi alimenti, & id suo tempore singulis distribuendi, si non sua ipsius manu, certe sua ordinatiõe & iussione. Ac uide tu, quid peruersius esset, q̃ si seruus negligeret pręceptum patrisfamilias, nec coleret agrũ, interim aũt susciperet curã quęrendi cibi, ex qua et sursum ac deorsum uagaret, ut panẽ acciperet? ita & Dñs deus noster, magnus est paterfamilias, nos aũt hoies, sumus familia eius. Et unusquisq̃ nostrũ suam habet uocationẽ, suum offitium, ad q̃d faciendum diuinitus ordinatus est. Cum igitur simus familia dei, non debemus esse solliciti, quid edamus, quid bibamus, aut quibus uestiamur, (hanc enim curã deus, ut paterfamilias in se suscepit) sed solliciti esse debemus, q̃ diligenter, q̃ obediẽter, q̃ pie offitium nostrũ faciamus. Hoc opus, hic labor noster sit, ut iustitiã sectemur. Nõ enim perdet (inquit) deus fame animam iusti. Et, Nouit Dñs dies immaculatorũ, & hæreditas eorũ ingternum

Deo patrifamilias curæ est familia.

ineternum erit. Non cõfundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur. Hęc tanto diligentius sunt considerãda & sectanda, quanto plus uulgus hoĩm in parãdo sibi uictu peccare solet. Hoĩes enim sic fere affecti sunt, quemadmodum uidemus Philippum & Andreã in huius miraculi historia affectos fuisse. Vt enim hi sentiunt nec paucam pecuniam, nec paucum cibum sufficere ad pascendã tantã populi multitudinẽ, & cum nulla uideant alimenta ob oculos posita, nõ habent, quo se uertant, ita hoĩes, cum in parando uictu nihil uident reliqui esse in terra, putant etiã nihil reliqui esse in cœlo, & ubi deest humanum auxilium, existimant etiã deesse diuinum, ideoq; non attollunt mentem suã ad deum, sed potius uertunt se ad artes Satanę. Prędantur, furantur, nugantur, dolis & imposturis student, tm̃ ut quoq̃modo possunt, alimenta sibi parent. Et cũ reprehendunt, excusant, necesse, inquit quispiã, habeo me & meam familiã alere. Recte dicis. Familia oĩno alenda est. Furari aũt, & dolis ac imposturis studere, nõ est familiam alere, sed est se ac familiam perdere. Dicit enim scriptura, Si non custodieris mandata dei, (Inter mandata aũt dei etiã hoc continet, Non fureris) mittet dñs super te famẽ, & esuriem, & increpationẽ in oĩa opera tua. Et iterq;. Alij diuidunt propria & ditiores fiunt. Alij rapiunt non sua, et semper sunt in egestate. Ac rursus. Nescierunt facere rectum dicit dñs, thesaurisantes iniquitatẽ, & rapinas in ędibus suis. Propterea hęc dicit Dñs deus, Tribulabit et obsidebit terra et detrahet ex te fortitudo tua, et diripientur ędes tuę. Vides q̃ aliena rapere, & opes imposturis parare, non sit se & familiam alere, sed potius in ęgestatem & famẽ conijcere. Ambulare aũt ex fide in uocatiõe dei, & in negotijs sectari iustitiam, hoc demũ est familiam alere. Iusti enim hęreditabunt terrã, & inhabitabunt in seculum seculi super eã. Et, Salus iustorq; à dño, ac protector eorq; in tempore tribulationis. Fugienda igit est oĩs impostura, & faciẽda iustitia, ut in curã Dñi suscepti, conseruemur nõ solũ alimentis corporalib. sed etiã, q̃d maxim est, spũalibus ac cœlestibus per Iesum Christũ dñm nostrq;, qui est una cũ patre & spũsancto deus bñdictus in secula, Amen.

Familia alenda sed nõ peccandum.

Imposturæ non sunt fœlices.

HOMILIA LI.

Vdiuimus, q̃q; liberaliter, q̃q; mirabiliter sese Christus gesserit erga turbam hoĩm, quę secuta fuerat ipsum in desertũ. Pauit enim quinq; panibus & duobus piscibus, pluscq; quinquies mille homines. Audiamus nunc, quõ uicissim sese turba erga tam admirabilẽ pastorem gerat. Illi ergo homines, inquit Euangelista, cum uidissent quod signum Iesus fecerat, dicebant. Hic est uere propheta ille, qui uenturus est in mundum. Iesus ergo, cum cogno

uisset, cp uenturi essent ac rapturi ipsum, ut facerent ipsum regem, secessit iterꝫ in montē ipse solus. Duo sunt, quę hoies isti ad significandum gratitudinis suę affectum erga Christum, suscipiunt. Alterꝫ est, cp laudent ipsum uerbis, ac prędicent eum, & publice confiteantur eum uere esse prophetā illum, quem Moses scripsit uenturꝫ in mundum, & quē Iudęi eo tempore expectabant. Alterꝫ, cp deliberent secum de creando ipso rege. Nam cum de propheta illo scriptum sit, eum fore Messiam, seu regem, (Messias enim unctus seu Rex dicitur) sentiunt se maximū deo cultum facturos, si hunc suffragijs suis in regiā maiestatē extollāt. In his aūt rebus gestis populi, alia quidem cōmendatione, alia reprehensione digna sunt. Cōmendandum est, cp miraculo excitati assenciantur doctrinę Iesu, ac sentiant ipsum esse uerꝫ Messiam. Sed grauiter reprehendum est, cp existiment regnum Messię fore in hac terra corporale, & Messiam dñaturum more Monarcharꝫ huius mūdi, ideocp optime nunc secum actum putant, cp nacti sint regē, qui non solum possit miraculis suis ad se congregare maximum exercitum, & debellare totum orbē, sed etiā apud quē nullo suo labore pascantur, & oēm terrenam fœlicitatem consequātur. Hęc opinio de regno Messię, carnalis est, & merito damnanda. Messias enim, quem prophetę promiserunt, nō est terrenus monarcha. Et fœlicitas nostra non in hoc consistit, ut bene sit corpori carnaliter & ignauiter ociemur, atcp gratis pascamur, sed ut bene sit nobis spūaliter, & pascamur cibo ęterno, de qua re Christus ipse postea pluribus concionabit. Non solum aūt carnalis opinio populi de regno Messię, uerꝫ etiam mobilitas, uarietas, & inconstantia ac etiā prędicitantia populi reprehendenda est. Nam, quē nunc, cum pascit, regē creare, & in cœlo posuisse cupiunt, eum postea, cum captiuus ad crucem abducitur, aut fastidiose contēnunt, aut contumeliose derident, aut unà cū alijs in crucē suffigendum clamāt. Hęc est multitudinis natura, cp nuncp fere mediocribus studijs aut bñfactores in fauorem, aut ęs putat malefactores, in offensam excipiat. Morbus hic est, & furor, nō iuditium, aut sanitas. Etsi enim debemus esse grati erga bñfactorem, & odisse mala, tñ gratitudo habet suos fines, ne uidelicet, quod Ethnici fecerunt, ex benefactoribus hoibus faciamus deos, aut qui mos fuit hypocritarꝫ, e sanctis faciamus redemptores & seruatores, malum aūt sic odio habendum est, ut interim non obliuiscamur offitij, nec rependamus malū malo, sed bono. Quę cum sic sese habeant, uideamus nunc, quō Christus sese erga hunc populi fauorē gesserit. Cum cognouisset, inqt Euangelista, cp rapturi essent ipsum, ut facerent eum regē, statim cōpulit, quēadmodum Matthęus ait, discipulos suos, ut conscenderent nauim, ac pcederēt se in ripā ulteriorē, ipse aūt fugit, ac secessit iterꝫ in montē solus. Quid hoc, inquis, rei est? Cur fugit Christus? Cur non accipit regiam maie-

Meßias non est terrenus Monarcha.

Multitudinis ingenium.

maiestatē, quę ipsi à populo deferr? Nū Regius magistratus tā abominabilis est corā deo, ut nō liceat pio homini eū suscipere ac gerere? Nihil certe minus. Nō est potestas, inquit Paulus, nisi à deo. Et quæ sunt potestates à deo ordinatę sunt. Quare, qui legitime ad functionē regię maiestatis uocatur, potest in eo uitę genere bona consciētia uersari. Sed qd? Num Christus hac sua fuga uoluit significare, ꝙ etsi regius magistratus sit per se deo acceptus, tñ pñ debeāt ex humilitate humanā gloriam & maiestatem fugere, ac sese in sordida uitę genera conñcere, quēadmodum Christus aliās dicit. Discite à me quia mitis sum & humilis corde? Nec hoc docet fuga Christi. Etsi enim Christus iubet nos exemplū humilitatis suę sequi, tamē humilitas non est, legitimā suam uocationem temere abñcere, & suscipere abiectius genus uiuendi sine mandato dei, sed uera humilitas est, diuinę uoluntati & ordinatiōi in quauis uocatione siue illustri siue abiecta obedienter seruire. Sic humilis fuit Iob, hoc est, uoluntati dei obediens tā in diuitiis, ꝗ in paupertate, cū diceret, Dñs dedit, Dñs abstulit, Sit nomen dñi bñdictum. Sic Dauid humilis fuit, hoc est, diuinę uoluntati obediens, siue in regno siue in exilio. Dicebat eñ, Si inuenero gratiam in oculis Dñi reducet me, Si aūt dixerit mihi nō places, ꝑsto sum, faciat q̄d bonum est corā se. Sic et Christus ipse, uerus Dauid humilis fuit. Vocatus eñ diuinitus ad ferendā crucē, tulit eā obediēter. Vocatus postea ad accipiendā maiestatē cœlestē in regno patris sui, accepit & hanc obediēter. Hęc est uera humilitas, qua non fit, ut abñcias legitimā uocationē, sed ut in quauis legitima uocatione Dño deo tuo obedias. Quare Christus nō uoluit hac fuga pios docere, ꝙ aut non debeāt suscipere functionē regiñ magistratus, si ad eā legitime uocentur, aut debeant eā temere, et sine uocatiōe dei abñcere, si ante susceperint eā. Quid ergo est, ꝙ ipse fugerit, nec uoluerit rex creari? Ac profecto, si doctrinā eius consideraueris, multo maiora & illustriora sibi sumpsit, ꝗ si se externū regē Israelis iactasset. Prædicauit se esse Lucē mundi, se esse uitā & resurrectionē. Dixit, se esse filium dei, adeoꝗ deo ipsi ęqualem. Hęc certe multo maiora & prestantiora sunt, ꝗ si suscepisset regiā inter hoīes maiestatē. Quid igit est, ꝙ hoc recusat, illa autē suscipiat? Vocatio Dei in caussa est, & offitium. Nam Christus non erat ad hoc missus è cœlo in hanc terram, ut fungeretur regio magistratu in hoc seculo, ac dñaretur in terra pro more Monarchaꝝ, sed missus erat, ut esset propheta, & contionator Euangeliñ in Israel, & quēadmodum paulus eū uocat, minister circūcisionis pro ueritate dei, ad confirmandas promissiones patrum. Dicit eñ Dominus per Mosen, de Christo. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorꝝ, similem tui, & ponā uerba mea in ore eius, loqueturꝗ ad eos oīa,

Regia maiestas, diuina ordinatio.

Humilitas non est, suam uocationem deserere.

Humilitas uera quæ sit.

Christi uocatio.

quę pręcepero ei. Prophetā, inquit, ſuſcitabo, hoc eſt, cōcinatorem, nō mundanum regē ſeu Monarcham. Et, Ponā, inquit, uerba mea in ore eius. Non corporalem gladium in manu eius. Ac loquetur ad eos, non ait, coercebit eos externa & corporali uiolētia. Et in Eſaia. Spūs, inqt, Dñi ſuper me eo ꝙ unxerit me, ad Euangeliſandum humilibus miſit me. Nō ait, Miſit me ad dominandum inter hoīes more Regio, ſed ad prędicandum Euangelion miſeris & afflictis. Etſi em̄ prophetę regnū Chriſti aliquoties ſic deſcribūt, perinde ac ſi eſſet corporale regnum, tamen ea deſcriptio circūſtantijs ita munita eſt, præſertim cum dicunt, regnum eius fore æternum, ut neceſſe habeas intelligere regnum eius non eſſe corporale ſed ſpūale, nec eſſe terrenum, ſed cœleſte, & daturꝫ ipſum non externa, ſed ęterna bona, uidelicet, remiſſionem pctōrum, æternam iuſtitiam, æternam uitam ac fœlicitatem. Quare ꝙ Chriſtus non gerat morem uoluntati populi, & non ſuſcipiat regiam huius ſeculi maieſtatem, & tñ interim doceat ſe eſſe uerꝫ filium dei, adeoꝙ deum ipſum, quod maius eſt, omni humana maieſtate, utrūqꝫ facit pro ſuo offitio, & diuina uocatione. Ac docet nos exemplo ſuo, ne quis obſequatur cupiditati uulgi, ut peccet aduerſus deum, nèue ſuſcipiat alienam uocationē ſine mandato dei. Fieri em̄ non poteſt, ut qui alienę libidini, ſine dei uocatione, in ſuſcipiēdis adminiſtratiōibus publicarꝫ functionum, ſeruit, fœlicem ac proſperꝫ habeat inſtituti ſui ſucceſſum. Quid em̄ poſſet eſſe fœlix, abſqꝫ deo? Regnauerūt, inqt, et non ex me, principes extiterunt, & non cognoui. Et addit. Nunc recordabitur iniquitatis eorꝫ et uiſitabit pctā eorꝫ. Ac mox. Mittam ignem in ciuitates eius & deuorabit ędes illius. Quare in hoc ſtudiū unicuiuis incūbendum eſt, ut quicquid ſuſceperit, ex uocatiōe dei ſuſcipiat, q̄ poſſit deum ex fide inuocare, & in eo quod adminiſtrandū ſuſcepit, bona cōſcientia uerſari. Audiuimus, quid geſtū ſit in terra, audiamus nūc quid in
,, mari geſtū ſit. Vbi iam ueſpera eſſet, inqt Euāgeliſta, deſcenderūt diſ-
,, cipuli eius ad mare, et conſcenſa naui, uenerūt traiecto mari ad oppidū
,, Capernaum. Poſtqꝫ em̄ Chriſtus aīaduertit propoſitū uulgi de creādo
,, ipſo rege, nō uoluit cōmittere, ut diſcipuli ſui manerēt cum uulgo, ſed
ſtatim cōpulit eos, quēadmodū Matthęus & Marcus inqunt, ut conſcēderent nauim, & p̄cederent ſe in ripam ulteriorē, donec dimiſiſſet turbas. Videbat em̄ fortaſſis futurꝫ, ut ſi diſcipuli manerēt, ſe abſente, in turba, fierēt adiutores ſeditionis in eligendo rege, propterea ꝙ & ipſi ſentiebāt regnum Chriſti fore mundanū. Quare etſi iudicabant cōſultius eſſe, ut uel in turba, uel cum Chriſto maneant, coguntur tñ contra ſuam uoluntatem & nolentes diſcedere, idqꝫ optimo conſilio Chriſti, partim, ne fierent cum populo ſeditioſi, partim ut ortis in mari tempeſtatibus potentiam & maieſtatem Chriſti rectius cognoſcerent. Quo

exemplo

exẽplo admonemur, ut ęquo aĩo feramus, si sententię, ac uoluntati animi nostri, q̃ nobis bona uidetur, diuina administratione obsistat. Deus em̃ est, qui ut oĩa administrat, ita etiam oĩa prouidet. Et cum cõplectatur omnes, qui in Christum filium suum credunt, paterno affectu, tanta cura eos tuetur, ut diu antea prouideat, ne qd eis, quod saluti eorꝝ aduersum sit, contingat. Quare si alicubi obsistit uoluntati eorꝝ, non hoc agit, ut male eis faciat, sed ut bene faciat, et maiora cõmoda eis afferat, q̃ quę pręsenti cogitatione cõprehendere possint. An non uides, quanta seueritate parentes carnales extorqueãt è manibus infantiũ suorꝝ acutos cultros aut gladiolos, q̃s forte illi appẽhenderint? Ac plorãt quidem illi, & repugnant, quibus modis possunt, parentes aũt pergũt uoluntatem eorꝝ frangere, non q̃ odio habeant infantes, sed q̃ ament eos, & metuant, ne se imprudenter gladiolis uulnerent, aut etiam interficiant. Sic & deus pater obsistit cupiditati filiorꝝ suorum, non ut perdat, sed ut seruet eos. Reliquum igit̃ est, ut cum repugnat deus institutio nostro, quãtumuis bono, agnoscamus paternum eius affectum, et feramus patienter manũ eius. Porro, Iesus ablegatis discipulis ad nauim, et dimissis turbis, ascendit solus ipse in montẽ oraturus. Discipuli aũt, imminẽte iam nocte, incipiunt traĩcere mare uersus oppidum Capernaum. Audiamus ergo, qd ipsis, absente Christo, in mari acciderit. Iã tenebrę, inq̃t, erant, nec uenerat ad eos Iesus. Mare aũt, uento magno flãte, intumescebat. Cũ remigassent ergo ferme stadia uiginti quinq̃ aut triginta, (quę faciunt propemodũ miliare Germanicum) uident Iesum ambulãtem super mare, & appropinquantẽ naui, ac timuerũt. Ille aũt dicit eis. Ego sum, nolite timere. Voluerunt ergo recipe eum in nauim & illico nauis appulerat terrę, ad quã ibant. Recitauimus q̃ Ioannes paucis perstringit, sed adiũgemus etiã ea, q̃ alij Euãgelistæ de hac historia copiosius scribũt, ut multitudinẽ miraculorꝝ, q̃ hic ędita sunt, & maiestatẽ Christi diligentius cognoscamus. Discipuli ergo coacti à p̃ceptore suo, traĩciunt mare. Sed ecce, cum iã in altum p̃uenissent, ac magnę essent tenebrę, orit̃ ingens uentus, & mare intãtum intumescit, ut discipuli in extremo discrimĩe uersarent̃. Quas putas hic discipulos habuisse cogitatiões, quę suscepisse consilia? Verisimile certe est, tale quid uenisse in mentem eorum. En, præceptor ille noster, importuno suo mãdato cõiecit nos in tanta p̃icula. Expulit nos à se ut in his fluctibus periremus. Stultissimi ergo mortalium omnium sumus, q̃ et ante sectati simus doctrinã eius, et nũc paruerimus mãdato ipsius. Quo em̃ adducti sumus, nisi in p̃sentem nostrã internitionẽ? Sed Christus etsi longe aberat, et crassissimę erant tenebræ, tamen uidet in quãto p̃iculo sint discipuli sui, ac meruerant quidẽ illi, ut in hoc discrimine derelinquerentur, & submergerentur, propterea q̃ obliti doctrinę & miraculorꝝ Christi, animum desponderant. Christus aũt maiorem habet ratio

Diuinæ uoluntati non obstendum.

nem suę ipsius clementię & bonitatis, q̃ meriti illorum. Quare, cum iã magno conatu & studio remigassent triginta, plus minus, stadia, accedit Iesus ad eos, ita super mare ambulans, perinde ac si solidam terram calcaret. Quo miraculo non significat, se non habere uerę ac naturale hoīs corpus, sed significat se, ut cœli & terrę, ita etiam maris dn̄m esse. Quid ergo discipuli? Non agnoscunt initio Iesum Christum, sed putant esse spectrum, existimant esse incorporatum dęmonem, qui adueniat erepturus ipsis omnem uitam & salutem, ideoq; duplicat metus, & horribiliter exclamant. Hic nulla est fides, nulla inuocatio, sed habebant cor ut occęcatum, ita & desperatum. Non enim intellexerant (ut Marcus ait) de panibus, hoc est, nondũ conceperãt ex miraculo, q̃d eo die quinq; panibus & duobus piscibus ęditum erat, tantã cognitionẽ Christi, ut confiderent se cura potentia & prę sidio eiūs tutos esse tam in periculis maris, q̃ etiã in medio agmine diabolorũ. Sed quos Christus mandato suo in pericula coniecerat, eos quoq; seruat. Reuelat ergo sese uoce sua, exclamans uicissim, EGO sum, nolite metuere. Qua uoce, cum discipuli omnes erecti, tum prę cipue Petrus, DñE, inquit, si tu es, iubeto me ad te uenire super aquas. Ac recte quidem, & prudenter Petrus, q̃ nõ nisi iussus & uocatus à Christo, uelit sese in aquas maris demittere. Nullum enim periculum temere, & sine uocatione Dei adeundum est. Vocat igitur Iesus Petrum, & ambulat iam ille super aquas, sed irruente in eum ualido uento, ita territus est, ut & fidutia excideret ipsi, & inciperet demergi. Inuocato igit̃ auxilio Christi, increpatur quidem, q̃ hęsitauisset, et imbecillis fuisset fidei, apprehenditur aũt manu Christi, & seruatur. Itaq; ambo ingrediuntur in nauim ad reliquos, & ibi tum statim non solum cõquieuit tempestas, sed etiã nauis erat in portu, & applicuerat ad eius terrę littus, à qua lõge adhuc, cum Christus aduenit, abfuerant. Habes hic miraculorũ aceruum. Iesus longe abest à discipulis, & erant crassissimę tenebrę noctis, uidet tamẽ, in quanto discrimine maris uersentur. Hoc conuenit cum illo miraculo, q̃ Iesus uidit Nathanaelem sub ficu, quo & uidit Lazarum mortuũ, cum à Iudęa, in qua Lazarus moriebat̃, abesset. Deinde ambulat sup̃ aquas maris, ueluti super aridã, q̃d certe stupendum est miraculum. Nec solũ ipse suo corpore hoc fecit, sed etiã iubet Petrũ idẽ facere, & Petrus uerbo eius obediens, similiter ambulat super aquas, ac conseruatur, ne submersione pereat. Quo miraculo manifeste probatur potentia Christi. Adhæc, sedat præsentia sua tempestatem maris, quod & ipsum argumentum est maiestatis Christi, cui etiã mare ac uenti obediunt. Postremo nauis ex improuiso est in eo portu, ad quẽ ante magno labore peruenire non poterant. Hęc sunt tãta miracula, ut discipuli, qui sunt in naui merito adorent eum, (quemadmodum Matthæus scribit) & confiteantur

fiteantur enim uere esse Dei filium. Porro autem non est sentiendum, ꝗ hęc tantum propter discipulos illos paucos gesta, & literis mandata sint, sed pertinent ad uniuersam Ecclesiam, et proponunt imaginem rerum, quæ omnibus ętatibus & seculis in Ecclesia Dei geruntur. Etsi enim non sunt hic in naui admodum multi discipuli, tamen hi sunt Ecclesia Dei, sunt populus à Deo electus. Est & hoc loco Christus ipse, Ecclesię caput. Quare, quod hic geritur, imago est earum rerum, quæ semper inter Ecclesiam & Christum, caput eius geri solent. Mare, hic mundus est. In hoc autem mundo, est Ecclesia Dei. Non rogo, inquit, ut tollas eos è mundo, sed ut serues eos à malo. In mari exoriuntur uenti, et tempestates. Sic et Christus ait. In mundo habebitis afflictionem. Et iterum. Plorabitis & lamentabimini uos, mundus autem gaudebit. Ac Paulus. Oportet nos per multas afflictiones ingredi in regnũ dei. Porro, Christus abest in monte, & tamen uidet discipulos in maximo periculo constitutos. Etsi enim Christus ascendit in cœlum, & est nũc corporalibus oculis inuisibilis, Ecclesia tamen in periculis constituta non est ipsi inuisibilis, sed Christus pręsto adest Ecclesiæ, afficitur cura eius, & respicit omnes labores, ac ęrumnas eius, ut adiuuet ac seruet eam. Sedet enim ad dextram Dei & est omnipotẽs rerum gubernator. Quare nec altitudo, nec longitudo, nec profunditas potest eum impedire, quo minus succurrat laboranti Ecclesiæ suę. Sed quemadmodum uenit ad discipulos in media tempestate, & iudicatur esse spectrum dęmoniacum, quod sit ipsos in aquis submersurum, ita uenit in hoc quidem mundo cruce comitatus, & uariis afflictionibus contectus. Itaq; ingrauescentibus aduersis existimant homines imbecillis fidei, nõ adesse Christum seruatorem, sed legionem diabolorum, qui pręsens exitium inferre uelint. Non enim adhibent firmam fidem huic promissioni Dei, quæ in psalmo nonagesimo extat. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum, sed quia in pręsentia non uidẽt nisi aduersa, putãt in his multo magis Satanam oppressorem, q̃ Christum liberatorem esse. At uero Christus reuelat sese discipulis uoce & alloquio suo. Ego, inqens, sum, nolite timere, ita etiam reuelat sese Ecclesiæ Euangelio suo. Nam Euangelion, uox Christi est, qua exposuit sese in hoc missum, ut oĩs qui in ipsum credat, nõ pereat, sed habeat uitam æternam. Dicit et aliàs. Ego sum resurrectio et uita. Qui credit in me, etiãsi mortuus fuerit, uiuet, & omnis qui uiuit & credit in me non morietur ięternũ. Quare exortis calamitatibus, attendendũ est ad uocẽ Christi, ad Euãgelion eius, ut ex eo consolationẽ capiamus, & seruemur. Cęterꝫ, sicut Christus nõ solus ambulauit sup mare, sed etiã uocauit Petrꝫ ut idẽ faciat. Etsi aũt is irruente uento incipit hęsitare & submergi, tũ cum inuocaret auxiliũ Christi, seruat manu Christi apphen

Ecclesia in una naui.

Ecclesia semper in oculis Christi.

Euangelion, uox Christi.

ſus, ita Chriſtus non ſolus prędicauit Euangelion ſuum, & miraculis confirmauit, ſed cooptauit ſibi collegas Apoſtolos, quibus etiam ipſis dedit donum ędendorum miraculorum. Hos ſequuntur deinde Miniſtri Eccleſię, qui Euangelion ab Apoſtolis acceptum adnunciāt. Quid ergo accidit? Quod ad Apoſtolos dictū eſt, Ecce ego mitto uos in medio luporum, hoc dimanat non tam ad miniſtros, q̄ ad ipſum miniſterium Euangelicę prędicationis. Nam in hoc ſeculo ſolēt tam graues coriri calamitates aduerſus miniſterium Eccleſię, ut ab exitio parę abeſſe uideatur. Itaq̄ hi, qui ſunt paulo infirmiores, uarie afficiūtur, & tantum non deſpondent animum. Sed bene habet, Chriſtus præſto adeſt, & inuocatus extendit manum ac ſeruat miniſteriū Eccleſiæ, quod aliąs perire uidetur. Portę, inquiens, inferi non pręualebunt aduerſus eam. Et, Ecce ego uobiſcum ſum oībus diebus, uſq̄ ad conſummationem ſeculi. Poſtremo, Chriſto in nauim recepto, fit ſumma trāquillitas, & nauis continuo eſt in portu. Nam, qui Chriſtum ex Euangelio agnoſcit, & per fidem accipit, quō non in tuto eſſet, ac uere in portu, quod dicit, nauigaret? Vbi enim Chriſtus eſt, ibi neceſſe habet tempeſtas ipſa eſſe tranquillitas, & mors, uita. Qui credit (inqt) in me, etiāſi mortuus fuerit, uiuet. Suſcipiamus igitur Chriſtū obediēti fide in nauim noſtrā, ut tuto per procellas oīs afflictionis & mortis ad portum æternæ uitę peruenīamus, gratia & præſidio Ieſu Chriſti DOMINI noſtri, qui eſt una cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA LII.

MAgna ſunt, & excellentia miracula, quæ hactenus Euangeliſta cōmemorauit, & nos utcunq̄ explicuimus, ſed multo maior & excellētior eſt contio illa, quam Chriſtus occaſione corporalis panis, quē turba hoīm magis q̄ ſpiritualem ſectabatur, habuit. De hac contione nunc nobis dicēdum eſt, ſi prius perſtrinxerimus ea,
,, quę poſt traiectionem diſcipulorum & Chriſti acciderūt. Poſtero die,
,, inquit Euangeliſta, turba, quæ ſtabat trans mare, ut uidit, q̄ nauicula
,, alia non eſſet ibi, niſi una illa, in quam ingreſſi fuerant diſcipuli eius,
,, & q̄ non introijſſet cum diſcipulis ſuis Ieſus in nauiculam, ſed ſoli diſ-
,, cipuli eius abiſſent, alię uero ſuperuenerunt nauiculę a' Tiberiade iux
,, ta locum ubi comederāt panē, poſteaq̄ gratias egiſſet Dominus. Cum
,, ergo uidiſſet turba, q̄ Ieſus non eſſet ibi, neq̄ diſcipuli eius, aſcende-
,, runt & ipſi in nauiculas, & uenerunt Capernaum quærentes Ieſum. Et
,, cum inueniſſent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc ueni-
,, ſti? Quę miracula in mari ſunt ędita, ea teſtibus tantū diſcipulis ædita ſunt. Nunc

ſunt. Nunc aũt turba hoĩm cognoſcit etiam, Ieſum non ſine miraculis in alteram ripam peruenisse. Quare cũ quęrũt Ieſum, quando aut quõ huc peruenerit, ſignificant ſe maieſtatem potẽtię eius agnoſcere, ac plurimum admirari. Sed Ieſus longe aliter reſpõdit ipſis, cũq; expectauerãt. Dixit enim. Amen amen dico uobis, quęritis me, non quia uidiſtis ſigna, ſed quia comediſtis de panibus, & ſaturati eſtis. Hæc eſt grauis & ſeuera reprehenſio, q; abutantur miraculo. Ædidi, inquit, miraculum quinq; panibus & duobus piſcibus, non ad hunc uſum, ut ſignificem me mundanum regem fore, & afferam ſectatoribus meis fœlicitatẽ huius corporalis uitę, ac paſcã eos ocioſos atq; ignauos, ſed ut hoc ſigno ac miraculo excitati cognoſcant ueritatem doctrinę meę, & quęrant cibum uerę ac perpetuę uitę. Vos aũt ſectamini me, non quia uidiſtis ſigna, hoc eſt, non ut recte utamini miraculis, & quæratis in me cibum ęternę uitę, ſed ut in otio & ignauia corpus ſaginetis. Non quęritis iuſtitiam, ſed crapulam, non curatis cœlum, ſed uentrem. Apagete ergo cum ueſtro uentre. Longe alios ſectatores mihi dari cupio, q; quibus aluus tantum curæ eſt. Quid igitur nos facere iubes? Sequitur. Operemini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in uitam ęternã, quem filius hoĩs dabit uobis. Hunc enim pater conſignauit deus. Neceſſaria admonitio. Hoĩes enim pctõ ita corrupti ſunt, ut multo maiorem curã habeant alendi uentris, q; alendę mentis, & magis ſectentur corporalem, ac peritu[…] panem, q; cœleſtem & ęternum panem. Sed hęc eſt ꝓpoſtera & peruerſa re[illegible] cura. Homo em̃ conditus eſt, non ad ſimilitudinem boum, porco[illegible], & alia[illegible] beſtia[illegible], quę tm̃ uentri ſtudent, & hoc unum agunt, ut corporalem cibum affectentur, ſed conditus eſt ad imaginem & ſimilitudinem dei, uidelicet ut agnoſcat deum, & ſtudeat rebus diuinis ac ęternis. Siue enim intuearis humanum corpus, ſiue animum, monemur ex ipſa ha[illegible] re[illegible] ſpecie & natura, ne belluarum more cibos tm̃ corporales quęramus. Reliqua animantia uentri dedita, ſpectant prona ad terrã, homo aũt erecti corporis eſt, ut cœlum uideat. Homo igit cœleſtia non terreſtria curare debet. De animo aũt, quid plura dicendum eſt? Pręcipua hęc pars eſt hoĩs, quę certe non conſeruatur corporali alimento, ſed alio longe ꝓſtantiori, nempe cœleſti ac diuino. Quare ſiue corpus ſiue animum hoĩs conſideraueris, nulla ratione congruens eſt, ut pręcipue ac maxime oĩm corpori conſeruãdo & excolendo ſtudeas. Quod ſi homo nõ peccaſſet, eã duxiſſet uitam, quę nullis prorſus afflictionibus fuiſſet obnoxia, & cibo corporali ita uſus eſſet, ut interim oĩ mente & cogitatione curaq; in contemplatione rerum cœleſtium ac diuina[illegible] uerſatus eſſet. Hęc fuiſſet uita in paradiſo. Poſtq; aũt homo peccauit, eiectus eſt propter peccatum è paradiſo, in hanc calamitoſam uitam, non ut in ea perpetuo hęreret, ſed ut aliquanto tempore, tanq; in

Hominis conditio.

carcere & ergastulo concluderetur, quo conciperet desiderium libera-
tionis & cogitaret amissam fœlicitatem recuperare. Qui autem sese to-
tum immergit in curam corporalium ac terrenarum rerum, obsecro te,
quid aliud agit, ꝗ si quis contrusus & inclusus in horrendum carcerẽ,
non hoc laboraret, ut dimitteretur, sed potius ut ibi diu cõmoraretur,
ac squalore & sordibus delectaretur? Quid hoc stultius, ac magis insa-
num esset? Atqui idem prorsus faciunt hi, qui contemptis & neglectis
cœlestibus, immergunt sese totos in hęc terrestria. Sed tu uide mihi,
quid sibi uelit primum ac pręcipuum pręceptum dei. Ego sum, inquit,
DOMINVS Deus tuus, Non habebis alienos deos coram me. Et
iterꝫ. Diliges DOMINVM Deum tuum ex toto corde, ex tota ani
ma, & tota fortitudine tua. Hoc pręceptum, etsi nullus hoim in hac ter-
ra perfecte implere potest, admonet tamen unumquemuis hoiem sui
offitij, ut cognoscat quid uero Dño deo suo debeat. Docet enim hoc es
se hominis offitium, non ut uentrem suum pro deo colat, & commodo
tantum uentris, more porcorum seruiat, sed ut uerum, oipotentem, cœ
lestem DñM Deum nostrum colat, & cœlestia ac diuina toto animo
sectetur. Hoc obsequium debemus deo, primum ex creatione, ꝗ crea-
uerit nos hoies ad imaginem & similitudinem suam, deinde ex recrea-
tione, ꝗ recreauerit, & redemerit nos per unigenitũ filiũ suum DñM
nostrum Iesum Christum, per quem eripuit nos à potestate tenebrarꝫ,
& transtulit nos in regnum eius. Quid igitur turpius, quid fœdius, ꝗ
contempto deo, & neglecto offitio, quod debemus Deo, sectari tantũ
humana, corporalia & terrena? Age uero, numerabimus aliquam par-
tem temporis uitę nostrę, & conferemus cum ea studium nostrum, ut
conspicuum fiat, quanta sit ignauia, quanta socordia nostra, in cognos-
cendis & considerandis ijs rebus, quę ad ueram, cœlestem ac perpetuã
nostram salutem pertinent. Vna hebdomada constat septem diebus, &
unus dies naturalis constat uiginti quatuor horis. Numera nunc horas
unius hebdomadę, & habebis centum sexaginta octo horas. Quid er-
go fit? Tantus est in uulgo hominum neglectus diuinarum rerꝫ, ut in
tot horis unius hebdomadę non sumant sibi unam & alteram horã, in
qua serio de cœlesti sua salute cogitent. Sed dicamus etiã de anno. V-
nus annus communis constat trecẽtis sexaginta quinq; diebus. Et cum
unusquisq; dies constet uiginti quatuor horis, numerãtur in uno anno
octies mille, septingentę & sexaginta horæ. Inuenias autem, qui in tot
millibus horarum, non sumant sibi tres aut quatuor horas, in quibus
tota mentꝫ, totaq; cogitatione cœlestia uel secum ipsi tractent, uel à mi
nistris Ecclesię publice tractari audiant, cum interim oẽs horas impen-
dãt somno, cibo, labori manuum, cõuiuijs, balneis, colloquijs de rebus
uanissimis, deambulationibus, profectionibus, mercimonijs emendis
aut uen-

Ignauia hominum in sectandis rebus cœlestib. reprehenditur.

aut uendendis, & quis corporales hominum occupationes omnes enumerare posset? An non hoc, non solum est turpissimum, uerumetiam pernitiosissimum? Ecclesiasticę historię testantur Pambum quendam Eremitam, uenisse hortatu Athanasij, ex eremo ad Alexandreiam. Is, cũ uidisset ibi mulierem Theatralem, ut uocant, multo auro & gẽmis ornatam, illacrymatus est. Rogatus cur id faceret, duę, inqt, me res mouerunt. Vna, illius mulieris interitus. Altera, ꝙ ego non tantum studeo placere deo seruatori meo, quãtum illa nefarijs hominibus. Pie admodum Pambus, sed hoc non fictis lacrymis deplorandum est, ꝙ non solum una & altera mulier, uerũ uniuersum penè hominum genus curis & cogitationibus suis in hoc tãtum euigilent, ut bene sit uentri, quod quid aliud est, cũꝫ ad pręsentem suum interitum tendere? Escę, inquit Paulus, uentri destinatę sunt, & uenter escis, Deus aũt & hunc & illas abolebit. Et iterũ. Complures ambulant, de quibus sæpe dixi uobis, nunc aũt & flens dico, inimici crucis Christi, quorũ finis perditio est, quorum DEVS VENTER, & gloria in dedecore ipsorum, qui terrestria curant. Et Christus. Quid prodest, inquit, homini, si totũ mundum lucratus fuerit, animę uero suę iacturam fecerit? Quid item prodest, corpus omni genere delicatissimarũ escarum saturatum habere, interim autem mentem ieiunitate cœlestis cibi, qui perpetuo seruet, contabescere? Considera eũ mihi, obsecro, quis sit horum studiorum exitus. Nam si opereris, ut Christus loquitur, aut secteris tantum eum cibum qui perit, hoc est, corporalem seu terrenum, uideris quidem cõseruare corpus, ad tempus aliquod, idcꝫ minime diuturnum, paulo post autem amissurus es unà cum uita corporis, totam ac perpetuam salutem. Itacꝫ corpus & anima simul pereunt. Si autem opereris cibum qui permanet in uitam æternam, tunc etsi corpus aliquoties esurit, addo etiam, perit, seruatur tamen anima. Seruata autem anima, seruatur & corpus, per DOMINVM Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile ut conforme reddat corpori suo glorioso, secundum efficatiam, qua potest subijcere sibi omnia. Quare hoc unũ sit studium, hæc cura, hæc cogitatio nostra, ut operemur cibum, qui permanet, in æternam uitam. Sed quid? nihil ne aliud agendum est in hac terra? an non licet corporalem cibum quærere? Sic inepti quidam hypocritæ sentiebant, qui cum conclusissent se in sua conclauia, sumebant otiosi ab alijs cibum. Non hoc docet Christus. Cum eũ iubet orare, panem nostrũ quotidianum da nobis hodie, perspicue significat, etiam corporalem cibum quęrendum esse, pro sua quidem ratione. Et Paulus. Cum essemus, inquit, apud uos, hoc pręcipiebamus uobis, ut si quis nollet operari, is nec ederet. Et sequit. Audimus quosdam uersantes inter uos inordinate, nihil opis facientes sed curiose agẽtes. His

Pambus eremita

Ignauia hypocritica damnatur.

autem, qui ſunt eiuſmodi, pręcipimus & obſecramus, per Dominum
noſtrum Ieſum Chriſtum, ut cum quiete operantes, ſuum ipſorum pa-
nem edant. Quid ergo eſt, quod ait Chriſtus. Operemini non cibum,
qui perit? Nõ damnat honeſtum modum quęrendi corporalis uictus,
ſed damnat hoĩm prępoſterum ac peruerſum ſtudium. Solẽt homines
maiorem habere rationem quærendi corporalis, q̃ ſpũalis uictus, &
plus curant ſalutem corporis, q̃ animę. Atqui hæc oportuit facere, il-
la aũt non omittere. Vt conſerueris ad cœleſtem & perpetuam uitam,
neceſſarium eſt, ſi modo ſaluus eſſe uelis. Vt autem conſerueris in hac
corporali uita, non eſt neceſſarium. Primum, inquit, quęrite regnum
Dei & iuſtitiam eius, & hęc omnia adijcientur uobis. Et, Non in ſolo
pane uiuit homo, ſed in omni uerbo, quod egrediť de ore dei. Hęc ter-
ra, non eſt uera noſtra patria, ſed eſt aliena, in qua peregrinamur. Quẽ
admodum autem ſi quis in exteris regiõibus peregrinetur, hoc unum
ſibi agendum agnoſcit, ut confectis rebus ſuis propter quas peregrina
tionem ſuſcepit, ad domum q̃ primum reuertatur & quanq̃ interea
temporis diuertit aliquoties ad amicos, & contemplatur alienarum ur
bium ędifitia, tamen hoc prępuum inſtitutum eius eſt, ut ad ſua rede
at, ita cum in hac uita peregrinamur, ut ad cœleſtem patriã redeamus,
etſi corporalem cibum, tanq̃ in diuerſorio, quærere licet, maxime ta-
men oĩm quęrendus eſt cœleſtis cibus, quo ad perpetuam uitam cõſer
uemur. Huius enim gratia hæc peregrinatio ſuſcepta eſt. Sed quis eſt,
inqęs, is cibus qui permanet in ęternam uitam? EGO ſum, inqt Chri-
ſtus, panis uiuus, qui de cœlo deſcendi. Si quis ederit ex hoc pane, ui-
uet inęternum. De qua re, quoniam poſtea pluribus diſſeretur, nõ eri-
mus nunc longiores, ſed perſequemur, quod in pręſentia nobis propo
ſitum eſt, & uidebimus, quis hũc cibum ſeu panẽ nobis porrigat. Ad-
dit enim Chriſtus, Quem filius hominis dabit uobis, Hunc enim pa-
ter conſignauit deus. Hęc per antitheſin dicta eſſe, clare demonſtrabũt
ea, quę paulopoſt ſequentur. Filius eĩ hominis, q̃ eſt Meſſias, oppo-
nitur patriarchis, Moſi, prophetis, circũciſioni, & uniuerſę legi. Et eſt
ſenſus: Nec patriarchę, nec Moſes, nec ꝓphetę ſunt perſona illa, prop-
ter quam hoĩes iuſtificantur & uiuificantur. Nec circumciſio, nec uni-
uerſa lex, ſunt res illa, ꝓpter quam hoĩes conſequuntur iuſtitiam corã
deo, & uitã æternam Sed ſolus filius hoĩs, qui eſt Meſſias, Ieſus Chri-
ſtus Dñs noſter, ꝑſona illa eſt, & res, propter quam hoĩes ſeruanť, hoc
eſt, reputanť coram deo iuſti, et accipiũt ſempiternã ſalutẽ. Magnus q̃-
dẽ uſus eſt patriarcharꝫ, prophetarꝫ, et legis. Sed ſolus Meſſias uera eſt
ſalus. Abrahã fuit patriarcha ſanctiſſimus, et laude digniſſimus, ꝓpter
Abraamum aũt nullus hoĩm conſequitur remiſſionem pctõrum. Mo-
ſes fuit optimus legislator, & dux Iſraelitarꝫ fortiſſimus, ꝓpter Moſen
autem

Peregrini in terra ſumus.

Chriſtus ſolus eſt ſalus noſtra.

autem nemo ſeruatur in morte. Prophetę fuerunt doctiſſimi & ſanctiſſimi concionatores uerbi dei, propter prophetas aũt nullus hominum aſſequitur regnum cœleſte. Circumciſio, fuit utiliſſimum ſacramentũ, ſed nulli hominum contigit propter circumciſionem ęterna ſalus. Sabbatum, Sacrifitia, & alia opera legis habuerunt ſuam utilitatẽ, ſed propter ipſa nemo peruenit ad ſempiternam ſalutẽ. Solus filius hominis, ſolus Meſſias eſt panis uitę, propter quem contingit omnibus credentibus in ipſum, remiſſio peccatorum, iuſtitia, ſalus & uita. Neq; id immerito. Is enim eſt, quem deus pater conſignauit. Primum enim Deus pater conſignauit eum ab æterno ſua ipſius imagine, ut ſit una cum ipſo uerus & ęternus deus, eiuſdem ſubſtantiæ, & maieſtatis. Ipſe eſt, inquit Apoſtolus, imago dei inconſpicui. Et iterum. Splendor gloriæ & expreſſa imago ſubſtantiæ illius. Quare, cum ſit diuina potentia conſignatus, non eſt mirum, q; poſſit credentes in ipſum ſeruare, & tribuere eis ęternam uitam. Deinde, poſtq; factus eſt filius hominis conſignauit eũ Deus apertis teſtimonijs, q; ipſe ſit uerus Meſſias, & ſeruator omnium credentium in ipſum. Nam quemadmodum ſigilla publicarũ literarum teſtificantur de rebus geſtis, quę in literis commemorantur, ita deus pater teſtificatus eſt multis miraculis, tanq; cœleſtibus ſigillis, de Ieſu filio Marię, quod miſerit & unxerit ipſum, in uerũ Meſſiam, et datorem æternæ uitæ. Miſſus eſt angelus Gabriel, qui adnunciaret cõceptionem & natiuitatem eius. Natus eſt ex muliere uirgine. Prædicatus eſt ab angelis. Viſitatus & adoratus à Magis. Et cum baptiſaretur à Ioanne in Iordane, audita eſt uox dei patris, palam de cœlo teſtificãtis, hunc eſſe filium ſuum dilectum, in quo ipſi complacitum ſit. Venit & ſpiritus ſanctus in ſpecie columbę. Poſtea, cum prędicaret Euangelion ſuum, ædidit maxima & clariſſima miracula. Hæc omnia ſunt cœleſtia ſigilla, quibus deus pater teſtificatus eſt, ſe hunc Ieſum miſiſſe & cõfirmaſſe, ut eſſet uerus humani generis ſeruator. Quæ ſigilla poſtea Reſurrectione à mortuis, Aſcenſu in cœlum, miſſione ſpiritus ſancti in diſcipulos & diuulgatione Euangelij in totum orbem terrarũ ita roborata ſunt, ut nullus iam dubitandi locus relinquatur, quin hic ſit uerus ille Meſſias, propter quem ſolum homines conſequantur perpetuam ſalutem. Quare, etſi ſuus labor, & ſua cura debetur corporali cibo, qui uſu ſuo perit, tamen maxime omnium in hoc nobis elaborãdum eſt, ut comparemus cibum manentem in æternam uitam, qui eſt Ieſus Chriſtus DOMINVS noſter, una cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA LIII.

Tsi uenter auribus carere dicitur, Iudæi tamen uentri dediti, non uidentur cõtionem Christi surda aure percepisse. Cum enim Christus reprehẽderet eos, ꝓ magis sectarentur cibum corporalem, q̃ cœlestem, & cohortaretur ipsos, ut operarentur cibum permanẽtem in ęternam uitam, recte intelligunt, se uocari ad faciendam ueram iustitiam, & peragendum hunc diuinum cultum, quo consequant cœlestia
,, & perpetua bona. Dixerunt ergo ad eum. Quid facimus, ut operemur
,, opera dei? Siue hoc ioco, siue serio interrogent, certe hęc est ipsorũ sententia. Quid tu nobis concionaris de operando cibo permanenti in æternam uitam, hoc est, de sectãda iustitia, & faciendo diuino cultu, quo perueniamus ad perpetuã beatitudinem? an non satis iusti sumus operibus legis nostrę? an non possumus ad sempiternam fœlicitatem peruenire meritis eorũ diuinorũ cultuum, quos nobis lex nostra prescripsit? Sumus circumcisi. Obseruamus sabbatum, offerimus sacrifitia, non furamur, non latrocinamur, damus decimas, damus eleëmosynas, ieiunamus statis tẽporibus, & facimus multa alia bona opera. Quid amplius à nobis requiris? aut quid possemus facere, ut essemus iustiores, & deo acceptiores? En hęc est uetus & innata humanę naturę cęcitas & ignorantia, ꝓ existiment diuinã legẽ humanis nostris operibus impleri posse, ac se coram deo satis iustos esse, si ciuilẽ honestatẽ uitę sectentur. Etsi aũt diuinę legi semp̃ pro uirili obediẽdũ est, et suus est uniuscuiusque boni operis, quod deus exigit, usus, tamen nullus est hominum, q̃ possit suis operibus legi satisfacere. In Genesi cap. viij. dicitur, Sensus & cogitatio humani cordis, ab adolescẽtia sua, malum sunt. Diuina aũt lex exigit sensum & cogitationem hoĩs bonam. Quare fieri nõ potest, ut quãdiu hęc naturalis malitia hoĩ inhęret, (inhęret aũt propter originale peccatum, homini etiam pio & renato per spiritum sanctum, usq̃ ad mortẽ) legem dei perfecte impleat. Psalmus ait. In conspectu tuo nõ iustificatur oĩs uiuens. Atqui lex requirit ad sui impletionem homines uere iustos & sanctos. Cum igitur nullus hominum sit natura sua corã deo iustus & sanctus, manifestum est, nullum hominem posse legi perfecte satisfacere. Lex, inquit Paulus, spiritualis est, Ego autem sum carnalis. Et, Noui, quod non habitet in carne mea bonum. Si non est in carne, etiam pij hominis, bonum, quomodo bonam legem impleret? Et iterum. Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum. Nam legi Dei non subditur, siquidem ne potest quidem. Etsi autem affectus carnis non

Iustus perfecte nullus hominum.

nis nõ dominatur in homine pio, tamen manet in eo, quamdiu agit uitam in hoc seculo. Nunq̃ ergo implet legem. Ac rursus. Caro cõcupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc inter se mutuo aduersantur, ut non quæcunq̃ uolueritis, eadem faciatis. Audis perpetuam esse pugnam carnis & spiritus, non quidem in impijs, qui totí obsequuntur affectibus carnis, nec habent spiritum sanctum, sed in pijs, qui sunt spiritu sancto præditi. Lex autem Dei non fert ullam rebellionem aduersus spiritum sanctum, sed exigit perfectam obedientiam. Quare, cum in homine quantumuis pio sit perpetua rebellio carnis & spiritus, perspicuum est, quòd legem Dei nunq̃ perfecte suis operibus impleat. Quæ cum ita sese habeant manifeste uides quàmlonge & pernitiose errent hi siue Iudæi, siue Christiani hypocritæ, qui putant se suis sacris & bonis operibus legi dei satisfacere, & coram deo iustos esse. Quid ergo faciendum est, ut operemur opera Dei, hoc est, ut ueram faciamus iustitiam, & cultum deo acceptissimum, ac ut legem Dei impleamus? De hac re audiendus est Christus. Respondit enim & dixit eis. Hoc est opus dei, ut credatis in eũ, quem misit ille. Si uultis maximum & prestantissimum cultum deo prestare, si uultis ueram iustitiam coram deo assequi, et salui esse, hoc opus, hoc sacrum, hic cultus dei faciendus est, uidelicet, ut credatis in eum, quem misit ille. Credere, inquam, in Iesum, cultus ille diuinus est, quo deus ita delectatur, ut reputet credẽtem tam iustum, q̃ si totam legem suis operibus impleuisset. Quid ergo est, inquis, credere in Iesum? Hoc ut simplicissime describatur, est credere Euangelio eius, & illud fide excipere. Iesus aũt prædicauit hoc Euangelion, quòd sit à deo missus, quòd sit uerus ille Messias, qui per prophetas promissus est. Quare credere in Iesum est tribuere ei honorem & maiestatem Messiæ, hoc est, agnoscere eum expiatorem peccatorum, placatorem ire dei, seruatorem in morte, autorem uitę & fœlicitatis nostrę, adeoq̃ collocare in eo omnem salutis fiduciam. Hęc em̃ prophetę tribuunt Messię. Sed hic considerandum est nobis, cur credere in Iesum Christum sit maximum opus, & præstantissimus cultus dei. Ac primũ, fides in Iesum Christum idcirco dicitur præstantissimus dei cultus, quòd sit organon, quo apprehenditur Christus, & quo is, qui credit, inseritur Christo. Nihil autem potest nobis nec maius, nec fœlicius contingere, q̃ quòd Christus fiat noster, & nos Christi. Nam si Christus, noster est, et nos Christi, quid reliquũ est, nisi ut oia bona Christi, nostra sint, et omnia mala nostra, bonitate Christi absorbeant? Itaq̃ nostra est perfecta iustitia, sanctitas & fœlicitas Christi, prę quibus pctã nostra nõ imputant nobis, et mors nostra, quæ est ultimũ in his terris genus infœlicitatis, nõ est ostiũ inferni, sed regni cœlestis, ꝓpter Christũ. Quare, cũ Christus accipiat & inserat nobis

Fides, præstãtissimus dei cultus.

Credere in Iesum quid sit.

Fide iustificamur, quomõ?

per fidem, manifestum est, ꝙ non possimus præstantius & melius sacrum facere, q̃ credere in Iesum Christum. Ac eatenus etiam dicimur per fidem iustificari, non ꝙ fides in Christum per se sit opus tantæ dignitatis ut merito suo iustificet nos coram Deo, sed ꝙ accipiat Christum, propter quem solum reputamur coram Deo iusti, & adoptamur in filios ac hæredes Dei. Deinde fides in Christum dicitur prestantissimus cultus Dei, ꝙ reddat Deo honorem ueritatis promissionum suarum, & agnoscat Deum esse ueracẽ. Deus enim etsi multa alia tam corporalia q̃ spiritualia promisit, tamen hoc est prẹcipuũ inter promissiones eius, ꝙ missurus sit Messiam in hunc mundum. Et palam cõprobauit ac declarauit magnis et multis testimonijs hũc Iesum Nazarethanum esse Messiã illum, antea promissum. Quare qui in ipsum credit, dat Deo gloriã ueritatis. Sic aũt deum glorificare, deo longe omnium gratissimum est. Placet quidem deo, si iuxta legẽ ambules, & opera legis facias, sed ita, si hoc ex fide feceris, hoc est, si deum ueracem in promissione sua de Messia agnoscas. Quis enim honor deo acceptus esse posset, si eum in corde tuo uanum ac mẽdacem iudicaueris? Homo nõ agnoscit capitis tui humiliationes, genuflexiones, & de uia cessiones, si intelligat se haberi à te uanum & mendacẽ, & deus agnosceret? Cum igitur fides reddat deo honorẽ ueritatis, merito antefertur oĩbus alijs sacris & cultibus dei. Postremo, cum fides in Iesum Christum, accipiat una cum Christo etiã spũm sanctum, qui est innouator hoĩs, & creator obedientię in hoĩe, perspicuum est, ꝙ fides sit fundamentum & initiũ oĩm piarꝝ uirtutum, & bonarꝝ actionum. Alij, qui non habent fidẽ in Christum, alijs interdum uirtutibus ornati sunt. Hic iustus est in cõtractibus ciuilibus, ille pacifẽs in aduersis, hic castus, ille in alloquio humanus, hic misericors erga afflictos, ille in dictis uerax & promissi seruans. Hæ sunt diuersæ uirtutes, & qui una præditus est, fieri potest, ut omnibus alijs careat. Inuenias eũ, qui cum sint seruantes promissi, tamen sunt crudelissimi erga miseros. Inuenias alios, qui cum præstent ciuilem castitatem, tamen sunt uanissimi. Sed qui habet fidem in Christum, is etiam habet spũm sanctum, qui ducit eum in omnia genera bonarum uirtutum & actionum. Etsi enim fides non eatenus iustificat hominem coram deo quatenus est inchoatio bonorum operum in homine, & magna semper reliqua est infirmitas in carne, quamdiu in hacterra uitam agimus, etiamsi spiritus sanctus hominem gubernet, tamen is fidei spiritus non est otiosus, & ignauus, sed est efficax, mortificat affectum carnis, & producit uaria genera uirtutum, caritatem, gaudium, pacem, lenitatem, benignitatem, bonitatem, ueritatem, mansuetudinẽ, temperantiam, castitatem, & quis oẽs fructus spũs enumerare posset? Quare hoc etiã nomine fides in Christum, est præstantissimus cultus Dei,

Virtutum uariæ species.

Dei, cp sit initium, & cõmendatio omnium bonorum operum, & qui uult maximum Deo sacrum facere, necesse habebit hoc opus operari. Hic enim est ille summus cultus Dei, quem patriarchæ, prophetæ, & omnes pij præstiterunt. Hoc cultu consecuti sunt iustitiam & salutem, quotquot Deo accepti fuerunt. Non sunt iustificati merito circumcisionis, sabbatorum, sacrificiorum, nec etiam moralium uirtutum, sed iustificati sunt hoc cultu, uidelicet, fide in Christum, idque non propter meritum operis fidei, quod opus etiam ipsum in credente infirmum esse solet, sed propter solum Christum, qui homini per fidem inserit, & applicatur. Sed quid? inquies, Si credere in Christum summus est ac pstantissimus cultus Dei, nihil facilius est, cp hunc cultum deo præstare, psertim nobis, qui ab ineunte ętate imbuti sumus symbolo Apostolorum, in quo doctrina fidei summatim continetur? Sic quidem apparet hominibus, extra tentationes, & in omnium rerũ fœlicitate. Sed res ipsa probat, fidem in Christum, non tamen frequentem esse in hominibus, cp frequens est de ea sermo inter homines. Nam si Satan homines oppugnat, perspicue uidere licet, fidem nõ esse omnium, quemadmodum Paulus loquitur, & paucissimos esse credentes. Oppugnat autẽ Satan homines uarijs modis. Aliquoties enim sollicitat eos proposito inimico, ad cupiditatem uindictę, similiter propositis opibus, ad auaritiam aut imposturam, adhęc obiecta aliena muliere, ad libidinẽ, pręterea ostentato magistratu, ad ambitionẽ, et ad infinita id genus opera carnis. Quotus aũt quisqp est, qui nõ succũbat? qui nõ tradat sese Satanæ captiuum? qui nõ obsequatur affectui carnis per Satanam excitato? Qui uero succumbunt, hi aut non credunt in Christum, aut fidem amittunt. Qui in carne sunt, inquit Paulus, Deo placere non possunt. Et, si secundum carnem uixeritis, moriemini. Et Christus ipse. Omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati. Ac Ioannes. Omnis, qui non facit iustitiam, non est ex Deo. Aliquoties obijciuntur nobis persecutores Euangelij Christi, per quos Satan sollicitat homines ad abnegationẽ Christi, & ad impietatem. Manifestum autem est, cp pauci semper constiterint in confessione Christi, præsertim si persecutiones fuerunt crudelitate insignes. Abnegare uero Christum in persecutione, manifestum argumentum est, aut fidem non fuisse certam, aut Christum abijci. Aliquoties proponuntur nobis Iudæi, Turcæ, contemptores religionis, & Epicurei. Per hos efficit Satan, ut impietas multitudinis reueletur. Cum enim hi iactent prosperum rerum suarum successum in sua impia aut nulla religione, & dicunt, quid? Si tuus Christus est uerus Deus, & curat res humanas, cur non uos Christianos iuuat? cur non uos defendit? quotusquisque obsecro, est in hominum uulgo, qui ad has quamuis manifeste impias & blalphemas uoces, non incipiat

Fides uera paucorũ est hominum.

de ueritate Christianismi dubitare, & si urgeatur persecutione, ad impietatem, & contemptum Christi deficere? Hoc perspicuum signum est, multitudinem hominum inter Christianos, non uere agnoscere Christum, sed tantũ somniare. Ac postremo omnium obijciuntur nobis in conscientia, peccata, mors, & dolores inferni. Quot putas in his grauissimis tentationibus & in seuero dei iuditio succumbere ac perire? Nam si multitudo non constat ad ridiculam, ac manifeste impiam obiectionem Turcę cuiusdam, aut Epicurei, aduersus doctrinam Euãgelij Christi, quomodo constaret aduersus ignita tela Satanæ, quę ille coram horrendo illo tribunali dei cõtra homines eiaculari solet? Quare fides in Christum, nõ est res tam facilis & uulgaris, cũ facile & uulgariter de ea loquimur, sed ut est cultus dei præstantissimus, ita superat omnes humanas uires, ac necesse est, ut accipiamus eam de cœlo, & potẽtia spiritus sancti in nobis excitetur. Caro & sanguis, inquit Christus, non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis. Inuocemus igitur deum patrem, per Iesum Christum, ut spiritu suo accendat & inflãmet corda nostra uera fide, qua iustificati, salutem consequamur per filium dei, Iesum Christum seruatorem nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LIIII.

Magna & eximia contionatus est de seipso Iesus. Filius hominis, inquiens, dabit uobis cibum, qui permanet in uitam æternam. Et, Hoc est opus dei, ut credatis in eũ, quem misit ille. Quo sermone significauit optimum & præstantissimum cultũ Dei esse, audire ipsum & credere in ipsum. Hoc certe est extollere sese nõ tantum supra uulgarem hoim sortem, uerũ etiam supra oẽs patriarchas & ꝓphetas. Nullus em̃ unq̃ uel patriarcha uel propheta tãtum sibi arrogauit, nec tãta de se benefitia auditoribus suis promisit. Audiamus igit̃ nũc, quomodo Iudęi hanc contionẽ, aut ut ipsi iudicabãt, arrogantiam exce
» perint. Dixerũt ergo ei. Quod tu signũ facis, ut uideamus et credamus
» tibi? qd operaris? Patres nostri mãducauerunt manna in deserto, sicut
» scriptũ est. Panem de cœlo dedit eis ad ędendũ. Quod Iudęi respõdẽt, hãc habet sententiã. Tu iactas maxima te bñfitia nobis daturũ, & significas te prophetã esse illũ, quẽ Moses audire iussit, & Messiã in quẽ ꝓphetę credere iusserũt, sed nõdum signis ꝓbasti, nec re ipsa declarasti te talẽ esse, qualem te ꝑdicas. Si dares nobis Mãna cœleste, quẽadmodũ patres nostri comederũt in deserto, iuxta illud psal: 77. Pluit illis mãna ad manducandũ, & panẽ cœli dedit eis, ac liberares nos hac durissima ser-

ſima ſeruitute, qua à Romanis opprimimur, ſicut Moſes liberauit nos Ægyptiaca ſeruitute, crederemus te à Deo miſſum, & uere eſſe Meſſiam. Nunc aũt, cum tu ipſe uir ſis abiectus, & quamq̃ paueris nos uno ueſpero, tamen hodie nihil minus ieiuni ſimus et egentes ac miſeri, nõ poſſumus te pro tanto heroë, & pro uero Meſſia agnoſcere. Hic iterũ uides Iudæos non niſi corporalia bona ſpirare, ac terreſtre tantum regnum, & carnalem fœlicitatem in Meſſia quærere. Rem miſeram, & nõ fictis lacrymis deplorandam, q̃ homines hoc ſolum agere ſoleant, ut bene ſit corpori, ac exiſtiment omnia reliqua ſalua eſſe, ſi modo corporalia bona ſalua ſint. Nam ſi tantum terreſtrem conſequantur fœlicitatem, ſentiunt cœleſtem ſua ſponte ſequi, ideoq̃ nihil non curẽ, ſollicitudinis, moleſtiẽ, laboris, addo etiam, iniquitatis & impietatis ſuſcipiunt, ut comparent ſibi terreſtria bona. Accedit huc, q̃ eos ſolos admirentur, ac uenerent, quos uidẽt his terrenis bonis fœlices eſſe, & quos ſperant autores, ut & ipſi hęc bona conſequantur. In magno erant prẽcio apud Iudęos Theodas, Iudas Galilęus, & poſtea etiam Cochabas, q̃ pollicebantur terrenam fœlicitatem, & liberationẽ à Romana ſeruitute, cum interim aqua & igni interdiceretur Apoſtolis, qui prædicabant uerã ac cœleſtem fœlicitatem & promittebãt æterna bona. Quid dicam de Ethnicis? Hi non humanis tantum, uerumetiam diuinis honoribus affecerunt eos, qui attulerunt ipſis aliquam corporalem utilitatem. Bacchum conſecrarunt in deum, q̃ oſtendiſſent culturã & uſum uini. Cererem adorarunt, ut deam, quod docuiſſet culturam & uſum frumenti, cum ante ueſcerentur glandibus. Hercules relatus eſt inter deos, quod ciues ab hoſtibus oppugnatos ſeruaſſet, quòd exules regnis ſuis reſtituiſſet, quòd terram à latronibus & mare à pyratis tuta reddidiſset. Hæ etſi ſunt magnæ, & principe dignæ uirtutes, tamen quia Ethnici conſecrarunt Herculem propter has uirtutes in Deum, haud obſcure ſignificarunt, animum ſuum in bonis tantum terreſtribus eſſe. Dicam, quod uix honeſte in publica Eccleſia dici poteſt, & tamen dicendum eſt, ut uideas homines nihil penſi habere, tantummodo ut terrenis bonis fruantur. Flora, cum magnas opes ex arte meretritia quæſiuiſſet, populum Romanum ſcripſit hæredem, certam pecuniam reliquit, ex cuius annuo fœnore natalis eius dies celebraretur, & æderentur ludi, quos Floralia uocant. Quid ergo factum eſt? Num Romani tam fœda, tam turpia agnouerunt? Non agnouerunt tantum cupide, uerumetiam conſecrarunt Floram in deam, quę floribus prẽſit. O ſterquilinia, ò deteſtandos homines, qui etiam ſcortis diuinos honores tribuerunt, quòd accepiſſent ab ipſis corporale benefitium, cum interim honeſtiſſimos uiros, uel oratores illos, uel philoſophos, qui uirtutem docebant, magno deſpectui habuerint

Meßias corporalis quæritur.

Corporalia bona, putantur ſumma.

Lactantius de falſa reg. li. 1. ca. 29.

Floralia.

aut etiam nõnullos eorum occiderint. In hac autem re non soli Ethnici peccarunt, sed etiam Christiani ipsi. Nam in cultu sanctorũ, quem hypocritæ ut magno studio ita & magna impietate sectati sunt, eos sanctos pręcipue uenerati sunt, quorę benefitio sperarunt se uel bona corporalia accepturos, uel mala declinaturos. His instituerunt dies festos, templa, oblationes, peregrinationes, societates, & quas ita uocant, fraternitates. Quid plura? Maxima pars, etiam eorũ, qui Christiani audiunt, tanta terrestrium & temporalium bonorũ cupiditate flagrant, ut Satanam ipsum pro sancto aut deo colerẽt, si modo pecuniam numeraret, ac corporalia benefitia conferret. Quod certe uel ex hoc perspicuũ est, quia etsi nihil est notius, q̃ impostures, nugas, mendatia, & periuria esse scelera & Satanę opera, tamẽ homines ad parandas opes, & cõsequenda corporalia bona, tanta animi promptitudine sectant scelera, ut nulla nec honestatis ratione, nec diuini uerbi admonitione, nec etiã supplitiorę seueritate retrahi queant. Quid est, si hęc non est, cęcitas, & impietas? Tam cęcati em̃ sunt hoĩes, ut existimẽt hęc corporalia et tẽporalia bona uerã esse fœlicitatẽ. Audiamus igitur quid Iesus Iudęis corporalem tantum cibum, & terrenam liberationem desiderantibus respondeat. Dixit ergo eis Iesus. Amen amen dico uobis. Non Moses dedit uobis panem de cœlo, (uidelicet uerę) Sed pater meus dat uobis panem de cœlo uerum. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit & dat uitam mũdo. Hęc est collatio Mosi & benefitiorum eius, cum Messia, & benefitijs, quę Messias credentibus in ipsum confert. Vos, inqt, plurimum gloriamini de Mose, ac de benefitijs quę per ipsum uobis exhibita sunt, primum aũt etsi Moses fuit magnus propheta & fidelis minister dei, tñ non fuit persona illa, propter quam hoĩes ueram salutem cõsequuntur. Sed Messias, quem prophetę promiserunt, & de quo Moses ipse cõtionatus est, quemq̃ Deus iam de cœlo in terram misit, persona illa est, propter quam uera salus hoĩbus contingit. Deinde benefitia, quę Deus per Mosen prestitit, magna quidẽ sunt, & p̃clara, sed nec perpetua, nec sufficientia. Moses ministrauit uobis diuina liberalitate Manna de cœlo, hoc aũt manna non fuit uerus cibus, qui per se conseruauerit uescentes ad ęternam salutem. Oẽs Israelitę comederunt Manna in deserto, nihilominus tñ & oẽs mortui sunt, et plures illorum non approbauit deus, qui & perpetuo interierunt. Sed Messias, qui est naturalis filius dei, & quẽ pater eius de cœlo in terram iam misit, qui hoc tempore uitam inter hoĩes agit, uerus est cibus, qui oẽs uescentes ipso, hoc est credentes in ipsum, ita conseruat, ut nunq̃ moriantur, sed etiãsi uideantur mori, tñ seruentur in ęternam uitam. Moses liberauit Israelitas Ægyptiaca seruitute, & duxit eos per desertum usq̃ ad terram Canaan. Hoc excellẽs quidẽ & afflictis Israelitis gratissimũ fuit bñfitium, non fuit

sanctorum cultus.

Mosi & Messiæ benefitia.

non fuit autem uera liberatio, quia etiamsi liberati erant Ægyptijs tyrannis, non tamen liberati erant spiritualibus tyrannis, uidelicet, peccatis, Satana, morte & inferno. Sed Messias affert ueram liberationem. Remittit enim credentibus in ipsum peccata, & efficit, ut hi, qui accipiunt ipsum per fidem, reputentur coram Deo iusti. Vincit Satanam, & seruos Satanæ ita liberat, ut adoptentur in filios Dei. Vincit mortem, & efficit, ut morte obnoxij, nunq̃ moriuntur, sed perpetuo uiuant. Expugnat infernum, ut qui erant inferno obnoxij, ingrediantur cœlum, & fruantur cœlesti fœlicitate. Hęc demum uera sunt benefitia, quæ ut cum corporalibus illis nullo modo sunt conferenda, ita afferunt perpetuam salutem. Descendit (inquit) de cœlo. Affert ergo cœlestia & perpetua, non terrestria et caduca bona. Et dat uitam. Non dat pecuniam, quam auari quęrunt. Nõ frumenta, quę fœneratores coaceruant. Non uinum, quod bibones sectantur. Non terrena imperia, quorum cupiditate homines huius seculi flagrant. Sed dat VITAM, uidelicet, perpetuo fœlicem. Et dat eam MVNDO, offert eam per Euangelion suum non Iudęis tantum, non Gentibus tantum, sed uniuersæ creaturæ, hoc est, tam Iudæis q̃ gentibus, tam honestis q̃ inhonestis, tam diuitibus q̃ pauperibus, tam sanis q̃ infirmis, tam principibus q̃ subditis, breuiter toti mũdo. Quare etsi corporalia & terrena bona suum habent usum, & sunt deo pro ipsis, si contigerint, gratię agendæ, tamen his non est cor apponendum, ut psalmus loquitur, sed in hoc studium toto pectore incumbendum, ut uera & cœlestia bona in Messia consequamur. Hæc non obscure quidem significat Christus, cum ait, Pater meus dat uobis panem de cœlo uerę. Panis em̃ dei est, q̃ de cœlo descẽdit, & dat uitã mundo. Iudęi aũt adhuc somniãt corporalia bona. Dixerunt ergo ad eum. Dñe, semper da nobis panẽ istum. Quod supra, mulier Samaritana Christo de fonte aquę salientis in uitam ęternã prędicanti respondit. Dñe, inquiens, da mihi istam aquam, ut non sitiã, neq̃ ueniam huc ad hauriendũ, idem respondent nũc Iudæi Christo prędicanti de pane, qui dat mundo uitã, ac ridicule petunt, ut efficiat, quo uiuificus ille panis copiose de cœlo pluat, se ambabus manibus, & explicato sinu eum excepturos. Præterea, non obscure significant, se uerba Christi ita intelligere, q̃ doceat se ministrum tantum esse panis uiuifici, qualis Moses fuit minister Mannę, non panem ipsum. Semper, inquiunt, da nobis panem istum. Videmus te esse hominem, qui imbecillitate nihil à nobis differat, uidemus nihil humani à te alienũ esse. Quod si magnus quispiam es, certe non potes aliquid plus esse, q̃ minister dei, quales fuerunt patriarchę et prophetę. Quare si accepisti hoc ministerium à deo, ut porrigas nobis nouum Manna, quo semper in hac uita conseruemur, age obsecro, da quod accepisti, ut hoc cœles

sti benefitio per te fruamur. Hic considera mihi, q̃ uaria sint iuditia de doctrina Christi. Alius intelligit promissiones eius carnaliter, alius iudicat eas ridiculas, aut etiam uanas & mendaces, quippe quas putet non posse impleri, alius qui de Iesu bene sibi sentire uidetur, existimat eas à propheticis contionibus nihil differre, propterea q̃ sentiat hunc doctorem seu promissorem, non esse saluatorem ipsum, sed tm̃ salutis ministrum, sicut & prophetę fuerunt. Christus aũt, qua est bonitate, corrigit hos errores Iudęorũ humanissime. Et dixit eis. Ego sum panis uitę. Qui uenit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non siciet unq̃. Vos panem uiuificum ita à me petitis, ut palam declaretis, uos iudicare me tantum esse huius panis ministrum. Ego uero, quod in me est, nõ paciar uos errare. Non sum, sicut putatis, talis minister uiuifici panis, quales fuerunt prophetę, qui & ipsi de consequenda uera salute p̃dicauerunt, Sed ego sum panis ipse uiuificus, & affero uescẽti hoc pane, nõ talia bona, qualia Israelitis cõtigerunt per Manna Mosi, in deserto, sed affero bona cœlestia & ęterna, imo ego ipse sum bonum illud cœleste & ęternum, q̃d qui consecutus fuerit, nihil ei fœlicitatis deesse potest. Percurre oĩa alia bona, quę in his terris noĩari possunt, nullum tm̃ ex eis inuenies, quod sit panis, qui oẽm tollat esuriem, & potus, qui omnẽ extinguat sitim. Liberatio ex Ægyptiaca seruitute, magnum fuit beneficium, sed non fuit panis ille, qui Israelitis famem expleuerit. Multa enim adhuc defuerunt eis, tam corporalia, q̃q̃ spiritualia. Manna, q̃d pluit in deserto, & aqua, quę effluxit ẽ petra, fuerunt admiranda dona dei, sed non depulerunt per se ueram famem & sitim Israelitarũ. Nam, ut nihil dicam de alijs corporalibus rebus, quibus indiguerunt, quot, obsecro, ipsorum perierunt in deserto, non solum externa, sed etiam æterna morte? quot sunt in perpetuos inferni carceres propter impietatem coniecti? Quid aũt dicã de uulgaribus istis in hac terra bonis, de corporali uidelicet sanitate, de agris, de pecunia, de ciuili honore, & magistratu? Dicam potius de regno ipso & imperio huius mundi, quod cũ non depellat famem & sitim hoĩs, quęso te, q̃d est, quod inter terrena bona hoc facere queat? Alexander cognomento Magnus, quum audisset Anaxagoram philosoplum disserẽtem innumerabiles esse mundos (hęc enim quorundã philosophorũ impia fuit opinio) illacrymasse dicitur. Rogantibus, quid sibi hoc fletu uellet, An non uideor, inquit, merito flere, qui quũ mundi sint innumerabiles, nos nondum unius dñi facti sumus? Rem admirandam. Imperium totius fere orbis terrę, quo iã Alexander potiebatur, non potuit animum eius exaciare. Et tamen, si dicendum est, quod res est, minime hoc admirandum. Neq̃ enim imperium huius terrę panis ille est, qui famem hominis expleat. Solus autẽ Iesus Christus, panis uitę est, quo qui uescitur, nunq̃ inęternũ esuriet.

Quomodo

Quomodo ergo, inquis, uescimur hoc pane? Sequitur. Qui uenit ad me, non esuriet. Venire ergo ad Iesum Christū, est hoc pane uesci. Nō est aūt sentiendum, ꝓ fiat nunc sermo de eo aduentu, qui fit corporalibus pedibus. Etsi enim eo tempore, quo Christus prędicauit Euangelion in hac terra, etiam externis pedibus accedendum fuit ad Christum, ut contiones eius audirentur, tamen nunc non loquimur de corporali, sed de spirituali accessu, qui fit per fidem. Sic enim Christus ipse exponit, cum addit, Qui credit in me, non siciet unq̄ꝫ. Venire ergo ad Christum, est credere in ipsum, ꝓ sit factus nobis sapientia à deo, iustitiaq̄ꝫ & sanctificatio & redēptio. Nam, qui sic uenit ad Christum, quō, obsecro, esuriret? quō sitiret? aut quid ei deesset? Si paupertas grauis est, Christus diues est, qui se totum unà cum oībus diuitijs suis credēti donauit. Si peccata minantur nobis iram dei, & damnationem, Christus expiauit pctā, placauit deum, & redemit nos à damnatiōe. Si mors minatur perpetuum interitum, Christus uicit mortem, & parauit uenientibus ad ipsum per fidem, cœlestem ac perpetuam uitam. Quid? num sanitas corporis? num pecunia? num magistratus? nū honor politicus? num regna & imperia possent nobis tanta bñfitia conferre? Quid hæc sine Christo prosunt? Quid illa aduersa, paupertas, & mors cum Christo obsunt? Veniamus igitur ad Christum, & accedamus ad eum, per fidem, ut hoc pane & potu omnem esuriem & sitim nostram ita explea mus, ut in ęternum uiuamus per Iesum Christum seruatorem nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus bñdictus in secula, Amen.

HOMILIA LV.

Ersamur adhuc in explicatione eius colloquij, ac disputationis, quam Iesus Christus, occasione panis, cum Iudęis suscepit. Hęc autem disputatio, nō est de asini, quod aiunt, prospectu, sed de rebus grauissimis, & ad salutem nostram cognitu necessarijs, instituta. Docet enim discrimen inter Mosen & Christum, docet longe alia esse benefitia Christi, q̄ꝫ Mosi, docet de uero officio Christi, uidelicet, ꝓ Christus in hunc usum de cœlo descenderit, nō ut afferret caduca & mundana, sed perpetua & cœlestia bona. Quare hęc disputatio tanto diligentius obseruanda est, quanto cœlestis salus nobis magis necessaria est. Ac ante quidē clare exposuit Christus, se esse uiuificum illum panē, q̄ qui uescat, (uescimur aūt eo, si in Christum crediderimus) nūq̄ꝫ nec esuriat, nec siciat, sed exaciatus perpetua salute fruatur. Nunc autē instituit q̄relam aduersus Iudęos, ꝓ quanq̄ꝫ non obscure de sua persona & offitio contionet, & confirmet publice suas contiones, magnis & inusitatis miraculis, tamen non adhibeant ipsi fidem, nec agnoscant ipsum Messiam. Sed dixi (inquit) uobis, quod

etiam uidistis me, nec creditis. Si libet sententiam huius dicti paulo altius repetere, sic intelligẽdum erit. Habeo quidem, quę de uestra impietate & incredulitate conqueri possem, sed ea mihi nec noua est, nec miranda. Dixi enim & prędicaui iam dudum per prophetas, ꝙ etiamsi ueniam ad uos Israelitas, & proponã me uobis uisendum contrectandum & audiendum, adeoqꝫ magna miracula ędam, non tamen sitis me suscepturi, aut meo Euangelio credituri. In psalmo dixi me lapidem fore, quem ædificantes reprobent. In Esaia uocaui me lapidem offensionis & petram scãdali duabus domibus Israel, & laqueum ac ruinam habitantibus Hierusalem. Et additur. Offendent ex eis plurimi, cadent, conterentur, irrecientur & capientur. Ac iterum. Excęca cor populi huius & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte uideat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur & sanem eum. Hæc multis annis, priusqꝫ in hanc terram ueni, de uestra incredulitate contionatus sum. Quare, etsi dolet mihi uestra impietas, tamen ea mihi nec est improuisa, nec inopinata. Quod si autem libet hoc dictũ simpliciter intelligere, hæc erit sentẽtia. Ego quidem facio quod mei est offitij. Prædico Euangelion meum, & confirmo illud miraculis. Quid aũt uos uicissim? Dixi aliàs, ꝙ etsi opa, quę dedit mihi pater ut perficiam ea, testificantur de me, ꝙ pater miserit me, uos tamen huic, quem misit ille, non creditis. Dixi etiam, Ego ueni noĩe patris mei, nec recipitis me. Idem & nunc dico, ꝙ etiamsi uideritis tot mea miracula, quibus deus ipse, de cœlo, confirmat ueritatem doctrinę meę, ac patefacit meam maiestatem, nullam tamen mihi fidem habeatis. Rem nõ ipsi quidem Christo nouam, sed alioqui uere admirabilem. Christus promissus est ab initio orbis terræ, & expectatus est tot milibus annorum. Cum aũt uenisset, ac prędicaret Euangelion suum, & ęderet miracula, in eo ipso populo, in quo tot promissionibus adnuntiatus, tot sacris adumbratus fuerat, non tamen crediderunt. In sua, inqt aliàs Ioannes, uenit, & sui eum non receperunt. Obsecro te, quę est tantæ cæcitatis caussa? primum, homo retinuit quidem post peccatũ aliquam cognitionem diuinæ legis, nullam aũt habet natura sua cognitiõem Christi seruatoris, sed necesse habet Christum cognoscere ex uerbo seu promissione dei, per spiritum sanctum. Deinde, etsi Iudęi habuerunt uerbum et promissiones dei de Christo, tamen non recte intelligebãt regnum eius, sed somniabant Christum dominaturum in terra regio more, & pollicebantur sibi in regno eius terrenam fœlicitatem. Quare, cum uiderent Iesum non respondere carnali suæ expectationi, ita contempserunt ipsum, ut tandem eum in crucem sustulerint. Dices igitur, Cur ergo Iesus non coegit eos Euangelio suo credere? Si est diuina potentia prędituS, cur non attraxit eos etiam uiolenter ad fidẽ, ut necesse habuissent

Ioannis. 5.

Incredulitatis caussa quæ sit,

habuissent ipsum recipere? De hac re cõtionatur Christus, cum addit.
Omne, quod dat mihi pater, ad me ueniet, & eum, qui uenerit ad me, « «
non eijcio foras. Quia descendi de cœlo non ut faciam uoluntatẽ me« «
am, sed uoluntatem eius, qui misit me. Hęc est aũt uoluntas eius qui mi« «
sit me patris, ne quid perdam ex omnibus, quę dedit mihi, sed resuscitẽ« «
illa in nouissimo die. Hęc est autem uoluntas eius qui misit me, ut oĩs« «
qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitã æternã, & ego suscitabo« «
eum in nouissimo die. Hæc est memorabilis contio, & habet hanc sen« «
tentiã. Possem quidẽ oẽs ludęos, imo oẽs hoĩes cogere, ut sese mihi ad
iungerent, ac me reciperent. Sum enim uerus dei filius, ęqualis natura,
maiestate & potentia patri meo, non ueni aũt in hunc mundum, non as
sumpsi hominem, ut in hoc primo meo aduentu ostentem & exerceam
publice hanc meam diuinam maiestatem, nisi quatenus ędenda sunt mi
racula ad testificandam ueritatem doctrinę meę, Sed ueni ut assumpta *Serui formam sumpsit Christus.*
serui ac legati forma, obediam uoluntati dñi mei, qui me in hanc terrã
misit. Serui offitium est, non ut faciat, quod ipsi, sed quod dño suo li
bet. Legati munus est, non ut faciat, quod potest, sed quod licet, & ab
eo, qui misit ipsum, mandatum est. Quare, cum ego assumpserim for
mam serui et legati, nullum hominem cogo, ut me recipiat, sed pendeo
ex uoluntate dei patris mei, qui me ut seruum et legatum suum, in hanc
terram misit, & expecto, quos ipse mihi adducat. Nam quoscunqꝫ ille
mihi dederit, hos omnes, sicut ad me ueniunt, & me agnoscunt, ita etí
am ego agnosco & recipio. Et ut nullum ego uiolẽter cogo, ita nullum
eorũ, quos pater ad me adducit, abijcio. Omnes illos recipio, siue sint
ludæi, siue gentes, siue illustres, siue obscuri, siue honesti, siue peccato
res. Recipio autem eos, non ut faciam ex ipsis reges huius terræ, sed ut
tuear eos, ne pereant, Recipio eos, non ut nihil afflictionis in hoc mun
do paciantur, aut ut morte non obruantur, sed ut etiamsi affligantur, &
mori uideantur, non tamen pereant, sed conseruentur æterna uita. Ego
enim suscitabo eos in nouissimo die, ut mecum in cœlesti regno inęter
num fœlices uiuant. Habes sententiã contionis Christi. Nunc perstrin
gemus partes eius. Ac primum docet Christus, ꝓ non uenerit in hunc
mũdum, ut accipiat & propaget regnum suum externa, corporali & ui
olenta potentia. Iudęi enim expectauerunt talem Messiam seu Christũ,
qui adiuncto sibi exercitu ludęorum, circumferat arma per omnes regi
ones, & peragret regio apparatu uniuersum orbem terrę, ut subijciat si
bi omnes gentes, quamuis repugnantes, qualis aut Cyrus, aut Alexan
der Magnus, aut alius quispiam Monarcha fuit. Mirantur & imperiti
homines, quî fiat, ꝓ cum Christus, sit diuina maiestate præditus, non
efficiat omnipotentia sua, ut aut omnes aduersarij & blasphemi in no
men eius fulmine pereant, aut admirabiliter trahantur ad credendum

& obediendum Christo. Sed Christus refutat hoc loco uanissimam Iudeorum expectatiõem, & exponit rationem, cur neminem uiolenter cogat, ut sese ipsi subijciat. Omne, inquiens, quod dat mihi pater, ad me ueniet, & eum, qui uenerit ad me, non eijciam foras, hoc est, Non uenio in hũc mundum, ut subijciam mihi hoĩes uiolenta potestate, sed respicio in manum dei patris mei, & pendeo ex illius uoluntate. Quẽcunq; ille mihi dederit, & quem excitarit spũ suo per Euangelion meum, ut me agnoscat, is me recipit, & ego uicissim eum recipio, & tuear. Quid aũt caussę est, q̃ non cogas homines regia potestate, ut te agnoscant, et se tibi subijciant? Quia descendi, inquit, non ut faciam meam uoluntatem, sed uoluntatem eius, qui me misit. Descendi è cœlo, non ut dominus, sed ut seruus. Serui aũt offitium est, non ad suum ipsius, sed ad domini sui arbitrium & nutum sese accõmodare. Descendi è cœlo, non ut αὐτοκράτωρ seu imperator, sed ut legatus. Legati aũt offitium est, non suas opiniones, sed mandata eius, qui misit ipsum sectari, atq; perficere. Quare non licet mihi in hac mea legatione aliquid prẽter uoluntatem patris mei, cuius legatus sum agere. Amabimus ergo te, dic nobis, quę est uoluntas patris tui? Hęc, inquit, est uolũtas eius qui misit me patris, ne quid perdã ex omnibus, quę dedit mihi, sed resuscitẽ illa in nouissimo die. Voluntas dei non est, ut suscipiam regiam dñationem in orbe terrarũ, et subijciam mihi hoĩes uiolenta manu, sed ut seruem eos, quos ipse mihi spũ sancto suo adduxerit, & defendã eos, ne pereant, sed etiã si uideãtur mori, resuscitentur tamen, et uitam perpetuo fœlicem agãt.

Christus non est terrenus Monarcha.

Huc pertinet, quod & aliãs Christus de suo offitio dicit. Filius hominis, non uenit, ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, utq; daret animam suam redẽptionem pro multis, hoc est, Christus nõ uenit, ut equites & milites pugnarent pro ipso, ac pararent ipsi uita & sanguine suo uictoriam, quo ipse regio more in terra dominaretur, quemadmodum exercitus imperatoris suum effundit sanguinem, ut impator defẽdatur, & reportet incolumis uictoriã ab hostibus, sed uenit, ut ipse suam animam, suam uitam det, ac suum sanguinẽ effundat, quo ij, qui ipsum agnoscunt, ab hostibus redimantur & seruentur. Et in alio loco, cum discipuli hortarentur Christum ad uindicandos cõtemptores, igni de cœlo, respondit, Nescitis cuius spũs estis. Filius hominis non uenit ad perdendum animas hominum, sed ad seruandum. Quare obedientia diuinę uocationis est, q̃ nõ subijciat sibi homines regia & uiolenta potestate. Sed eñ, inquies, Christus ascendit nunc in cœlum, & deposuit seruilem formam, ac sedet in gloria Dei patris sui, cur ergo hoc tempore fert blasphemos? cur nunc tanta maiestate prẽditus, non cogit uiolenter aut omnipotenter inobediẽtes ad Euangelij sui obedientiam?

De hac re

De hac re Petrus ita contionatur. Oportet Iesum Christum cœlum accipere usq; in tempora restitutionis omnium quæ locutus est deus per os omnium sanctorum à seculo prophetarum. Etsi enim Christus sedet ad dextram Dei, & habet omnipotentem maiestatem, tamen non uult eam maiestatem publice coram mundo, ante nouissimum diem ostentare, sed uult Ecclesiam suam ex uniuerso mundo per Euãgelion suum colligere, donec aduenerit nouissimus dies, quo manifestus uenier, & inimicos quidem suos ita sibi subijciet, ut in perpetuos carceres, nunq; emittendi contrudant, amicos aũt, & credentes in ipsum, ad perpetuũ regnum et gaudium exaltet. Oportet, inq̃t Paulus, eum regnare, donec posuerit oẽs inimicos sub pedes suos. Tunc aũt ponentur oẽs sub pedes eius, cũ mors, quæ est nouissimus hostis, abolebitur. Quare, dum hoc seculum steterit, & Christus non apparuerit manifestus, (apparebit aũt in extremo die) non cogit hoĩes ad obedientiam fidei, mundana potentia, sed uocat eos per prædicationem Euangelij sui, ut quotq̃t spiritu sancto excitati, recipiunt ipsum, seruẽtur. Quid ergo dicemus, de magistratu, & patribusfamilias? An quia Christus non subijcit sibi hoĩes uiolenta manu, non est etiam pij magistratus, ut cogat subditos suos honestam uitam agere, & audire Euangelion Christi? non est & boni patrisfamilias, pueros suos nolentes & repugnantes in Catechismo Christianę doctrinæ, minis ac uirgis erudire? Absit. Alia em̃ est, quantum quidem ad hoc institutum attinet, uocatio Christi, alia magistratus & patrisfamilias. Christus em̃ nõ uenit in hũc mundum ut fungeretur externo magistratu. Sic nec misit apostolos suos in mundum, ut susciperent externam dominationem. Quare non fuit offitij eorę, ut cogerent homines uiolenta manu ad obediendum Euangelio. Magistratus aũt, & paterfamiliasprimum quidem debent cognoscere ueritatem Euangelij Christi, ut & ipsi per fidem in Christum, cõsequantur iustitiam & salutem, deinde hic debet familiam suam ad discẽdam ueram Christianismi doctrinam instituere, ac nolentes etiam, pro suæ uocationis ratione ad sectandã pietatem cogere, ille uero pro uirili sua curare debet, ut in Ecclesijs suę regionis recta et sana doctrina Christi tradat, ut blasphemi puniãtur, et tam doctores, q̃ auditores pię doctrinæ ab incursu seditiosorę & latronum defendant. Manifestum q̃dem est, fidem in Christũ nõ posse humana uiolẽtia humano cordi infigi, nec hoc agitur, ut hoĩes cogantur ad suscipiendã fidem Euangelij Christi potestate magistratus, sed externa et manifesta idolatria abrogari ut potest, ita & per magistratum debet, potest etiam & debet institui pia doctrina publice prædicanda, potest quoq; & debet conseruari publica tranquillitas, potest item & debet manifesta blasphemia puniri,

Magistratus & patrisfamilias offitium.

ne imbecilles offendantur, ne ue deus propter inultam & notam blasphemiam ad iracundiam excitetur, & totam gentē deleat. Dixit enim Esaias. Reges fore nutricios, & reginas nutrices Ecclesię. Iussit psalmus Reges intelligere, erudiri eos qui iudicant terrā, & osculari filium dei, ne quando irascat & pereant de uia iusta. Iussit item principes terrę attollere portas urbium suarum, ut ingrediat rex glorię. Quare etsi nemo potest humana potentia cogi, ut uere credat in Christum, magistratus tū & patresfamilias suum offitiū facere debēt, ut abrogata manifesta idolatria, Euāgelion Christi locum habeat, & aduersarij sanę doctrinę, ac blasphemi coerceant & reprimantur. Deinde, docet Christus in hac cōtiuncula, se indiscriminatim oēs, quotqt dantur ipsi à patre, agnoscere, ac recipere. Iudæi existimant Messiā solos Iudęos pro populo suo agnoscere, & si qs ex gentibus uelit bnfitijs Messię frui, eū necesse habere circūcisionem suscipere, & fieri Iudęū. Hypocritæ putant Messiā eos tantum hoīes recipere, qui sacris multum dediti sint, ac multas faciant cerimonias. Alij hoīes sentiunt eos tantum Messię gratos esse, qui in hoc seculo sunt diuites, nobiles, ac potentes. Solent enim dicere, Qui in hoc seculo mendicat, is necesse habet in altero seculo panē ostiatim colligere, hoc est, Qui in hoc mūdo est infœlix, is etiam erit in futuro infœlix. Sed has uanissimas opiniones refutat Christus, cum ait, Omne, quod dat mihi pater, uenit ad me, & eū qui uenerit ad me, non eijciam foras. Omne, inqt. Nullū hic discrimen facio, siue quid ex Iudęis, siue ex gentibus, siue ex honestis, siue ex pctōribus, ad me uenerit, agnoscā illud, & recipiam. Ac mox. Ne qd perdam ex Oibus quę dedit mihi. Et iterum. Vt OMNIS, OMNIS, inquam, qui uidet filium & credit in eum habeat uitam ęternā. Huc pertinet etiā, quod Paulus ad Romanos scribens Euangelion, inqens, est potentia dei ad salutē. Quidnū uni tantum hominū generi? Nequaqm, sed OMNI credenti, Iudęo primum, simul & Gręco. Et postea. Omnis, qui fidit illi, nō pudefiet. Non enim est distinctio uel Iudęi uel Gręci. Nā idē Dns Omniū, diues in Oēs inuocātes se. Ac rursus. Cōclusit deus Oēs sub incredulitatē, ut miseretur. Quorum? num Iudęorum tantum aut honestorum hominum? Minime. Sed Omniū, siue Iudęorum, siue Gentium, siue honestorum siue inhonestorum, siue potentum, siue afflictorum, si modo dati fuerint Christo à deo patre, & uenerint ad Christum. Quæso igitur te, quos dat pater filio suo Christo, & qui sunt, qui ueniunt ad Christum? Non opus est ut magna sollicitudine circumspiciamus, quid respondendum sit. Christus ipse in hac conciuncula satis perspicue hoc explicat. Cum enim dixisset. Hæc est uoluntas eius, qui misit me patris, ne quid perdam ex omnibus, quæ dedit mihi, mox addit, ut exponat, qui sint illi, quos dat ipsi pater, & qui ueniant ad ipsum. Hæc, inquiens, est uo

Meßias, quos homines agnoscat.

est uoluntas eius qui misit me, ut oīs qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam ęternam. Quare pater hos dat filio, & hi ueniunt ad filium, qui audiunt Euangelion filij, & cognoscunt eum per Euangelion, atqꝫ credunt in ipsum, q̃ sit uerus seruator. Nā in hac carnis nostrę imbecillitate non licet nobis accedere thronum diuinę maiestatis, ac perscrutari imperuestigabilia eius iuditia, quippe q̃ inhabitet lucem inaccessam, sed accedēdum nobis est ad pręsepe illud, de q̃ angelus pastoribus cōtionatur. Inuenietis infantē fascijs inuolutum, positum in p̄sepi. Accedendum nobis est ad Iesum Christum, qui se assumptione humanę carnis, prędicatiōe Euāgelij sui, & miraculis manifestauit, quiqꝫ se adhuc Ecclesię suę proponit quasi sensibilē, baptismo, Euangelio, & cœna dn̄ica. Hęc sunt facies Christi, qua deus ipse uidet, & uoluntas eius manifeste cognoscitur. Deum, inqt, nemo uidit unq̃ꝫ. Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et iterꝫ. Philippe, qui uidet me, uidet & patrem meum. Quare hoc unum nobis agēdum est, ut audiamus Euāgelion Christi, & accipiamus Christum per fidem. Nā si inuenerimus nos per fidem in Christo, nihil iam certius, nihil uerius erit, q̃ꝫ q̃ pater nos dederit filio, & uenerimus ad filium. Itaqꝫ dubitari non debet, quin filius curet, ne pereamus. Hęc em̄, inquit, est uoluntas eius qui misit me patris, ne quid perdam ex oībus, quę dedit mihi. Postremo docet etiam Christus se non conferre mūdana & caduca, sed cœlestia et ęterna bn̄fitia. Iudęi expectauerunt & adhuc expectāt in suo Messia bona corporalia, et dominationē in hoc seculo. Carnales hoies, qui uidentur Christum agnoscere, sentiunt se perire, si Christus cōniueat, ut paupertate pręmantur, & morte obruantur. Ac tum demum Christus gratus ipsis esset, si daret eis terrenas diuitias, & diuturnā in hoc mundo uitam. Christus aūt manifeste docet, se cœlestia & perpetua bona dare. Nō perdam, inqt. Et, Habet uitam ęternā. Et, Ego suscitabo eum in nouissimo die. Etsi em̄ cōniuet, ut credentes in ipsum opprimantur paupertate, morbis, & morte, tamen non sinit, ut pereant, sed efficit ut habeāt æternam uitam, ac resuscitat eos in nouissimo die, ut cum ipso perpetua fœlicitate regnent. Magna hęc est cōsolatio, magna salus oīm eorum, qui credunt in Christum. Quid em̄ est quod iam metuant? Affliguntur rerꝫ inopia, sed habent Christum obedientē patri suo, cuius uoluntas est, ne quid perdat ex oībus, quę dedit ei. Tenētur graui morbo, sed Christus curat, ne in morbo pereant. Damnātur peccati, sed Christus expiauit peccatum. Moriuntur, & in puluerem reuertuntur, sed Christus conseruat ad uitam ęternam, et resuscitabit eos in nouissimo die. Quare, etsi omnia huius seculi mala in nos incurrūt atqꝫ incidunt, bene tn̄ confidendum & cognoscendum est, q̃ ea nobis adiumento sint in bonum, per Iesum Christum seruatorem nostrum,

Deus, qua facie uideatur.

qui est una cũ patre & spiritu sancto deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LVI.

DE murmure Iudęorum aduersus doctrinam Christi nunc disseremus. Etsi enim Iudęi, qui hoc murmure ruditatẽ, ignorantiam, atq; etiã impietatem suam prodiderũt, indigni sunt, ut de uanis ipsorũ uerbis aliquam curam suscipiamus, tñ quia hac occasione Christus excitatur, ut Euangelion suum clarius exponat, non est, quicquid id fuerit, oscitanter prętereũdum. Audiamus igit, quid Euangelista scribat. Murmurabant, inquit, Iudęi de illo, q̃ dixisset, ego sum panis ille, qui de cœlo descendi. Et dicebant. Nonne hic est Iesus, filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Quõ ergo dicit hic, De cœlo descendi? Non dubito, quin si Christus contionatus esset uel de furto, uel de homicidio, uel de adulterio, aut de alia quadã id genus parte legis, non solum intellexissent contionẽ eius, uerũ etiam si qui fuissent inter ipsos amantes honestatis, laudassent eum. Humana em̃ ratio, etsi uiciata & corrupta est pctõ originis, tñ retinuit aliquam naturalis legis intelligentiam. Nunc aũt, quia Christus docet ueram religionem de Messia, & de ęternis eius benefitijs, non solum nõ intelligunt ea, sed etiã murmurant, & cõtradicunt. Quanq̃ enim Iudęi multa audiuerant ex cõcionibus prophetarũ, de Messia, tñ quia nõ erant illustrati luce spũs sancti, nõ intelligũt uerã Messię & regni eius rationẽ. Animalis homo, inquit Paulus, non percipit ea, quę sunt spũs dei. Stultitia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere. Spũaliter enim dijudicantur. Prętera, Iudęi somniabant regnum Messię fore imperiũ mundanũ. Qua opiniõe imbuti, nõ potuerunt intelligere, quę de spũalibus benefitijs regni Messię dicebantur. Huc accedit, q̃ uulgus Iudæorũ existimauerit Messiã suum, fore quidẽ magnũ heroa, et de familia Dauidis nasciturũ, hominẽ aũt, non item uerum ac naturalẽ filiũ Dei, quẽadmodũ apud Matthęũ interrogati, cuius nã filius sit Christus, respondẽt, Dauidis, hoc est, hoĩem tm̃ ex hoĩe. Quare cũ Iesus multo alia de Messia doceret, sic offendunt, ut sentiant doctrinã eius esse uanissimam. Quid, inquiunt, Etiãsi hic Messias esset, de quo intelligimus eũ gloriari, tñ non satis mirari possumus, quid sibi uelit, q̃ affirmet se descendisse de cœlo. Nũ arrogat sibi diuinitatẽ? Messias certe homo erit. Nouimus & huius Iesu familiã. Nouimus parentes eius, hoĩes tenues & abiectos. Qua fronte igitur audet se deum profiteri? Duplex error, Alter, q̃ de Messia per prophetas promisso, nihil altius sentiant, q̃ de hoĩe, prestantissimo quidem, solum aũt hoĩe, cum tñ deus aperte uocet eum singulari quodã modo, filium suũ, Tu es, inqens, filius meus, ego hodie genui te. Et Dauid agnoscat eũ afflatu spiritus sancti, Dñm suũ, & collocet

Messias uerus filius dei.

& collocet eum ad dextram dei patris. Alter, ꝙ de Iesu iudicent secundum externam speciem familię eius, quasi uero non & Dauid, tantus heros, fateatur familiæ suę ignobilitatem, & de Messia è Dauidis semine nascituro scriptũ sit, ꝙ ascendat sicut uirgultum, et sicut radix de terra arida, nec sit ei forma ac decor, sed sit despectus & nouissimus uirorꝫ. Consideremus igitur, quam caussam Iudaici erroris Christus cõmemoret. Respondit Iesus, & dixit eis. Nolite murmurare inter uos. Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in prophetis Et erunt omnes docti à deo. Omnis ergo, qui audiuit à patre, & didicit, uenit ad me, non ꝙ patrem uiderit quisq̃, nisi is qui est à Deo, hic uidit patrem. Memorabilis contio, quæ etsi dura uideꝫ, tamen cognitu necessaria est, & si recte eam intelligas, utilissima, Non est, inquit, ꝙ quisq̃ mihi referat sententiã murmuris uestri. Scio, & ꝙ murmuretis, & qd murmuretis. Hoc offendit uos, ꝙ dixi me de cœlo descendisse. Non est aũt nec nouum, nec mirum, quod me, hoc est, uerum Messiam non agnoscatis. Nemo enim potest uenire ad me, nemo potest uerꝫ Messiam agnoscere, & benefitia eius participare, nisi cœlestis pater traxerit eum. Cognitio Messiæ, non est humanę prudentiæ, non est carnalis rationis, nec humanorum meritorum, sed est diuinæ clementiæ, & opus spiritus sancti. Vos autem Iudæi, caretis spiritu sancto, nec trahit uos pater cœlestis. Quare non est mirum, quod me, hoc est, uerꝫ Messiam non agnoscatis. Sed quomodo probatur hoc, quod Christus ait. Nemo potest uenire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum? Etsi Christus tanta autoritate præditus est, ut omnia dicta eius, etiamsi nõ habeant adiunctam probationem, pro cœlestibus oraculis suscipienda & conseruanda sint, tamen adducit hoc loco in testimonium dicta prophetarum. In prophetis, inquiẽs, scriptum est. Erunt omnes docti à deo. Oĩs ergo quia audiuit à patre, & didicit, uenit ad me. Quęramus nũc in quibus prophetis hoc sit scriptum. Ac manifestum quidem est, ꝙ hoc dictum contineatur in Esaia cap. 54. Cum eũ is propheta describeret regnum Messię, ac enumeraret benefitia, quę conferuntur in subditos huius regni, inter reliqua etiam hoc recenset, quod omnes, qui ad hoc regnum pertinent, doceantur diuinitus, & illustrentur spiritu sancto. Ponam, inquit, omnes filios tuos, discipulos Dñi. Deus enim ipse erit præceptor eorum, & spiritus sanctus docebit eos, ut & uerum Messiam cognoscant, et uera Messię benefitia consequantur. Cum hoc dicto, consentit & illud, quod idem propheta aliàs scribit. Fluent, ingens, ad montem Dñi (reuelato uidelicet regno Christi) oẽs gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem domini, & domũ Dei Iacob, & docebit nos uias suas. Docebit (inqt) nos

Ενθύμημα

Messiam nemo cognoscit nisi diuinitus edoctus.

DñS ipse uias suas, ut omnes fiant à Dño docti. Huc accedit etiam Hieremias cap. xxxi. Post dies illos dicit DñS, dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde illorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra uir proximũ suum, & uir fratrem suum dicens, Cognosce Dñm. Omnes enim cognoscent me à minimo eorũ usq; ad maximum. Hoc certe illud est, quod & Esaias ante dixerat. Erunt omnes à deo docti. Extant etiam in scriptis Euãgelistarum, et Apostolorum, quę cum his propheticis dictis cõueniũt, & quibus perspicue indicatur, q̃ ut omnes ad regnum Messię pertinẽtes doceantur diuinitus, ita nemo possit Messiam agnoscere, nisi cœlesti doctrina illustretur. Apud Matthęum ait Christus. Nemo nouit filium, nisi pater, neq; patrem quisq̃ nouit, nisi filium, & cuicumq; uoluerit filius reuelare. Ac paulo post, cum Petrus confiteretur & suo & reliquorum apostolorũ nomine de Iesu. Tu es, inquiens, Christus ille filius dei uiuentis, respondit ei Iesus. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis. Hic aperte dicit, q̃ cognitio Messiæ, quæ est uera nostra salus, & ut Christus ipse ait, æterna uita, non pendeat ex humana ratione aut industria, nec ex humanis meritis, sed tantum ex cœlesti doctrina, & gratuita clementia dei. Non est, inquit Paulus, uolentis, neq; currentis, sed miserentis Dei. Et ad Mosen dicitur. Miserebor cuiuscũq; misereor, & prestabo misericordiam, cui uoluero. Sunt & alia id genus multa dicta scripturę, quæ testantur, homines posse cognitionem Messię, & salutem suam, consequi tantũ ex gratuita misericordia Dei, qui trahat spũ sancto suo, quẽcunq; uoluerit ipse, & libeat. Hic nunc quęstionum mare exoritur, & habent tam imperiti, q̃ periti, tam impij, q̃ pij, quę in hoc argumẽto disputent. Alij enim dicunt, Si necesse habent omnes diuinitus doceri, quid opus est audire contiões ab hominibus? ad quid prodest externa Euangelij prędicatio? Non audiam ergo amplius, quæ mihi homo quispiam dicat, sed expectabo reuelationem cœlestem, ut illustrer spũ sancto. Alij obijciũt. Si nemo potest uenire ad Christum, nisi trahatur diuinitus à patre, culpa incredulitatis non erit in homine, qui si traheretur, necesse haberet trahenti deo, hoc est, omnipotenti uirtuti obedire. Cur enim Deus non trahit oẽs homines, cum id facere posset? Cur traxit Iacob, et non Esau? Cur traxit Paulum, et non Caiaphã? Alij cogitant. Si salus hominum pendet è sola & gratuita misericordia dei, qui eligit, quos uult, quid si tu non esses in numero eorũ, qui diuinitus sunt electi? q̃d si Deus abiecisset te, cum initio selegit suos, anteqũ iacerent fundamenta mundi? Hæc & multa alia solent disputari ab hominibus, cum audiunt, neminem uenire ad Christum, & consequi salutem, nisi sit à Deo electus, & trahatur ac doceatur diuinitus. Principio igitur, pro indubitato tenen-

tato tenendum est, ꝙ tota sacra scriptura, in qua & illud, de diuina prędestinatione, cõtinetur, ad hunc prędipue usum diuinitus inspirata sit, & literis mãdata, ut reuelet Christum, doceat Christum, illustret Christum, & suscitet, accendat, confirmet ac conseruet fidẽ, quę est in Christum. Non est obscurum, ꝙ Moses, qui est primus sacrę scripturæ minister, amandet à se, populum suum ad Christum. Prophetam, inqens, de gente tua & de fratribus tuis suscitabit tibi Dñs deus tuus. IPSVM AVDIES. Et Petrus. Oẽs, inqt, prophetę à Samuele et deinceps, quot quot locuti sunt, etiam adnunciauerunt dies istos. Non enim aliud nomen est sub cœlo datum inter hoĩes, in quo oporteat nos saluos fieri. Quare quicũq; scripturæ locus uidet nobis aut tollere Christum, aut infirmare & frangere fidem in Christum, sentiendum est, eum uel nõ recte à nobis intelligi, uel tentationem esse spũs Satanæ. Fieri em̃ non potest, ut is sit sanctus spũs, qui hoĩes à Christo, & fide, quæ est in ipsum, abducit. Deinde, ꝙ Christus ait, Neminẽ uenire ad se, nisi tractũ à deo patre. Et Esaias, Omnes à deo doceri, non abolet externum ministerium prędicandi Euangelij, sed cõfirmat potius. Nã quos trahit pater, eos per prędicatiõem Euangelij trahit. Et q̃s docet deus, eos per externum, seu ut dici solet, uocale uerbum docet. Ite, inqt Christus, in uniuersum mundum & prædicate Euangelion omni creaturæ. Cur Christus tanta grauitate, & tanto etiam apostolorꝫ suorum periculo instituereet in toto orbe terraꝫ, publicam Euãgelij sui prędicationem, si ea ad discendam ueram pietatem, & cõsequendam cœlestem fœlicitatẽ nullius esset usus? Maiestas quidẽ & autoritas docendi ac reuelandi Christi, hoc est, tribuendę ueræ salutis per Christum, est penes solum Deum patrem, ac spũm eius sanctum. Ministerium aũt & organon, quo spũs docet ac reuelat Christum, est externa & uocalis prędicatio Euangelij. Deum em̃ hoc uti organo, & per hoc esse in hoĩbus efficacem, res ipsa conuincit, & testantur multa loca scripturę. Constitui uos, inqt Christus ad Apostolos, ut eatis & fructũ afferatis, & fructus uester maneat. Manifestum aũt est, ꝙ Christus miserit apostolos suos ad prædicandum Euangelion suum. De hoc ergo ministerio dicit, quod afferat fructum, qui & maneat. Ac Paulus. Euangelion, inqt, est potentia Dei ad salutem oĩ credẽti. Et rursus. Fides ex auditu est, auditus aũt per uerbum dei. Et iteꝫ. Agimus gratias deo indesinenter, ꝙ cum accipetis sermonem à nobis, quo discebatis deum, accepistis non sermonem hominum sed sicut erat uere, sermonem dei, qui & agit in uobis credentibus. Duo dicit Paulus de prędicatione Euangelij. Alteꝫ, ꝙ non sit sermo hominum, sed sermo dei. Alterum, ꝙ sit in ĩs, qui fide accipiunt, efficax. Quid posset de hoc ministerio excellentius dici? Audiamus & Petrum. Renati, inquit ille, non ex semine mortali, sed ex immortali

Scripturæ finis.

Euangelij ministerium necessarium.

per ſermonem uiuētis dei, & manentis ineternum. Et addit. Hic autem eſt ſermo, qui ad uos per Euangelion delatus eſt. Vides Petrum tribuere organo externę prædicationis Euangelij, renaſcentiam, qua ſine nullus hominum ſalutem conſequitur. Non omnes quidem renaſcuntur, qui audiunt Euangelion, & infantes, qui nondum per ętatem poſſunt Euangelion audire, renaſcuntur clementia dei per baptiſmum. Hi em̄, etſi nondum ſunt capaces externi uerbi, ſunt tamen capaces ſpiritus ſancti, id quod probat exemplum Ioannis Baptiſtæ. Nos autē nunc loquimur de ordinario accipiendæ ſalutis organo. Nam ꝙ alij, etiamſi audiant Euangelion, non renaſcantur, alij, etiamſi externam Euangelij uocē non audiant, ſingulari dei potētia renaſcantur, nihil de dignitate & utilitate eius miniſterij, q̄d magna autoritate à Chriſto inſtitutum & commendatum eſt, detrahit. Multi faciunt ſementem, quę nullum affert fructum, & tamen ſemētis bona eſt, bonum eſt & ſemen. Ego, inquit Paulus, plantaui, Apollo rigauit, ſed deus dedit incrementum. Et quanq̄ ſequitur, Neq̄ qui plantat eſt aliquid, neq̄ qui rigat, tamen & mox additur. Dei ſumus cooperarij, uidelicet plantator aut rigator nihil quidem eſt, ſi autoritatem incrementi reſpicias, multum autem eſt, ſi organon, ſi miniſterium, ſi plantationem & rigationem per quā deus ſolet incrementum dare, conſideraueris. Ex altera uero parte, uirga Aheronis floruit ſine plantatiōe & rigatione. Quid ergo dicemus? Tollemus ne idcirco omnem plantationem & rigationē, ꝙ Deus ſine his aliquoties efficax ſit? Minime omnium. Quin potius adoranda eſt potentia dei, in miraculis ſuis, utēdum aūt eſt propoſitis organis, ut nos noſtræ uocationi ſeruiamus, & deo patri ac ſpiritui ſancto eius per Chriſtum nos formandos exhibeamus. Ac de uſu quidem externę prædicationis Euangelij hactenus. Inquiramus autem nunc, cui imputanda ſit culpa ignorātię & incredulitatis. Si em̄, inquiunt, nemo uenit ad Chriſtum, niſi pater traxerit eum, quis alius autor erit incredulitatis, q̄ deus ipſe, ꝙ non trahat omnes hoīes, cum id facere poſſet? Immane, quanta hæc eſt blaſphemia? Deus enim non eſt autor impietatis, ſed pietatis, non uiciorꝫ, ſed uirtutum. Nam, quod ad deum attinet, trahit quidem ipſe, & docet omnes hoīes, ſed maxima hoīm pars ſeſe retrahit, ac doctrinæ dei obſiſtit. Quoties, inquit, uolui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum ſuū ſub pennas, & noluiſtis? Et Stephanus. Duri ceruice & incircumciſi corde & auribus, uos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis, ſicut & patres ueſtri ita & uos. Quid ergo eſt, inquis, ꝙ deus non mutet uoluntatem eorum, & faciat ex nolentibus, uolentes, è duris ceruice, flexibiles? Quis enim oīpotentię eius obſiſtere poſſet? Hoc uero eſt uelle deum in ordinē redigere, & humanę prudētię ſubiicere. Non eſt dubium, quin Deus tam potuiſſet mutare uoluntatem Caiaphæ, q̄ mutauit

Infantium ſalus.

Trahit Deus quomodo?

mutauit uoluntatem Pauli, ſed hęc arcana dei cõſilia, tũ patefient, cum uidebimus eum in futuro ſeculo, ſicut eſt, & cũ cognoſcemus eum, quẽ admodum ipſe nos cognoſcit. Nunc aũt, quod ad hęc myſteria attinet, exclamandum eſt cum Paulo. O profunditatẽ diuitiarũ & ſapientiæ & cognitionis dei, q̃ inſcrutabilia ſunt iuditia eius, & imperueſtigabiles uię eius. Manifeſtum em̃ eſt, q̃ per unius delictum, ut Paulus ait, malum propagatum ſit in omnes homines ad condemnationẽ. Quare Deus nullo iure poſset reprehendi, ac iniuſtitiæ accuſari, etiamſi nullius hominis uoluntatem mutaret, ſed omnes in perpetua condemnatione, quã ſuo malo meriti ſunt, derelinqueret. Quod autem nonnullos liberat, ac ſeruat, gratia eſt, clementia eſt, miſericordia eſt, quam agnoſcere & laudare, non abiicere, nec uitio dare debemus. Tanta enim eſt beneuolentia Dei erga homines, ut etiamſi nihil debeat ipſis, exponat tamẽ ueram & cœleſtem ſalutẽ omnibus hominibus accipiendam, & uelit, quantum per ſpiritum ſanctum nobis in ſcriptura reuelauit, omnes homines ſaluos facere. An non ab initio orbis terrę, poſtq̃ homo peccaſſet, & meritus eſſet perpetuam internitionẽ, propoſuit Chriſtum filiũ ſuum, fide accipiendum, ut homines per eum ſalutẽ, quam amiſerant, recuperarent? Quę contio de Chriſto, uulgata eſt primũ inter patriarchas, qui non fuerunt tantũ patres ludęorũ, ſed etiam gentium. Sunt & poſtea ludęi, apud quos depoſitę erant promiſsiones de Chriſto, uariis occaſionibus diſperſi inter gentes, ut & ab his gentes cognoſcere poſſent, quid de Chriſto diuinitus p̃miſſum eſſet. Ac poſtremo, cũ Chriſtus aduenisſet, & curſum ſuum in his terris cõſummaſſet, exiuit in omnem terram ſonus apoſtolorum, & in fines orbis terrę uerba eorum. Quare quod ad Dn̄m deum noſtrum attinet, nihil unq̃ defuit homini ad cognoſcendum Chriſtum, & ad conſequẽdam in eo ſalutem. Quod aũt non oẽs hoĩes uel aſſecuti ſint, uel aſſequantur cognitionem Chriſti, & ſalutem, non Dei, ſed hominum culpa eſt. Hi enim propoſitum Chriſtum, & oblatam ſalutem, ut non accipiunt, ita nec uolunt accipere, imo ne cupiunt quidem uelle. Quid igitur faceret deus? num obtruderet ſua benefitia nolentibus, inuitis, ac quanta poſſunt contentione obſiſtentibus? Caiaphas audiuit Euangelion de Chriſto, uidit ipſe & corã collocutus eſt, cum Chriſto. Non dubito, quin & Nero Pauli interfector, audiuerit dici de Chriſto. Sed quid factum eſt? Hi nõ ſolum non uoluerunt ueritatem de Chriſto cognoſcere, ſed tanta fuerunt impietate, ut etiam nec deſiderauerint uelle, ac ſi quis recepiſſet ſe precaturum ipſis meliorem uoluntatem, etiam hoc abominati fuiſſent. Quare culpa internitionis impiorũ non eſt adſcribenda diuinæ maieſtati, ſed illorũ impietati, qui cum trahuntur & docent à deo, repellunt à ſe non manibus tm̃ ac pedibus, ſed etiam toto pectore, ſalutem. Iam uero quid de his dicendum, qui cum ſint imbecilles fide, reddunt ſe conſideratio

Chriſtus uulgatus inter homines, ab initio orbis.

ne huius negotij imbecilliores? Cogitant em̃ secum, Si nemo uenit ad Christum, nisi quem pater traxerit, quid si & tu non esses ex eorum catalogo, quos pater trahere solet? Pater enim trahit, quos uult, & quos pro sua misericordia eligit. Quid ergo, si tu non esses electus? Sic em̃ etiamsi uidereris tibi credere in Christum, tamen uel tandem deficies à Christo. Præterea conferunt se, cum tot potentibus, sapientibus, doctis & honestis in hoc seculo, & cogitant. Quid? tu ne solus, cum paucis, ijsq; alioqui contemptissimis & abiectissimis hominibus esses Ecclesia dei electa, & tot illi potentissimi Monarchę, tot sapientissimi rerumpublicarꝝ gubernatores, tot excellentissimi in omni uirtutum genere uiri, qui non agnoscunt Euangelion Christi, essent à cœlesti salute alieni? Hos ne deus despiceret, te aũt & alios paucos quosdam curaret? In his ergo & similibus tentationibus, diligenter considerandum est, quod supra ostendimus, uidelicet, diuinam electionẽ in sacra scriptura traditã esse, non ut infirmet, sed ut confirmet fidem piorꝝ in Christum. An non insanę est temeritatis, gladio, qui tibi ad tuendam uitam porrigitur, ad eripiendã ipsi tibi uitã abuti? Hoc uerbũ, q̃d dicitur. Miserebor cuiuscũq; misereor. Et, Nõ est uolentis nec currentis, sed miserentis dei, gladius est spũs, qui nobis ad hos usus porrigitur, primum, ut cum manifeste sentiamus nostrã iustitiam esse impuriorem, q̃ cuius merito queamus cum deo reconciliari, & nostras uires esse imbecilliores, q̃ quibus possimus in cœlum ascẽdere, confugiamus ad gratuitã misericordiam & electionem dei. Sed ignotum, inqs, nobis est, quem deus elegerit. Absit. Deus uoluntatem & electionẽ suam manifestissime reuelauit in Christo Iesu dño nostro. Ac siquidem tentaueris ad deum accedere absq; Christo, nõ potes arcana eius cõsilia scrutari. Si aũt Christo comitatus accesseris, nõ amplius erit obscura et ignota electio. Nihil em̃ certius est, q̃ q̃ deus elegerit sua misericordia hũc, qui unigenito filio dei Iesu Christo cõfidit. Hęc, inqt, est uolũtas eius qui misit me, ut OMNIS, qui uidet filiũ & credit in eum, habeat uitã æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Et iterꝝ. Huic omnes prophetæ testimonium ferunt, q̃ remissionem pctõrꝝ accepturus sit per nomen eius, QVISQVIS crediderit in eum. Ac rursus. QVOT QVOT receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri, nimirꝝ his qui credidissent in nomẽ ipsius. Quid plura? Hic est pręcipuus totius Euãgelij de Christo status, q̃ deus sic dilexerit mũdum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Quare qui se inuenit in Christo per fidem, is certe inuenit quoq; se in gratuita illa, & misericordi electione Dei. Iesus enim Christus, liber cœlestis uitæ est, in quem qui per fidem inscriptus fuerit, dubiũ non est, quin sit in corde ipso dei inscriptus, & ad congregatio-

Scripturæ finis, ut confirmet fidem.

Prædestinatio Dei in Christo reuelata.

gregationem cœlestium ciuium pertineat. Sed metuo, inquis, ne fides mea uel non sit syncera, uel tandem labefiat. Quid? num existimas Deum confringere calamum quassatum, & extinguere linum fumigans? Mater non reijcit infantem suum aut adhuc ætate tenerum, aut ex morbis imbecillem, sed tanto maiori cura eum complectitur, quanto graui ores sunt morbi, & deus pater humana matre durior esset, aduersus eum, quantumuis in fide infirmum, cui in filio suo Christo, omnem clementiam promisit? Nescis, quo te illud dictum uocet, Credo DOMINE, adiuua incredulitatem meam? Non est igitur metuendum, ne Deus abijciat te propter imbecillem fidem, sed potius danda est opera, cõtinenti tractatione uerbi dei, precatione, & obedientia, ut fides, autore spiritu sancto, subinde magis ac magis augeatur. Quid autẽ illud est, ꝙ sollicitus sis, de tua in fide perseuerantia? Tu tuum in præsentia facito offitium. Reliqua Deo curę erunt. An nescis, fidelem esse Deum, qui non sinit nos tentari supra id quod possumus, sed facit una cum tentatione euentum, quo possimus sufferre? Oues meæ, inquit Christus, uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam ęternam do eis, nec peribunt inæternum, neqꝫ rapiet eas quisqꝫ de manu mea. Tu uero nunc factus es, ouis Christi, quia agnoscis Christum per fidẽ. Quid igitur metuis, ne quis rapiat te de manu Christi? De uoluntate quidẽ Christi toto Euangelio testificata dubitare nõ potes. An fortassis dubitas de eius potestate? Sed addit, pater, qui dedit mihi, maior omnibus est, & nemo potest rapere de manu patris mei. Quid? putas ne precationem Christi fuisse uanam & inefficacem? Nõ pro eis, inquit, rogo tantum, sed & pro ijs, qui credituri sunt per sermonem eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me et ego in te. Sed et Paulus ait: Persuasum habeo mihi, ꝙ neqꝫ mors, neqꝫ uita, neqꝫ angeli, neqꝫ principatus, neqꝫ potestates, neqꝫ instantia, neqꝫ futura, neqꝫ altitudo neqꝫ profunditas, neqꝫ ulla alia creatura poterit nos separare ab ea dilectione, qua Deus nos cõplectitur, propter Christum Iesum, Dominum nostrum. Audi & propheticum illud, Montes cõmouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meę non mouebit, dixit miserator tuus Dominus. Quare pro certo habendum est, Deum, qui tibi donauit filium suum, & quẽ per fidem iam accepisti, curaturꝫ quoqꝫ, ut hũc filium, in media etiãnum morte retineas, aut ut rectius loquar, ab ipso retinearis, & cõseruerís. Deinde spiritus sanctus patefecit in scriptura doctrinã de gratuita electione dei, ad hunc usum, ut pij non offendantur sua uel paucitate, uel imbecillitate, uel abiectiõe, sed confidant, impij aũt non inflentur sua multitudine, potentia, sapientia, & maiestate, quã habent in hoc seculo, sed timeant. Si em̃ conferas inter se Ecclesiam pioꝝ & impioꝝ,

Liber uitæ, Christus.

in hoc mundo, inuenies impios semper ferè loco, numero, dignitate, honore, amplitudine, & alijs rebus superiores esse. Initio orbis terræ, Ecclesia Cainica uidebatur præstantissima, & sola possessura orbem, Ecclesia aũt piorum patriarcharum, ut numero erat parua, ita iudicabatur abiectissima. Abraam, cum uocaretur è patria, non habebat magnã inter gentes autoritatem, & tñ is cum Melchisedeco, & paucis alijs, erat uera Ecclesia dei. Reliquę aũt gentes pstabant multitudine, potẽtia et sapiẽtia, & tñ erant à deo abiectę. In Ægypto, Israelitę erant Ecclesia dei, qui etsi aucti fuerant numero, tñ opprimebantur seruitute, Ægyptijs interim, qui fuerunt impiorũ Ecclesia, late dominantibus, & maiestate huius seculi illustrissimis. Quid dicam de exemplis eorũ temporum, quę postea sunt secuta? In populo ipso, qui noĩe dei uocabatur, alia fuit uera dei Ecclesia, alia ficta. Cũ Ahab rerum Israeliticarũ potiretur, Ecclesia dei uidebat̃ Rex, Regina, Aulici, Sacrificuli, & totus Israel, pauci uero alij, uidelicet Elias, Abdias, & nõnulli per Abdiam in speluncis absconditi, uidebant̃ a' deo abiecti. Sed hi erant uera dei Ecclesia, illi aũt ficta. Quo tẽpore Christus natus est, iudicabantur Ecclesia dei Pontifices, scribę, pharisęi, et quotq̃t horum autoritati ac doctrinę fauebãt, Zacharias aũt, Elizabeth, Maria, Ioseph, Symeon, & pauci alij, ut prę aliorũ multitudine et maiestate nullo fere loco digni putabant̃, ita nec, pro uera dei Ecclesia habebant̃. Sed aliud est iuditiũ dei, aliud hoĩm. Ac postea, Ioannes Baptista, Christus, Apostoli, & nõnulli alij erant uera dei Ecclesia, cũ interim Annas, Caiaphas, Põtifices, sacerdotes, scribæ, pharisæi, & reliqua tota Iudęorũ turba summũ locum in Ecclesia tenerent, prę qbus, illi iudicabant̃ prorsus abiecti. Hęc certe solent pijs magno esse offendiculo. Videt̃ se paucos & contẽptos esse, nec habere aliquã speciem Ecclesię dei, aduersarios aũt esse multos, magnos, potentes, sapientes, ac non titulũ tantum Ecclesię, sed etiã prę cipuum in Ecclesia locũ obtinere. Proposuit ergo deus doctrinã de gratuita sua electione, & consolat̃ pios, ac iubet eos bene confidere, quippe cp ęterna salus non constet humana autoritate, multitudine, potentia, & sapientia, sed tantum diuina, eacp gratuita electiõe. Cum aũt deus selegerit ipsos, (id quod ex eo manifestum est, cp cognoscant Iesum Christum filiũ dei, & credant in ipsum) non debent aduersariorũ maiestate terreri, & a' uera pietate deficere. Sed tãto firmius constare, quãto abiectiores in oculis hominum uideantur. Gratias, inqt Christus, ago tibi pater dñe cœli et terrę, cp absconderis hęc à sapientibus & prudentibus, & reuelaris ea paruulis. Certe pater, sic fuit bona uoluntas apud te. Et iterũ. Noli timere pusille grex, quia cõplacitum est patri uestro dare uobis regnũ. Et Paulus, Videtis, inqt, uocationẽ uestram. cp non multi sapientes secundum carnẽ, non multi potẽtes, non multi claro gene

Ecclesia dei, alia uera, alia ficta.

Prædestinationis Dei causa.

ro genere nati, uerum quę stulta erant secundum mundum delegit Deus, ut pudefaceret sapientes. Quare, quo certius est, deum eligere Ecclesiam suam, non iuxta humana merita, aut carnalem maiestatem, sed iuxta sui ipsius animi propositum, eo maior debet esse fidutia piorum, cum cognoscāt Christum, in quo deus reuelauit ipsos esse electa mēbra Ecclesię, nō dubium sit, quin perpetuo seruent, etiāsi uniuersus mūdus contradicat & diuersum minetur. Sed de hac re nunc satis, reuertemur aūt ad institutum. Omnis, inquit, qui audiuit & didicit a patre, uenit ad me. Et additur. Non cp patrem uiderit quisq̄, nisi is, qui est à Deo, hic uidit patrem. Quid ergo dicemus? Si nullus alius uidit Deum patrem, pręter eum, qui est a deo, hoc est, Iesum Christum, unigenitum filium dei, qui est in sinu patris, quid reliquum est, nisi quod nullus alius audiat etiam deum, & discat aliquid ab eo, nec consequatur salutē? Quid igitur sentiendum est de Mose, & alijs prophetis, de quibus scriptura testatur, quod uiderint deum, & multa ab eo didicerint? Sed magnum est discrimen inter uisiones prophetarum, & Christi. Nam prophetę dicuntur quidem uidisse deum, non uiderunt autem essentiam dei, sed tantum quędam signa pręsentię eius. Christus autē uidet essentiam dei, adeoq̄ unus est deus, cum patre suo. Adhęc, prophetę audiuerunt uocem dei, non ipsam naturalem, sed pro tempore assumptā, qua uoluntas dei exponeretur. Christus aūt est ipsa naturalis uox dei, et uerbum eius perpetuum. Postremo, prophetę & alij pij consequuti quidē sunt salutem, non autē suo merito, sed alieno beneficio, Christus autē salus ipsa est, ab ęterno, quia uerus est deus. Reliquum igitur est, quod qui cupit uidere & audire deum, ac discere a deo, necesse habeat uidere & audire Christum, & Euangelion eius discere, ac per fidem tenere, ut ueram salutem accipiat. Nemo unq̄, inquit aliàs, uidit deum, Filius unigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et iterę. Nemo nouit patrem, nisi filius, & cuicunq̄ uoluerit filius reuelare. Ac rursus. Philippe, qui uidet me, uidet & patrem meum. Quare, in desiderio uidendi dei, audiendę doctrinę cœlestis, & consequendę salutis, nō est opus ut dicamus, (quemadmodum Moses scribit) quis nostrum conscendet in cœlum, ut uideat & audiat deum? sed uidēdus et audiendus est Christus, credendum est in Christum, per Euangelion eius. Hic enim est facies Dei, hic est expressa imago substantiæ Dei, hic est uox & uerbum Dei. Hic præterea est uita ipsa & salus, ut quicunq̄ in ipsum crediderit, habeat uitam & salutem, quippe quod sit una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Prophetarū, & Christi uisionum discrimen.

Deutero. 19.

HOMILIA LVII.

REdit Christus, post refutationē Iudaici murmuris, ad institutam suam contionem. Redeamus & nos ad explicationem eius, ut meditatiōe uerbi dei, nostrum offitium faciamus, & spūi sancto nos ad ueram pietatē formandos exhibeamus. Amē, amen, inqt, dico uobis, qui credit in me, habet uitam eternam. Quod Christus supra aliquoties cōmemorauit, hoc nunc simplicibus & apertis uerbis repetit. Et hęc est sūma non solum huius contionis, quam Christus hoc loco habet, uerę etiā totius Euāgelij Christi. Moses uocauit nos ad audiendas cōtiones Christi ante sesqui mille annos, cū Christus natus esset, HVNC, inqēs, AVDITE. Et, Christus missus est à deo patre suo ad hoc offitiū, ut adnūciaret Euāgelion suū, noscū hoies ad hoc sumus uocati, & ad hūc usum uersamur in terris, ut p Euāgelion agnoscamus Christū seruatorē nostrę. Quare, cum hoc dictum Christi, quod ꝓposuimus sit summa totius Euāgelij eius, tāta obseruatiōe suscipiendum est, ut singula eius uerba cōsideranda sint. Ac primū uide mihi, quanta asseueratione Christus dictū suum affirmet. Amen, amē (inquit) dico uobis. Hoc est iuramētum Christi, q̄ significat, cū hoc dicto nihil sit firmius, nihil uerius, nihil certius. Quantā ergo impietatē designat is, qui filio dei, ne iuranti quidē fidem adhibet? Deinde nullum facit personarū discrimē. Qui credit, inqens, in me, siue is sit Iudęus, siue Grecus, siue circūcisus, siue incircūcisus, siue uir, siue mulier, siue diues siue pauper, siue dns, siue seruus, siue honestus, siue inhonestus, si credit, inquā, in me, habet uitā eternam. Reipsa cōperio, inqt Petrus, cū non sit personarū respectus apud deum. Sed in quauis gente, qui timet ipsum, & operat iustitiam, (hoc aūt nemo recte facere potest, nisi credat in Christum) is acceptus est illi. Et Paulus, Qui cūcū (inquit) baptisati estis, Christum induistis. Non est Iudęus, necū Grecus, non est seruus necū liber, non est masculus ac fœmina. Omnes em uos unus estis in Christo Iesu. Pręterea, cum Christus docet in hoc loco de consequenda & habenda uita æterna, non exigit circumcisionem, non sabbatismum, non sacrifitia, nō alia id genus Leuitica sacra, quę fuerūt suo quidē tēpore cultus dei, et habuerūt piū usum, sed nō fuerūt merita eternę uitæ. Nec dicit Christus. Qui honorauerit parētes, qui nō occiderit, qui nō furatus fuerit, q misertus fuerit paupis, habet uitā æternam. Etsi em hęc bona opera sunt à deo præcepta, qbus etiam pręceptis necessario obediendū est, & ista opera mererent eternam uitam, si homo esset iustus, ac uere spūalis, & faceret hęc opera perfecte, sicut lex dei ea exigit, quēadmodū et aliās Christus dicit: Si uis ingredi in uitā, serua mandata, tn quia homo est carnalis, uenditus sub pctū, & non facit hæc bona opera pfecte, fieri non pōt, ut mereant æternam uitam.

uitam. Quid ergo dicit Iesus? Qui credit CREDIT (inqt) in ME. Fidem exigit, quam ipsi præstare debemus. Ecquæ est illa fides? ecqd est credere in Iesum? Paucissimis id exponemus, quippe q̃ aliàs copiosè de hac re dictũ sit. Nam credere in Iesum, est credere q̃ Iesus ille Mariæ filius, sit uerus Messias seu Christus, filius dei, qui factus sit pro pctis nostris uictima, et expiatio, quiq̃ factus sit nobis, ut Paulus ait, sapientia à deo, iustitiaq̃ & sanctificatio & redẽptio. Itaq̃ credere in Iesum, est totã fiduciam suã collocare in Iesu, ut uero Christo, ita & uero redemptore & seruatore. Hoc aũt, inqes, haud difficulter prestabimus. Quid em̃ facilius est, p̃sertim inter Christianos, q̃ credere hũc Iesum esse uerũ Christum, et expiatorem pctõrũ nostrorũ? Bene igitur nobiscum agitur, q̃ tam facile parat uita æterna. Sic caro doctrinã Euãgelij de fide in Iesum Christũ, aut suauiter aliq̃ties ridet, aut impie ea ad suam licentiã abutitur. Sed res ipsa docet, fidẽ in Christum lõge aliud opus esse, q̃ quod caro fingit, et multa testant, q̃ difficile, imo q̃ impossibile sit carni, credere in Iesum Christũ. Considera em̃ mihi, quanta auctoritate Christus ipse, unigenitus filius dei docuerit Euãgelion suum, & quantis miraculis ueritatẽ eius cõfirmauerit, quotusquisq̃ aũt est, qui ei fidem adhibuit? In populo Iudaico, fuerunt tot sapientes, tot prudentes uiri, qui certe, si fides in Christũ, potuisset carnali ratiõe, et uiribus humanę sapientię cõcipi, magna obedientia Christũ suscepissent. Fides em̃ non nascitur in carne, sed spũs sanctus dat eã per Euãgelion è cœlo. Nemo potest, inqt Christus, ad me uenire, nisi pater, q̃ misit me, traxerit eum. Et ad Petrum dicit. Caro et sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis. Huc accedit, q̃ sapiẽtes in hoc seculo, nõ solum non crediderunt in Christũ, sed etiam persecuti sunt oĩ, qua potuerũt, crudelitate hanc fidẽ & professionẽ, tam inter Iudęos, q̃ inter gentes. Quod si tã facile esset, in Iesum Christũ credere, q̃ caro fingit, qs citius his sapientibus fidẽ concepisset? Propone etiã tibi ob oculos quãta hoĩm multitudo soleat in p̃secutionibus fidem in Christum abnegare. Nam ut quondam Iudęi & Ethnici, ita nunc Pontifices & Turcæ persequuntur doctrinam de Christo, & fidem in Christum. Sed quemadmodum olim maxima uulgi multitudo inter Iudæos & Ethnicos, à Christo in persecutionibus defecerunt, sic & his temporibus sub Pontificibus & Turcis, nullo aliquoties uiolenter eos cogente, deficiunt, q̃d certe manifestum argumentũ est, fidẽ in Christũ non esse oĩm, quẽ admodum Paulus loquit. Deinde numera mihi hypocritas, inter Christianos ipsos, qui collocant spẽ suam, in meritis suorum operũ, numera etiam sceleratos, ac impœnitentes, qui pergunt uitiosam semper, & flagitiosam uitam ducere. Num putas & illos & hos tam impie acturos, si uera fides in Christum tam uulgaris esset, q̃ uulgare est inter Christianos fidei nomen? Quid ergo faciendum est? Non est sentiendum,

Fides in Iesum Christũ quæ sit.

Credere in Christum, est paucissimorũ hominum.

fidē in Christum nasci in humana carne, & posse humanis uiribus cō cipi, sed dari, autore spū sancto, è cœlo, per Euangelion. Quare in hoc euigilent curæ & cogitationes nostrę, ut Euangelion cognoscamus, & Dñm inuocemus, quo spūs sanctus in nobis efficax sit, ac non solum tribuat nobis ueram fidem in Christum, sed etiam conseruet & augeat eā, ut in uocatione dei obediēter ambulemus. Sed audiamus nūc, quid consequantur, quid habeant hi, qui credūt in Iesum. Quid ergo dicit? num dicit eos consequi imperiū mundanum? nū diuitias huius seculi? num alia bona terrena? Sunt qdem & hęc dona dei, & habent suum in his terris usum, non sunt aūt uera fœlicitas. Nec Christus uenit in hūc mundum, ut daret credentibus in ipsum terrena, ac euanida sed potius ut daret cœlestia, ac ppetua bona. Qui credit, inqens, in me, habet uitā. Qualē? nū caducā? nū paulopost interiturā? Minime oīm, sed ÆTERNAM. Porro noīe uitæ eternæ intelliguntur, & cōprehenduntur oīa quę ad uitam eternam pertinent, uidelicet, Remissio pctōrꝝ, Adoptio in filios et hęredes dei, Iustitia corā deo, Spūs sanctus ducens ad obedientiā diuinę uocatiōis, Liberatio, & cōseruatio in morte, denicp cœleste ac sempiternum regnum. Quare qui credit in Iesum Christum, habet remissiōem pctōrum, adoptatur in filium Dei, reputat iustus corā deo, donatur spūsancto, ut obediat uocationi dei, seruatur in morte, & accipit hęreditatem cœlestis regni, quo & ppetuo fruetur. Quibus bonis nihil potest nec maius, nec excellētius dici, Sed obsecro te, qd illud est, cuius merito is qui credit in Iesum Christum, consequtur uitam eternam, & tanta bona eius? nū hoc fit merito et dignitate fidei, eius nimirum operis, qd homo facit? Nihil pfecto minus. Qui credit in Iesum Christum, consequitur quidem æternam uitā, & bona eius per fidem, non aūt propter meritum seu dignitatē fidei, quippe cp in hac carne fides semper sit imbecillis, nec uncp tanta, quantam uerbum dñi exigit. Sed consequit ea propter Iesum Christum, fide acceptum. Sic em addi tur. Ego sum panis uitę, hoc est: Qui in me credit, idcirco habet uitam eternā, quia ego, quem fide accipit & possidet, sum panis uiuificus. Ego sum uita ipsa, et ppetua salus. Quare qui me habet per fidē, is etiam habet ppetuam uitam & salutem. Quid igit deest credenti in Christū? Non habet locupletem domū in hac terra, sed habet Christū, dōm cœli et terrę, ppter quem factus est hęres oīm cœlestium bonorꝝ. Nō est ornatus illustri uitę genere in hoc seculo, sed ornatus est Christo, ppter quē illustris est nō corā angelis tantū uerꝝ etiam corā ipsa diuina maiestate in cœlis. Nō habet firmā ualetudinē corporis, & diuturnā uitā in hoc mūdo, sed habet Christum, q est ppetua uita et fœlicitas. Nihil ergo est uerorꝝ bonorꝝ, qd credenti in Christum, desit. Nihil contra est horum bonorum, quod ei, qui non credit in Christum adsit. Habet diuitias terrenas, sed quia caret Christo, diuitiæ magis sunt exitio, cp utilita-

Benefitia quæ per fidem accipiuntur.

utilitatī. Habet illustre genus in hoc seculo, sed quia caret Christo, nō solum est obscurus coram deo, uerumetiam obruet perpetuis tenebris. Habet bonam corporis ualetudinem, & ducit iucundam uitam in hoc seculo, sed quia caret Christo, audiet tandem id quod Abraham ad diuitem epulonem dicit. Fili, inqens, recordare ꝙ receperis bona tua in uita tua, ideoqꝫ nunc cruciaris. Quare in hoc studium tota mentis cogitatione incūbendum est, ut Christum per fidem agnoscamus, & agnitum conseruemus. Cęterꝝ, postꝗ Christus iterum facit mentionem panis, cum ait, Ego sum panis uitæ, statim uenit ludęis in mentem Mannę, quemadmodum et supra, ut cogitent secum. Quid? Tu iactas te esse panem uitę, qui de cœlo descenderit, quid ergo dicendum erit de Māna, quod nostri patres ederunt in deserto? Num tu dabis nobis prestantiorem panē, ꝗ Moses dedit patribus nostris? De hac re Christus etiā antea cōtionatus est, sed & nunc repetit collationem Mannę cum ipso, ut maiestas ipsius clarius illustret. Patres, inquiens, uestri comederunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis ille de cœlo descendēs, ut ex ipso edat aliquis, & non moriat. Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi. Si quis ederit ex hoc pane, uiuet ineternū. Quod Christus dicit hanc habet sententiam. Magnum est discrimen inter. Māna, et meum panē, hoc est, meipsum. Nā manna nō attulit uescētibus uitā. Qui em̄ ederūt manna, oēs mortui sunt. Meus aūt panis, seu ego ipse, affero uescētibus me, uitā. Nā qui meo pane, hoc est, meipso uescunt, nunqꝫ moriunt, sed ꝑpetuo uiuūt. Ac uidet quidē Christus, cū dicit (Hic est panis de cœlo descēdens, ut ex ipso edat aliquis, et nō moriat. Et addit. Ego sum panis uiuus, q̄ de cœlo descēdi, Si quis ederit ex hoc pane, uiuet ineternum) plane idem repetere, hęc aūt repetitio non est nec otiosa, nec superuacanea, sed alterꝝ dictum, alterius est interp̄tatio. Nam edere Christum, seu panem Christi, hoc loco est credere in Christum, quēadmodum postea sequitur. Cū ergo ait, Hic est panis de cœlo descendens, ne q̄s intelligat hoc dictum, uel de pane illo, q̄ Iesus paulo ante quinqꝫ millia hoīm pauerat, uel de alio corpali et terreno pane, mox addit. Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi, ut manifeste intelligamus ipsum, de seipso loqui. Et cū postea dicit. Vt ex ipso edat aliqs & non moriat, mox interpretatur, quid sit, non mori, & ait, si quis ederit ex hoc pane, uiuet ineternum. Non em̄ mori, est ineternum uiuere. Quid ergo ad hæc dicemus? Si in hac collatiōe Mannę cū Christo, sermo est de uita spūali et cœlesti, quō hoc quod dicitur, patres uestri comederunt Māna in deserto & mortui sunt, uerꝝ erit, de Mose, de Aherone, de Pinehas, de Iosua, de Caleb, & multis alīs pīs Israelitis, qui & ipsi comederunt una cum reliquis Manna, & tamen non sunt mortui spiritualiter, sed sicut Abraham, Isaac & Iacob uiuunt coram Deo,

Manna nō dedit uescentibus uitam.

Christum edere, est credere.

ita & hi uiuunt? Quod si autem sermo est de uita & morte corporali ac terrena, quomodo hoc dictum, Si quis ederit ex hoc pane, non moriet, sed uiuet ingeternum, uerę erit de Ioanne Baptista, & postea de Petro, decęq; alijs apostolis ac discipulis Christi? An nō hi oēs ederunt de Christo, hoc est, crediderunt in Christum, & tamen non solum corporaliter mortui sunt, sed etiam crudeliter ab aduersarijs trucidati sunt? Quid ergo est, quod dicitur, patres, qui ederunt manna mortui sunt, qui aūt edit hunc panem, non moritur, sed uiuet ingeternum? Hic initio dicemus de Mose, & alijs pijs, qui ederunt māna in deserto. Hi em̄ seruati quidem sunt in morte, & uiuunt coram deo, non aūt seruati sunt, nec uiuūt propter māna, quod ederunt, sed ꝓpter Iesum Christum, in quem uescentes manna crediderunt, per promissiones de Christo dictas. Nisi em̄ hunc una cum Māna, uel sub manna edissent, certe cum impijs etiam ipsi perpetua morte interijssent, de quibus Paulus dicit, Oēs eandem escam spūalem comedebant, et omnes eundem potum spiritualem bibebant, bibebant em̄ de spūali, quæ illos comitabat petra, petra aūt erat Christus. Sed plures illorę nō approbauit deus. Prostrati sunt enim in deserto. Nūc autem quia Moses & alij pij in esu Mānæ etiam in Christum promissum crediderūt, idcirco propter Christum seruati sunt in morte, & consecuti sunt æternam uitam. Quod de Manna diximus, hoc idem de cœna dñica sentiendum est. Panis enim & uinum cœnę dominicæ sunt cibus & potus cœlestis, quia sanctificata sunt institutione Christi, ut sint corpus & sanguis eius. Etsi aūt omnes sumunt cœnam dominicam, non tamen oēs seruantur in morte, & habēt æternam fœlicitatem. Alij enim sumunt quidem cœnam domini, non credunt autem uere in Christum, non fidunt corpore & sanguine Christi, quę in sacramento accipiunt. Quare sicut impijs nihil profuit esus Mannæ, ita incredulis & impœnitētibus nihil prodest esus cœnę dominicę. Alij aūt non tantum sumunt cœnam dominicam, sed etiam uere credunt Christum tradidisse corpus suum pro peccatis ipsorę, & effudisse sanguinem suum, ut à pctis coram deo emundarentur. Hi ergo seruantur in morte, & uiuūt perpetuo, non quidem propter ipsam cœnę sumptionem, sed propter Christum, in quem uere credunt, & in cuius fide, sacramento cœnę confirmantur. Solus enim Christus, fide per Euangelion, uel cum sacramentis, uel sine sacramentis acceptus, is est, propter quem hoies ueram & perpetuam salutem consequūtur. Sacramenta habent quidem suum in confirmanda fide accipientis ea, usum, & sumenda sunt diligenter & obedienter, nostra autem salus nō est sita in ipsa sacramentorę sumptione, sed in solo Iesu Christo per fidem accepto. Hic enim, est panis uiuus, de cœlo descendens, ut quisqs ex ipso ederit, seu in ipsum crediderit, non moriatur, sed uiuat ingeternum. De-

Cœnæ dominicæ esus.

Christus solus, est salus.

num. Deinde, quod dicitur de morte Ioannis Baptistæ, & apostolorꝫ, ac aliorum piorum, qui crediderunt in Christum, sentiẽdum est, q̃ etsi trucidati sunt, & uisi sunt hominibus mori, tamen nõ sunt mortui coram deo. Nam coram illo adhuc uiuunt. Non enim perijt anima eorꝫ, quia Christus conseruat eam, nec perijt corpus, quia etsi reuertitur in in puluerem, tamen resuscitabitur in nouissimo die, ad ꝑternam uitam. Cum igitur Christus ait patres mortuos esse, etiamsi ederint mãna, eos autem qui in ipsum credunt, nõ mori, significat & docet, esum Mãnæ, ne Mosi quidem, & alijs pijs, attulisse per se uitam & salutem, (Si enim tantum Mãna edissent, fuissent & ipsi una cum impijs perpetuo mortui) sed solum ipsum, uerꝫ uidelicet Messiam fide acceptum, esse uitꝫ & salutis autorem. Cæterum, quia Christus uocat se panem uitæ, exponit etiam modũ, quo panis (hoc est, uita & salus nostra) factus est. Panis, inquiens, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Feci hactenus mentionem panis mei, & pollicitus sum uitam ei, qui hoc pane uescatur. Quare, ne erretis, & ne expectetis talem à me panem, qualem Moses dedit uobis in deserto, aut qualem paulo ante, cum duobus panibus pluscꝫ quincꝫ millia hominun paui, accepistis, agitedum, explicabo uobis manifeste, quid per panẽ intelligam. Panis enim, de quo nunc loquor, est mea caro, quam dabo ad acquirẽdam uitam mundo. Veni in hunc mundum, assumpsi hominẽ, assumpsi & omnes humanas imbecillitates, non ut una cũ hominibus peccem, sed ut passione & morte mea hominum peccata expiem, et recõciliem hoĩes cum deo patre, quo consequantur non solum remissionem peccatorꝫ, sed etiam uitam æternam. Mea igitur passio, quam suscipiam carne, seu iuxta humanitatem, est liberatio mundi, et mea mors, quam perferam, est uita mundi, ut quotquot in me credunt, seruentur & uiuant perpetuo. Hoc certe illud est, quod Christus dicit, Panis quem ego dabo, caro mea est, quã dabo pro uita mundi. Paucissima sane uerba, sed quibus & summa totius Euangelij Christi cõprehenditur, & maxima benefitia Christi nobis ob oculos ponuntur. Primum enim cum dicit, Dabo carnem meam pro uita, significat mortem suam esse nostram uitam. Et haud obscure distinguit mortem suam à morte omnium aliorum hominum, siue patriarcharum et prophetarum, siue apostolorum & martyrum. Etsi enim et hi crudeliter occisi sunt ab impijs, nec meriti sunt coram hominibus, aut impietate aut sceleribus, ut tam indigne necarentur, mors tamen eorũ non est uita nostra. Abel iustus & sanctus, trucidatus est à fratre. Esaias dicitur à rege Manasse, in duas partes sectus. Hieremias à suo populo lapidibus obrutus. Horũ mors fuit quidem in conspectu dei præciosa, & affert Ecclesiæ dei, suam utilitatem. Docet enim, sanctos in hac terra affligi, docet regnum Christi nõ esse

Mors Christi nostra uita.

Sanctorum mors, quam habeat utilitatem.

de hoc mundo, docet aliam esse uitam post hanc uitam, alioqui sancti in hac uita fuissent fœlices, hortatur item exemplo, ut afflictiones huius seculi pacienter feramus, non est autem expiatio peccatorum nostrorum, non est uita & redēptio nostra, imo mors sanctorum, ne ipsis quidem sanctis sua expiauit peccata, nec uitam eis attulit, quantum quidē ad illius mortis naturā attinet, sed sola Christi mors expiat peccata hominum, & affert eis uitam. Quare, cum obijcimur periculis mortis, ut non est sentiēdum, nos morte nostra satisfacturos pro peccatis nostris, ita mors illa non est aspicienda & consideranda, iuxta suam naturam, quam habet ex peccato, sed iuxta mortem Christi, in quam baptisati & sepulti sumus. Sic enim fiet, ut quēadmodum insiticij facti sumus morti Christi, ita & resurrectiōis eius participes efficiamur. Deinde, Christus nō simpliciter dicit, Dabo carnē meam pro uita, sed addit, MVNDI. Quo uerbo significat se subiturum mortem, non tantū pro Iudeis, sed etiam pro Gentibus, ac hominibus totius mundi, quocunq; illi tēpore, quocunq; loco, quacunq; natione, in mūdo fuerint. Moriturus, inquit alias, erat pro Gente (uidelicet Iudaïca) & non tantum, pro Gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unū. Ac rursus, Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autē tantum, sed pro totius mundi. Quid ergo est, cp nō totus mundus seruatur, sed maxima hominum (qui nomine mūdi significantur) multitudo perit? Hic interitus non passioni & morti Christi, sed impietati hoīm imputandus est. Quod enim ad mortem ipsam Christi attinet, sufficiens est expiatio pro oībus omnium hoīm pctis, & omnibus accipienda per Euangelion exposita, homines autem non oēs eam, per fidem agnoscere & accipere uolunt, sed malunt in impietate sua perire, cū per mortem Christi seruari. Quid aūt stultius, quid magis insanum est, cū proposita salute sectari interitum, porrecta uita, eligere mortē, & patefacto cœlo, ingredi infernum? Quid item furiosius est, cū si te tua dubitatione, aut incredulitate à Christo, summa uidelicet fœlicitate, separes, cum ipse te à se non separet, nec reijciat? Dabo, inquit, carnem meam pro uita mundi. An non & tu mundi pars es? imo mūdus tu ipse es. Recte enim ueteres hominem uocarunt, paruum mundum. Si autem pars es mūdi, aut mundus ipse, certe dedit Christus carnem suam etiam pro te, ut & tu uitam haberes. Non enim reges tantum, non principes, non sapientes tantum, mundus sunt, sed & abiectissimi quicq; homines, qui & in hoc mundo, tanto conspectiores sunt deo, quanto altius ille habitat. Excelsus Dns, inquit psalmus, & humilia respicit. Et, Suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem. Cum igitur Christus beneficijs suis nuncq; nobis desit, committendum non est, ut nos nostram salutem ipsi negligamus, sed ut propositam uitam obedienter per fidem excipiamus in

Homo, μικρος κοσμος.

amus in Iesu Christo, seruatore nostro, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LVIII.

Vltę sunt hominum curę, multę actiones, & occupatiões, sed nullę sunt hoie digniores, ac utiliores, addo etiam magis necessarię, q̃ quæ ad tractandũ uerbum Dñi suscipiuntur. Beatus uir, inquit psalmus, cuius est uoluntas in lege Dñi, & qui in lege eius meditatur die ac nocte. Cum igitur hodierno die conuenerimus ad percipienda ea, quæ spũs sanctus tradidit nobis per Ioannem Euangelistam, agite, amicissimi, attendamus nunc ea, quę post contionem Christi, superioribus diebus a nobis pro nostra mediocritate explicatã, sequuntur. Dixit enim Christus: Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi uita. Quõ ergo Iudęi hoc dictum exceperunt? Decertabant, inquit, Iudęi inter se dicentes. Quõ potest hic nobis dare carnem suam ad edendum? Recte Salomon dixit, Si stultum contriueris pistillo, ceu triticum in mortario, non discedet ab eo stultitia. Iesus in hac contione, quam habuit in ciuitate Capernaum, toties admonuit Iudęos de fide in ipsum, & haud obscure significauit se nomine esus panis loqui de fide, quę in ipsum, ut uerę uiuificatorẽ, habenda sit, non fiunt tamen sapientiores, sed perseuerant & pergunt in stultitia sua, qua somniãt carnalem lanienã de carne Christi. Quid? inquiũt. Cum existimemus hunc esse Messiam, polliciti nobis sumus, q̃ cõsequamur per ipsum libertatem, rerũ omnium in hoc seculo abundantiam, regna mundana. & summã huius terrę fœlicitatem. Nunc aũt in hac tanta expectatione obtrudit nobis carnem suam edẽdam. Quid hoc est absurdi? Si omnino carne uescendum est, malumus uitulinã q̃ humanam. Obsecro te, quid est inscitia, quid uecordia, si hęc nõ est? Iudęi uiderant paulo ante miraculum, q̃d Iesus in deserto, de quinq̃ panibus & duobus piscibus ędiderat, & confessi erant, ipsum esse uerũ illũ prophetã, quẽ scriptura aduenturũ promisit, nunc aũt ob unum aut alterum uerbum, ut ipsis quidẽ uidebat, absurdum, iudicant eum prorsus stultum ac insanum. Quid potest esse ineptius, aut impudentius? Quare, cum Iesus tantã Iudęorũ ruditatẽ perspiceret, non statim hoc agit, ut explicet uerba, quæ uidebant ipsis obscura & absurda, sed pgit magis absurda dicere, ut stultitia ipsorũ digna pœna afficiat, & ut iuxta prophetã, cor populi huius excecet, & aures eorũ aggrauent, & oculi eorũ claudantur, q̃ quę potuissent, si diligenter obseruassent, perspicue intelligere, maluerint praue interp̃tari, & cõtemnere, q̃ probe cognoscere. Cum em̃ Iesus antea de esu carnis suę ita disseruisset, perinde ac si indifferens, & liberũ esset, carne ipsius uel uesci uel non uesci, nunc exi-

git hunc esum, tanq̃ ad consequendã uerã uitam & salutẽ necessarium.
» Dixit enim eis Iesus. Amen amen dico uobis, nisi ederitis carnem filij
» hois, & biberitis eius sanguinẽ, non habetis uitam in uobis. Qui edit
» meã carnem & bibit meum sanguinẽ, habet uitã ęternã, & ego suscita-
» bo eum in nouissimo die. Vides, quanta asseueratione affirmet necessa
rium esse esum carnis, & potum sanguinis sui. Nõ simpliciter dicit, Ni
si ederitis & biberitis, non habetis uitã, sed addit iuramentum, (Amẽ
amen dico uobis) ut non tã ueritas huius dicti confirmet, q̃ necessitas
huius esus & potus significet. Et ne quis dubitet, de qua uita loquat, ex
ponit illud mox clarius, Qui edit, inquiens, meã carnẽ, & bibit meum
sanguinẽ, habet uitã ęternã. De uera enim & ęterna uita loqtur, nõ de
hac caduca & mortali uita. Vnde etiam addit, Et ego suscitabo eum in
nouissimo die. Etsi em̃ hi, qui uescunt carne Christi, & bibunt sangui-
nẽ eius, uidentur in oculis hoim mori, conseruantur tñ uere corã deo in
uita, q̃ & in nouissimo die per resurrectionẽ reuelabitur. Vita uestra,
inquit Paulus, abscondita est cum Christo in deo. Quandocunq̃ Chri
stus manifestatus fuerit, uita nostra, tũc & uos cum illo manifestabimi
ni in gloria. Cętęrę, Sunt qui hoc dictum Christi, de esu carnis suę, &
potu sanguinis eius, detorserunt ad sumptionem cœnæ dñicę, & quia
uiderunt ex hoc dicto Christi esum carnis & potum sanguinis eius ne-
cessarium esse ad habendam uitã, idcirco statuerunt cœnam dñicam eti
am infãtibus dandã esse. Sed Christus hoc loco prorsus nihil loquitur
de sumptione cœnę illius quã postea ad cõmemorationem mortis suæ
instituit. Nã is esus carnis Christi, & potus sanguinis eius, de quo in p̃
sentia sermo est, pronunciatur plane necessarius ad salutẽ. Amen, amẽ,
inquit, dico uobis, nisi ederitis carnem filij hois, & biberitis sanguinẽ
eius, non habetis uitã in uobis. Quid potest de necessitate huius esus
& potus manifestius dici? Sumptio aũt cœnę dñicę, nõ est simpliciter
ad salutẽ necessaria. Magna quidẽ utilitas est illius cœnę, & oĩno cum
licet, sumenda est, idq̃ iuxta Christi institutionẽ, adeoq̃ magnę gratię
Dño pro hoc dono agendę sunt, sed usus eius nõ est simpliciter necessa
rius. Dicit enim Christus apud Paulum, Hoc facite, quotiescũq̃ bibe-
ritis, in mei cõmemorationem. Non ait, Nisi ederitis hunc panẽ, & bi
beritis hoc uinum, non potestis salutem habere, sed ait, Quotiescunq̃
feceritis, uidelicet significãs Ecclesiã debere quidẽ uti hoc sacramento,
usq̃ ad nouissimum aduentum eius, non aũt tantã esse usus illius neces
sitatem, ut nisi quis eo utat, non possit in Christo per fidem, salutẽ con
sequi. Infantes hoc tempore nõ utuntur isto sacramento. Ergone si mo
riuntur in infantia, dãnabuntur oẽs, etiãsi Christo per baptismum sint
inserti? Quid posset iniquius, aut crudelius de his infantibus dici? Et
quid si adultus quispiã baptisatus in Christum, abduceret ab hostibus
in Tur-

Augustin. de peccatorũ meritis & Remissione Lib. 1. cap. 20.

Carnis Christi esus necessarius ad salutem.

Cœnæ Dominicæ usus.

in Turciam, priusq̃ sumeret cœnã dñicam, ac retineret in media etiam Turcia fidem in Christum, nec tñ posset uncq̃ hoc sacramento uti, adiudicabimus ne ipsum inferno? certe si usus huius sacramenti simpliciter ad salutẽ necessarius esset, fieri non posset, ut is qui eo nuncq̃ uteret, uitam haberet. Vera aũt salus sita est in Christo ipso, ac in fide, quę in ipsum habetur, non in externa cœnę dñicę sumptione. Non est, inqt Petrus, in alio quoq̃ salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum inter hoĩes, in quo oporteat nos saluos fieri. Etsi enim distribuit in cœna dñica corpus Christi & sanguis eius, tamen Christus non ita alligauit se cum corpore & sanguine suo ad cœnã suã, ut non possit, nisi in cœna sumi. Nam sumit etiã in p̃dicatione Euangelij sui, imo nisi prædicatio Euangelij accederet ad cœnã, nulla esset ibi distributio corporis & sanguinis Christi, sumitur quoq̃ in baptismo. Quicunq̃ enim baptisati estis, inquit Paulus, Christum induistis. Hęc non eo dicuntur, ut non frequenter & obedienter utamur cœna dñica. Pio em̃, eoq̃ afflicto uarijs calamitatibus ut iucundissimum, ita & utilissimum est, conscientiã suam usu huius cœnæ cõsolari & sustẽtare, sed idcirco cõmemorantur, ut cognoscamus dictum Christi, q̃d in contione huius sexti capitis de esu carnis & potu sanguinis sui recitat, non esse intelligendũ de sumptione cœnę dñicę, & ut sciamus magnũ esse discrimen inter Christum ipsum, qui solus est salus nostra, & cœnã eius, q̃ est quidẽ utile, non autẽ solum organon, q̃ Christum accipiamus. Quod aũt ad infantes attinet, etsi manifestum est, q̃ Cypriani & Augustini tẽporibus data sit infantibus cœna dñica, nec debet hoc factum Sanctorũ patrũ temere dãnari, tñ non est sentiendum, q̃ necessarium sit, ut infantibus det cœna dñica. Instituta enim est p̃cipue ad agnoscendã beneuolentiã Christi erga nos, & ad cõfirmandã fidẽ in tẽtationibus. Infantes aũt, qui inserti sunt Christo per baptismum, etsi habent suo q̃dam modo fidẽ, ideoq̃ suo etiã modo edunt carnẽ Christi, & bibunt sanguinẽ eius, illo uidelicet modo, quem Christus in hac contione exigit, tñ nondum intelligunt nec fidẽ nec tentationes fidei. Quare usus cœnę dñicę non est eis necessarius. Sed ut reuertamur ad institutum, uerba Christi, q̃ hoc loco de esu carnis & potu sanguinis eius dicunt, non sunt intelligenda de externo aliq̃ esu & potu, sed de fide ipsa in Christum, quę in hac cõtione metaphorikõs uocat esus & potus. Cum enim Christus susceperit hanc cõtionem occasiõe eius panis, q̃ pauerat pluscq̃ quincq̃ millia hoĩm in deserto, & qualẽ q̃rebant hi, qui conuenerant ad ipsum in Capnaum, utit etiã noĩe panis, pro carne sua, & noĩe potus pro sanguine suo. Sic & occasione huius metaphorę utit uerbo edendi & bibendi pro uerbo credendi, ut cum dicat, Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habetis uitã in uobis, hęc sit uera eius sententia, Nisi

Infantib cœna dominica data.

Infantes etsi habent, nõ tamẽ intelligũt fidem.

credideritis in me, qui dabo carnē meam pro uita mundi, & effundam sanguinem meū in expiationē pctōrum eius, non consequemini ueram salutem, adeocp Christus hac metaphora plane idē intelligit, qd antea simpliciter dixit: Oīs qui uidet filium & credit in eum, habet uitā eternam. Et mox. Amen amen dico uobis, qui confidit mihi, habet uitā eternam. Manifestum em̄ est, cp Christus sentiat hunc esum, & hunc potū, quē hoc loco exigit, necessarium esse ad uitā & salutē. Nisi ederitis, inquiens, carnem filij hoīs, & biberitis sanguinem eius, non habetis uitā in uobis. Si aūt dicendum est, quod res est, nihil aliud nobis ad salutē simpliciter necessarium est, cp fides in Christum. Sunt & bona opera suo qdam modo necessaria, sed nos loquimur nunc de ea re, qua coram deo iustificamur & seruamur. Iustificamur aūt solo Christo, & sola fide, qua Christum suscipimus, imo potius ab ipso suscipimur, & ipsi, ut ita dicā, incorporamur. Iustus, inqt ppheta, ex fide sua uiuit. Et Paulus, Arbitramur hoīem iustificari fide abscp opibus legis. Ac iterū. Scimus nō iustificari hoīem ex operibus legis, nisi per FIDEM Iesu Christi. Quare manifestū etiā est, cp Christus per esum carnis suę & per potū sanguinis sui hoc loco non aliud intelligat, cp fidē, q̄ habenda est de carne & sanguine eius, uidelicet ut credamus carnem eius pro nobis ad habendam uitā, in mortē traditā, & sanguinē eius pro nobis ad remissionem pctōrum effusum esse. Sic em̄ edere carnē Christi, & bibere sanguinem eius, hoc est, credere in Christum, ad salutē plane necessarium est. Nec ullus uncp hoīm sine hoc esu & potu, aut iā ante cōsecutus est, aut adhuc consequet salutē. Adam ipse, primus homo, etsi tēpore uitæ eius nondū aduenerat Christus, tm̄ edit carnē, & bibit sanguinem eius, qa credidit uenturū Christū, qui carne & sanguine, hoc est, morte sua expiet pctā. Ederunt & carnē Christi, ac biberunt sanguinē eius Noē, Abraham, & reliqui patriarchę & prophetę, qa crediderunt se consequi salutē per Christum, passurū carne pro peccatis & expiaturū sanguine suo iniquitates ipsorū. Sic & oēs pij, qui post aduentum Christi uitā in terris agunt, etiāsi non semper sumant cœnam dñicam, tm̄ semper edunt carnē Christi, & bibunt sanguinē eius, quia credūt, cp Christus expiauerit sanguine & morte sua pctā ipsorū. Sed audiamus nunc, ob quā caussam hic esus & potus, qui est fides in Christum, afferat nobis,
» » aut si ita dicere iibet, accipiat uitā & salutē. Sequitur. Caro em̄ mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus, Qui edit meam carnē, & bibit meū sanguinem, in me manet, & ego in illo. Hęc est collatio cibi & potus corporalis cum carne & sanguine Christi. Et constat hęc collatio partim dissimilitudine, partim similitudine. Dissimilitudo est, cp etsi cibus & potus corporalis alunt hoīem, & sustinent uitā eius, nō tm̄ sunt uere cibus & potus, q̄ non conseruant hoīem ppetuo, sed tm̄ ad tēpus in corpo

in corporali & caduca uita. Caro aũt & ſanguis Chriſti, ſi accipiãtur fi-
de (hoc eſt, ſi credideris carnem Chriſti in mortem pro peccatis tradi-
tam, & ſanguinẽ eius, in remiſsionem peccatorũ effuſum) ſunt uere ci
bus & potus, quia conſeruant hominem in perpetua uita. Nam, qui in
Chriſtum credit, uidetur quidem mori, ut alij homines, mors aũt eius
non eſt mors, ſed ſomnus, propterea ꝙ uita eius abſcõdita ſit cum Chri-
ſto, & conſeruetur à Chriſto, donec reſuſcitetur in nouiſsimo die. Si-
militudo autem eſt, ꝙ quemadmodum ſuccus cibi ac potus corporalis
tranſmittitur in omnia hominis membra, & uertit habitum totius cor-
poris, in ſui naturam, ut ſi quis utatur cibo nimis humido, efficiatur &
corpus humidum. Si frigido, efficiatur & corpus frigidum, ita etiã ca-
ro & ſanguis Chriſti uertunt ſumentem, hoc eſt, credentem in ſuam na
turam. Qui edit (inquit) meam carnem & bibit meũ ſanguinem, in me *Caro Chriſti qualis ſit cib.*
manet, & ego in eo, hoc eſt, una efficimur caro, unus ſanguis. Et quam
habent naturã mea caro & meus ſanguis, eandẽ etiã cõſequiẽ is, qui me
ueſciẽ. Caro aũt Chriſti eſt uita. Dabo (inqt) carnẽ meã pro mundi ui
ta. Caro itẽ Chriſti non potuit perire in morte, ſed reſurrexit à morte.
Et ſanguis Chriſti expiat pctã, quia eſt iuſtus & innocẽs ſanguis. Qua
re, qui hoc cibo & potu utiẽ, is ut reputatur iuſtus corã deo, ita etiã uiui
ficaẽ, ne pereat in morte, ſed reſurgat, & habeat ꝥternã uitã. Hoc aũt ci-
bo & potu, qui eſt Chriſtus ipſe per fidẽ acceptus, quid poteſt hoĩ con
tingere utilius, quid magis ſalutare? Sed obſecro te, unde habent caro
& ſanguis Chriſti tm̃ uirium, ꝙ ueſcentẽ uiuificent, ac conſeruent eũ
in perpetua uita? De hac re Chriſtus ipſe ſic contionaẽ. Sicut miſit me « «
uiuens pater, & ego uiuo propter patrẽ, ita & qui ederit me, ipſe quoq; « «
uiuet propter me. Obſeruabile dictũ, quo Chriſtus non ſolum exponit « «
cauſſam, propter quam caro & ſanguis eius afferant ueſcenti, hoc eſt,
credenti in ipſum, ueram uitam & ſalutem, ſed etiam indicat, quanta
ſit credentium in ipſum maieſtas. Miſit me (inquit) pater in hunc
mundum, ideoq; factus ſum filius hominis, ac uerus homo, habens
carnem & ſanguinem. Non ſolum autem miſit me pater, ſed etiam
uiuo propter patrem, hoc eſt, non tantum ſum filius hominis, ac ho- *Chriſtus uerus homo, & uerus Deus.*
mo, ſed etiam ſum filius dei, ac uerus deus, habens naturam ipſam di-
uinitatis. Veni quidem in hunc mundum, ut homo, ut ſeruus, ut lega-
tus, nihilominus tamen uiuo propter patrem, habeo deum patrem, à
quo ab ꝥterno uerus Deus genitus ſum. Eodem modo, qui edit me, ſeu
credit in me, is etiam uiuit propter me. Sicut enim ego, quia natus ſum
ab æterno à deo patre meo, uiuo propter patrem, & ſum uerus Dei fi
lius, ac Deus ipſe, ita & hi, qui credunt in me, quia renaſcuntur in me *Homines dij fiunt.*
per fidem, uiuunt etiam propter me, nec manent tantum homines ſed
fiunt etiam filij Dei, adeoq; dij ipſi. Quid ergo ad hæc dicemus? num

qui credit in Christum, ita uiuit propter Christum, ut fiat et ipse propter Christum deus? Tot ergo erunt dij, quot credētes. Accusamus Ethnicos impietatis, ꝙ multos deos finxerint: Nos aūt nunc multo plures facimus. Quid magis absurdum dici potest? Sed bene habet. Nō sectamur Ethnicam impietatem, sed Christianam pietatem. Nā qui credunt in Christum, tales fiunt dij, qualis est cōditio eorū. Nō fiunt naturales dij, qui ab æterno fuerint, (sic em̄ tres quidem sunt personæ, unus aūt tantum deus) sed fiunt dij adoptiui. Nā quemadmodū in ordine principum, alij sunt natiuitate Principes, alij electiōe, quos dicere posses, principes factitios, ita inter filios dei, unus tantum est naturalis ab æterno filius dei, alij autem fiunt filij dei electione & adoptione, quos & ipsos posses factitios dei filios dicere. Quotquot, inqt, receperunt eū, dedit eis ut liceret filios dei fieri, his, qui credidissent in nomē ipsius. Qui autem est filius dei, certe deus est. Sicut enim eum qui est hoīs filius, hominem esse, necesse est, ita & eum qui est dei filius, deum esse, necesse erit. Quod de carne nascitur, caro est. Ergo quod de deo nascitur, deus est. An non ab initio homo sic conditus est, ut esset deus, non quidem increatus, sed creatus? Dixit em̄ deus. Faciamus hoīem ad imaginem & similitudinem nostram. Hoc certe est deliberare de faciendo seu creando deo. Et si homo perstitisset in obedientia, & in iustitia, in qua creatus erat, uidisses ipsum in terris, ut deum, incedere. Nunc aūt hęc maiestas amissa est per peccatum et inobedientiam. Sed recuperata est hoībus per Christum, ut quotquot in ipsum credunt, recipiant diuinam maiestatem, ac fiant filij dei hoc est, dij ipsi. Ego dixi, inquit psalmus, dij estis, & filij excelsi oēs. Quid ergo faciamus? num credētes in Christum ornantur tanta maiestate & nobilitate, ut carnaliter inflati, alios homines prę se cōtumeliose fastidiant? Nihil certe minus. Sed ut discant ea uti aduersus Satanā & pctūm, & conseruent salutem in Christo exhibitam. Primum em̄ utendum est consideratione huius maiestatis ad repellēdos assultus Satanę, in grauissimis quibusꝙ tentatiōibus. Nā conscij nobis sumus, ꝙ multa et magna pctā designauerimus, et re ipsa sentimus, ꝙ pctūm inhęreat adhuc carni nostræ, ideoꝙ reuelato in nobis iuditio dei, uidemus dānationem nostrā, uidemus ignem inferni ad deuorādos nos accēsum, et sollicitat nos Satā ad desperandum de salute nostra. Quo ergo in tātis angustijs nos uertemus? Cōsideranda est per fidē maiestas nostra, ꝙ propter Christū adoptati sumus in deos. Dij aūt nullum habēt pctūm. Et ignis inferni nullū habet ius in deos. Diuersum quidem reipsa in nobis apparet, magis autem iudicandum est nobis secundum ueritatem nostræ adoptionis, ꝗ secundum externam ac sensibilem rerum speciem. Veritas autem est, quòd uerus et ęternus deus, agnoscat nos propter Christum, filios suos, hoc est, deos ipsos.

Dij adoptiui, homines.

Homo Deus creatus.

os ipsos. Quare, etsi iuditium peccatorum nobis molestum est, tamen nullum potest nobis incõmodum propter Christum afferre. Sunt qui bus grauis est paupertas, aut morbus, aut alia quędam calamitas in hoc seculo. Hi cogitare solent, has calamitates sibi perpetuo fore exitio, idq; mirę in modum perturbant. Quid igitur faciant? Considerent ma iestatem suam, q̃ facti sint dij propter Christum. Dijs aũt nihil potest ab ijs corporalibus calamitatibus noceri. Quare bono sint animo, quic quid acciderit, magis erit adiumẽtum, q̃ detrimentum. Alij mortẽ ita horrent, ut sentiant sibi per mortem in ęternas tenebras & crutiatus in grediendũ esse. Quo ergo hi confugiãt? Tutissimum asylum erit, si cõ fugiant ad considerationem suę maiestatis. Adoptati em̃ sunt per Chri stu in deos: Mors aũt nullum habet ius in deos. Sunt em̃ immortales, & ducunt uitã perpetuo fœlicem. Confidendum igitur est, q̃ mors in his, qui credunt in Christum, nõ sit uia ad interitum, sed potius uia ad uitã, cũ Christo inęternũ fœliciter agendã. Deinde utendũ est conside ratiõe huius maiestatis, ad excitandã & cõseruandã in nobis obedien tiã erga deum, & ad ducendã honestã uitã. Si em̃ facti sumus propter Christum filij dei, seu dij ipsi, non debemus ducere uitã sicut filij Sata nę, aut sicut Satan ipse, sed sicut decet filios DEI, aut deos. Nã quemad modum turpe est, si princeps faciat ea, quæ sunt indigna principe, ita multo turpius est, si filius dei faciat ea quæ sunt filio dei indigna. Ob secro aũt te cõmemora mihi quędã, quæ sint filio dei indigna. Sed qd pluribus opus? Vide, quæ deus uerbo suo uetuerit. Deum contumelia afficere, deum iudicare mendacem, odisse proximum, inuidere proxi mo, dare operam imposturis, helluari, & alia id genus plurima, ea de mum sunt indigna filijs dei, & qui hæc sectat̃, non agit uitam, sicut fi lius dei, aut deus, sed sicut filius diaboli, aut diabolus ipse. Hæc enim sunt diaboli opera, quę qui facit, eum ex patre diabolo esse, necesse est. Quare fugienda sunt opera diaboli, sectanda autem sunt opera dei, ut quam diuinam maiestatem in Christo per fidem consecuti sumus, eam etiam retineamus. Postremo, quod Christus addit. Hic est panis ille, qui de cœlo descendit, non sicut comederunt patres uestri manna, & mortui sunt. Qui ederit hunc panem, uiuet inæternum, cõclusio est hu ius totius contionis, in qua conclusione repetit Christus principalem contionis suæ statum, ijsdem pene uerbis, quibus eam ante proposu it. Cum enim Christus sit uere cibus & potus, ac non tantum sit filius hominis sed etiam filius Dei, qui propter patrem uiuat, ac sit uita ip sa, manifestum est, quod longe excellentior sit panis, q̃ Manna in de serto, quo etiamsi patres uescebantur, tamen moriebantur, hic autem Iesus Christus, talis est panis, ut qui ipso uescitur, aut in ipsum credit, nunquam moriatur, sed perpetuo uiuat. Hæc, cum antea satis copiose explicata sunt, superuacanea uidet̃ longior de ipsis oratio. Quare, nihil

nobis prius sit, q̃ ut nobis in hac miserrima iustitię & uitę nostrę fame, hũc panẽ per fidẽ adhibeamus, qui est Iesus Christus seruator ac uiuificator noster, unà cũ patre & spũsancto deus bñdictus in secula, Amen.

HOMILIA LIX.

QVam Christus contionem de esu carnis & potu sanguinis sui habuit, interpretatiõe nostra satis, quantum quidem ad hoc institutum nostrum attinet, explicuisse uidemur. Nam pręcipuus huius cõtionis status hic est, ꝙ nõ Moses, sed Iesus Christus sit uerus seruator noster, et ꝙ qui in Iesum Christum credit, (hoc enim est uesci carne Christi, & bibere sanguinem eius) consequatur ueram ac ęternam uitam. Hęc est summa totius Euangelij Christi, quę cum aliàs sæpe ac multum in hoc Euangelista, quem interpretandum suscepimus, repetitur, non commorabimur diutius in hac parte, sed percurremus ea, quæ Ioannes post hanc contionẽ describit. Hæc (inquiens) dixit Iesus in Synagoga docens in Capernaum. Euangelista non tantum descripsit contionem Christi, sed addit etiam locum, in quo hęc contio dicta fuit, uidelicet, in Capernaum, pręcipua urbe Galilęæ, & in synagoga, hoc est, frequentissimo eius urbis loco. Qua descriptione Euangelista nõ solum significat hanc cõtionem certo dictã esse, sed cõmendat etiam ueritatem doctrinæ Christi. Quæ enim Christus docuit, ea non communicauit cum paucis tantum, in secretioribus locis, quod hæretici, & seditiosi facere solent, qui cum intelligant ipsi doctrinam suam esse falsam, odio habent lucem, sed docuit ea palam in scholis et in templo. Videamus igit, q̃modo auditores Christi excepe rint hanc contionẽ. Proponitur aũt hoc loco magna auditorũ differentia, & diuidunt in duas partes. Alij em̃, ijq̃ paucissimi, uidelicet, duodecim tantum, accipiunt contionẽ Christi ęquo aio, & perdurant in audienda doctrina eius, quẽadmodum paulo post sequtur. Alij autẽ, ijq̃ maxima pręcipuorũ auditorũ pars, execrantur hanc contionẽ, & deficiunt à Christo. Multi inquit Euangelista, ijs auditis ex discipulis eius dixerunt. Durus est hic sermo. Quis potest eum audire? Quę offendicula antea sigillatim cõmemorata sunt, nunc cõiunctim recitãtur. Duo em̃ sunt, quibus auditores in hac contione offendebant. Alterũ est, ꝙ dixerat Iesus, se descendisse de cœlo, quo significauerat, se filium Dei, ac Deũ ipsum esse. Alterũ est, ꝙ dixerat carnẽ suam manducandam, & sanguinẽ bibendum esse. Quę igitur auditores antea sigillatim secum murmurauerant, ea nunc cõprehensim repetunt. Durus, inqunt, est hic sermo, Gloriat se de cœlo descendisse, hoc est, se esse deũ, nos aũt uidemus & scimus eum esse hoiem, ex hoibus. Quid ergo fieret nobis si sectaremur eũ, tã blasphema docentẽ? certe inferremus nosipsos in periculum &

culum & discrimen non solum uitæ nostræ corporalis, sed etiam perpetuę salutis. Lex enim extat. Si surrexerit in medio tui prophetes, & prędixerit signum ac portentum, et euenerit, quod locutus est, ac dixerit tibi, eamus, & sequamur deos alienos, quos ignoras & seruiamus ei, nõ audies uerba prophetę illius, sed propheta ille interficiatur. Cum igit is Iesus, multa quidem & magna miracula ęediderit, obtrudat aũt se ipsum nobis pro deo, qui non agnoscimus nisi unum deum creatorẽ cœli & terrę, agitedum amici, fugiamus procul ab hoc doctore, ut non solum tã blasphema non audiamus, sed etiam ne una cũ ipso à gente nostra trucidemur. Deinde durę & hoc est, ęp exigat à nobis esum carnis suę, & potum sanguinis sui. Quid? An conatur abrogatis nostris legibus, mores Scytharum, aut Indorę, in nostra rep. instituere? Nõ procul à Scythia dicunt esse populi, quos à uescendis humanis carnibus ἀνθρωποφάγους, hoc est, hoim deuoratores uocant. Et in India aiunt esse gentem, in qua solẽne sit, ut liberi mactent parentes suos, ac uelut in hostias cedant, & deinde carnibus eorę uescantur, quod quidem apud illos non immanitas, sed pietas iudicatur. Cũ ergo Iesus iubeat nos uesci sua carne, num faciet ex Iudęis Indos, & ex Israelitis, Scythas? Quod autẽ cõmemorat de potu sanguinis sui, non minus absurdum, ęp periculosissimum uidetur. Nam, quantum nobis, inquiunt, est iuditij, significat se hoc potu exigere à nobis pactum coniurationis. In alijs enim gẽtibus, alij sunt ineũdorum pactorum mores. Inter Arabes, statuitur medius quispiam inter eos, qui fœdus ferire uolunt, qui primum uolam, iuxta pollices ipsorum acuto lapide dissecat, deinde accepta stupa ex utriusęp uestimento, ungit eo sanguine septem lapides in medio positos. Ex qua consuetudine uides fœdera non sine sanguine eorum, qui iungebantur, sancita fuisse. In alijs quibusdam gentibus, solenne fuit, in faciendis fœderibus sanguinem non solum fundere, sed etiam bibere. Qui enim societatem inibant, solẽt dextras pollicesęp inter se uinciere, nodoęp constringere, deinde sanguinem ad extremos artus coactũ, leui uulnere elicere ac lambere. Id fœdus habebatur arcanũ, ac firmissimum, quippe quod mutuo cruore sacratum esset. Romana historia testatur in seditione Catilinaria, uulgatum fuisse, quod Catilina autor seditionis circũtulerit in pateris sanguinẽ humani corporis, uino permixtum, et potauerit eo oẽs coniurationis conscios, ut hoc potu mutuũ iusiurãdum confirmarẽt, & ipsi inter se magis fidi essent. Habes potũ humani sanguinis in feriẽdis fœderibus, & faciendis cõiurationibus solennẽ fuisse. Quare cum Capernaitæ audirent Iesum cõtionari de potu sanguinis sui, non dubito, qn uenerit eis in mentem huius consuetudinis, & existimauerint Iesum exigere ab ipsis tale fœdus, quo se cum ipso ita deuinciant, ut non tantum periculo fortunarum, sed etiam uitę,

Scytharum mores.

Parentes suos mactant Indi.

Herodotus in Θαλείᾳ.

Cornelius Tacitus.

ac ſanguine ſuo iuuent ipſum ad accipiendam mundanam in toto orbe terrarum dominationem. Etſi autem Iudęi tenebãtur magno deſiderio mundani regni, & hoc prącipue in Meſſia ſuo quęrebant, ut in hac terra dñarentur, tamen quia exiſtimant Ieſum hoc agere, non ut quieſcentibus ipſis, & extra teli iactum conſiſtentibus terrenam fœlicitatem pararet, ſed ut maximis ipſorũ periculis regnum acciperet, abominantur cõtionem eius, & deliberant de diſceſſu. Quid? inquiunt. Sperauimus fore, ut cum profiteatur ſe eſſe Meſſiam, faceret nos ſine oĩ incõmodo noſtro in hac terra beatos. Nunc aũt, quia intelligimus eum q̃rere conſpirationem, ut potu ſanguinis eius in uerba eius iuremus, & uelle nobis extrema quæuis pericula creare, qs poteſt eius eſſe diſcipulus ac ſectator? Dicit enim. Qui edit meam carnem, et bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Quid hoc aliud eſt, q̃ ſi diceret, q̃ debeamus nos cum ipſo ita deuincire, ut adhęreamus ipſi indiuidua coniunctione, & ſectemur ipſum, quocunq; nos ſiue per tela, ſiue per ignes, ſiue ad oppugnandam urbem Hieruſalem, ſiue urbem Romam duxerit? Fugiamus igit, & relinquamus ipſum ſuo ſanguini, ne una cum ipſo, quod alijs ſeditioſis contigit, etiam noſtrum ſanguinem, noſtramq; uitam amittamus. Vides hic magnam quidem, ſed carnalem & impiam Capernaitarum prudentiam. Nam prudentia eſt, non participare alienam impietatem, & nõ inire fœdus cum ſeditioſis, ſed impietas eſt, q̃ quem ſciebant habere teſtimonium Ioannis Baptiſtę, uiri ſanctiſſimi, & quem uidebant autoritatem doctrinę ſuę tantis miraculis confirmare, eum non proſequantur tanta fide, ut credant contionem eius ueram eſſe, etiamſi non intelligant, nec dignentur eum tanto honore, ut reuerenter quęrant de uera contionis eius ſententia. Quare digni ſunt non ſolum grauiſſima reprehenſione, ſed etiam ſeueriſſima pœna. Et tamẽ
» Chriſtus qua eſt humanitate, tractat eos clementer. Sciẽs enim Ieſus a-
» pud ſemetipſum, q̃ murmurarẽt de hoc diſcipuli ipſius, dixit eis. Hoc
» uos offendit? Si ergo uideritis filium hoĩs aſcendentem eo' ubi prius erat, ſubintelligendum eſt, reipſa ſentietis me uera dixiſſe. In hoc loco primum ſignificatur occulta hoĩm Chriſto Dño noſtro nota eſſe. Etſi enim auditores eius non obijciebant ipſi manifeſte abſurditatem contionis, ſed inter ſe clam murmurabant, tamen uidet & audit cogitationes & murmura eorũ. Admonemur ergo, ut coram maieſtate Chriſti, qua nunc cœlum & terra impleta ſunt, non ſolum nihil turpiter faciamus, ſed etiam ne cogitemus quidem. Deinde ſignificat Chriſtus, ſe contionis ſuę ueritatem re ipſa comprobatũ. Dixit, ſe de cœlo deſcendiſſe. Hoccine ergo, inquit, uos tantopere offendit, ut uelitis à me deficere? Sed ęquo animo ſitis. Quod uerbis dixi, rebus probabo. Nemo enim aſcendit in cœlum, niſi qui è cœlo deſcendit, quemadmodum ſupra dictum eſt.

ctum est. Ego aũt ascendam in cœlum. Quare, si uideritis me ascendentem in cœlum, tunc reipsa cõperietis me descendisse de cœlo. Sed ut recte intelligamus, quod de descensu è cœlo, & ascẽsu in cœlum dicitur, obseruandum est, ꝙ in hac contione descẽdere è cœlo sit natura sua cœlestem & diuinam habere originem, hoc est, uerum esse deum. Nisi enim hęc esset sententia descẽsus è cœlo, quõ Iudęi fuissent offensi? Nõ essent offensi, si intellexissent Iesum ita è cœlo descendisse, ut haberet cœlestem uocationem, qualis fuit uocatio Mosi, aut Elię, aut aliorẽ prophetarẽ. Cum aũt hac locutione tantopere offendantur, ut etiã deficiãt à Iesu, dubium non est, quin intellexerint Iesum his uerbis tribuere sibi diuinitatem. Quod cum iudicent esse impium ac blasphemum, putant nihil saluti suę cõsultius esse, q̃ ut Iesum unà cum sua doctrina deserant. Ascendere uero in cœlum hoc loco, non est de tali ascensu intelligendum, quali Elias in cœlum ascendit, nec de eo tantũ ascensu Christi, qui factus est in monte Oliueti, quadragesimo die post resurrectionem eius, sed hic ascensus, de quo in pręsentia sermo est, comprehẽdit oĩa, quibus Christus diuinitatem suam cõprobauit, uidelicet, ꝙ resurrexerit tertia die à mortuis, ꝙ ascenderit quadragesimo die post resurrectionem in cœlum, ꝙ miserit spiritum sanctũ, ꝙ ęderit noĩe suo magna & multa miracula per Apostolos, ꝙ uulgauerit ministerio apostolorẽ Euangelion suum in totum orbẽ terrarẽ, & defenderit illud in medio persecutorum, tam Iudęorẽ, q̃ Gentium, adeoq̃ ꝙ sedeat à dextris dei, ac dñetur in medio inimicorẽ suorẽ, et iustificet, uiuificetq̃ oẽs credentes in ipsum. Hęc enim certa sunt, & firma argumenta, quibus reuelata & comprobata est diuina maiestas Christi. Cum ergo dicit, Si uideritis filium hoĩs ascendentem eo, ubi prius erat, hanc habet sententiam, Dixi, me descendisse è cœlo. Nolite ergo hoc uerbo ita offendi, ut à me deficiatis. Nam quod dixi uerbo, probabo reipsa. Ascẽdam iterẽ eo, ubi prius eram, & reuelabo cœlestem ac diuinam meam maiestatẽ, ut perspicue cognoscatis, meam doctrinam ueram esse, ac me uere de cœlo descendisse, hoc est, hoĩem quidem assumpsisse, uerẽ aũt esse Deum. Huc pertinet etiã, quod Iesus aliãs, cum coram Concilio à Caiapha interrogaretur, num esset Christus, filius dei, respõdit, Amodo, inquiens, uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis, & uenientẽ in nubibus cœli, hoc est, Videor quidẽ nunc esse in oculis uestris abiectus homo & captiuus, ab hoc aũt tempore maiestatẽ meam ita reuelabo, ut manifeste comprobaturus sim, me non solum esse uerum messiã seu Christum, sed etiam uerum deum, eiusdem cum deo patre essentiæ atq̃ potentię. Ac de eo quidem, quod Iesus dixit, se de cœlo descendisse, hactenus. Nunc audiamus etiam de illo, quod dixit, carnem suã manducandam, & sanguinem bibendum esse. Hoc, inquit, uos offendit, ꝙ

E cœlo descendere.

Ascendere in cœlum quid sit.

ſuſſi uos edere meam carnem, & bibere meum ſanguinem? Exiſtimatis fortaſſe me hac doctrina uel anthropophagian, ſeu humanę carnis dilaniationē inſtituere, uel mutuam coniurationem ad inuadenda imperia huius mundi exigere. Itaq; metuitis, ne excitata ſeditione cōñciam uos mea doctrina in extrema uitę pericula. Sed bono ſitis animo. Si uideritis me aſcendentem eo, ubi prius eram, reipſa comperietis meā doctrinam nullum afferre exicium. Declarabo enim aſcenſu meo in cœlum, q̃ regnum meum non ſit mundanum, ſed cœleſte regnum. Quare non eſt uobis metuēda ſeditio, qua inuadam mundana regna. Nec metuendum eſt, ne mea doctrina afferat uobis aliquam pernitiem. State tantū, & permanete: Sentietis reipſa, uos ex mea doctrina uitam & ſalutem accepturos. Videamus ergo, quō probet Ieſus ſuam doctrinā magis ſalu
" " tis, q̃ internitiōis, & plus uitę q̃ mortis autorem eſſe. Spiritus (inq̃t)
" " eſt, qui uiuificat. Caro non poteſt quicq̃. Verba, quę ego loquor uo-
" " bis, ſpiritus ſunt, & uita. Hunc locum alij aliter intelligunt, ſed nos ſequemur ſimpliciſſimā ſententiam, & quam res ipſa indicat. Nam ſi cōſiderauerimus, quo in ſtatu conſtet hęc controuerſia, quę inter Chriſtū & Iudęos orta eſt, manifeſtum eſt, q̃ ſit contentio de doctrina Chriſti, qua Iudęi quidem offenduntur, & quam reprobāt, Chriſtus aūt defendit. Sed & Chriſtus ipſe cum ait, Verba, quę loquor uobis, ſunt ſpūs, perſpicue ſignificat, ſe hic loqui de ſua doctrina, et exponere, qualis ſit ea doctrina. Iudęi enim metuebant, ne ſi pergerent eſſe auditores & ſectatores Chriſti, conñcerentur doctrina eius in oīa genera malorum, & in mortem ipſam. Sed hunc metum refutat Chriſtus, & docet doctrinam ſuam, non mortificare, ſed uiuificare, non afferre pernitiem, ſed ſalutē. Spiritus enim in hac locutione ſumitur pro ſpirituali & cœleſti ac diuina doctrina, Caro autem pro carnali & terrena ac humana doctrina. Itaq; breuis quidem eſt, ſed obſeruabilis ratiocionatio. Spiritus, in quiēs, hoc eſt, ſpūalis & cœleſtis doctrina uiuificat, Caro aūt, hoc eſt, carnalis & humana doctrina, qualis eſt uel Phariſęorū, uel ſeditioſorū, nihil prodeſt, quia affert exitiū, & mortificat. Sed mea uerba, ſunt ſpiritus, hoc eſt, ſunt doctrina ſpūalis, & non carnalis. Quare ſunt etiam uita, & non afferunt mortem aut exitium, ſicut uos iudicatis. Habes ratiocinatiōem Chriſti. Percurramus nunc partes eius. Spiritualis (inquit) & cœleſtis doctrina uiuificat, & affert ſalutē. Carnalis autem & humana doctrina mortificat, & affert exitium. Quid ergo dicemus de Lege Dñi, quę etſi eſt ſpiritualis & cœleſtis doctrina, tamen mortificat, ſeu ut Paulus ait, occidit? Quid item de multis humanis doctrinis, de mathematica, de medicina, deq; alijs artibus, quę ad humanam uitam partim ſunt utiles, partim etiam ſuo quodam modo neceſſarię? Num dicemus & has nihil prodeſſe, ſed potius cōñcere hoīes in internitionem?

Syllogiſmus. Maior. Spūs eſt qui uiuificat, caro non prodeſt quicq̃. Minor. Sed uerba quæ ego loquor, ſunt ſpiritus. Concluſio. Igitur ſunt et uita. Eadem cōcludendi forma Ioannes etiā ſupra uſus ſ.

De lege

De lege igitur dei sic sentiendum est, ꝙ mortificet quidem, & occidat hominem, hoc aũt non fit legis sed hominis uitio. Si em̃ de ipsa diuinę legis natura per se loquendum est, certe quia est doctrina spũalis & cœlestis, habet etiam naturam uiuificandi, & salutem afferendi. Custodite, inquit, leges meas, et iuditia, quæ faciẽs homo, uiuet in eis. Afferũt igitur natura sua uitam. Et cum Moses absoluisset ministerium ferendæ legis, ait. Cõsidera ꝙ hodie proposuerim in conspectu tuo uitam & bonum. Dicit et Christus. Si uis ad uitã ingredi, serua mandata dei. Et Paulus. Lex sancta est, & pręceptum sanctum, ac iustum & bonum. Sed & Stephanus. Accepit, inqt, Moses sermonem uiuum, ut daret nobis. Quare, quantum ad naturam eius attinet, ut est doctrina spũalis & cœlestis, ita affert etiam uitam spũalem et cœlestem. Sed quia homines sunt carnales, uẽditi sub peccatum, idcirco fit, ut doctrina legis afferat homini magis mortem ꝗ uitam, & potius damnationem, ꝗ salutem. Quod cum nõ sit legi, sed homini & pctõ eius imputandum, firmum adhuc fixumqꝗ manet, spiritualem doctrinam uiuificare. De humanis aũt artibus, quæ ad conseruandam humanam uitam in hac terra utiles sunt, nullus hic fit sermo. Nam alia est corporalis & terrena salus, alia est spũalis & cœlestis salus. Si de corporali seu terrena salute loquendum est, multę & uarię sunt doctrinę, q̃ plurimum prosunt. Medicina prodest ad conseruandam aut recuperandam bonam corporis ualetudinem. Mathematica prodest ad cognoscendos admirabiles illos motus corporum cœlestium, & ad dimetiendam terram. Agricultura prodest ad colendam terram, & quis breuibus posset humanarum artium utilitatem enumerare? Si aũt loquendum est de uera, spirituali, cœlesti, et perpetua salute, nulla certe alia doctrina prodest, prętер spũalem & cœlestem. Omnes carnales doctrinę, quantumuis alioqui utiles, sunt pernitiosę & mortiferæ, si iudicẽtur perfecta esse ratio ad consequendam cœlestem salutem. Inter carnales uero doctrinas maxime omnium mortiferæ sunt doctrinę pharisęorꝝ, & seditiosorꝝ. Pharisæi docent ꝙ homines satisfaciant diuinæ legi suis externis operibus, & quod merean tur sua obedientia coram deo iustitiam & uitam ęternam. Hæc est uere carnalis doctrina, quę ducit homines in perpetuam internitionem. Seditiosi docent, quod tributa non sint danda Romano Imperatori, ꝙ capienda sint arma aduersus Romanos, ut Iudæi eiectis è sua regione Romanis, uindicent sese in libertatem, et subiciant sibi etiam alia mundana regna. Hæc est uere carnalis doctrina, quæ ducit homines in periculum omnium fortunarum & bonorum. Cum igitur duo sint genera doctrinæ, aliud spirituale, quod uiuificat, & seruat, aliud carnale, quod mortificat, & perdit, in quo, obsecro te, genere continetur doctrina Christi? Verba mea, inquit, quæ loquor uobis, sunt spiritus.

ꝙ est, eũ ait. Pater tales quærit, qui adorẽt ipsum. Spiritus est Deus. Et eos qui adorãt eum, spũ ac ueritate oportet adorare in qua locutione, cũ dicit, Et eos qui adorãt ipsum, etiã uitur cõtunctiõe (et) pro. igitur, ut sit sensus Spiritus est Deus, igitur oportet eos, q̃ adorãt ipsum &c. Sic & hoc loco, Verba mea quæ loquor sunt spiritus, Et uita, hoc est, igitur sunt uita. Et Ioannis 15 Nõ est seruus maior domino suo, si me persecuti sunt, & uos persequẽtur, hoc est, ergo uos etiã persequentur.

Lex uiuificat & mortificat.

Artes humanæ.

Doctrina mea non est caro, non est carnalis, sed est spiritus, est spiritualis. Manifestũ igitur est, ꝙ sit etiã uita. Dixi simpliciter, Qui in me credit, habet uitam ęternam. Hęc est doctrina spiritualis, cœlestis & diuina. Quare qui accipit eam, accipit et uitam. Dixi metaphorikῶς, sed eodem sensu. Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi. Si qs ederit ex hoc pane, uiuet inæternum. Et iterũ. Nisi ederitis carnẽ filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habetis uitam in uobis. Est & hęc doctrina spiritualis, & diuina. Reliquũ igitur est, ꝙ sit uita, ꝙ uiuificet, ꝙ conseruet hoĩes accipientes eam, ut consequantur sempiternam salutem. Sed cur non recensemus, uel paucis, species doctrinæ Christi, ut cognoscamus uerũ usum eius? Primum eũ, Christus interpretatus est aliquoties legem dei, quẽadmodum apud Matth. ca. v. & vi. & in alijs locis Euangelistarꝝ scriptum est. Ad hanc speciem pertinent comminationes, reprehensiones, & uaticinia de uenturis malis. Hęc doctrina nõ est quidem propria Christi, sed Mosi, dicitur tñ & ipsa uiuificare, propterea ꝙ proposita magnitudine & grauitate peccati excitet hoĩes ad q̃rendam iustitiã & uitã in Christo, unico nostro seruatore. Deinde docuit aliq̃ties salutem nostram non pendere ex humanis meritis, sed ex diuina electione. Nemo, inquiens, potest uenire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Et iterꝝ. Nõ uos me elegistis, sed ego elegi uos, Viuificat & hęc doctrina, si quis eam recte intelligat. Confirmat enim fidem eorꝝ, qui credunt in Christum, ut salutem suam certam & explo ratam habeãt. Nam si salus nostra penderet ex humanis meritis, nunq̃ possemus cõfirmato esse animo, quippe ꝙ hoĩm merita sint, ut imperfecta, ita & incerta. Et in psalmo perspicue dicitur. In conspectu tuo nõ iustificatur oĩs uiuens. Nunc aũt quia pendet ẽ sola & gratuita misericordia dei, quę in Christo filio eius non solum patefacta, sed etiam cõfirmata est, non põt esse incerta salus eius, qui in Christum credit. Mõtes, inquit, cõmouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autẽ mea non recedet à te, & fœdus pacis meę non mouebitur, dixit misera tor tuus Dñs. Quare cum hęc doctrina eximat è corde credentis dubitationem de salute sua, manifestum est, q̃d uiuificet eum spũali recreatione, & conseruet eum, ne desperando inęternum pereat. Postremo docuit Christus Euangelion suum, ꝙ uenerit in hunc mundum, & reconciliet hoĩes cum deo patre suo, ut oĩs, qui credit in ipsum nõ pereat, sed habeat ęternã uitã. Hęc est propria doctrina Christi. Et hęc est doctrina illa, q̃ uere uiuificat. Varia sunt afflictionum & mortis genera inter homines. Alius affligit, ac pene moritur magnitudine inopię suę, sed si hanc Euangelij doctrinam accipit, & agnoscit deum ipsi propitium esse propter Christum, fieri non potest, qn ita uiuificetur, ut manifeste sentiat se in eorꝝ esse numero, de quibus Paulus dicit. Quasi pauperes, multos

Doctrina Christi genera.

Euangelion, propria est doctrina Christi.

multos tamen ditantes, ut nihil habentes, & tamen oia possidentes. Alius turbatur agnitiõe peccati, & emoriẽ prę grauitate iuditij eius. Sed si Euangelio Christi fidem adhibuerit, & cognouerit peccatum suum remissum esse propter Christum, è morte ad uitam ita emergit, ut qui ante uelut mortuus non audebat prę peccato suo oculos ad cœlum tollere, nunc audeat ad thronum diuinę maiestatis intrepide et alacriter accedere. Alius concutitur horrore mortis & inferni, ac putat se perpetuę damnationi obnoxium esse. Sed si audierit Euangelion Christi, & crediderit in Christum, cp ipse sit uictor mortis ac inferni, & redemptor oim sperantium in ipsum, non solum seruatur in ipsa morte, sed etiã suscitabitur in nouissimo die, ut accipiat una cum Christo oim cœlestium bonorum hęreditatem. Quare conferamus in hanc rem oẽs curas & cogitationes nostras, ut doctrinam Euangelij Christi obedienti fide suscipiamus, quo in oi genere afflictionis & mortis uiuificemur. Etsi autẽ Christus perspicue ostendit, doctrinam suam non esse pernitiosam & mortiferam, sicut illi iudicabant, sed esse spiritualem & salutarẽ, uidet tñ eam nullum habere locum apud maiorem auditorum suorꝫ partem, ideocꝫ addit. Sed sunt quidam ex uobis, qui non credunt. Nouerat eim ab initio Iesus, qui essent non credẽtes, & quis proditurus esset ipsum. Et dicebat. Propterea dixi uobis, cp nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Vaticinatur Iesus de defectione suorum auditorꝫ, ac de proditiõe quocꝫ Iudę Ischariotis. De qua re, quoniam Iesus iterꝫ admonebit discipulos suos mox in fine huius capitis, reijciemus ad eum locum, quicquid nobis de hac re dicendum uidebitur. Repetit aũt hic caussam incredulitatis, quã & supra commemorauit. Nemo, inquit, potest uenire ad me, hoc est, in me credere, nisi fuerit ei datum à patre meo. Dices ergo. Si res ita se habet, culpa incredulitatis in hominibus, magis dei patris est, non dantis fidem, & non trahentis ad Christum, cꝫ hoim? Absit. Pater, qui uult oẽs homines saluos fieri, oibus offert fidem, & oẽs trahit, quantũ ad ipsum attinet, ad Christum, sed non oẽs accipiunt fidem, nec oẽs obediunt uoluntati, & tractiõi patris. Scio neminẽ posse obsistere oipotentię dei, sed maxima hoim pars obsistit uoluntati dei, quam ipse uerbo suo reuelat. Quoties uolui, inquit, congregare filios tuos, & noluisti? Ac iterꝫ. Vos semper spũi sancto restitistis, sicut patres uestri, ita & uos. An non in parabola de rege, qui fecit filio suo nuptias, & de homine qui parauerat cœnã magnã, plurimi inuitati sunt? & reliqui, q non erant inuitati, uocant tñ, adeocꝫ nõnulli eorꝫ cõpelluntur? Sed ecce hominum ignauiã & impietatẽ. Alij cõtemnunt, & abeunt ad sua negotia, alij afficiunt etiam contumelijs & occidunt seruos qui uocant ipsos ad nuptias. Alij etsi accedunt, tñ non afferunt secum uestem nuptialẽ. Quare culpa incredulitatis non est adscri-

benda deo, sed impię uoluntati hoīs, qui bonum, quod deus clementer offert, furiose reijcit. Nam q̃d Christus dicit, Nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo, non significat deum esse autorem impietatis in hoībus, sed significat se obedire quidem uoluntati patris sui, nec suscipere externam dñationem, qua hoīes uiolenter ad se recipi endum cogat, deum aūt patrem non esse personarꝝ respectorem, sed ad ducere ad filium, & dare filio eos, qui Euangelion filij, per fidē accipi unt, qualescunqꝫ alioqui persona sua uideant. Deus enim non respicit multitudinem, non potentiam, non sapientiam, non externā sanctitatē & honestatem hoīm, sed respicit tantum suam ipsius misericordiā, qua eos eligit, qui electionem suam suscipiunt, & uocationi eius obediunt, siue illi pauci, siue abiecti, & ab omnibus alijs hoībus contempti fuerint. Gratias, inqt, ago tibi pater, dñe cœli & terrę, qꝫ absconderis hæc à sapientibus & prudentibus (hi enim nolunt ea recipere) & reuelaris ea paruulis, Certe pater, sic cōplacitum est tibi. Nullus igitur moueri debet uel multitudine uel potentia, uel sapientia uel sanctitate incredulorꝝ & impiorum, ut Euangelion Christi abijciat, & sectetur una cum incredulis alienam doctrinā, sed agnoscat Euāgelion Christi per fidē, & perduret in eo constanti fide. Hoc si fecerit, non dubium est, quin deus pater ita eum filio suo Christo dederit, ut nunqꝫ inęternum sit salutem amissurus. Sed cum hoc dictum Christi etiā supra explicuerimus,
» pergamus nunc, quę reliqua sunt percurrere. Ex eo (tempore) multi di
» scipulorum eius, desciuerunt eo relicto, nec amplius cum illo ambula
» bant. Quod Christus futurꝝ uidit, & uaticinatus est, hoc nūc reipsa euenit. Maxima auditorꝝ & discipulorꝝ pars deficiunt à Christo. Soli duodecim manent. Hic ergo cōsidera mihi hoīm partim impietatē, partim ingratitudinem. Impietas est, qꝫ non adhibeant fidem ei, qui tot habet autoritatis suę testimonia. Sed hęc est solennis fortuna Christi, ac Euangelij eius, qꝫ homines deficiant ab eo, cum non uident sibi affulgere ex ipso spem mundanę fœlicitatis. Ingratitudo est, qꝫ propter uerbū paulo durius, ut ipsis quidē uidebatur, contemnant & deserant benefactorē. Acceperunt enim paulo ante à Christo magnum benefitium in deserto. Nec dubito, quin multi in hac turba fuerint, qui cōsecuti sunt ab ipso sanitatē. Nam priusqꝫ Christus ędidit miraculum de quinqꝫ panibus & duobus piscib. in deserto, & habuit hāc contionē, sanauerat oēs qui ad ipsum uenerant, male habentes, uarijs morbis ac torminibus affectos, dęmoniacos, lunaticos, & paralyticos. Ecce autem hi omnes tam ingrati sunt, & morosi, ut ne asperum quidem & horridum uerbum in benefactore ferre queant. Ac finge mihi, finge inquā, (re enim ipsa nihil tale de Christo dici, ac ne cogitari quidem potest) Christum sermone suo uel paululum à recto aberrasse, uel uehementiorem & durirem fuisse, qꝫ

orem fuisse, cp par esset, an non debuissent tãtillum erratum tot & tantis bñfitijs cõdonare? Sed maxima est hoim ingratitudo. Nisi semper pergas benefitia bñfitijs cumulare atcp adaugere, nõ agnoscunt ea, & tamen ne hoc quidem, etiamsi feceris, agnoscunt. Ac uerissimum est illud, quod in nostra regione uulgo iactatur. Tantam esse hominum ingratitudinẽ, ut si quem humeris tuis ad Romam uscp ferres, & deponeres eum paulo iniquius aut indignius, tunc totum bñfitium amitteres. Quid ergo faciamus? debet ne hominum ingratitudo tanti apud nos momenti esse, ut nulli benefaciamus? Absit, faciamus nos nostrę offitium, qd deus iussit. Etsi em̃ homo est ingratus, deus tñ est gratissimus, apud quem reposita est copiosa oim piorum offitiorę merces. Videamus aũt nunc, quid Christus aduersus hos defectores agendũ suscipiat. Fortassis ferit eos fulmine, aut grassatur in eos gladio? Nihil certe minus. Nã cum Dñs apud Mosen dicat. Qui uerba eius, quę loquetur in noie meo, audire noluerit, EGO ultor existam, tradit Christus ultionẽ deo patri suo, et uertit ipse se ad duodecim illos apostolos, qui ex oi discipulorę numero soli remanserant, ac dixit ad eos. Nũ & uos uultis abire? Interrogat aũt eos, non cp ignoret animi eorum propositum, sed ut hac occasiõe exponant ipsi suam fidẽ, & confirmentur in ea. Respondit ergo ei Simon Petrus. Dñe ad quem ibimus? Verba uitę eternę habes. Et nos credimus & cognouimus, cp tu es Christus filius dei uiui. Hæc est egregia confessio de Iesu Christo, cuius similis extat etiã apud Mathæum cap. decimo sexto. Primum aũt, quod Petrus solus respondeat Christo, non significat eum fore monarcham in Ecclesia Christi, sed significat eum esse aliorum collegarę suorum os, & ut uocant, procuratorem. Nam qd dicit, non suo tantum nomine, sed etiam collegarę suorum nomine dicit. Deinde cõmendat & illustrat confessione sua tã doctrinam, cp personam Iesu. De doctrina ait: Verba uitæ eternæ habes. Magna hęc est, & obseruabilis cõmendatio Euãgelij Christi. Quo ibimus? inqt. Nũ ad pharisęos? Sed illi non nisi nugas suas de fimbrijs, de lotionibus manuũ, de decimatiõibus anethi, et cymini, et de alijs id genus rebus nobis inculcãt. Ac doctrina eorę, etiãsi aliquid ex lege docendũ susceperint, necp calidos nos, necp frigidos reddit, imo sic docẽt opa legis, ut si quis opiniones eorę sectetur, perpetuo intereat. Nũ ad Mosen ibimus? Hic docet quidem diuina & cœlestia, sed nos imbecilliores sumus, quàm ut queamus doctrinæ legis eius perfecte obedire, ideocp addicit nos morti, & sempiternæ damnationi. Quare non quęremus alium doctorem, sed manebimus apud te. Tua enim doctrina ueram affert, eamcp æternam uitam. Nam aliorum hominum doctrina, aut est utilis tantum ad hanc corporalem uitam, aut ducit auditores ad mortem. Sola aũt tua doctrina ducit ad eternã uitam. Cum hac Petri

Ingratitudo hominum.

confessione de Euangelio Christi conuenit & illud quod aliâs Christus ait. Prędicate Euangelion oī creaturę. Qui crediderit et baptisatus fuerit, saluus erit. Et Paulus, Euangelion (inqt) est potētia dei ad salutem oī credenti. Maneamus igit & nos in doctrina Christi, ut morte liberati, uitam & salutem consequamur. De persona aūt Iesu ait Petrus. Tu es Christus filius Dei uiui. His paucissimis uerbis tribuit Petrus personę Iesu duplicē, & summam oīm maiestatē. Alterā, ꝓ Iesus sit uerus Messias seu Christus, de q̄ prophetę uaticinati sunt. Hæc est maiestas, quę superat gloriam oīm monarcharū huius seculi. Alteram, ꝓ Iesus sit filius dei uiui, hoc est, ꝓ sit uerus ac æternus deus. Duplices em̄ sunt filij. Alij sunt naturales, alij sunt adoptiui. Christus aūt non est adoptiuus dei filius, quales fiunt hoīes qui credunt in Christū. Christus em̄ non est adoptatus, sed genitus à Deo. Ego hodie, inquit, genui te. Quare est naturalis filius Dei. Si naturalis, reliquū est, ꝓ cum à Deo non gignat nisi deus, (sicut ab hoīe non gignitur, nisi homo) Christus sit uerus & ęternus deus. Hęc est maiestas, quę superat non solū gloriā regni huius terrę, sed etiam gloriā oīm creaturarū tā in cœlo q̄ in terra. Quid ergo faciamus nos? Hęc illa est confessio & doctrina, qua fundata est Ecclesia Christi, et quę proprie dicit Apostolica. Teneamus igitur hanc confessionem tanta firmitudine, ut eā nobis è corde & fide, nulla persecutorum tyrannide, nullis hæreticorum dolis, nulla Iudęorū uanitate, nulla Mahumetis & Turcarū crudelitate, nullis denicq; Satanæ mendatijs excuti sinamus. Sed hic uide mihi admirabilem Christianismi sortem. Inter tot millia hoīm, soli duodecim retinent uerā doctrinam de Christo. Et tamen ne hi qdem duodecim oēs synceri sunt. Sed unus eorum, ut Christus ipse loquitur, diabolus est. Sic em̄ sequi
,, tur. Respondit eis Iesus. Nonne ego uos duodecim elegi, & ex uobis
,, unus diabolus est? Dicebat aūt de Iuda Simonis Ischariota. Hic enim
,, erat proditurus eum, cum esset unus ex duodecim. Supra admonuit Christus discipulos suos de defectione multitudinis, nunc admonet eos, quod ne inter paucos quidem oēs synceri esse soleant, ac uaticinatur de proditione Iudæ. Non existimes aūt Christum hoc sine summo cōsilio & ante dixisse & nūc repetijsse. Primū enim, Christus cōtionatur de his rebus, partim ut declaret uentura sibi nota esse, quo miraculo cōfirmet etiā autoritatē suę doctrinę, partim, ut cum uaticinat de Iuda, significet se non coactum humana proditione, sed sua sponte & diuino consilio suscepturum passionem & mortem suam. Deinde meminit defectionis, ut & hi qui credunt, discant timorem Dei, & caueant ne secure stertant, & à Satana præoccupentur. Non solum enim inter multos, multi à salute excidunt, sed etiā inter paucos, eosq; selectos, solēt ij excidere, qui acceptā salutē non diligenter custodiūt. Quare pij in hoc studi-

Messiæ maiestas.

Christus filius dei naturalis.

hoc ſtudium oī cura incūbere debent, ut in timore dei ambulent, & uocatiōi dei ſollicite obediant, ne ſi ſecuram uitā ducant, acceptam ſalutē ignauia ſua amittant. Preterea, monet Chriſtus pios, ut ſiue multi inter multos, ſiue p̄cipui inter paucos ab Euāgelio deficiant, non offendant̄, ſed perſeuerent, & cōſtent in agnoſcenda & confitenda Euangelij ueritate. Etſi em̄ maxima pars diſcipulorꝝ diſceſſerat, propter hos tamē non reijcit duodecim, q̄ remanebant, ſed eo maiori dilectione eos cōplectitur, q̄ plures defecerant. Et quanq̄ inter duodecim etiā, unus erat diabolus, non natura quidē, ſed impietate, qua futurus erat ꝓditor, tamen reliqui undecim tanto acceptiores ſunt Chriſto, quanto ſceleratior erat duodecimus. Nihil ergo moueamur multitudine impiorꝝ, ſed ſentiamus nos, ſi ſectamur Euāgelion Chriſti, deo gratiſſimos & acceptiſſimos eſſe, ſiue multi, ſiue pauci credant. Deinde docet etiā hoc exēplum Chriſti modeſtiā. Solenne em̄ eſt apud imperitos hoīes, q̄ propter unum aut alterꝝ ſceleratum condēnent oēs, qui ſint eiuſdē uel familię uel opifitij. Si exēpli gratia, unus & alter, aut mercator, aut ſarctor, aut piſtor, aut molitor fuerit impoſtor, dicere ſolent oēs alios eiuſdē opifitij eſſe impoſtores. Sed heus tu, ſi generaliter iuxta hanc tuā legē iudicandū eſſet, q̄s, obſecro, honeſtus haberi poſſet? imo neceſſe habebimus, etiā teipſum in catologo nebulonū recenſere. Quod em̄ eſt genus uitę, q̄s hoīm ordo aut ſtatus, in q̄ non inueniant̄ hoīes ſcelerati? Poſtremo, Chriſtus uaticinat̄ de defectione incredulorꝝ, ac de ꝓditiōe Iudę, ut incredulos, & Iudam ipſum, apoſtolū ſuum in tēpore moneat, q̄ reſipiſcant, & ſupplitiū impietatis effugiant. Chriſtus em̄ habuit hanc contionē, duobus, ni fallor, annis ferē, anteq̄ proditus eſt à Iuda, & crucifixus. Significat ergo in hoc colloq̄o, unum è duodecim apoſtolis ꝓditorem fore, ut Iudas, qui noīe diaboli notat̄, habeat ſpatiū pœnitētię, & caueat, ne, q̄d uerbo audit, reipſa ſcelere ſuo impleat. Hoc exēplum obſeruatione digniſſimū eſt. Nā ſcriptura, q̄ eſt oraculum ſpūſancti, uaticinat̄ de poſtremis temporibus, in q̄bus nos nūc uitā agimus, q̄ multi ſint defecturi à Chriſto, et ſectaturi impietatē. Filius hoīs, inq̄t, cum uenerit, an reperturus eſt fidem in terra? Et iterꝝ. Lata eſt porta, & ſpatioſa uia, q̄ abducit in exitiū, ac MVLTI ſunt, qui ingrediunt̄ per illam. Acrurſus. Multi pſeudoꝓphetę ſurgent, ac ſeducēt MVLTOS. Et alibi, MVLTI primi erunt nouiſſimi. Hęc & his ſimilia in noſtri admonitionem prędicta ſunt, ut omni, qua poſſumus, diligentia & obedientia caueamus ne una cum MVLTIS illis ſeducamur, & in exitium abducamur, ſed ut in uera Euangelij fide perduremus, & cum piijs, ſiue multis ſiue paucis cœleſtem hereditatem conſequamur per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt unā cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

CAPVT SEPTIMVM

HOMILIA LX.

NONDVBITO, QVIN SI QVIS DIuinarum rerum ignarus percurrat lectione sua ea, quę in hoc septimo capite Ioannis Euangelistæ describuntur, sentiat prorsus Iudaïca esse, nec ullũ habere in Ecclesia Christi usum. Tractat enim hic de Iudaïco festo Tabernaculorũ, renouat contentio de uiolatiõe sabbati, fit & mẽtio circũcisionis, q̃ etsi habuerũt suũ usum in Israelitica politiæ, tñ postq̃ aduenit Christus, & Euãgelion eius diuulgatum est in totum orbẽ terrę, hęc Iudaïca & Israelitica sunt abrogata. Quare imperiti iudicare possent, explicationem harum rerum in Ecclesia Christi superuacaneam & inutilem esse. Sed nobis, multo aliter existimandum est. Etsi enim occasio harum contentionum & rixarũ, quas Iudęi cum Iesu Christo in hoc capite suscipiunt, oritur ex Iudaicis ritibus, tñ nos admonemur hic de rebus grauissimis, & disputat de uero Messia, de doctrina Messię, deq̃ multis alijs id genus rebus, q̃ ad cognoscendam uerã religionem, & ad consequendam cœlestem salutẽ necessarię sunt. Quare sentiendũ est, q̃ ea q̃ hic tractant, non pertineant tm̃ ad Iudaicum populum, sed ad Ecclesiã oim tẽporum & ętatum. Versabat, inqt Euangelista, posthęc Iesus in Galilęa. Nõ em̃ uolebat in Iudęa uersari, qa q̃rebant eum Iudęi interficere. Quid? metuit ne sibi Iesus, filius dei, rex cœli & terrę, ab aduersarijs hoibus? Et si nũc Iesus declinat pericula, quur paulopost ꝓficiscitur ad Iudęã, in die festo Tabernaculorũ, & contionat publice Euãgelion suũ Hierosolymis, in p̃cipua Iudęorũ metropoli, & frequẽtissima Iudęorũ turba? Quod Iesus fecit, nec est condẽnandus metus, nec incõsiderata temeritas. Metuit sibi à Iudęis, non solũ ut significaret se suscepisse nostrę salutis gratia humanas imbecillitates, sed etiã ut doceret suo exẽplo, pericula non temere esse subeunda. Reuertit tñ ad Iudęos, ac p̃dicat Euãgelion suum, ne discederet ab offitio, ad q̃d à deo patre suo missus erat, et ut suo exẽplo testaretur, propter pericula non esse deserendã & abñciendã legitimã ac diuinã uocationẽ. Vocatio enim dei necessario sectanda est, etiãsi extrema pericula immineant. Nam ut uiuas corpore in hoc seculo, non est necessarium. Vt autem obsequaris uoluntati & uocationi dei, omnino necessarium est. Quod si in aggrediendo & suscipiendo negotio metuis pericula, & cupis ea declinare, certe maiora & grauiora pericula plus metuenda & declinanda sunt q̃ minora & leuiora. Quod autem maius est periculum, q̃d grauius, q̃ q̃d imminet inobedienti, & deserenti

renti uocationem dei? Hic enim obijcit sese iræ dei, exponit sese periculis æternæ mortis & condemnationis, cum interim pius quispiam, qui perdurat in uera Dei obedientia, etsi creat sibi pericula q̃dam in rebus corporalibus, tñ conseruatur diuinitus, & effugit non solũ summa pericula, sed etiam extremã internitionem. Quare pericula nõ sunt qdem temere suscipienda, si possunt iuste declinari, non tñ discedendum est ppter externa illa & corporalia pericula, ab offitio legitimę uocatiõis. Sed audiamus qua occasiõe Iesus iterũ ad Iudęam redierit. Erat, inquit Euãgelista, in propinquo dies festus Iudęorũ, Scenopegia. Hęc sunt ferię tabernaculorũ, de quibus in Leuitico libro capi. xxiij ita scriptum est. A decimo quinto die septẽbris, quando cõgregaueritis oẽs fructus terræ uestræ, celebrabitis ferias Dñi septem diebus, die primo & die septimo erit sabbatũ. Et additur. Habitabitis in umbraculis septem diebus. Quę aũt fuerit caussa huius institutionis, scriptura ipsa non obscure tradit. Dicit em̃. Oĩs qui est de genere Israel, manebit in tabernaculis, ut DISCANT POSTERI uestri, qp in tabernaculis habitare fecerim filios Israel cũ educerem eos de terra Ægypti. Hic perspicue docet Moses, qp hi festi dies tabernaculorũ instituti fuerint in monumentum oĩm eorum benefitiorũ, quę deus cõtulit Israelitis in deserto, et quibus conseruauit eos inter pericula tã multa & tam magna. Esurierunt, & deus dedit eis Manna de cœlo, & coturnices. Sitierunt, et deus dedit eis potum ex petra. Deerat pannus & calceus, et deus effecit ut uestimentũ eorũ uetustate non deficeret, nec pes eorũ cõtereretur. Errauerunt in deserto, & dñs pręcessit eos ad ostendendam uiam, interdiu, columna nubis, noctu, colũna ignis. Hostes incurrerũt in eos, & Dñs defendit eos magnis miraculis. Breuiter, etsi non solum fuerunt omnium hoĩm auxilio destituti, sed etiam fuerunt omnibus gentibus maximo odio, deus tamen conseruauit eos in medio inimicorum, & dedit eis terram patriarchis promissam. Itaqp deus uoluit Israelitas celebratione feriarum tabernaculorum admonere de eo, quod Moses aliàs diserte dicit. En quadragesimus annus est, ut recogites in corde tuo, quòd sicut erudit filium suum homo, sic Dominus deus tuus erudiuit te, ut custodias mãdata Dñi dei tui, et ambules in uijs eius, et timeas eũ. Porro, spũs sanctus tanti momenti iudicauit has ferias tabernaculorum, ut cum per Zachariam contionaretur de Christianismo, iusserit omnes gentes celebrare eas, etiam in Christianismo. Omnes, inquiẽs, qui reliqui fuerint de uniuersis gentibus quæ uenerunt contra Hierusalem, ascendent ab anno, in annum, ut adorent regem Dñm exercituum, & celebrent festiuitatẽ tabernaculorũ. Et mox. Erit ruina, qua percutiet Dñs oẽs gentes, quæ nõ ascenderint ad celebrandã festiuitatẽ tabernaculorũ. Quid ergo? dices. An Christiani necesse habẽt q̃tãnis tabernacula extruere, &

Scenopegia.

Zacha. 14.

ſeptem diebus in eis, Iudaïco more habitare? Non impium quidē per ſe eſt, in tabernaculis & umbraculis uel ſeptem, uel decē, uel etiam pluribus diebus habitare, non exigit aūt ſpiritus ſanctus per Zachariam, ut poſt aduentum Chriſti feriæ tabernaculorꝝ celebrentur Iudaïce, ſed exigit, ut celebrentur Chriſtiane. Iudaïcum eſt, decimo quinto die Septembris ex pręcepto Moſaicę legis circumferre ramos arborum, offerre holocauſta, & in umbraculis habitare ſeptem diebus. Hęc ſi quis uellet Eccleſię Chriſti ſeruanda obtrudere, audiat, quod Paulus dicit. Ne quis uos iudicet in cibo et potu, aut in parte diei feſti, aut nouilunij aut ſabbatorum, quę ſunt umbra rerum futurarum, corpus aūt Chriſti. Audiamus igitī, quō ferię tabernaculorum celebrandę ſint Chriſtiano more. Ac primum, deus defendit Iſraelitas errātes in deſerto, ut teſtaretur, ꝙ quemadmodum conſeruauit Iſraelitas in deſerto admirabiliter, ita conſeruaturus ſit Eccleſiam ſuam, oībus temporibus, & in oībus periculis, quantumcunꝙ grauibus. Hęc oīa, inquit Paulus, in figura contigerunt illis. Scripta uero ſunt propter noſtri admonitiōem, in quos termini ęratum inciderunt. Quare is dicitur ferias tabernaculorum Chriſtiane celebrare, qui reuocat in animum exempla diuinę clementię, quibus ſemper Eccleſia conſeruata eſt, & confirmat ijs fidem ſuam in præſentibus periculis, ꝙ deus propter Chriſtum filium ſuum nō ſit deſerturus Eccleſiam, ac ne unum quidem membrum eius, ſed ſit eam perpetuo conſeruaturus. Deinde Deus uoluit Iſraelitas obſeruatione harum feriarum excitare ad fidem & gratiarum actionem, ut cum iam in terra patribus promiſſa celebrarent feſtiuitatē tabernaculorꝝ, meminiſſent deum eſſe ueracem & ſeruantem promiſſionum ſuarum, ac pręſtarent ei propter maxima benefitia, quę nullo ſuo merito acceperunt, obedientiam. Poſtꝙ aūt Chriſtus aduenit, impletum eſt, quod apud Hieremiam ſcribitur. Ecce dies uenient, dicit DñS, & feriam domui Iſrael & domui Iuda fœdus nouum. Non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus ueſtris, in die, qua apprehendi manum eorꝝ ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, ad cuius obedientiam neceſſe habebam cogere eos, dicit DñS, ſed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iuda. Poſt illos dies, dabo legem meam in uiſceribus eorum, & in corde eorum ſcribā eam & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Nam Chriſtus, qui per prophetas promiſſus eſt, liberauit Eccleſiam à tyrannide Satanę, & peccati, ac cōſeruat eam in deſerto mortis & inferni, ut non ſolum non intereat, ſed etiam habeat ęternā uitam, ac poſſideat cœleſtia bona. Hęc ſunt longe maiora benefitia, ꝙ liberatio ex Ægypto, conſeruatio in deſerto Arabię, & poſſeſſio terrę Canaan, de quibus admonebat Moſaica feſtiuitas tabernaculorꝝ. Quare is dicitur Chriſtiane has ferias celebrare, qui in animū ſuum reuocat

benefitia

benefitia Christi, & gratias agit deo, ꝙ Christum filium suũ miserit, iuxta uaticinia prophetarũ, in hãc terram, & ꝙ Christus expiauerit peccata, ac uicerit mortem, ut oĩs, qui credit in ipsum, consequatur et possideat cœleste regnum. Hęc cum nunq̃ non sint pio homini cogitanda, & meditanda, ut & fides accendatur, & obedientia fidei excitetur, perspicuum est, ꝙ festiuitas tabernaculorũ non in septembri tantum, sed toto anno, & singulis diebus apud Christianos sit celebranda. Sed de hac festiuitate, nũc satis, audiamus ꝓpter quã caussam Ioãnes faciat eius mentionem. Dixerunt ergo ad eum fratres eius: Transi hinc, et uade in Iudæam, ut & discipuli tui uideant opera tua, quę facis. Nemo quippe in occulto facit aliquid, & quærit ipse palam esse. Si hæc facis, declarateipsum mundo. Nã ne fratres quidem eius credebant in eum. Hic mihi uide sortem Christi in hoc mundo. Christus em̃ tam odiosus & contemptus est in hoc mundo, ut non solum alieni persequant̃ ipsum, sed etiam fratres eius (sic enim scriptura uocat cognatos et affines Christi) derideant et fastidiant eum, nec credant ipsum esse uerũ Messiam. Itaq̃ iubent ipsum si uerus sit Messias, ad diem festum tabernaculorũ in Hierusalem proficisci, ut cum in ijs ferijs maxima hoĩm multitudo conueniat, publice ostentet maiestatem suam. Transi hinc, inquiunt. Si enim uerũ est, quod affirmas te esse Messiam, cur tamdiu inter nos paucos et infimos hoĩes uersaris? cur sic te in Galilęa, quasi abscondis? Qui uult clarus & illustris esse, non abdit se in latebras, sed procedit in publicũ, & facit egregia strategemata, ut multitudo populi non solum admiret & faueat ei, sed etiam adiungat se illi, & conferat ad eum oẽm potentiam suam. Quare, si tu es talis, qualem te prędicas, abeundum tibi est è Galilæa ad Iudæam, ut patefacta maiestate tua in populi multitudine, congreges exercitum, & accipias mundanum regnũ, quod iamdudum optauimus ut Israeli restituatur, & nos in terrena fœlicitate tranquillam uitam ducamus. Hæc est natura humani ingenij. Non uidet externas uires. Desperat igitur de successu instituti. Nõ sperat externam & mundanam fœlicitatẽ. Cõtemnit igitur & fastidit promittentem cœlestia bona, sed hic magnus & pernitiosus est error. Quid? nõ sunt externę et humanę uires, ergo nec spũales & diuinę? Quid potest absurdius dici? Et quia fallit spes in consequendis terrenis bonis, non est adspirãdum ad cœlestia? certe ad hoc nascimur & renascimur ut posthabitis terrenis, superna & cœlestia quęramus. Sed libet magis uerba Christi seruatoris nostri, q̃ cognatorũ eius, ineptorum hoĩm, audire. Dicit ergo eis Iesus. Tempus meum nõdum adest. Tempus aũt uestrum semp̃ est paratum. Non potest mundus odisse uos. Me aũt odit. Quia ego testimonium fero de illo, ꝙ opa eius mala sint. Vos ascẽdite ad diem festum hunc. Ego nondum ascendo ad festum hoc, quia meũ tempus non

dum impletum est. Grauissima, sed & modestissima reprehensio, qua Christus arguit impietatem cognatorꝝ suorum. Nondum, inquiens, integrum mihi est, & opportunũ, ut proficiscar ad ferias tabernaculorꝝ. Vobis aũt non hoc tm̃ tempore, nec solum in Iudęã ad Hierusalem, sed etiam oĩ alio tempore, & ad quemcunqꝫ locum libet, integrꝫ est, et tutũ proficisci. Nam tradidistis uos totos huic mundo, & agitis uitã in morem oĩm impiorum hoĩm. Maxima hoĩm pars contemnit uerã religionem, & sectatur illã, quã uidet esse tutã, siue uera sit siue falsa. Idem & uos agitis. Non requiritis, qua religione consequamini uerã salutẽ, sed qua ducatis securã & tranquillã uitam. Maxima Iudęorum multitudo audit Pharisaĩcã doctrinã, & contemnit Messiam, nisi si p̃stet corporalia bona. Idem & uos agitis. Placet uobis Pharisaĩca doctrina, displicet autẽ Messias, q̃ non uideatur uobis carnali uestro affectui satisfacere. Vulgus hoĩm dat operã imposturis, helluat̃, & colit uentrẽ suum pro deo. Hi sunt & uestri mores. Pares autẽ cũ paribus, inquiunt, facillime congregantur. Cum igit̃ uestra uita prorsus cõueniat cum alijs impijs, quorꝝ ubiqꝫ maxima est multitudo, nihil uobis ab ijs, quibus similes estis, & qui uos propter morum similitudinem amant, metuẽdum est, sed patet uobis semper tutus accessus uel ad Hierusalẽ, uel ad alias Iudęorum ciuitates. Res autẽ meę in alio sunt statu. Ego enim nec doceo, nec uiuo, sicut impij Pharisęi ac reliqui Iudęi docent ac uiuunt, sed rep̃hendo doctrina mea impietatem eorum, & perspicue demonstro magnitudinẽ scelerum eorꝝ. Quare prosequũtur me maximo odio, & uitę meæ ita insidiantur, ut non liceat mihi tuto inter eos ambulare. Memorabilis contio, qua Christus p̃spicue docet, q̃ sit fortuna piorꝝ et impiorꝝ in hoc seculo. Hi enim ducunt securã in hoc mundo uitã, & sunt publica ubiqꝫ fide in tuto, illi autẽ nullã habent tranquillitatẽ, sed expositi sunt in hac terra maximis quibusqꝫ periculis. Etsi enim scriptum est de impijs, Non est pax impijs, De pijs autẽ, Israel habitabit confidenter, tũ res ipsa docet, longe alium esse rerum euentum. Impij enim secure uiuunt, & in publica ubiqꝫ fide ambulant, primum, quia cõparant se ad aliorum hominum mores. Sectantur publicã & usitatam religionem, siue ea uera sit, siue falsa. Maledicunt cum maledicentibus, Nugantur cũ nugantibus, Helluantur cum helluantibus, & omnino extra publicã uiam, siue ea recta sit, siue praua, non deflectunt. Similitudo autem est beneuolentię mater. Et uulgo dicunt, Simile gaudet simili. Quare, cũ impij sequant̃ studia impiorum, & obsequant̃ affectibus eorum, consequunt̃ etiã inter ipsos publicã securitatẽ. Deinde impij seruiũt Satanę, q̃ est princeps huius mundi. Quare Satan, pro more principum, hoc p̃cipue agit, ut serui sui publicã habeant securitatem. Sed quid? num hęc securitas perpetuo est duratura? Nihil certe minus. Non em̃ durat, nisi

Piorum et impiorum fortuna.

ὁμοιότης τῆς φιλόστοργος μήτηρ.

usqꝫ ad reue

uſq; ad reuelationem diuini iuditij. Vidi, inquit pſalmus, impium ſu-
ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros libani. Tranſiui & ecce non e-
rat, q̃ſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Et aliâs, In labore hoĩm
non ſunt, & cum hoĩbus non flagellantur, ſed ſequiť. Quõ facti ſunt in
deſolationẽ, ſubito defecerunt, perierunt propter iniquitatẽ ſuã. Et Pau
lus, Cum dixerint, inquit, pax & tuta oĩa, tunc repentinus ſuperueniet
interitus. Fugienda igitur eſt impiorꝫ ſecuritas, ne etiã una cum impijs
ſubito pereas. Pij aũt non habent in hoc ſeculo trãquillitatẽ, nec fruunť
publica fide. Non eſt ſeruus, inquit Chriſtus, maior dño ſuo, ſi me per
ſecuti ſunt, & uos perſequenť. Nec mirꝫ eſt, q̃ Chriſtus una cum pijs
ſuis non fruanť publica huius mundi ſecuritate. Principio enim, Chri-
ſtus arguit ſtudia & opera huius mundi. Teſtimonium, inquit, fero de
mundo, q̃d opera eius mala ſint, Et aliâs, Spũs ſanctus arguit mundum
de pctõ, de iuſtitia, & de iuditio. Idẽ & pij oẽs faciunt. Alij, qui uocati *Pij arguunt*
ſunt ad docendum Euangelion, arguunt opera huius mundi, doctrina *mundum.*
et uita, uerbis et factis. Alij, qui priuatã agunt uitã, arguunt mundum,
ſi non publica doctrina, attamẽ exẽplis uitę ſuę. Idolatras arguunt, cum
ipſi ſectanť uerꝫ unius dei, patris dñi noſtri Ieſu Chriſti cultum. Blaſ-
phemos arguunt, cum ipſi de deo pia loquuntur, Helluones arguunt,
cum ipſi ſobrie uiuunt. Impoſtores arguunt, cum ipſi iuſte negocianť.
Inuidos & detractores arguunt, cum ipſi proximum ſuum amore com-
plectuntur, & honeſta de eo dicunt. Breuiter, arguunt uniuerſum mun
dum, cum ipſi non cõparant uitã ſuã ad mores huius mundi, ſed ad re-
gulã uerbi dei. Et hoc eſt p̃cipuum offitium piorꝫ, non ut in oĩbus con
uiuijs & conſtrinis declamitent importune in publica hominum uitia,
ſed ut honeſta uita ſua teſtenť ſibi diſplicere impietatẽ & iniquitatẽ hu
ius ſeculi. Hęc eſt uitiorꝫ reꝑhenſio, pio homine digniſſima. Quis aũt
pacienter ferre ſolet reprehenſorẽ? Quis non odio proſequitur accuſa-
torẽ, caſtigatorẽ, & condemnatorẽ? Cum igitur pij ſint tã doctrina, q̃
uita ſua reꝑhenſores & condemnatores huius ſeculi, fieri nõ põt, quin
incurrant in maximum odium et offenſionẽ eorꝫ, qui ſe totos huic ſecu
lo dediderunt, nec uſq; inter eos tutum locum inueniant. Deinde, pij
non ſunt ciues, ſed peregrini & hoſpites huius terrę. Non habemus, in *Pij ſunt hoſpi*
quit, hic manentẽ ciuitatẽ, ſed futurã inquirimus. Peregrinis aũt & ho *tes in hoc mũ*
ſpitibus non concediť à ciuibus, ut fruanť publicis bonis ſuę ciuitatis. *do.*
Ac poſſunt quidẽ ciues aliq̃ties ferre, ut peregrini ad ipſos diuertant,
non poſſunt aũt ferre, ut peregrini reꝑhendant publicas ciuitatis ſuæ
mores, & inuadãt eiectis ipſis, in bona ipſorꝫ. Qui enim, cum peregri
nus ſit, hoc in aliena ciuitate conatur, gladijs & fuſtibus coerceri ſolet.
Cum igiť pij ſint pegrini huius terrę, & reꝑhendant mores ciuium hu
ius ſeculi, ac glorienť fructum omnium bonorꝫ ad ſe pertinere, non eſt
mirꝫ, q̃ inueniant inimicos, nec ullã habeant inter ciues huius mundi

tranquillitatem. Si de mundo, inquit, essetis, mundus q̃d suum est, dilí geret. Quia uero de mundo nõ estis, sed ego selegi uos de mundo, pro pterea odit uos mundus. Postremo, Satan est princeps huius seculi, pij aũt sunt hostes Satanę, quippe q̃ cum in lauacro regenerationis publi cum bellum susceperunt. Quis uero posset tutã & tranquillã agere uitã in media regione eius principis, q̃ cum inimicitias exercet, & bellũ ge rit? Quare pij, qui in hoc seculo, q̃d est principatus Satanæ, ætatẽ suam agunt, non possunt esse tranquilli, & perturbatione ac periculis carere. Sed quid, num hęc pericula sunt perpetua? num pijs in his periculis est pereundum? Minime oim. Pericula sunt momentanea. Salus aũt est ęter na. Ad punctum, inquit, in modico dereliqui te, et in miserationib. ma gnis congregabo te. Ac rursus. Plorabitis & lamentabimini uos, mun dus contra gaudebit, Vos aũt mœrore afficiemini, sed mœror uester uertetur in gaudium. Et mox. Gaudebit cor uestrę, & gaudium uestrę nemo tollet à uobis. Quod cum certo ita se habet, non est à pietate defi ciẽdum propter p̃sentia pericula, sed potius in uera pietate propter cer tissimam liberationẽ consistendum est, ut ꝓpetuam consequamur tran quillitatẽ. Pergamus aũt ad reliqua. Hęc cum Iesus dixisset illis, mansit in Galilęa. Vt aũt ascẽderunt fratres eius, tunc et ipse ascẽdit ad festum, non manifeste sed uelut in occulto. Hic nunc perspicue uides, metum le su, q̃ cauit sibi ab aduersarijs & insidiatoribus uitę suę, non fuisse carna lẽ formidinem sed piã & spũalem prudentiã. Etsi enim non uersat in lu dęa publice, nec peragrat eã manifeste, hoc uidelicet agens, ne temere se exponat periculis, tm̃ non discedit ab offitio, sed cum necessitas exige ret, ut Euangelion suum, iuxta patris mandatum, p̃dicaret, non solum non fugit Iudęam, sed etiã sistit se in inclytissima Iudęę urbe, & in fre quentissima Iudęorę turba. Itaq̃ fugiẽda quidẽ sunt pericula, dum per uerbum dei, & ueram pietatem licet, sed subeunda sunt q̃ris pericula, cum ad ea offitio, quod Dño deo nostro debemus, uocamur. Porro, priusq̃ Iesus uenisset ad diẽ festum, Iudęi (inquit Euangelista) quęre bant eum in festo, & dicebant, Vbi est ille? Et murmur multum erat in turbis de eo. Quidam enim dicebant, bonus est. Alij aũt dicebãt, Nõ, sed seducit turbã. Nemo tm̃ palam loquebat de illo, propter metum lu dęorę. Quęso te, quanta hęc est rerę inuersio? Qui est iudex uiuorę & mortuorę, is iudicat nunc non à principibus tm̃ populi, sed à uilissi mis quibusq̃ hoĩbus. Alij iudicant eum esse doctorẽ ueritatis, alij autẽ seductorem & hęreticum. Et quanq̃ nonnulli uiderent optime de ipso sentire, non tm̃ audebant prę metu suam sententiã libere & ingenue cõ fiteri, ne haberentur & ipsi hęretici. Admonemur ergo ex hoc loco, ne offendamur dissensionibus, quæ solent esse in doctrina religionis. Si enim Christo ipso docente Euangelion suum, & confirmante illud ma gnis ac multis miraculis, alij aliud de doctrina eius iudicarũt, quid mi rum si hoc

Pericula fugiẽda, sed nõ est ab offitio declinandum.

rum si hoc dissidium in posteritatem etiam redundet. Quare, qui non prius uolunt accedere ad Euangelion Christi, cp̃ publica religionis cõcordia instituat, nę illis expectãdum erit uscp̃ ad nouissimum diem, in quo manifesta quidem erit certitudo uerę religionis, sed serius erit cp̃ ut cessatoribus & contẽptoribus liceat tum sese meliori parti adiungere. Audient enim. Discedite à me maledicti in ignem ęternum, qui paratus est diabolo et angelis eius. Deinde uides & hoc loco, Ecclesiã dei non esse uulgum ipsum, qui habet titulum populi dei, sed latere in uulgo. Hi enim oẽs, qui conuenerunt ad diem festum tabernaculorꝫ erant Israelitę, aut Proselythi, quorꝫ cœtus habitus est pro populo & Ecclesia dei electa. Et tñ uides, cp̃ pauci sint inter ipsos, qui sint uera mẽbra Ecclesię. Principes persequuntur Christum, & q̃runt eum interficere. Tales aũt non esse mẽbra Ecclesię, manifeste patet. Maxima uulgi multitudo aut non requirit Christum, aut pendet ex iuditio principum, & sentit eum esse hęreticum. Quare nec hi sunt uera Ecclesię mẽbra. Non nulli bene quidẽ sentiunt de Christo, sed non audent Christum confiteri, prę metu. De his bona quidẽ spes concipi potest, sed nisi discant Christum etiam coram hoĩbus confiteri, non cõfitebitur eos Christus corã patre suo. Paucissimi sunt, qui uere & ingenue agnoscunt doctrinam Christi, & eã etiã periculo uitę suę confitentur. Hi sunt uera Ecclesię membra, sed in turba ita latent, ut in nullo habeãtur numero. Quid ergo faciamus? Non moueamur nec potẽtia & autoritate hoĩm qui persequuntur piam doctrinam, nec multitudine uulgi hoĩm qui contemnunt eam, ut deseramus offitium nostrꝫ, sed moueamur potius potẽtia & autoritate dei, ac multitudine angelorꝫ dei, ut offitium nostrꝫ retineamus, & in amplectenda uera Euangelij doctrina pergamus, quo cum paucis illis ueris Ecclesię membris cœlestem hæreditatem accipiamus, per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Ecclesia Dei quæ sit.

HOMILIA LXI.

Rofecti sumus superiori die cum Iesu Christo seruatore nostro è Galilęa, ad Iudęam, in urbẽ Hierusalẽ. Ascendamus hodie cum ipso ex ea urbis parte, quæ ad radicem montis Zion sita est, ad tẽplum, quod in monte fuit ędificatum, ut cõtiones eius, quas in templo habuit, audiamus. Sic em̃ ait Euangelista. Cum iã dimidium festi (nam tabernaculorꝫ festiuitas durabat octo diebus) peractum esset, ascendit Iesus in tẽplum, & docebat. Quid em̃ aliud ageret, cp̃ ut doceret? Non enim erat missus in terrã, ut regio more dñaretur, nec erat missus, ut pecora in tẽplo sacrificulorum more mactaret, sed ut Euangelion suum doceret. Ego, inquit, cõstitutus sum rex eb eo

ſup Zion montē ſanctū ſuū. Sed qualis rex? nū mūdanus? num qui, ut monarcha, externū gladiū geſtaret, & ſubiectos uiolēter coerceret? Minime omnium. Sed qui prędicaret mandatum dei, ſequitur eīm. Prędicans præceptum eius, hoc uidelicet, ꝙ Dñs dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te. Et apud Eſaiam. Spūs domini, inquit, ſuper me, eo ꝙ unxerit me. Num ad accipiendum regnum mundanū? Minime, ſed ad adnunciandum Euangelion afflictis, ut mederer cōtritis corde, & prędicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem. Quare, et ſi miniſterium cōcionandi in templo cōſtabat Ieſum periculo uitę ſuę, tamen quia miſſus fuit, & uocatus diuinitus, ut Euangelion ſuum publice cōcionaretur, maluit pericula ſubire, q̄ ab offitio diſcedere. Quid ergo auditores? Et mirabantur, inquit Euāgeliſta, Iudęi dicentes. Quo modo hic literas ſcit, cum non didicerit? Perſonam reſpiciunt, doctrinam non obſeruant. Non eſt, inquiunt, phariſæus, non Rabinus. Neceſſe igitur eſt, ꝙ à ſeipſo loquatur, ideoq̄ doctrina eius debet nobis merito eſſe ſuſpecta. Sed hoc eſt prępoſterę & peruerſum iuditiū. Veritas eīm aut falſitas doctrinę non eſt iudicanda è perſonæ conditione, ſed potius perſona, è doctrina. Cū uenirem ad uos, inquit Paulus, non ueniebam cum eminentia ſermonis aut ſapientię adnūcians uobis teſtimonium dei. Ac mox. Ego per infirmitatem & cum timore ac tremore multo apud uos uerſatus ſum, & ſermo meus ac prędicatio mea nō erat in ꝓſuaſorijs humanę ſapientię uerbis. Quare ſi de doctrina Pauli iudicandū fuiſſet ex conditione perſonę eius, nihil debuiſſet ea haberi contēptius, & abiectius. Sed bene habet. Veritas doctrinæ nō conſtat humana ſed diuina autoritate. Vnde & Ieſus reſpondit Iudæis, & dixit. Mea doctrina non eſt mea, ſed eius q̄ miſit me. Quod doceo, nō didici ab hoīe, nec finxi ex meipſo, ſed didici à deo patre meo, qui me propter hanc cauſſam miſit in terras, ut hāc doctrinā uulgarem. Itaq̄ doctrina mea, non eſt humana, ſed diuina. Quid ergo docuit Ieſus in tēplo, ut cognoſcamus huius cōtrouerſię ſtatū? Etſi fieri potuit, ꝙ Ieſus in hac cōtione, quā in feſto tabernaculorę habuit in tēplo, expoſuerit uel aliquam partem legis, ſicut aliàs nonnunq̄ docuit, quēadmodum apud Matthęum cap. quinto & ſexto ſcriptum eſt, uel aliquod propheticum uaticinium de Meſſia, ſicut fecit in patria ſua apud Lucā capi. quarto, tamen facile conijci poteſt, cōtionem eius hoc p̄cipue ſpectaſſe, ut ſignificaret ſe eſſe uerę illum Meſſiam, quē deus per prophetas populo ſuo promiſit. Hęc enim eſt propria doctrina Ieſu, quam cum nullo hominum communem habet. Tametipſi enim patriarchę & ꝓphetę multa cōtionati ſunt de Meſſia, nullus tamen eorę docuit ſeipſum eſſe Meſſiam. Sed hęc doctrina ſolius fuit Ieſu filij Marię, quam non didicit ab alijs hominibus, ſed attulit eam ſecum è cœlo, & accepit eā à deo patre ſuo. Nemo

Chriſti doctrina propria quæ ſit.

suo. Nemo sibi ipsi, inqt apostolus, usurpat honorẽ, sed qui uocatur à deo, quemadmodum & Aheron, Ita & Christus, non semetipsum glorificauit, ut fieret pontifex. Sed is, qui dixerat illi, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quid ergo ad hęc dicemus? Num exegit Iesus ab auditoribus suis, ut cum doceret, ac significaret, se esse uerẽ Messiam, per prophetas promissum, his nudis uerbis continuo fidẽ adhiberent? An non fuerunt etiã alij, Iudas, uidelicet, Galilęus, & Saddocus, qui iactarunt se à deo missos, & significarũt se esse Messias, hoc est, liberatores populi? Quare Iudęi potuissent Iesu obijcere, Quid? uis ne, ut cũ primũ tu p̃dicas te esse à deo missum, & uerẽ esse Messiam, uerbis tuis credamus? Multi fuerunt olim pseudoprophetę, qui & ipsi gloriati sunt se a deo missos, sed euentus aliter docuit. Multi etiã nostris tẽporibus fuerunt, qui gloriati sunt se à deo uocatos, ut liberarent populum, hoc est, ut essent Messię, sed reipsa cõpertum est, q̃ institutum eorẽ fuerit humanum somnium, & nõ diuina uocatio. Perierunt enim miserrime una cum sectatoribus suis, & nõ audiunt seruatores patrię, sed potius seditiosi. Quare apage cum tua doctrina & pollicitatione. Piscator ictus (ut dici solet) sapiet. Nostri amici & cognati crediderunt magno suo malo uerbis seditiosorum, & adiunxerunt se cum ipsis, sed tantum abest, ut consecuti sint liberationem, quam sperauerant, ut etiam uitam suam amiserint. Nihil fœlicius nobiscũ res ageretur, si nos tuis istis uerbis fidem adhiberemus. Hęc certe Iudęorum obiectio, quam fortassis uel inter se mutuo cõtulerunt, uel tacite secum cogitarunt, habet aliquã speciem prudentię. Non enim est temere cuiuis doctrinę, sine cognitione assentiendum. Et Ioannes postea scripsit. Ne cuiuis spũi credatis, sed probate spiritus, num ex deo sunt, quoniam multi pseudoprophetę exierunt in mundum. Quare ne quis existimet Christum exigere assensum suę doctrinę, sine recta cognitione, addit. Si quis uoluerit uo- « luntatem eius facere, cognoscet de doctrina, utrum ex deo sit, an ego à « meipso loquar. Hoc fere sic exponi solet, q̃ doctrina Christi, non possit intelligi, nisi antea fide accipiatur. Et citatur illud Esaię, Nisi credideritis, non intelligetis. Bona sententia, Sed & sic dici uidetur, ut Christus significet, se non hoc agere, ut Iudęi suam doctrinam temere absq̃ cognitione accipiant, sed postulare, & iubere, ut diligentissime in eam inquirant, quo reipsa comperiant, eam non esse humanam, sed diuinam. Si quis, inquiens, uoluerit uoluntatem Dei facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar, hoc est, Affirmo meam doctrinam esse cœlestem ac diuinam. Non autem postulo, ut temere mihi fidẽ habeatis. Scio multos fuisse impostores, quorẽ doctrinę, cum sine iuditio accesseritis, plurimum damni cõtraxistis. Sed oino

Doctrina uerbi Dei cognoscenda est.

uolo, & exigo, ut cũ exacto potestis iuditio, de doctrina mea cognoscatis. Et hoc ędico uobis, cũ qui uoluerit uoluntatem dei facere, qui uoluerit offitium deo gratissimum prestare, & cultum Deo acceptissimum peragere, is magna diligentia considerabit, & iudicabit de mea doctrina. Nam quemadmodum deo nihil magis placet cũ ut filius eius audiatur, ita omnium hominum offitium est, ut recte ac probe cognoscant de doctrina, quę nomine filij & uerbi dei, ac ueræ religionis iactatur, ne prætextu diuini nois in errorem, ac interitum abducantur. Iustus enim, inquit propheta, ex fide sua uiuit. Fides aũt est ex auditu. Et auditus per uerbum dei. Quare de uerbo dei, num uere id sit, quod dicitur, & iactatur, diligenter cognoscendum est. Adhęc, exigitur in primo decalogi præcepto, ut non colamus alienos deos, sed tantũ unum & uerę deum. Non potest aũt coli, qui sit ignotus. Cognoscitur aũt per uerbũ. Cognoscendum igit̃ est uerbum, cognoscẽda est doctrina uerbi, num sit uera, & diuina, ut et uerus deus cognoscatur. Dices aũt: Homo sum, nulla p̃ditus sapientia, et necesse habeo alimenta corporis magno labore quęrere. Quõ igitur licebit & uacabit mihi, de doctrina uerbi Dei & religiõis multa cogitare? Sed tu qualis qualis sis uel ingenio, uel externo uitę genere, certe homo es, ad imaginẽ & similitudinẽ dei cõditus. Christianus es, in Christo per baptismũ renatus, & expectas hęreditatẽ cœlestem. Vide nũc mihi, q̃t nominibus admonearis, ut nihil tibi sit prius, nihil posterius. cũ ut oẽm tuam curã & cogitationẽ, ad cognitionẽ doctrinę de deo, de filio dei, hoc est, de uera religiõe cõferas. Nec potes uoluntati dei magis obtempare, & p̃stantiorem cultum dei facere. Habent quidẽ sacrifitia, otia sabbati, & alia Leuitica quandã diuini cultus rationẽ, in Israelitica politeia. Sunt & in Christianismo sua sacra. Sed hic est præcipuus cultus Dei, hoc est maximũ sacrum, ut uera & recta doctrina religionis cognoscatur, & ei per fidem obediatur. Conquereris te esse hominem miserum. Quæ est ergo illa insipientia & insania, neglectu & contemptu cognitionis de uerbo dei, miseriam miseria cumulare? Num hoc agis, ut sicut in hoc seculo uideris miser ac infœlix, in altero seculo fias multo infœlitior? quin potius in hanc curam tota mente incumbendum est, ut cũ sis in hoc seculo miser, consequaris ueram è miseria liberationem. Non potes autem hanc consequi, nisi ut cognoscas doctrinam de uero deo, et filio eius. Hęc, inquit, est uita æterna, ut cognoscant te uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Quare hoc unum sit propositum nostrum, quo intueamur, & quo cursum nostrum dirigamus, ut doctrinam religiõis maxima cura percipiamus, et perceptam conseruemus. Cæterum, postcũ Christus ostendit Iudęis, quòd gratissimus deo cultus sit, ut de doctrina sua cognoscant, & significauit se hoc postulare, ut non temere uerbis suis fidem adhibeãt, sed cũ diligentissime iudicent, dubitabit fortassis quispiam, quo

piam, quo modo aut qua ratione Iudæi potuerint de doctrina Christi num sit humana an diuina, iudicare. Quare addit Christus. Qui à se metipso loquitur, gloriam propriã quęrit. Qui aũt quęrit gloriam eius, qui misit ipsum, hic uerax est, & iniustitia in illo nõ est. Hic est canon, ad quem si exigat doctrina Christi, ueritas eius nõ difficulter cognosci potest. Ac potuisset quidẽ Christus hoc loco longã instituere cõtionem de ueritate doctrinę suę, qua p̃dicabat se esse Messiam per prophetas promissum, (de hac em̃ doctrina nunc agitur) his uidelicet argumentis, q̃ tempus de aduentu Messię à prophetis p̃dictum, adhæc familia & persona matris, è qua Messias sit nasciturus, p̃terea locus natiuitatis Messię, in ipsum solũ competãt, q̃q̃ Ioannes Baptista, cuius autoritas ab oĩbus habita sit sacrosancta, publice testimonium dixerit, nõ se, sed ipsum, Iesum, esse Messiã, & q̃ magnis ac multis miraculis, quę sunt cœlestia testimonia, doctrinã suam cõfirmet. Hęc et id genus alia argumenta potuisset Iesus in mediũ proferre, sed quia Iudęi conferunt ipsum cogitatiõibus suis cum seditiosis, quẽadmodum supra indicauimus, ac metuunt interitũ suum, si se coniungant cũ ipso, sicut interierunt hi, qui Iudę Galilęo & alijs seditiosis adhęserunt, idcirco utiť eo argumento, q̃ se à seditiosis distinguat, & ueritatẽ suę doctrinę probet. Quare q̃d hoc loco dicit, hanc habet sententiã. Seditiosi cõtionati sunt se esse à deo missos, et se esse Messias, hoc est, seruatores populi dei. Ego idem cõtionor, uidelicet, me esse à deo missum, & me esse Messiã, seu seruatorẽ populi dei. Quo igiť argumento deꝑhendetis meam contionem esse ueram, illorũ aũt uanam et falsam? Hic aĩm mihi uestrę aduertite. Inter iustos & iniustos legatos, q̃ ab alijs emittunť hoc est discrimen, q̃ is qui q̃rit gloriam & utilitatem eius, à q̃ emissus est, sit iustus legatus, et probe fungať suo munere, qui aũt neglecta dñi sui gloria, q̃rit tantum sui noĩs gloriam, is non loqtur ea, quæ dñs eius mandauit, sed loquiť à semetipso, loquitur mẽdatia, nec est uerax sed mẽdax & iniustus legatus, qui legati nomen p̃texit tãtum, cũ interim suas res, non eius, cuius noĩe gloriatur, agat. Nunc ergo, amabo uos, conferte meas actiones, cũ seditiosis, & manifeste cognoscetis, q̃s nostrę sit uerus dei legatus. Hi enim, prætenderũt quidem nomen dei, & dixerũt se à Deo missos, non quęsiuerunt autem gloriam Dei, nõ quęsiuerunt, ut homines agnoscerent clementiam ac misericordiam Dei, ut fierent iusti coram Deo, ut obedirent mandatis Dei, ut seruarentur in morte, & acciperent cœlestem hęreditatem Dei, sed quęsiuerunt tantum suam externam dominationem, & mundanum regnum, ut liberarentur à tyrannide Romana, & ducerẽt in hac terra fœlicem uitam. Hoc fuit eorum propositum et institutũ, ideoq̃ dignissimi sunt qui pro furibus & latronibus iudicenť. Etsi em̃ iactarunt se à deo in salutẽ populi missos, hoc tñ egerunt, ut ipsi gloriã, potẽtiam, & dñationẽ in hac terra cõsequeren-

Legatorum discrimen.

tur. Ego uero, quid, obsecro uos, aliud ago, q̃ ut gloria dei patris mei, qui me misit, promoueat. Non quero regnum mundanum: Scitis ipsi, cum me uelletis regem creare, me fugisse. Nõ congrego exercitum, ut inuadam externam dominationem, sed obedio illis mandatis, quę prophetæ testati sunt deum daturum Messię, quem sit in hanc terram missurus. In Mose scriptum est de Messia, Prophetam, inqt Dñs, suscitabo eis de medio fratrum suorũ, similem tui, & ponã uerba mea in ore eius, loqueturq̃ ad eos, oia quę prǫcepero illi. Quæ ergo p̃cepit Dñs Messiæ suo? primum, ut adnuntiet Euãgelion de remissione pctõrum. Spiritus dñi, inquit, super me, ideo unxit me, ad p̃dicandum humilibus misit me, ut mederer contritis corde, ut prǫdicarem captiuis liberationem, uidelicet à peccatis, & clausis, hoc est, uinctis carcere legis, apertionem. Deinde prǫcepit ei, ut ędat miracula, in miseris & afflictis hoibus. Tunc aperientur, inqt, oculi cęcorum, & aures surdorum patebũt, tunc saliet sicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum. Postremo p̃cepit ei, nõ ut regio more dñetur in terra, sed ut seruili more subiciatur & affligatur, ac etiã pro pctis hominum occidatur. Vere, inqt, languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipsi portauit. Et mox: Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Hęc sunt prǫcipua mandata, q̃ prophetę testant deum, Messiæ legato suo daturũ. Maxima aũt hęc est gloria potẽtię & clemẽtię dei, q̃ Messias noie dei consoletur afflictos pctis, subueniat miseris, & seruet hoies à morte & perpetuo interitu. Cum igitur ego (inqt Iesus) quero non meã gloriam, aut dñationem, sed gloriam dei, & obedio mãdatis dei ac defungor eo offitio, quo prophetę Messiam defunctuũ prǫdixerunt, nihil aliud certe reliquũ est, q̃ q̃ doctrina mea, qua me affirmo esse Messiam, sit uera & diuina. Habes paraphrasim uerborũ Christi. Proponit aũt hoc loco Christus obseruabilem canonẽ de cognoscẽdis ueris ac falsis legatis dei. Multi em̃ solent sese iactare noie dei. Dicunt, se missos diuinitus, & p̃dicare mandata dei. Inter Iudęos fuerunt pharisęi, qui gloriabant de doctrina sua, q̃ esset mandatũ dei. Inter Christianos sunt Pontifices & Monachi, q̃ affirmant decreta sua, esse decreta spũsancti. Quid ergo faciamus? nũ doctrinę eorũ temere & sine iudicio accedendũ est, q̃ iactẽt se esse uel legatos, uel uicarios dei, & afferre mãdata dei? Nihil certe minus, sed q̃d docent, cõferendũ est cum eo uerbo dei, q̃d per pphetas & Apostolos est adnunciatũ, & diuina autoritate cõfirmatũ. In humanis legatiõibus diligenter solẽt inspici publicę literę legationis, quas uocant instructiones. Quod si legatus aliquid ab his alienum, aut diuersum commemorauerit, non solum non agnoscitur, sed etiam legatus ipse ignominia notari solet. In religione aũt habemus prophetica, ac post reuelatum & uulgatum Euangelion Christi, etiã Apostolica scripta. Hęc sunt publicę literę, & ut uocãt, Instructio-

Meßiæ functio in terris.

Propheticorum & Apostolicorũ scriptorum autoritas.

ſtructiones diuinarꝝ legationum. Quare, ſi quis gloriatur ſe legatum dei, & iactat uerbum ſuum eſſe uerbum dei, continuo exigendum eſt ad inſtructiões illas propheticorum & Apoſtolicorũ ſcriptorꝝ. Quod ſi cum his non conueniat, habendum erit pro anathemate, etiamſi angelus id adnunciauerit. Sed non dubito, quin ludęi reprehenderint cogitationibus ſuis hanc, ut ipſi iudicabant, iactantiam, qua Ieſus gloriabatur ſe gloriam Dei quærere. Quid? quõ quæris gloriam Dei, cum manifeſte uioles legem dei, præſertim eam, quæ extat de ſabbato? Tu ſanas hoies in die ſabbati, et iubes eos eodem die auferre grabbata ſua. Quare tantum abeſt, ut ſis ex deo, & quęras gloriam dei, ut potius uoluntati dei obſiſtas, & maieſtatẽ legis eius contumelia afficias, ideoq; digniſſimus qui aut lapidibus obruat, aut in crucem agatur. De hac re pergit Ieſus cõtionari. Et ait. Nõne Moſes dedit uobis legem, & tñ nemo ex uobis factis pręſtat legem? Quid me quæritis interficere. Scio quidem q̃ accuſetis me iniuſtitiæ aduerſus legem Moſi, propterea q̃ ſanauerim languidum in ſabbato, ſed ego uiciſſim affirmo me iuſte fecieſſe, & legem uere obſeruare, uos aũt iniuſte facere, & legem uiolare. Hic ergo cõſiderandum eſt, q̃ cum Chriſtus dicit. Nemo ex uobis pręſtat factis legem, primum q̃dem intelligat de ſpeciali lege. Non occidas: Hanc em legem uiolabant ludęi, dum quęrebant Ieſum, uirum innocentem occidere, deinde intelligat de tota lege, ut ſit ſenſus: Vos dicitis me eſſe iniuſtum, at ego pro certo dico, me iuſtum eſſe, uos autem oẽs eſſe iniuſtos, nec ullum ueſtrꝝ uere ſeruare legẽ. Accepiſtis legem à deo, docetis legem, auditis legẽ, explicatis legem, ſed nemo ueſtrum pręſtat legem factis. Ac fieri põt, ut homo quiſpiam externã honeſtatem legis ſectetur, & uideatur coram alijs hoibus iuſtus, nullus autem implet legem iuxta ueram ſententiam ſpũs ſancti, nec ullus poteſt eſſe actiõibus ſuorum operũ corã deo iuſtus. Nã manifeſtum eſt diſcrimẽ inter Chriſtum & oẽs alios hoies. Chriſtus enim totus eſt iuſtus ac ſanctus, & implet legẽ perfectiſſime. Peccatũ non fecit, nec eſt inuẽtus dolus in ore eius. Nec debuit Chriſtus hoc de ſeipſo diſſimulare, ꝓpterea q̃ oporteat alios hoies iuſtitia Chriſti fieri iuſtos. Quare iuſtitia eius debet eſſe uulgata, & oibus nota. Alij aũt omnes hoies ſunt natura iniuſti, nec faciunt legẽ perfecte. Oẽs declinauerunt, nõ eſt, q̃ faciat bonum, non eſt uſq; ad unũ. Et. Oẽs peccauerũt, ac deſtituunt gloria dei. ludęi igit recte accuſantur à Chriſto, q̃ nullus eorum p̃ſtet legẽ factis. Atq; hęc q̃dem eſt ſentẽtia ueterum interpretum, de hoc loco, ſed quid ſi Chriſtus his uerbis reſpiciat ad ea, q̃ mox de circũciſione recitabit, ac reprehendat ludęos imperitię, & imprudẽtię, q̃ cũ accuſent ipſum uiolatę legis de ſabbato, propterea q̃ ſanauerit languidũ in ſabbato, multo magis accuſent ſeipſos uiolati ſabbati, q̃ pueros ſuos ſabbato circuncidant. Nã hęc diſputatio ſuſcepta eſt cum Iudæis, occaſione eius miracu

li, quod Christus in eo ædidit, qui triginta & octo annos morbo fuit detentus, quemadmodum supra cap. quinto scriptum est. Et quia Iudęi sentiebant Christum eo facto uiolasse legem, ideo iudicabant eũ morte dignum, & quęrebant ipsum interficere. Propter quam caussam aliquãdiu non est uersatus in Iudæa, sed tantũ in Galilęa. Dicit ergo. Nõne Moses dedit uobis legem, uidelicet, de sabbato, & tamen uos nõ seruatis eã legem. Si enim ego sanatione hoĩs languidi uiolaui legem de sabbato, certe uos multo magis uiolatis eam circumcisione uestra, quẽ admodum mox sequitur. Quare si iudicatis me dignum morte & uultis me interficere propter sanationem, multo magis uos morte digni estis, propter circũcisionem, quam sabbato facitis. Hęc summa non uide
,, tur inepte cohęrere, cum his, quę mox de circumcisione sequuntur. Re
,, spondit aũt turba & dixit. Dęmonium habes. Quis te quęrit interfice
,, re? Hęc siue ab ea turba dicant, quę ignorat consilium Iudęorũ de interficiẽdo Christo, siue ab ijs, qui huius cõsilij conscij fuerunt, certe temere & impudenter dicuntur. Quid em̃ uerisimilius est? num Iudæos homicidijs prophetarũ assuetos, meditari homicidium, an Iesum tot testimonijs cõmendatum, et tantorum miraculorũ operatorem dęmonio ac furijs agitari? Maxima igitur temeritas est, cp tanta prącipitantia iudicauerint Iesum esse dæmonio obsessum. Et hoc est uulgare hoĩm uitium, cp re nec explorata nec cognita pronuntiare soleant, quod nõ dico in mentem, sed in buccã uenit. Si aũt Iudæi fuerunt huius iuditij conscij, & nihilominus dixerũt Iesum dęmonio agitari, quid, obsecro, potest dici impudentius? Negarunt em̃ fortassis se meditari homicidium aduersus Iesum, ne sibi confessione sua periculum à reliqua turba, quę uidebat Iesu fauere, & eum pro Messia habere, crearent. Sed uides hic extremam malitiam humani ingenij. Primum em̃ homines natura tam peruersi sunt, ut non uereantur innocẽtissimos quoscp infamia notare, & quibusuis malis afficere, tantũmodo ne ipsi periculis obijciant. Deinde hoc est uetus ingeniũ impiorum, cp suam impiam doctrinam ad scribant deo, doctrinam aũt uere piam, dæmonio. Sed audi quid psalmus dicat. Vidi impium superaltatum & eleuatum sicut cedros libani. Et transiui, & ecce nõ erat, & quęsiui eũ, & non est inuẽtus locus eius. Quare non moueamur aliena peruersitate, & impietate, ut deseramus nostrũ offitium, sed sectemur exemplum dñi nostri Iesu Christi, quã nulla Iudęorum impudentia & insania à sectanda uocatione sua abstere ruit: Verũ dissimulata contumelia pergit suam caussam, quam tractan
,, dam suscepit, exponere. Et dixit eis. Vnum opus feci, & oẽs miramini:
,, Propterea Moses dedit uobis circumcisionem, non quia ex Mose sit,
,, sed ex patribus, & tamen in sabbato circũciditis hominem. Si circum
,, cisionem accipit homo in sabbato, ut nõ saluatur lex Mosi, mihi indig

namini,

namini, quòd totum hominem sanum fecerim in sabbato? Nolite iudi ‹‹
care secundum aspectum, sed iusto iuditio iudicate. Supra dixit Chri ‹‹
stus, ꝙ si Iudęi sentiunt ipsum sanatiõe sua uiolasse legem de sabbato,
multo magis sabbatum ab ipsis uioletur. Nũc ergo exponit, quo facto
uiolent sabbatũ, siqdem obedire uolũtati et uocatiõi dei sit sabbatũ ui
olare. Vnũ, inqens, opus feci, unum hominem tot annis morbo deten
tum, curaui in sabbato, & oẽs miramini, omnes obstupescitis, omnes
indignamini, oẽs grauissime fertis, et iudicatis me legẽ de sabbato non
solum neglexisse, uerẽ etiam quantum in me sit, abrogasse, cum tamen
uos ipsi singulis sabbatis eam negligatis, si modo id est negligere, q̃d
uos dicitis. In quo ergo negligimus eam? In circũcisione. Nam Moses
pręcepit uobis circumcisionem, non quidem, ꝙ ante Mosen nõ fuerit
instituta, sed ꝙ eam à patribus acceperit. In eo pręcepto iubetur circum
cisio fieri octauo die. Infans, inquit, octo dierẽ circumcidetur in uobis.
Solet autem sæpe ac multum contingere, ut mulier pariat filium in die
sabbati. Itaq̃ octauus dies incidit in sabbatũ, quod proxime sequitur.
Quid ergo fit? Vos certe soletis puerẽ in sabbato circũcidere, ne lex il
la quę apud Mosen, de circũcisione à patribus accepta extat, soluat̃ et ne
gligatur. Cur ergo tam uehementer in me insultatis, ꝙ hominẽ tot an
nos languidum, & tam graui morbo detentum in sabbato curauerim?
Dicitis, legem dei iubere puerum octauo die circumcidere, nulla habi
ta sabbati ratione, ideoq̃ hoc uobis diuina autoritate licere, at uicissim
ego dico uobis quòd & lex Dei patris mei iubeat me infirmos curare,
quocũq̃ tempore mihi oblati fuerint. Quare quod facio in die sabba
ti, paterna autoritate facio. Testantur Euangelica scripta, quòd sabbatũ *Sabbati ob*
multum negotij exhibuerit Iesu Christo inter Iudęos. Et tamen, qui ue *seruatio.*
nerat, ut esset subiectus legi, ac impleret legem, nunq̃ neglexit sabba
tum iuxta diuinam eius legis sentẽtiam, sed tantum iuxta pharisaicas &
superstitiosas opiniones. Quare uaria extant argumenta apud Euange
listas, quibus Christus tuetur suam innocentiam, et reprehendit uanas
de sabbato superstitiones. Nã aliàs citat indesinentem actionem patris
sui. Pater meus, inquit, operatur usq̃ nunc, & ego operor, aliàs citat ex
emplũ Dauidis, qui necessitate famis coactus edit panes ꝓpositionis
aliàs producit in medium, ouem quę sabbato incidit in foueam & edu
citur, alias bouẽ aut asinum, qui soluitur, & ducitur aquatum, aliàs ma
ctatiõem hostiarum, quę fiebat singulis sabbatis à sacrificulis in tẽplo.
His exemplis & rationibus Christus non abrogat sabbatum in politeia
Mosaica, sed ostendit ueram de sabbato sententiam, & damnat pharisa
icam ac Iudaïcam superstitionem. Nam sabbatum fuit in politeia Mosa
ica magnis & grauibus caussis institutũ, nec debuit, in ea politeia, quę
erat legitima, & diuinitus ordinata prophanari. Primum enim institu

tum fuit, ut esset monumentũ creationis huius mundi. Nã spũs sanctus uidit futurũ, ꝙ humana ratio excogitatura esset uarias opiniões de cõditione mũdi. Alij em̃ senserũt mundũ nõ incepisse, sed fuisse ab ęterno. Alij dixerũt incepisse quidẽ, sed nõ ex nihilo. Alij docuerunt eum sua sponte natũ. Quare cũ Moses educeret Israelitas ex Ægypto, ac recẽs ad huc esset memoria creationis huius mundi, à patriarchis (qui q̃ ꝓpius aberãt ab ortu & diuina ꝓgenie, eo certius cognoscebãt initiũ mundi) ad posteros propagata, iussit spiritus sanctus instituere sabbatum, ut esset publicum monumentum, quo posteri cognoscerent mundum non fuisse ab ęterno, sed esse ab initio, ex nihilo diuinitus creatum. In prącepto enim de sabbato diserte additur. Sex diebus fecit deus cœlum et terrã & mare & oĩa quę in eis sunt. Et requieuit die septimo. Quibus uerbis sabbatum perspicue cõmendatur, ut sit monumentũ creationis. Deinde institutum est sabbatum, ut esset sacramentum, & admoneret Israelitas, ꝙ solus deus qui creauit mundum, & promisit semen mulieris cõtriturũ caput serpentis, sit sanctificator & seruator ipsorũ. Dedi, inquit, sabbata mea eis, ut esset signũ inter me & eos, ac scirent, quia ego Dñs sanctificans eos. Quare deus uetuit Israelitas in die sabbati facere opera rustica, & opificia, ut ociosi conuenirent in unum cœtum, audirent uerbum dei, & facerent sacra, ex quibus deum uere agnoscerent, fidem suam confirmarent, & uno oẽs ore deum laudarent. Nullum opus, inquit, facias in eo, necꝫ tu, necꝫ familia tua, necꝫ iumenta tua. Ergo nec loquendum est, aut standum, aut aliquo uscꝫ progrediẽdum, aut ne cogitandum quidẽ aliquid? nam & hęc sunt opera? Absit. Principio em̃ otium sabbati ciuiliter, non superstitiose intelligendum est, de cessatione uidelicet, ab ijs operibus, quibus celebritas sabbati aut impediretur, aut abrogaretur, deinde intelligendum est, de generali, non de personali uocatione. Aliud est, generalis uocatio, aliud, personalis. Generali uocatiõe iubentur oẽs hoĩes hanc legem, Non occidas, obseruare. Personali aũt uocatione, iubetur magistratus sceleratos punire, & pro sceleris qualitate, occidere, ita & generali uocatione prącceptum erat oẽbus Israelitis, ut in sabbato nulla facerent opera, talia uidelicet, ciuilia aut rustica, qualia solẽt fieri profestis diebus. Personalis aũt uocatio erat, ꝙ sacerdotes in tẽplo mactabant pecora, ad facienda sacra, personalis uocatio erat, ꝙ in sabbato circumcidebatur infans, personalis uocatio erat, ꝙ boues & oues aut ducebantur aquatum, aut educebantur è foueis, in quas ceciderãt, personalis uocatio erat, ꝙ Iesus curabat in die sabbati infirmos, personalis uocatio erat, ꝙ Matathias iniit pugnã aduersus hostes in die sabbati, ut tueretur eam politeiam, in qua & sabbatum & aliæ leges obseruare possent. Quare, etsi generali uocatione non licuit in die sabbati quęuis facere opera, tamen personali uocatione multa licue

Sabbati usus.

Vocationum diuersitas.

1. Mach. 2.

ta licuerunt, quę alioqui erant illicita: In Christianismo autē nullus qui dem iudicari debet, in parte diei festi, aut sabbatorum, quemadmodū Paulus ait, sua autem debet esse dierum festorum obseruatio, ut publicus fiat conuentus ad cognoscenda benefitia dei per Iesum Christū nobis prestita, & ad laudandum nomen Dñi, de qua re cum aliàs copiose dixerimus, audiamus nunc exhortationem, quam Christus ad finē contionis suę addit. Nolite, inquiens, iudicare secundum aspectum, sed iusto iuditio iudicate. Ostendi nunc ex lege de circumcisiōe, ꝙ iudicetis de meo opere, nō secundum rei ueritatem, & rectam legis sententiam, sed tantum secundum externā operis speciē, & humana uestra somnia. Nā si recte cōsideraueritis, quid sit sabbatum, & quę sit uera sententia eius legis, iudicabitis potius, me sabbatum obseruasse, q̄ prophanasse. Peccatum aūt est, in iuditio, ut personam respicere, ita etiam externam tantum speciem rei cōsiderare. Nolite ergo sic secundum aspectum iudicare, sed iusto iuditio iudicate. Obseruabile pręceptum, tā magistratui q̄ priuatis, idq̄ non in ciuilibus tantū, sed in Ecclesiasticis, adeoq̄ omnibus negotijs. Nam secundum aspectum iudicare, est in iuditio cōsiderare, non ueritatem, sed speciem tantum rei, ut si quis, exempli gratia, in ciuili iuditio, cōsideret in accusatore nō caussam ipsam, & oēs circumstantias eius, sed uel externam tantum facti absurditatem, qualis se se prima facie in reo offerret, uel accusatoris eloquentiam, ac pronunciet ex eo pro accusatore aduersus reum, aut si qs ex scriptura, sentiat Deum externos pedes habere, ꝙ scriptura dicat deum descēdisse de cœlo, & uidisse ędifitium turris Babylonicę, aut si quis de proximo suo iudicet, secundum unius aut alterius inuidi maledicentiam. Quis aūt sic temere iudicans, nō facile deciperetur, ac à uera uia aberraret? Quare adhibenda est summa in iudicando diligentia, ut in recta semita iustitiæ ambulemus per Iesum Christum Dñm nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Festorum dierum obseruatio in Christianismo

Iudicare secundum aspectum.

HOMILIA LXII.

Ascendimus his diebus cum Christo in templū Hierosolymitanum, & audiuimus cōtionem eius, qua & ueritatē doctrinę suę affirmauit, & opus miraculi, quod in die sabbati ædiderat, defendit. Audiamus nunc quam uaria iuditia de Iesu Christo Iudęi fecerint. Ac initio audiamus sententiam ciuiū Hierosolymitanorum. Dicebant ergo quidam ex Hierosolymitanis. Nonne hic est, quem quęrunt interficere? Atqui ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Num uere cognouerunt principes hūc esse uere Christū? Sed hunc nouimus unde sit, Christus autē cum uenerit, nemo scit, unde sit. Pauca uerba loquuntur ciues Hierosolymitani, sed produnt mag

nam ſuam imperitiam de Chriſto, & pertinatiam in ſua impietate. Etſi enim habitarunt in urbe ſancta Hieruſalem, in qua erat templum, & in qua religionis doctrina atq; uaticinia de Chriſto maxime omnium explicabantur, tamen ne ea quidem, quę de Chriſto in prophetis paſſim obuia erant, cognoſcebant. Chriſtus, inquiunt, cum uenerit, nemo ſcit, unde ſit. Quid ergo eſt, q̃ prophetæ toties dicunt, Chriſtum naſciturę ex familia Dauidis? quid q̃ manifeſte dicit Micheas, Chriſtum naſciturum in urbe Bethlehem, quemadmodum & alij Iudęi, qui paulo eruditiores erãt, paulopoſt affirmabunt & Pontifices ante in aduentu Magorum, Herodi indicauerant? Sed hoc illud eſt, quod uulgato prouerbio iactatur. Quo quis propius Romam habitat, eo peior eſt Chriſtianus, ita quo quis propius urbem Hieruſalem habitauit, eo peior & imperitior fuit Iudęus. Nam cum maxima ſemper multitudo Iudęorum, diebus preſertim feſtis, ad Hieruſalem conuenerit, ut ſacra ſua perage rent, dubium non eſt, quin ciues, poſthabita cura & ſtudio audiendę ſacræ doctrinæ, dederint operam excipiendis & tractandis hoſpitibus, ac ſectati ſint ſua cõpendia in extrudendis mercibus, ac rebus ad ſacrificia neceſſarijs. Itaq; factum eſt, ut nullam prorſus ueram cognitionem de Meſſia ſuo, ſeu Chriſto, niſi ſi quæ forte inter pocula audiuiſſent, conſecuti fuerint, ac rudius & ineptius loquantur de Chriſto, q̃ ulli extranei Iudæi. An non et hi ſunt noſtrorę ciuium mores? In diebus feſtis multo maior habet cura excipiendorum peregrinorę, qui huc conuenire ſolent, & extrudendarę mertium, q̃ audiendi Euãgelij. Putas aũt fore, ut deus tãtam oſcitantiam, & neglectũ uerbi ſui diutius ferat? Vide mihi exẽplum ciuium Hieroſolymitanorę. Hi maluerunt dare operam ſuo cõpendio, q̃ ueram doctrinam de Chriſto cognoſcere. Fructus igitur Chriſti, q̃ eſt theſaurus oĩm cœleſtium bonorę, trãslatus eſt ab eis, ad extraneos, ipſi aũt tam horribiliter perierũt, ut facti ſint opprobriũ, et blaſphemia, exẽplum & ſtupor in oĩbus gentibus, quẽadmodũ prophetaait. Quare cauendũ eſt, ne noſtra culpa fiat, ut alieni nucleũ, ut ita dicã, pię doctrinę auferant, & nobis putamina tantũ, hoc eſt, famẽ uerbi dei, ac pperuũ interitum relinquant. Deinde Hieroſolymitani prodũt etiã his uerbis pertinatiã animi ſui in impietate. Cum em̃ dicũt. Nũ uere cognouerũt principes, hunc uere eſſe Chriſtũ? Sed hũc nouimus unde ſit, ſignificãt ſe exiſtimare, q̃ ipſi non ſolũ rectius iudicent de Meſſia, q̃ principes, uerę etiã q̃ quã q̃ principes agnoſcerent hũc Ieſum p Meſſia, ipſi tñ non uelint eũ agnoſcere. Sciebant em̃, q̃ Ieſus grauiſſime reprehenderet ſupſtitiones & impietates Iudęorę. Viderũt eũ è tẽplo eijcere mercatores & ſubuertere menſas numulariorę. Ex his autem nondinationibus faciebant maximũ quęſtum ac lucrę. Cum igit̃ intelligerent doctrinã Ieſu eò tendere, ut quęſtus ipſorę aboleatur, malunt etiam prin-

am principum suorꝫ iuditium contemnere, q̃ꝫ hunc Iesum pro Messia agnoscere. Hic cõsidera mihi, quantę sint sordes humani ingenij, q̃ nihil pensi habeat, modo lucrꝫ faciat. Hoĩes em̃ tanto animi ardore consectantur opes, ut aliâs sese nõ nisi ad principum suorꝫ religionẽ, siue ea uera sit, siue falsa, modo sit tuta, & ad facienda cõpendia utilis, comparent, aliâs principum suorꝫ religionem magno fastidio contẽnant, si in ea non affulgeat ipsis spes aliqua lucri. Sed quid? Sterquilinia sunt, nõ hoĩes; Deum uentrem, non deum uerũ colunt. Pecora sunt, porci sunt, imo melior est porcorum conditio, q̃ꝫ istorum hoĩm. Nam porci, dum uiuunt, fruunt̃ suo luto, post, cum mactantur, abit aĩa eorꝫ in nihilum, nec quicq̃ꝫ aduersi amplius patitur. Isti aũt hoĩes, cum adhuc uiuũt, nõ fruunt̃ suis opibus, sed abutunt̃ uel tenacissima auaritia, uel perditissimo luxu, cum uero mortẽ oppetunt, obijciunt̃ ꝑpetuis cruciatib. Quid ergo his aut miserius, aut etiã turpius, quibus porci uident̃ beatiores? Sed relinquamus istos (siquidẽ hoc unum spectant) suo uentri, nos uero audiamus, quę Iesus respondeat. Clamabat ergo Iesus in templo docens ac dicẽs. Et me nostis, & unde sim nostis, et à meipso non ueni, sed est uerus, qui misit me, quẽ uos non nouistis. Ego uero noui eum, quia ab ipso sum, & ille me misit. Clamabat, inquit. Maxima enim Iudęorꝫ multitudo cõuenerat hoc tẽpore Hierosolymis, & uolebat Iesus doctrinã suam, manifestã, & oĩbus notã esse. Quod autẽ dicit hanc habet sententiã. Vos mussitatis inter uos, q̃ cum ueniat Messias, nemo sciat, unde sit. Ego uero inscitiam uestrã mirari satis non possum. Manifestissimum em̃ est ex prophetis, q̃ Messias, quantum quidẽ ad diuinã eius naturã attinet, sit ab ęterno genitus, à deo patre suo. Dñs dixit ad me, inq̃t, filius meus es tu, ego hodie genui te. Et, Egressus eius ab initio, à diebus ęternitatis. Quod aũt attinet ad humanã eius naturã, manifestissimum est, q̃ prophetę ꝑdixerunt eum nasciturum ex familia Dauidis, in urbe Bethlehem. Non põt quidẽ negari, quin scriptum sit, Messiã fore despectum, & nouissimum uirorum, & uenturum pauperem, insidentẽ asello, hoc autẽ intelligendum est de abiecto uitę eius genere inter hoĩes, uidelicet, q̃ non sit dñaturus regio more in terra, sed multa aduersa passurus, interim tñ nequaq̃ꝫ erit obscurus, sed clarissimus omnium, tã ꝑdicatione Euangelij sui, q̃ꝫ operatione miraculorum. Quare si uos ciues Hierosolymitani cõferretis diligẽter (id q̃d ratio salutis uestrę postularet) prophetica dicta de Messia, cum mea persona, & meis actionibus, ꝑfecto fieri nõ posset, qn cognosceretis me, q̃ nõ essem uanus quispiã homo, qui mihi temere arrogẽ maiestatẽ Messię, sed q̃ essem uerus ille Messias, quẽ et uerus deus in hunc mundum, iuxta prophetica uaticinia, miserit. Quid aũt multis opus est? Vos etsi plurimũ gloriamini de deo, tñ non nouistis deum, hoĩes estis impij, & dei contemptores. Ego uero noui deum, q̃ & ab ipso sim ab ęterno genitus, &

Vulgi sordes & impietas.

ille me miserit in hunc mundum, ut assumam hoīem, & defungar officio Messiæ, quo uerus deus reueletur & cognoscatur. Quare, fieri non potest, ut cum ego a uobis contemnar, uerā habeatis notitiam Dei. Ad hęc ergo, quid dicemus? Christus palam accusat ciues Hierosolymitanos, ꝙ nullā habeant dei notitiam. Quem uos, inqt, non nouistis. An non uidebantur esse populus dei? An non gloriabant de deo? An non habebant in urbe sua templū dei? Nihilominus tñ accusantur, ꝙ non cognoscant deum. Vnde ergo hoc accidit? certe non aliunde, q̄ꝝ ꝙ non uere cognouerint Christum. Non em̄ potest deus cognosci, nisi cognito Christo. Ergo, inqs, nec ludęi, qui nunc sunt, nec Turcę, cognoscunt uerę deum, etiamsi multa de deo iactent? non enim agnoscunt Christū. Recte. Et addam aliqd amplius. Nec Christianorū uulgus uerum deū agnoscit, quia etsi tenet nomen Christi, tamen non intelligit uerū officium Christi. Dicunt quidē deum esse misericordem et clementē, & uidentur deum in precibus suis inuocare, sed cum interrogant, propter quam caussam deus sit misericors, & qua fidutia inuocent nomen dei, ibi tum attoniti obstupescunt, ac nesciunt, q̄ se uertant. Nec uix aliter loqui solent de deo, q̄ꝝ ludęus quispiā, aut Turca. De Christo, filio Dei, nulla pene mētio, nisi forte per occasionē. Sed qd de deo gloriaris absq̄ꝝ Christo? Deū, inquit loēs, nemo uidit unq̄ꝝ. Filius unigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit, quō igitur absq̄ꝝ filio posses uel deum accedere, uel deum cognoscere? Non est aliud nomen (ut Petrus ait) sub cœlo datum inter hoīes, in quo oporteat nos saluos fieri. Quare siue deum uolueris recte cognoscere, siue salutē ab ipso sperare & consequi, non potest tuę uoluntati satisfieri, nisi audias & agnoscas filiū dei Iesum Christū, quem pater nobis proposuit mediatorē et seruatorem. Nec ulla est ignorantię excusatio. Ante aduentum Christi, satis perspicua erat promissio de semine Abrahę, quę dispersis ludęis, etiam inter gentes uulgabat. Post aduentum aūt Christi, Euangelion eius non solum prędicatum fuit in toto orbe terrarę, sed etiam confirmatū est multis & magnis miraculis. Quare, quod ad doctrinā salutis attinet, nihil unq̄ꝝ defuit, nec deerit humano generi. Quod autem maxima hominum multitudo, Ethnici, Iudęi, Turcę, et qui sunt inter Christianos impij, malunt sua terrena negotia agere, q̄ꝝ uerā cœlestis suę salutis uiam, ea diligentia, quā necessitas exigit, inqrere, impietas est hominū, non uitium diuinę doctrinę. Quid em̄ ad solē, ꝙ noctuę, uespertiliones, & bubones splendorē eius non uideant? Sol aūt cœlestis doctrinę Euāgelij de Iesu Christo lucet in toto orbe terrarę. Fama em̄ nominis Christi non est inclusa in unū tantum angulū terrę, sed est diuulgata tam inter ludęos, q̄ꝝ inter Turcas, qui & possent, si haberēt seriam salutis suę rationem, ea quę de Christo extant, uere cognoscere. Sed libet eis magis cœcis, inscijs & impijs esse, q̄ꝝ ut hanc cœlestem lucē aspiciant, & ueritatem di-

Dei uera notitia nulla est, nisi per Christum.

tatem discant. Pereunt igitur suo merito & damnatio eorum est iustissima. Porro, cum Iesus in templo publice contionaretur, Quærebant, inquit Euangelista, apprehēdere eū, & nemo misit in illum manus, quia nondum uenerat hora eius. In hoc capite, sæpe fit mentio periculorum Christi, et tamen Christus semper in tuto fuit, etiam cum uersaretur inter hostes suos, ac tum quoq; priusq; ascendisset in cœlum, dñatus est in medio inimicorum suorꝫ, quemadmodum psalmus dicit. Additur aūt caussa. Nondum, inquit, uenerat hora eius. Non deerat impijs pharisæis & principibus sacerdotum uoluntas occidendi Christi, non deerat eis externa potestas, non etiam deerat opportunitas, sed deerat eis hora Christi. Ecquę est illa, inquies, hora? Accipiamus duplicē horam Christi in hac terra, Altera est hora uiuendi & p̄dicandi Euangelij sui. Hanc horam aliâs uocat lucem, Adhuc breue tempus, inquit, lumē uobiscum est. Ambulate donec lucem habetis, ne uos tenebræ occupent. Hęc hora cōplectitur totum tempus ministerij, quo Christus ambulauit in terra, & prędicauit Euangelion suum. Altera est hora crucifigendi & moriendi. Hanc horam uocat Christus horā Iudęorꝫ, & potestatē tenebrarum. Hęc est, inquiens, hora illa uestra, & potestas tenebrarꝫ. Quare, cum docente Iesu in festo Tabernaculorum, nondū uenerat hora eius crucifigendi & moriendi, sed erat adhuc hora Euangelij sui p̄dicandi, non potuerunt eum aduersarij cōprehendere. Sed hoc, inquies, accidit Iesu filio dei, qui habuit potestatem ponendi animā suā, & rursus sumendi eam, ideoq; potuit coercere aduersarios, ne ante tēpus inijcerent in ipsum manus suas. Nos aūt sumus homines imbecilles, nec ea sumus potestate p̄diti, ut queamus aduersariorꝫ manus à ceruicibus nostris auertere, & conatum eorꝫ frustrari. Quid igit̄ nobis prodest hoc exemplum Christi? Multum per oēm modum prodest. Etsi enim nō sumus natura filij dei sicut est Christus, adoptamur tñ in filios dei, propter Iesum Christum, in quē credimus. Inter naturales aūt & adoptiuos filios solet paterna hęreditas ęqualiter pro sua cuiusq; cōditione distribui. In bonis uero cœlestis hęreditatis, etiam hoc continetur, q̄ deus tueatur filium suum, nec sinat eum inter manus aduersariorꝫ perire. Angelis suis, inquit, mandauit de te ut custodiant te in omnibus uijs tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidē pedē tuum. Et iterum. Dñs à dextris tuis, confregit in die irę suę reges. Quare sicut deus defendit Christum filium suum, in medio hostium suorꝫ, ita etiam defendit unumquemuis credentem in Christum, propterea q̄ is propter Christum sit in filium adoptatus. Accedit huc, q̄ qui in Christum credit, fit membrum Christi per fidē. Quo aūt caput peruenit, eo necesse est membra sequi. Cum igitur caput Ecclesiæ, qui est Iesus Christus euaserit insidias hostium suorum, fieri non potest, quin & membra eius, qui sunt credentes in ipsum, euadant. Vide mihi, quàm admi-

Christi hora quæ sit.

Christus seruatur, ergo & credentes in ipsum seruantur.

rabiliter ſepenumero deus ſeruauerit Dauidem, iam ab aduerſarijs circumdatum, Elizeum, Petrum, Paulum, & alios pios, qui cum fuerint adoptati in filios dei propter Chriſtum, habitarunt etiã in adiutorio altiſſimi, et cõmorati ſunt in protectiõe dei. Quid ergo ad hęc dicemus? num deus dicitur hos tunc conſeruaſſe, cũ elapſi ſunt è manibus hoſtium, et liberati ſunt per angelos è carceribus, tunc aũt dereliquiſſe, cum poſtea in manus hoſtium ſuorũ peruenerunt. & ab aduerſarijs ſunt occiſi, aut alioqui morte extincti? Nihil certe minus. Deus tã admirabiliter, imo multo admirabilius ſeruat ſuos in morte, q̃ ante mortẽ. Poſtquam em̃ peccauimus, ea facta eſt conditio humanę naturę, ut nobis ex hac corporali uita per mortẽ emigrandũ ſit. In ſudore, inqt, uultus tui ueſceris pane tuo donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es. Itaq; duo ſunt, iuxta generalẽ ordinationem, hoĩs tempora, quẽadmodũ paulo ante indicauimus. Alterũ eſt tempus huius corporalis uitę. Alterũ eſt tempus mortis, diſceſſus uidelicet ex hac uita. Hanc ordinationẽ deus, quamdiu hoc ſeculum ſteterit, non immutat, attamen promittit utroq; tẽpore, ſuam opẽ & defenſionem per filiũ ſuum Ieſum Chriſtũ. In tempore igit̃ corporalis uitę, deus ſemper admirabiliter defendit hoĩes, ac preſertim pios, ut etiã externa & corporalia aduerſa effugiant. Satã em̃ tam uirulentus eſt hoſtis humani generis, pręcipue aũt piorũ hoĩm, ut niſi deus tueretur eos in hac corporali uita, nullus eorũ poſſet euadere ex inſidijs Satanæ, & aliquãdiu in uita perdurare. Cum uero aduenit mortis tempus, ſicut pij antea ſingulari dei auxilio cõſeruati ſunt in uita corporali, ita etiã conſeruant̃ in media morte, ne pereant, ſed habeãt ęternam uitã. Nam, cum dicimus deũ tueri pios in medio inimicorũ ſuorum, non intelligimus tantũ de externis & corporalibus inimicis, ſed intelligimus maxime omnium de ſpũalibus inimicis, qui ſunt Satan, et Mors. Nouiſſimus hoſtis, inqt Paulus, aboleb̃ Mors. Ac Chriſtus filius dei, cũ hoc hoſte idcirco cõgreſſus eſt, & ſuſcepit mortẽ, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperiũ, hoc eſt, diabolũ, et liberos redderet eos, quicũq; metu mortis per oẽm uitam obnoxij erant ſeruituti. Et in hoc Chriſtus mortuus eſt, ac reuixit, ut mortuis ac uiuentibus dñaretur, hoc eſt, ut non in uita tantum corporali, ſed etiam in morte ipſa conſeruaret ſuos ad uerã & perpetuam uitam. De Chriſto dictũ eſt. Nõ derelinques animã meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionẽ. Et q̃d de Chriſto eſt prędictũ, hoc ſuo tẽpore eſt impletũ. Hęc hęreditas Chriſti ptinet etiã ad pios, q; ſunt cohęredes eius. Etſi em̃ pij nõ ſtatim reſurgũt tertia die à mortuis, ſicut Chriſtus ſurrexit, tñ et caro ipſorũ requieſcit in ſpe, et uiuũt, etiã in morte, cũ Chriſto, ut ſuo tẽpore in Chriſto reſurgãt. Cum igit̃, ſiue uiuamus, ſiue moriamur, dñi ſimus, agite amiciſſimi, nõ metuamus minas aduerſariorũ, nõ auertamur crudelitate hoſtiũ à ſectanda uocatiõe dei, ſed faciamus pti-

naci ſtudio

Pij ſemper et ante mortem & in morte ſeruantur.

naci ſtudio noſtrum offitium, certo confiſi, q̃ tam in uita q̃ in morte Dñs deus noſter, ſit per Chriſtum filium ſuum, ſeruator noſter. Percurramus aũt & reliqua. De turba multi crediderunt in eum, ac dicebant. « « Chriſtus cum uenerit, nũ ſigna plura ędet ijs, quæ hic ædidit? Audiue « « runt phariſæi turbam murmurantẽ de illo hæc, & miſerunt phariſęi ac « « principes ſacerdotũ miniſtros, ut apprehenderent eũ. Etſi turba hoĩm « « non recte credit in Chriſtũ, & phariſæi ſunt crudeles pſecutores Chriſti, tamen habes in utroq̃ horum hoĩm genere, quod ſit obſeruatione dignum. Nam cũ hi qui credunt, ex turba, dicunt, Chriſtus cũ uenerit, num plura ędet ſigna? manifeſte ſignificãt, publicam fuiſſe famã inter Iudęos, Chriſtum fore miraculis illuſtrẽ, & doctrinam ſuam miraculis confirmatur. Cum igit̃ nullus alius hominum maiora ędiderit miracula, eo tempore, quod prophetę de aduẽtu Chriſti determinarunt, q̃ Ieſus filius Mariæ, cui Ioẽs Baptiſta teſtimoniũ dedit, ſentiamus nullum alium prętęr hunc, pro uero Chriſto agnoſcendum eſſe. Quid aũt dicemus de impijs phariſęis & ſacerdotũ principibus? Hi tantæ ſunt cæcitatis, ut nec miracula Ieſu, nec tempus aduẽtus Chriſti inter ſe cõferant, ſed malint Ieſum cõprehendere & occidere, q̃ exemplo turbæ in eum credere. Metuunt eĩ quęſtui et cõpendio ſuo, ideoq̃ ſtudẽt impia crudelitate cauere, ne doctrina Ieſu promoueat. Sed quod metuit impius, accidit ei. Phariſæi enim & Pontifices Iudæorum, meriti ſunt impietate ſua, ut non ſolum ipſi a' quęſtu ſuo exciderint, uerę etiam una' cum ſua gente horribiliter perierint, de qua re aliâs ſępe dictum eſt. Audiamus igitur nunc contionem Chriſti. Dixit ergo eis Ieſus. Adhuc puſil« « lum temporis uobiſcum ſum, & abeo ad eum, qui me miſit. Quęretis « « me, nec inuenietis. Et ubi ego ſum, eo uos non poteſtis uenire. Dixe« « runt ergo Iudæi inter ſeſe. Quo hic iturus eſt, q̃ nos non inueniemus « « eum? num in diſperſionẽ gentium iturus eſt, & docturus gentes? Quis « « eſt hic ſermo, quem dixit. Quęretis me, & non inuenietis, & ubi ego « « ſum, eo uos non poteſtis uenire? Non intelligunt Iudæi, quę Chriſtus « « hic loquitur. Putant autem ipſum ſignificare, q̃ ſit relicturus terram Iudæorum, & abiturus ad Gentes, quæ in alijs regionibus diſperſim habitabant. Sed quid ſibi uelit Chriſtus his uerbis, facile intelligi poteſt ex his, quę aliâs Chriſtus ad diſcipulos ſuos ait. cap. decimo tertio, quo in loco & hoc dictũ citat. Filioli, inquiens, adhuc pauliſper uobiſcum ſum. Quęretis me, & ſicut dixi Iudæis, quo ego uado, uos non poteſtis uenire, ita & uobis dico nunc. Et mox ad Petrum. Quo ego uado, non potes me nunc ſequi, ſequeris autem poſtea. Ex his manifeſtum eſt, quòd Chriſtus loquatur de cruce & morte ſua, qua abiturus eſt ex hoc mundo. Quod ergo hoc loco ad Iudęos dicit, hanc habet ſententiam. Intelligo quidem multos ex uobis credere me eſſe uerũ Meſ-

ſiam, dicitis enim, Meſſias cum uenerit, num ſigna plura edet ijs, quæ hic edit? exiſtimatis aũt me fore mundanum regem, & ſuſcepturũ regnum in hac terra perpetuum, ideoq; quęretis me, ſectabimini me tanq; diſcipuli, et ſubditi, hoc conſilio, ut conſequamini per me terrenam fœlicitatẽ, & mundanam dñationem. Sed ego uos errare non patiar. Non ſuſcipiam perpetuum in hac terra regnum, non cohabitabo uobiſcum hac externa conuerſatione in ſempiternũ, ſed manebo qdem aliquamdiu adhuc uobiſcum in hac terra, paulo poſt aũt crucifigar, & moriar, ut redeam per mortẽ ad deum patrem meũ, qui me in hanc terram miſit, & accipiam regnũ cœleſte. Itaq; quęretis me, ero uobis gratus & acceptus, & ſequemini me, dum ſperabitis uos per me aſſecuturos corporalia bona, nõ inuenietis aũt ea, quę uos animo ueſtro cõcepiſtis. Non enim ueni ut tradã meis aſſeclis terreſtria, ſed cœleſtia bona. Et ueni, non ut agam in hac terra fœlicem et tranquillam uitã, ſed ut ſufferam crucẽ, et patiar mortem. Poſtq; igit reipſa cõperietis, uos non aſſecuturos per me terreſtria, quę ſola ſpectatis, bona, continuo abibitis & derelinquetis me. Ad crucẽ enim, & mortem, quo ego uado, & ad quę ſuſcipienda me paro, uos prę ueſtra imbecillitate et incredulitate nõ poteſtis me ſequi. Quare deficietis à me, & tantum abeſt, ut iudicaturi ſitis me eſſe uerũ Meſſiã, ut iuxta prophetam, auertatis à me uultus ueſtros. Quod Chriſtus dixit de ludęis, qui uidebantur credere ipſum eſſe Chriſtum, hoc poſtea tã in his ludęis, q; in diſcipulis omnibus impletũ eſt. Speraueruntenim in Chriſto mundanũ regnum. Poſtq; aũt uiderunt ipſum ab aduerſarijs captum, et ſe ſpe ſua fruſtratos, diſcipuli oẽs deſeruerunt eum, reliqui aũt ludęi dãnarunt eum, ac pronũtiarunt dignũ eſſe extremo ſupplitio. Vide ergo mihi, quanto ardore, quanta cupiditate humana mens feratur in terrenã fœlicitatẽ. Non ſolũ enim q̃rit eam in hominibus huius ſeculi, ſed etiã in deo ipſo, ac Meſſia eius, quã ſi pro ſua opinione aliq; modo inuenerit, ibi tum deus magnus eſt, et Meſſias eius acceptus. Quod ſi aũt non inuenerit, immane quam uirulento odio debacchet in deum ipſum ac Meſſiã eius. Tolle (exclamans) tolle, crucifige eum. Quid aũt eſt inſania, ſi hęc non eſt? Res enim ipſa teſtat, q; terrena bona, nõ ſint uera & perpetua fœlicitas. An nõ manifeſtũ eſt, plurimos in maximis huius terrę bonis lõge oim infœliciſſimos eſſe? Vidi, inq; Salomon, magnã miſeriam ſub ſole, q; diuitię aſſeruatę ſint domino ſuo pernitioſæ, & pereant magna calamitate, ſic ut nihil inde perueniat ad hęredem ex illo natum. Et Dauid. Melius eſt modicũ iuſto ſuper diuitias peccatorũ multas, Quoniã brachia pctõrũ conterentur, cõfirmat aũt dñs iuſtos. Deinde, terrena bona ſunt qdem & ipſa bñfitia dei, deus aũt non eſt tantũ deus huius terrę, ſed etiã eſt deus cœli, et miſit Chriſtum filiũ ſuum in hanc terram, non ut diſtribuat terreſtria, ſed

cœleſtia

cœlestia bona. Quare, etiamsi uideamur ab externis ac terrenis bonis destituti, tamen deus cœlestium bonorum autor non est mortuus, nec Christus filius eius interijt, sed uiuit adhuc & habet cœlū oibus perpetuis bonis plenum. A seculo, inqt, non audierunt, neqꝫ auribus perceperunt. Oculus non uidit, deus absqꝫ te, quæ prępara sti expectantibus te. Hęc ergo bona optanda, hæc quęrenda sunt, ut consequamur ea & fruamur ipsis per Iesum Christum Dñm nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LXIII.

E ferijs tabernaculorꝫ in lege scriptū est. Septem diebus erunt ferię tabernaculorꝫ Dño. Dies primus uocat celeberrimus atqꝫ sanctissimus. Erit & dies octauus celeberrimus ac sanctissimus, & offeretis holocausta Dño. Est em̄ dies magnæ cōgregatiōis. Cum igit audiuerimus eas cōtiones, quas Christus habuit Hierosolymis, à dimidio festi tabernaculorꝫ, audiamus nunc eā contionem, quā habuit in ultimo ac celeberrimo huius festi die. Dicit em̄ Euāgelista. In nouissimo die magno festi stabat Iesus & clamabat. Euāgelista his singulis uerbis monet lectorē et auditorē, ut attento aio excipiat contionē, quam est descripturus. Stabat (inqt) Iesus. Quā contionem recitabo, non habuit unus quispiā è uulgo hominū, sed Iesus ille, tot miraculis illustris, et uerus Messias, seruator noster. Et habuit eā in die festo, nō q̄uis uulgari, sed nouissimo illo & magno tabernaculorꝫ, quo semper maxima hominū multitudo cōuenire solebat. Vnde & hic dies dictus fuit, dies cœtus, seu congregationis. Et erat idoneum tempus conueniēdi. Hoc enim festum celebrabat, postqꝫ oēs fructus terrę collecti fuerunt. Quare cōuenerunt Iudęi maxima multitudine, ut lętarent̄ coram Dño, et agerent ei gratias, pro bñfitio fructuū terrę. Cum igitur Christus susceperit habendā contionē tali die, & in tanta hominum frequentia, nō est dubiū, quin obseruabile sit & eximium, q̄d est contionatus. Additur & hoc, q̄ steterit. Stabat (inqt) Non est em̄ intelligendū de uulgari modo standi, sed significat, q̄ steterit in tāta hominū turba, uelut heros quispiā, constāter atqꝫ intrepide. Etsi em̄ principes & pharisęi quęrebant ipsum non capere tantum, sed & interficere, tn̄ ipse nullam dabat significationē ullius metus, sed magno et plane heroico animo, ac uultu, in oīm conspectu stabat. Addit̄ et illud, q̄ clamauerit. Non em̄ uoluit doctrinā suam esse ignotam aut à paucis intellectam, sed oibus manifestam, perspicuā & uulgatam. Et clamor significat doctrinā ex aio proficisci, et serio dici. Audiamus igit magna animi attentione, quid Iesus sit contionatus. Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat, Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluēt

aquę uiuæ. Hæc est contio, aut potius summa eius contionis, quã Christus in nouissimo die tabernaculorum habuit. Proponit autem in hac contione eam doctrinam, qua uera & perpetua salus nostra constat. Primum enim palam & publice affirmat se esse uerum illum Messiam, de quo prophetæ sint uaticinati. Deinde promittit ea benefitia, quæ per Messiam, credentibus in ipsum, conferenda sunt. Qui credit, inqens, in me fluent de ueutre eius, flumina aquę uiuę, sicut scriptura dicit, hoc est, qui meus est discipulus, & coniungit se mecum, per fidem, is consequetur oĩa ea benefitia, quę scriptura testatur populo per Messiam exhibenda, et tantis donis ornabitur, ut non ipse tantum fiat fœlix, sed etiam faciat alios homines fœlices. Audiamus ergo quãta copia Messias exhibiturus sit bñfitia sua. Esaias ait. Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Quo loco significat propheta Messiam saluatorem, aperturum tales & tam abundantes fontes, ut qui bibant ex ijs nunq̃ sitiat, sed perpetuam habeat salutem. Sicut & paulo ante dixit. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Et iterꝫ. Aperiam in supremis collibus flumina, & in medio camporum fontes. Ac mox. Ponam desertum in stagna aquarꝫ, & terram inuiã in riuos aquarum. Hac metaphora docet Esaias, ꝙ Messias effecturus sit ut omnis rerum bñedictio & abundantia profluat, non ad Iudęos tantũ, sed etiam ad gentes, in toto orbe terrarum. Et rursus. Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam. Effundam spũm meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam et germinabunt inter herbas quasi salices, iuxta præterfluentes aquas. Hic iterꝫ docet Esaias metaphora fluminum et aquarꝫ, ꝙ Messias allaturus sit miseris & afflictis hominibus (qui per sitientem & aridam terrã intelliguntur) tantã bonorum abundantiã, ut qui ante erant abiectissimi, fiant beatissimi. Audi & Ezechielem. Effundam, inqt, super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris, & ab uniuersis idolis uestris mundabo uos, & dabo uobis cor nouum, & spũm nouum ponam in medio uestri. Et Ioelem. Effundam spiritum meũ super omnem carnem, et prophetabunt filij uestri & filię uestrę. Quibus uerbis Ezechiel & Ioel significant Messiam effusurum tam copiosam in terra benedictionem, ut quotquot eam percipiunt, fiant non iusti tantũ, sed & prophetę, ac omnino fœlices & beati. Quid aũt plura? Tota scriptura testatur de Messia, ꝙ aperturus & effusurus sit in terra uelut fontes, riuos, flumina, & mare omnium bonorꝫ. Orietur, inqt, in diebus eius iustitia, & abundantia pacis. Et iterũ. Ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, et quasi torrentem inundantem, gloriam gentium sugetis. Habes quãta copia Messias sit effusurus benefitia sua, in terra. Iesus autem tribuit sibi in hac contione eam autoritatem exhibendorum benefi-

Esa. 12.

Esa. 42.

benefitiorꝫ, quam prophetę tribuerunt Messię. Quare manifeste contionatur se esse uerum illum Messiam, quem tot retro seculis prophetę uenturum promiserunt. Qui sitit, inqens, ueniat ad me & bibat. Quid hoc aliud est, ꝗ quod Esaias ait: Oēs sitientes uenite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite? Quid ergo fiet ei, qui ex hoc fonte biberit? Sequitur. Qui credit in me, (hoc em̄ est ex isto fonte bibere) fluent de uentre eius flumina aquæ uiuæ. De Messia enim scriptum est, quēadmodum paulo ante recensuimus, ꝗ sit aperturus flumina in collibus, & fontes in medio camporum, hoc est, ꝗ sit effusurus in terra abūdantiam oīm bonorum. Qui ergo in me credit, (inquit Iesus uerus Messias) effitiam, ut non solum ipse expleat sitim suam, & consequatur fœlicitatem, sed etiā tantis bonis eum cumulabo, ut profluant ex ipso quasi flumina bonorum, quibus & alij sitim suam expleant, et fœlicitatem consequantur. Porro, cum ea quę prophetę scribunt de benefitijs Messiæ, & quæ Iesus etiā ipse in hac contione loquitur, sic dici uideantur, perinde ac si intelligenda essent, de corporalibus benefitijs, de mundana fœlicitate, de externa rerꝫ abundantia, & de terreno imperio, quale Iudęi de suo Messia somniant, Euangelista interpretatur dictum Christi, et ait. Hoc autē dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum. Nondum em̄ erat spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Iudæi, ac etiam discipuli Christi, inebriati adhuc expectatione muudani regni, et terrestris fœlicitatis in Messia consequendę, intelligebant nō solum dicta prophetica, sed etiā hanc contionē Christi, de fluminibus, hoc est, abundantia & affluētia terrenorꝫ bonorꝫ. Sed Christus, inqt Euāgelista, locutus est de spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum, hoc est, nō est locutus de carnalibus donis, sicut Iudęi hanc contionem intellexerunt, sed locutus est de spiritualibus donis, quę Christus post resurrectionem & ascensum suum in cœlum dedit discipulis suis in die Pētecostes, et locutus est de ministerio prædicandi Euangelij in toto orbe terrarum, quod institutum et confirmatum est in die Pentecostes, admirandis illis donis spiritus sancti, quibus Christus discipulos ac prę sertim Apostolos suos ornauit. Christus enim non uenit in hunc mundum, ut institueret mundanam Monarchiam, & dominaretur regio more in terra, ut quisquis ipsum agnosceret, consequeretur externam & carnalem in hoc mundo tranquillitatem, sed uenit, ut reuelato Euangelio suo, & expiatis peccatis nostris, ac deuicta morte, ipse quidē cœlum acciperet, usqꝫ ad tempora restitutionis omnium, quemadmodum Petrus loquitur, in terra autem institueret publicam prædicationem Euangelij sui, in toto orbe terrarum, & daret Ecclesię suæ spiritum sanctum, spiritualia uidelicet, ac cœlestia bona. Hic est fons, hoc est flumen aquę uiuæ, quod prophe

te dixerunt Messiam effusurum in terra. Qui ex hoc fonte biberit, non solum ipse saciabit cupiditatē sitis suæ, sed etiā effluet ex ipso flumen, q̄d totā terrā irriget, & non tā Iudęis, q̄ gentibus oēm bonorꝫ affluentiam exhibeat. Sed ut quicquid id sit rei, melius intelligamus, conferendi sunt cū hoc fonte, etiā alij fontes, q̄s hoīes ad explendam sitim suam sectari solent. Sunt enim tres p̄cipue fontes, ē quibus hoīes petūt aquā fœlicitatis. Vnus est, Regnū mundanum, seu dñatio politica. Alter est, Lex Mosi, Tertius est, Spūs sanctus, seu ministeriū Euangelij de Christo, q̄d est admirandis donis spūs sancti in die Pentecostes institutum, & per quod spūs sanctus est in hoībus efficax. Ad hos fontes suū q̄dq̄ hoīm genus properat. Nā fons mundani regni habet dulcissimā in suo genere aquā. Ex hoc enim fonte manat externa pax, & tranquillitas, ut parētes liberos suos honeste educare, mercatores secure negotiari, opifices sua opifitia qęte exercere, et agricolę imperturbate agros suos colere possint. Quare qui siciunt ciuilē honestatem, tranquillitatē, diuitias, potentiā, & alia id genus corporalia bona, ad hunc fontē properare solent, ut expleant suā sitim. Sed quid fit? num cupiditatē suā ex hoc fonte saciare possunt? Nihil certe minus. Qui biberit ex hac aqua, tm̄ abest, ut profluat ex eo flumen bonorꝫ, ut nec suam ipsius sitim explere queat. Siue enim regē ipsum, qui dñatur, siue subditos eius consideraueris, hoc plane accidit eis, q̄d Esaias dicit. Sicut somniat esuriēs, & comedit, cum aūt fuerit expergefactus, uacua est anima eius. Et sicut somniat siciens & bibit, & postq̄ fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, et anima eius uacua est, ita tā magistratus ipse, q̄ subditi eius dimittūtur ab oībus corporalibus suis bonis uacui & inanes. Pollicentur quidem sibi magnam fœlicitatē, si consequantur pacem, diuitias, potentiā, & q̄ sunt id genus alia. Sed primum hęc bona nec sunt firma, nec diuturna, deinde, etiamsi adsint, non tamen saciant cupiditatem, Diuitię non explent auaritiā. Potentia non explet ambitionē. Notum est exemplum Alexandri Magni, qui cum audiuisset multos esse mundos, ingemuit, q̄ non & illorꝫ potiretur. Quid potuisset cupiditatē hoīs explere, cui nec uniuersus hic mundus sufficiat? Cogitemus & illud, de Regum & principum maiestate, q̄ quo illustriorem eam reddunt, eo grauiora onera subditis imponi solent. Quanta obsecro, fuit maiestas regni Salomonis, quanta p̄dicatur fœlicitas eius? attamē subditi palam clamāt ad Roboam filium Salomonis. Pater tuus imposuit nobis durissimum iugum. Finge aūt mihi clementissimum regē, qui cupiat oībus benefacere, attamen fieri non potest, ut is reddat oēs subditos suos tranquillos, diuites, sanos, et seruet eos ne morte pereant. Semper maior hominum pars in humanis imperijs, infœlicem agit uitam. Et qui uidentur beati opibus, honore, ac potētia, hi tamen sua eaq̄ tanta habent incōmoda, ut si cui

Fōtes, ex quibus homines cupiūt explere sitim suam

Fons regni mundani.

Der grossen hern bracht/ ist der armen leut oñacht.

ut si, cui sana mente prędito electio daretur, non susciperet commoda eorum, cum tot & tantis incommodis coniuncta. Quare cum hic fons politicę dominationis non queat nec principum nec subditorum sitim explere, non est in eo acquiescendũ, sed ad alium est accedendum. Quę rentibus igitur alium fontem, ex quo sitis fœlicitatis depellatur offert sese Lex Mosi. Ex hoc fõte uidet primo aspectu & gustu iucundissima & dulcissima aqua fluere. Lex enim Mosi prącipit honestissima & diuinissima opera, quæ afferunt oĩbus facientibus ea ueram iustitiam, ac perpetuam uitam et fœlicitatẽ. Si uis, inquit Christus, ad uitam ingredi, serua mandata. Sed quo magis ex hoc fonte biberis, eo plus sities. Et si em̃ lex prącscribit tam iusta & bona opera, ut si quis ea perfecte faceret, assequeretur omnem abundantiam cœlestium bonorẽ, tamen quia inuenit homines pctõ obrutos, & potestati Satanę traditos, tantum abest ut expleat sitim, ut eam potius augeat, & quantum in ipsa est, homines siti enecet. Facit enim pctũm quod inuenit, mirum in modum peccans (ut Paulus loquitur) peccatum, & ostendit iram dei. Itaqꝫ occidit homines, & abꝗcit eos ad æternam damnationem. Vide igitur, ꝙ quę rentibus depulsionem sitis in fonte legis multo aliter res cadat, atqꝫ ipsi sperauerint. Quęrunt iustitiam, sed inueniunt peccatum. Quęrunt fauorem dei sed inueniunt iram eius. Quærunt tranquillitatem conscientię suæ, sed inueniunt maximam tempestatem. Quærunt uitam, sed inueniunt mortem, ac breuiter, quęrunt cœlum, sed inueniunt infernum. Quo igitur nos uertemus? Quid faciemus, ut uel tandem expleamus sitim nostram? Accedendũ est ad tertium fontem. Hic est fons iste, quem aperuit spiritus sanctus in die Pentecostes. Aperuit autem & illustrauit maiestatem Iesu, & declarauit magnis ac publicis miraculis, ꝙ solus Iesus sit uerus Messias, et ꝙ prącter hunc, non sit aliud nomen hominibus datum, in quo oporteat eos saluos fieri. Quare nõ est alius fons, prącterꝗ Iesus ille, quem deus fecit DOMINVM & Christum, quærẽdus. Sed quid fiet ei, qui ex hoc fonte bibit, et in Iesum Christum credit? Fluent, inquit, de uentre eius flumina aquæ uiuæ. Non faciam ex eo regem mundanum, non emittam eum in orbem terrarẽ, ut externo gladio dñationem in hoc mundo accipiat, non effundam in eum multam uim pecunię, sed faciam ex eo regem cœlestẽ, & effundam in eum tanta dona spiritus sancti, ut non solum ipse consequatur beatitudinem sed reddat etiam alios beatos. Primum autem omnium, intelligendum est hoc de Apostolis, qui cum credidissent in Iesum Christum, tanta spiritus opulentia in die Pentecostes donati sunt, ut et ipsi satis ex Christo uero fonte biberint, & effuderint ex se flumina, quibus alij hoĩes sitim suam explerent. Nã in die Pentecostes institutũ et confirmatum est per spiritum sanctum in Apostolis ministeriũ Euangelij de Iesu Christo,

Fons legis Mosi.

Fons Euangelij Christi.

ut Apoſtoli diuulgarent Euangelion in toto orbe terrarum. Conſtitui, inquit Chriſtus, uos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus ueſter maneat. Et iterum. Accipietis uirtutem, poſteaq; ſpiritus ſanctus aduenerit ſuper uos, & eritis mihi teſtes non ſolum Hieroſolymis, uerumetiã in uniuerſa Iudæa, Samariaq;, denicq; uſq; ad extrema terræ. Hoc teſtimonium, hoc Euangelion, hoc miniſterium eſt flumen illud, ſicut ſupra diximus, quod fluxit de uentre apoſtolorum, & repleuit totum orbem terrarum. Proferamus in medium, exempli gratia, Apoſtolum Petrum. Hic bibit ex fonte Chriſto, & credidit in Chriſtum. Quid ergo factum eſt? primũ Petrus reputatus fuit iuſtus corã deo, propter Chriſtum, deinde adoptatus eſt in filium & hæredem bonorum dei, idq; ſimiliter propter Chriſtum. Quid igitur adhuc ſitiret Petrus? num iuſtitiam? ſed habet eam affluentem in Chriſto. Num uitam? Sed qui Chriſtum habet, ueram uitam habet. Num fœlicitatem? Sed Chriſtus, quẽ poſſidet, ipſa eſt fœlicitas. Quare quod ad Petrum attinet, expleuit tã omnem ſuam ſitim. Deinde non ipſe tantum ſuam expleuit ex hoc fonte ſitim, ſed ortum eſt ex ipſo flumen, quod emanauit in totum orbem terrę, & factum eſt ita potabile & nauigabile, ut & gentes ex eo depellant ſitim ſuam, & negocientur in eo nauibus ſuis. In die enim Pentecoſtes ornatus eſt Petrus admirandis donis ſpiritusſancti, & ex eo cepit publice prędicare Euangelion de Ieſu Chriſto, non in Hieruſalem tantum, & inter Iudęos, ſed etiam inter Gentes. Nec prędicauit Euangelion Chriſti uoce tantum, ſed mandauit etiam illud literis, ijs uidelicet epiſtolis, quas poſteritati reliquit, quibus accedunt & hæ contiones Petri, quas Lucas in Actis Apoſtolicis conſcripſit. Hęc certe ſunt flumina aquę uiuę, quę initio fluxerũt de Petro in urbem Hieruſalem, deinde in Samariam, & Galilęam. Poſtremo in oẽs gentes, non eas tm̃, ad quas Petrus ipſe profectus eſt, ſed ad quas Euãgelion eius delatum eſt. Nec adhuc hodie deſinit hoc flumen fluere, ſicientes potare, & nauigari. Manet enim Euangelion quod Petrus de Chriſto prędicauit, et quo ſpũs ſanctus efficax eſt in tota Eccleſia, ut quotq̃t fide accipiant illud donentur ſpũ ſancto, reputẽtur iuſti corã deo, fiant cohęredes Chriſti, & conſequantur cœleſte regnum. Hic eſt potus, qui ex illo flumine hauritur, Hęc eſt negotiatio, quę in illo flumine exercetur. In Petro igitur ueriſſime impletum eſt, quod Chriſtus hoc loco dicit, uidelicet, ꝙ cum crediderit in Ieſum Chriſtum, ceperint ex eo, in die Pentecoſtes, flumina aquę uiuę fluere, in totum orbem terrarum. Idem plane dicendum eſt de Ioanne noſtro, cuius flumine nunc & ſitim noſtram expleimus, & nauigamus. Similiter & de Matthęo, ac alijs Apoſtolis, qui etſi non oẽs mandarunt Euangelion literis, tamen nihil certius eſt, q̃ ꝙ oẽs uno ore id Euangelion Eccleſię tradiderint, q̃d oim̃ ipſorum noĩe,

Petri Apoſtoli flumen.

adſtantibus

adſtantibus & affirmantibus ipſis, Petrus in die Pentecoſtes Hieroſolymis publice prędicauit. Nam contio illa, quam Lucas Petrum in die Pentecoſtes habuiſſe ſcribit, uere eſt aureum illud flumen, quod à Hieroſolymis defluxit per Apoſtolos in uniuerſum mundum, ac uere tum impletũ eſt, q̃d Eſaias ait. De Zion exibit lex, et uerbũ Dñi de Hieruſalem. Et iudicabit gentes, & arguet populos multos. Dicamus etiam de Apoſtolo Paulo. Hic etſi nõ fuit inter duodecim Apoſtolos, in die Pentecoſtes, tm̃ quia poſtea credidit in Ieſum Chriſtum, fluxerũt etiam ex ipſius uentre flumina aquę uiuę. Primum em̃, adoptatus eſt propter Chriſtũ, in filium & hęredẽ dei, & reputatus eſt propter iuſtitiã Chriſti, quam per fidẽ accepit, dignus ęterna uita. Quam ergo aquam deinceps ſitiſſet? Deinde non ipſe tm̃ expleuit ſitim ſuã, ſed etiam ortũ eſt ex eo flumen, quod impleuit non Hieruſalem tantum & circumiacentes regiones, uerę etiam permanauit uſq̃ ad Illyricum. Sed quid dico? Non ſolum tunc impleuit illas regiões quas recitauimus, ſed adhuc hodie rigat & implet uniuerſam Eccleſiã Chriſti in toto orbe diſperſam. Quare in Paulo quoq̃ impletũ eſt, q̃d hoc loco Chriſtus dicit. Qui credit in me, fluẽt de uentre eius flumina aquę uiuę. Et hęc ſunt flumina, q̃ prophetę dixerũt Meſſiã aperturę in medijs collibus, & effuſurę in deſerto, in terra inuia, ſuper ſitientẽ et aridam. Apoſtoli em̃ miſſi in uniuerſum mundum, impleuerunt quaſi fluminibus prędicatiõe Euangelij de Ieſu Chriſto, totum orbem terrę, qua prędicatione obtulerunt oĩbus gentibus maximam oĩm rerum abundantiam & copiam. Nam qui ex his fluminibus biberunt, (biberunt aũt, quotquot Euangelion apoſtolorę de Ieſu Chriſto per fidem acceperunt) hi nunq̃ deinceps ſitierunt. Non defuit eis iuſtitia. Qui enim in Chriſtum credit, poſſidet totam iuſtitiam Chriſti, quæ eſt longe oĩm perfectiſſima & abſolutiſſima. Non defuit eis uita, quia qui in Chriſtum credit, etiamſi moriatur, uiuit tamen. Non defuit eis fœlicitas, quia qui in Chriſtum credit, habet propter Chriſtum, cœleſtem & perpetuã fœlicitatem. Quibus adſunt hæc bona, quid, obſecro, deeſt eis, etiãſi uideantur in hoc mundo pauperes, abiecti, morientes, & pereũtes? Quibus aũt deſunt, quid obſecro prodeſt eis, etiãſi uideantur diuites, potentes, & maieſtate ſua oĩbus reliquibus hoĩbus pręſtantes? Dices aũt. Quid? Num quod Chriſtus ait. Qui credit in me, fluẽt de uentre eius flumina aquę uiuę, de Apoſtolis tm̃ intelligẽdum eſt, qui accepto in die Pentecoſtes ſpũſanc̃to impleuerunt orbẽ terrę Euangelio quaſi fluminibus? Primũ quidem et prącipue de Apoſtolis intelligendum erit. Deinde aũt de oĩbus etiam his, qui per miniſterium Apoſtolicum credunt in Ieſum Chriſtum. Non pro eis tantũ rogo, inq̃t Chriſtus, ſed & pro ijs, qui credituri ſunt per ſermonem eorę in me. Et iterę. Thoma, quia uidiſti me, credidiſti. Bea

Pauli apoſtoli flumen.

Ro. 15.

ti, qui non uiderunt, & credũt. Nam qui adhibent fidẽ Euãgelio de Ie/
su Christo, q̃d Apostoli in terra uulgarunt, hi initio suã explent sitim
ex hoc fonte, quia consequunt̃ iustitiã in Christo, reputantur corã Deo
iusti propter Christũ, et adoptant̃ in filios dei ut fiant hęredes oĩm cœ
lestium bonorꝫ, deinde effundũt etiã de se flumina, ex q̃bus alij bibãt,
quia accipiunt dona spũs sancti, ut confiteant̃ Christum corã hoĩbus, ut
doceant Euangelion Christi familiam suam, si quã habent, ut mortifi/
cent opera carnis, ut ducãt piam uitã, quo hoĩes uideant bona ipsorꝫ o/
pera, & glorificent patrẽ, qui in cœlis est. Paulus de seruis scribit, Qui
cunqꝫ, inq̃ens, sub iugo sunt serui, suos dños oĩ honore dignos ducant,
ne nomẽ dei & doctrina male audiat. Si Paulus docet nomen dei & do
ctrinam Euangelij male audire propter seruorꝫ inobedientiam et inso/
lẽtiam, certe significat eã doctrinã bene audire apud incredulos dños,
propter seruorꝫ pietatem & obedientiam. Ergo etiam ex seruis oriunt̃
flumina aquæ uiuę. Petrus hortatur Christianas mulieres, Vxores, in/
quit, subditæ sitis uestris uiris, ut etiã, qui nõ obtemperant sermoni, p̃
uxorũ cõuersationem absq̃ sermone lucrifiant, dum considerãt cum re
uerentia castam conuersationẽ uestrã. Vides etiam ex pijs mulieribus,
quibus tñ non permittitur, ut in Ecclesia publice doceãt, flumina aquę
uiuę oriri, ut ijs uiri, imo tota familia rigentur, & afferant cœlestẽ fru/
ctum. Ecclesiastica historia testat̃, eo tẽpore q̃ Maximinus p̃secutus est
Ecclesiam Christi, tantã famẽ & pestẽ inuasisse Ethnicos, ut alij inedia,
alij lue mortui, iacerent insepulti. Christiani aũt, etsi maximis malis e/
rant ab Ethnicis affecti, tamen pascebãt famelicos, curabant ęgros, & se
peliebant mortuos. Quid ergo factũ est? Clamare Ethnici. Nõ esse aliũ
deũ, prętęr deũ Christianorꝫ, nec esse ullã aliã uerã et sanctã religionẽ.
Hoc uere erat flumen de uentre Christianorꝫ inter Ethnicos ortũ. Hæc
sunt uere opera spũs sancti quibus tanq̃ fluminibus pij rigãt uniuersã
terrã. Spũs sanctus em̃, ut in baptismo Christi apparuit in specie, non
plumbeę aut mortuę, sed uiuę & uolantis colũbæ, et in die Pentecostes
apparuit in specie linguarꝫ, nõ pictarꝫ, aut torpentiũ, sed ignearꝫ, et fla
grantiũ, ita non est ipse ociosus aut ignauus spũs, sed efficax & opero/
sus. Nam cuicũq̃ datus fuerit, eũ accendit, ut ardeat studio ꝓpagandæ
glorię dei, et liquefacit eũ, ut effundat ex se flumina tam piæ doctrinę,
q̃ bonorꝫ exẽplorꝫ, Quare exhibeamus nos deo obsequẽtes auditores
Euangelij de Iesu Christo, ut accepto spũ sancto, fiant & in nobis flumi
na aquę salientis in ęternã uitã. Quęso aũt te, q̃d illud est, q̃d Euangeli
sta hoc loco dicit: Nondũ erat spũs sanctus, q̃a Iesus nondũ erat glorifi
catus? An spiritus sanctus nõ prius cœpit esse, q̃ Iesus resurrexit à mor
tuis & ascendit in cœlũ? Quõ ergo erit uerus ab æterno deus? Nonne
spũs sanctus fuit etiam in prophetis? nonne cum Petrus apud Matthęũ
dixit, Tu es Christus filius dei uiui, habuit spũm sanctum? Nemo em̃
pot est di/

Serui suam afferunt utilitatem Ecclesiæ.

Mulierum officium.

Euseb. lib. 9. cap. 6.

potest dicere dñm Iesum, nisi per spūm sanctum? Quid ergo ad hęc dicemus? Quid nisi illud, quod cum tota scriptura cōuenit, & q̄d Euangelista ipse perspicue significat. Tota enim sacra scriptura docet spūm sanctum non solū fuisse in prophetis, sed etiam esse uerum ab ęterno deū, & tertiā in diuina natura personam. Quare fieri nō potest, ꝙ Euangelista loquatur hoc loco de substantia aut de persona spiritus sancti. Hæc ut nunc̄ cepit esse, ita nunc̄ desinet esse. Est em̄ uerus et ęternus deus. Sed loquitur de admirandis illis donis, q̄bus spūs sanctus ornauit apostolos in die Pentecostes, & instituit ac cōfirmauit ministerium p̄dicandi & diuulgandi Euāgelij de Iesu Christo, in uniuerso mundo. Vnde & addit, Quia Iesus nōdum erat glorificatus. Etsi em̄ Iesus ędidit multa & magna miracula priusq̄ susciperet mortē & à mortuis resurgeret, tn̄ hęc nō erāt uera eius glorificatio, ꝓpterea ꝙ etiā prophetę multa miracula ędiderant, nullus tn̄ eorū fuit uerus Messias, & unigenitus filius dei. Postq̄ autē resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, & misit spūm sanctum, ibi tum publice & manifeste reuelata declarata cōprobata & cōfirmata est gloria ac maiestas eius, uidelicet, quod ipse solus sit uerus Messias, et uerus deus, unigenitus ueri dei filius. Declaratus est, inquit Paulus, filius dei cum potētia secundum spūm sanctificantē ex eo ꝙ resurrexit a' mortuis. Quare, cum Iesus adhuc ageret corporalē uitā in terris, nōdum fluebāt flumina illa de uentre apostolorū, in orbe terrę, sed dicebat, In uiā gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorū ne ingrediamini. Postq̄ autē maiestas Iesu declarata fuit, misso in die Pentecostes spū sancto, tunc statim incepit flumē Euāgelij tāta abundātia fluere, ut a' Hierusalē usq̄ ad extrema terrę ꝓcucurrerit, & aduexerit secum oēm cœlestium bonorū copiā. Cum igitur hoc flumen diuina clemētia copiose & abundāter in nostra regione, hoc tēpore fluat, agite amicissimi, nō sinamus illud frustra p̄terlabi, sed hauriamus ex ipso aquas, bibamus ex eo plurimū, ut depulsa oī siti, cœlesti gaudio fruamur. Atq̄ hęc quidē est cōtio, quā habuit Christus in nouissimo die tabernaculorū, in maxima hoīm frequētia. Sed uide mihi, q̄ uarias opiniōes hoīes de ipso acceperunt. Euāgelista em̄ sic ait. Multi ergo de turba, cum audissent hunc sermonē dicebant. Hic est uere propheta. Alij dicebāt, hic est Christus. Quidā autē dicebāt. Nū à Galilęa ueniet Christus? Nōne scriptura dicit, ꝙ ex semine Dauid, et de Bethlehē castello, ubi erat Dauid, ueniet Christus. Dissensio itaq̄ orta est in turba ꝓpter eum. Quidā autē ex ipsis uolebāt ap̄hendere eum, sed nemo cōiecit in eum manus. Obsecro te, ne hunc locū oscitāter p̄tereas. Iudaica hęc est cōtrouersia de Iesu Christo, sed q̄ ducit inter hoīes, oībus huius seculi tēporib. Alij sentiunt eum prophetā, eximium quidē, non autē summum. Alij, sed paucissimi, sentiunt eum esse summum, hoc est, Messiā ipsum. Alij prorsus negant eum esse Messiam, idq̄ conantur autoritate scripturæ

Spiritus sanctus uerum est Deum.

Sf iiij

De Christo uariæ semper cõtrouersiæ.

probare. Alij aũt putant eum esse seditiosum, impiũ, & de terra tollendum, ideoq; dignum qui apprehendatur & occidat. An non eadem ad huc habet controuersia de Iesu Christo? Mahumetistę sentiunt Iesum fuisse prophetam, non tñ tribuunt ei uerę honorem Messiæ, & negant eum esse filium dei. Iudæi nec prophetã nec Messiam eum agnoscũt, ac nituntur, ut ipsis quidem uidet, autoritate scripturę. Inter Christianos, alij etsi gloriantur noĩe Christi, & profitentur se gloriæ eius fauere, tñ non tribuunt ei uerę honorem Messiæ, non q̃runt in ipso gratuitam remissionem pctõrę, sed querunt eam in meritis suorum operum, ideoq; persequunt Euangelion Christi, quod promittit remissionẽ pctõrum gratis, propter Christum, ac sentiunt professores & confessores huius Euangelij, ad unum oẽs trucidandos. Alij, ijq; paucissimi, recte sentiũt de Christo. Tribuunt em̃ ei ueram maiestatẽ Christi. Credunt eũ esse uerũ deum, ueri dei filiũ, qui suscepta carne, expiauerit pctã nostra, & reconciliauerit nos cum deo patre, ut q̃tquot eo confidunt, consequant remissionem pctõrę gratis per fidem, & fiant hæredes regni cœlestis. Hęc controuersia de Iesu Christo nobis non sine magna caussa ob oculos ponit, primũ, ut hac occasiõe admoneamur, ne offendamur diuersitate opinionum & iuditiorę huius mundi de Christo. Hoĩes enim suas solẽt res in hoc seculo agere, non sunt solliciti de regno cœlesti, sed de regno terrestri, sectant sua carnalia desideria. Et, qui uident optimi inter eos, laudant et seruant externã honestatẽ. De uera aũt coram deo iustitia, nullã suscipiunt curã. Quare cum fit sermo de Christo, sentiunt de eo, iuxta rerę euentum, qui est stultorę magister, & loquuntur de ipso, q̃d in buccam uenit, & q̃d tutum, aut his, qbus seruiunt, gratũ uidetur. Quod cum ita se habeat, qs tam insanus esset, qui se ad uanas hoĩm opiniones cõpararet? Non em̃ sentiendum est de Christo, quod hoĩes fingunt, sed quod spiritus sanctus docuit. Habemus prophetica & Apostolica scripta. Ex ijs petenda est cognitio de Christo, non ex hominũ opinionibus et sermonibus. Nam quę hęc scripta de Christo tradũt ita uera, certa & firma sunt, ut etiãsi uniuersus mũdus, ac angeli quoq; ipsi cõtradicerent, tñ salus continget ei, qui his fidẽ adhibet, pereuntibus interim oĩbus impijs, & aliud de Christo sentiẽtibus. Deinde, monemur ex hoc loco, ne patiamur nobis imponi scripturis falso citatis. Iudęi contendunt Iesum non esse Christum, & allegant scripturam, quæ docet Christum uenturum, è Dauid & Bethlehem. Putabant autem Iesum uenisse è Galilæa, & Nazareth. Vides igitur incogitantiam, & inscitiam Iudæorę. Ac recte quidem dicunt de scriptura, non inq̃runt aũt de persona Iesu, q̃d inquirere debuissent. Sic em̃ certo deprehẽdissent q̃ tã familia eius, q̃ locus, in quo natus erat, plane cũ scriptura cõueniret. Talis est impostura hęreticorę, & oĩm eorę, qui pugnãt autoritate

scripturę

ſcripturę cũ ueritate Euangelij Chriſti. Hi em̃ ſolent deprauare ſententiam ſcripturę, & ad ſua figmenta torquere. Sed ſi diligenter cõtuleris ſcripturã cum ſcriptura, & ſtudioſe oĩa, quę ad hãc rem neceſſaria ſunt, excuſſeris, (hoc enim eſt offitium oĩm eorum, qui ueram ſalutem affectant) facile intelliges impoſturã. Quare non eſt in legenda & audienda ſacra ſcriptura oſcitandum, ſed eſt in ea magna cura meditandum, ut non tantũ ſciamus aduerſarios, hoĩes, ſed etiam aduerſarium Satanam, quo cum cuiuis pio congrediendum eſt, conuincere, & uictoriã reportare per Ieſum Chriſtum dñm ac ſeruatorem noſtrę, qui eſt una cum patre et ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Scripturę ſacre incumbendum.

HOMILIA LXIIII.

Miranda fuerunt hominum, eorꝝq̃ non Ethnicorꝝ ſed Iudęorum, qui ſe populũ dei gloriabantur, iudicia de Ieſu Chriſto. Alij em̃ ſentiebant eum eſſe prophetam, alij Meſſiã, alij negabant utrũq̃, alij perſequebantur eum, ut impoſtorẽ, & inſidiabant uitæ eius. Sed q̃d ſequitur, magis mirandum eſt. Etſi em̃ quidem ex ipſis uolebant apprehendere eum, nemo tñ, inqt Euangeliſta, coniecit in eũ manus. Venerunt ergo miniſtri ad Pontifices & phariſęos, & dixerunt eis illi. Quare non adduxiſtis illum? Reſponderunt miniſtri. Nunq̃ ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo. Hoc miraculum non eſt oſcitanter conſiderandũ. Miniſtri, qui ablegati erant à Pontificibus, ad capiendũ Chriſtum, fauebant cauſſæ dñorum ſuorꝝ, & ſtatuerãt ſe Chriſtum capturos. Erant & multi alij, qui cum Chriſtus uidebatur ipſis ſeductor & hęreticus, nõ ſolum non prohibuiſſent miniſtros Pontificum, uerꝝ etiam ſi opus fuiſſet, adiuuiſſent eos, Chriſtus tñ omnibus tam formidabilis & terribilis apparet, ut nullus eorꝝ audeat manus in ipſum iniijcere. Quęramus ergo, q̃d illud ſit, q̃d Chriſtum proprius, quod ad externam faciẽ attinet inermem, aduerſarijs ſuis tam formidabilem reddiderit. Neq̃ em̃ dici poteſt, turbam eorũ hoĩm, qui audiebant cõtiones Chriſti, deterruiſſe miniſtros, ne caperent Ieſum, quippe q̃ etſi nõnulli ſentiebant de ipſo p̃clare, tñ maxima pars aut cõtemnebant eum, aut non tanti faciebant, ut propter ipſum ſubirent pericula aduerſus principes Hieroſolymitanos. Nec miniſtri dicunt, ſe prę turba nõ potuiſſe ipſum cõprehendere, ſed cõmendant autoritatẽ, et quaſi diuinitatẽ contionis eius. Reliquũ igitur eſt, q̃ Ieſum reddiderit aduerſarijs ſuis formidabilẽ, uocatio ſeu mandatũ dei patris. Quod em̃ Ieſus agebat, q̃d prędicabat, nõ erat humanũ inſtitutũ, ſed diuinũ mandatũ. Quare, cũ Ieſus ambularet in diuina uocatiõe, & cõficeret mandatũ dei, fieri nõ potuit, qn diuina ꝓtectiõe, etiã in medio hoſtiũ ſuorꝝ tutus eſſet. Dices aũt. Hoc cõtigit Chriſto, q̃ nõ homo tñ fuit, ſed etiã uerus

deus, ideoq; potuit diuina sua potentia aduersarios ab incepto deterre re. Nos aũt sumus hoies imbecilles, qui non possumus hostes occulta quadam potentia à ceruicibus nostris amouere. Quid igitur de nobis in talibus periculis fiet? Nihil profecto magis uerum est, q̃ Christum non esse tm̃ hominem, sed etiam uerę deum, obseruandum aũt est, prin cipio, q̃ Christus, cum esset in forma dei, quemadmodum Paulus ait, non rapinam arbitratus est, ut esset ęqualis deo, sed semetipsum inani uit, forma serui sumpta, in similitudinem hoim̃ constitutus, & figura repertus ut homo, humilem prębuit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem crucis. Quare etsi erat uerus deus, tm̃ in hoc negotio nõ est usus diuina sua & admirabili omnipotentia, sed coniecit se in humanas imbecillitates, & permisit deo patri suo defensiõem. Deinde Christus uenit in hunc mundum, ut nos reconciliaret cũ deo patre, & faceret nos cum ipso cohęredes diuinorum bonorum, ac ut deus susciperet nos in tutelam suam & prę sidium. Itaq; impetrauit Christus, ut deus non so lum ipsum, sed etiam omnes in ipsum credentes, ac in uocatione dei ex fide ambulantes, in omnibus periculis defenderet atq; tueretur. Neces sarium autem est, ut deus nunq̃ non defendat pios, & cõseruet eos. Sa tan enim semper insidiatur pijs, ac nisi consilium & conatus eius diui na potentia frãgeretur, fieri non posset, ut pius quispiam homo, uel u nam tm̃ horam incolumis maneret. Cum igitur deus sit pijs per Chri stum reconciliatus, suscipit etiam ipsos, in uocatione eius ambulantes, & mandata eius exequentes, tuendos. Tuetur & impios, non aũt perpe tua salute, nisi resipiscant ab impietate, Sed pios tuetur perpetua salute, quippe q̃ susceperit eos publica fide defendendos. Si audieris, inquit, uocem Dñi dei tui, ut facias & custodias oia mandata eius, benedictus tu in ciuitate, benedictus in agro, benedictus eris ingrediens & egre diens. Et iterę. Oculi Dñi super iustos, & aures eius in preces eorum. Ac rursus. Salus iustorum à Dño, & protector eorum in tẽpore tribu lationis & adiuuabit eos dñs, & liberabit eos, & eruet eos. Hę & id ge nus alię promissiones sunt cœlestes literę, seu testimonia, quibus deus suscipit iustos (hoc est, credentes in Christum, & exequentes manda tum dei) in publicam tutelam, & defensiõem suam. Itaq; iusti fiunt ter ribiles hostibus, non carnali potentia, sed spirituali & diuina defensio ne. Huc pertinẽt exẽpla, quę nobis sacra scriptura proponit. Patriarcha Iacob abrogauit in familia sua idolatrian, hoc em̃ erat mandatũ dei, ex quo etiã necesse habebat proficisci, & habitare in Bethel. Finitimę aũt ciuitates prosequebant̃ Iacobum magno odio, propterea q̃ uidebat̃ pu blice dãnare abrogatione idolatriæ in sua familia, oim̃ aliarę gentium religionẽ, ideoq; iudicauerunt eũ dignũ, qui una cũ sua familia, quoq; modo fieri posset, è medio tolleretur. Quid ergo fit? Etsi Iacob inermis erat, tamen

Pij & impij defenduntur diuinitus.

erat, tamen scriptura ait. Cum profecti essent, terror dei inuasit oēs per circuitum ciuitates, & non sunt ausi persequi recedentes. Vnde igit in ermis Iacob tam terribilis? certe non aliunde, q̄ q̄ exequēdo diuinum mandatum, susceptus erat in publicā dei tutelam & defensionē. Moses redijt ex uocatione dei ad Ægyptum, & non solum iussit tyrannum dimittere Israelitas, sed affecit etiā ipsum ac totum regnum eius uariis supplitijs. Quis autem talia faciens, posset esse in regno tā potentis tyranni tutus? Et tñ Moses non solum fuit tutus sed etiā seruis Pharaonis formidabilis. Dicit em̄ scriptura: Moses fuit uir magnus ualde in terra Ægypti corā seruis Pharaonis et oī populo. Quid ergo faciebat eum tam formidabilē? Quid, nisi illud, q̄d deus dixerat: Ego ero tecum. Hę em̄ erant literę, q̄bus deus testabatur se recepisse Mosen exequentē mandatum ipsius, in publicā & cœlestem tutelā. Videamus & Israelitas. Hi et si erant miseri & inermes hoīes, tamen cum ex mandato dei proficiscerentur ex deserto ad terram patribus promissam, tā terribiles erant oībus finitimis gentibus, ut nulla earū ausa fuerit bellum aduersus ipsos suscipere. Erant autem terribiles, non suis armis, sed defensione dei, in cuius uocatione ambulabant. Sic em̄ dicebat deus. Hodie incipiā mittere terrorem atq̄ formidinē tuā, in populos qui habitāt sub oī cœlo, ut audito noīe tuo paueant, et in morē parturientium cōtremiscant. Quid dicā de apostolis? His datum erat diuinum mandatum, ut p̄dicarent Euangelion Christi. Hoc mādatum cum Hierosolymis exequerent̄, tam formidabiles facti sunt Pontificibus, q̄ etsi ante occiderant Christum, quem apostoli adnuntiabant, tñ non potuerunt ullā inire rationē, qua & Apostolos occiderent, quia cum cōficerent mandatum dei, ambulabant in publica eius protectiōe. Posset aūt quispiam admirari, quō fieret, q̄ tam multi, qui in diuina uocatiōe et tutela ambulāt, capiantur et occidant̄. An nō Christus ipse, q̄ hoc loco tā terribilis est, ut nullus aduersariorū ausus fuerit in ipsum manus iniicere, postea capit̄ & crucifigit̄? an nō Apostoli, qui aliq̄ties mirabiliter è carceribus sunt liberati, paulopost crudeliter sunt trucidati? Hoccine est ambulare in publica tutela dei? hoccine est à deo protectore, inter medios hostes conseruari? De hac re diximus quędam supra. Sed & nunc pauca dicenda sunt, ut rationem diuinę defensionis rectius intelligamus. Nam qui ambulant in uocatione Dei, ijsdem propemodum conditionibus solent à Deo in tutelam & defensionem suscipi, quibus hi, quos principes huius seculi, publice in itineribus tuēdos suscipiunt. Quē enim principes publica fide tuent̄, eum hoc pacto tueri debent, ut si à prędonibus, aut latronibus uel capiat̄ uel spoliet̄, totis uiribus, q̄ ad eius fieri pōt, iterū à latronibus eripiat̄, et si q̄d ablatum est, restituatur. Hoc est pactum publicæ fidei in regno bene constituto, quod etsi non ab oībus seruatur,

magna enim est hominum in seruanda fide mobilitas & inconstantia, tamen equitas ipsa, & pactum inter defensorem & eum, qui in publicā defensionem suscipitur initum, hanc defensionis conditionem, firmam exigit. Eodem modo & pacto deus suscipit suos defendēdos, uidelicet, ut si latrones inuadant ipsos, se oī cœlesti potentia eos iterum à latronibus erepturum, & si quid rerum suarum ablatum fuerit, se id centuplū redditurum. Nec tam inconstans & mendax est deus, quemadmodum hoīes esse solent. Sed quod promittit, & paciscitur, hoc etiā constantissime seruat. Cœlum & terra, inquit, transibunt, uerba mea non transibunt. Itaqꝫ, si quis in publica dei tutela ambulat, primum, non potest à prędonibus & latronibus capi, spoliari, & occidi, nisi Deus prudentissimo suo consilio conniueat, & tempus definierit. Vestri etiam pili capitis (inquit) oēs numerati sunt, deinde, q̄d deus sinit auferri, hoc iuxta pactum, restituit plusq̄ꝫ centuplum. Vide mihi Iesum ipsum, filium dei. Hic quia ambulauit in uocatione dei, ad exequendum mandatum eius, ambulauit etiam in publica tutela & defensione dei. Accidit autē, ꝙ sit à latronibus captus, ac non tantum spoliatus tunica, sed etiam uita sua. Quid ergo ad hæc dicemus? primum, non potuit capi, nisi definito dei consilio, deinde, quę ablata fuerunt, restituta sunt ei ut copiosissime ita & gloriosissime. Deus em̄ ita eripuit Iesum filiū suū de manibus latronum, crucis, mortis & inferni, ut reddiderit ei non tm̄ uitā perpetuo fœlicem, sed etiam nomen quod est supra oē nomen, ut in nomine Iesu flectat se oē genu cœlestium, terrestrium & infernorum. Accipe & Stephanum. Hunc ambulantem in uocatione & defensione Dei abduxerunt latrones, & spoliauerunt eum uita sua. Quid igitur factum est? Num deus uiolauit in Stephano pactum publicæ suę defensionis, ꝙ permiserit, ut latrones tam crudeliter in ipsum grassarentur? Minime oīm uiolauit, sed constantissime seruauit. In hoc enim Stephani periculo misit deus filium suum, cum toto cœlesti exercitu, qui Stephanū è manibus latronum eriperent. Id aūt sic confectum est, ꝙ Iesus apparuerit Stephano in maiestate sua, ad dextram dei patris, & receperit spiritum Stephani ad se, atqꝫ conseruet ipsum, in media morte, ad accipiendum cœleste regnum. Itaqꝫ Stephanus spoliatus quidem est corporali uita, sed recepit à deo defensore cœlestem uitam, Eiectus est è terra, sed receptus est in cœlum. An non hęc est copiosa eorum quę ablata sunt, restitutio? Quare pericula, non sunt ita metuenda, ut ad uitanda ea impie faciamus, sed cum deus susceperit nos in suam fidem & tutelam, ac pactus sit nobiscum, se ablata abundātius, q̄ꝫ humana ratio sperare uel possit uel audeat, redditurum, pergendum est in uocatione dei, & mandatum eius obedientissime est exequendum. Hęc autem doctrina, non tantum pertinet ad unum genus mandati dei, de confitendo Christo &

Euange-

Euangelio eius, coram aduersarijs, Sed patet latissime ad omnia eius mandata. Perstringamus igitur nonnulla. Mandatum dei est: Nõ furetis, hoc est: Non des operam imposturis. Non utaris iniquo & illegitimo pondere ac mensura. Quicquid em̃ opum consequeris imposturis et illegitimis nondinationibus, furtum est & rapina. Accidit autem forte, ut habeas malas merces, quas posses quidem care extrudere, si addideris uanitatem orationis, necesse autem habebis damnum facere, si ueritatem fueris confessus. Quo igit̃ te uertas? Non certe ad imposturas & nugas. Hoc enim deus prohibuit. Sed si, inquies, iuste negotiatus fuero, magnum damnum faciendum erit? imo maius damnum est faciendum, si fueris negotiatus iniuste. Illic amittis pecuniam, hic animam, illic uideris perdere opes terrenas, hic perdis opes cœlestes. Sequenda igitur est uocatio dei, & exequendum est mandatum dei. Hoc si feceris, ambulas in publica fide et tutela dei. Quare, etsi uideris in negotiatiõe iusta damnum facere, deus tamen, qui te suscepit in suam tutelam, restituet illud copiosissime. Fieri enim non potest, ut qui spoliatur in tutela & defensione eius, non in integrum restituatur. Aliud mandatũ dei est: Non occidas, quo preter prohibitionem externi homicidij, precipitur etiam, ne quis seipsum ulciscatur. Affectus igitur es à uicino quodam iniuria. Hic si teipsum ulciscaris, promittis tibi deinceps securitatem. Si autem remiseris ei iniuriam, metuis, ne des ei occasionem plura & maiora mala tibi inferendi. Quid ergo facias? Non est quærenda priuata ulcio. Hanc enim deus abominatur. Sed subeunda mihi sunt, inquis, maiora pericula, si remisero iniuriam prius illatam. Sic quidem tibi uidetur, cum te maioribus periculis obijcias, si teipsum contra preceptum dei ulciscaris. Remittẽda igitur est iniuria, & cõdonanda, ut exequaris mandatum dei. Quod si feceris, habes deum defensorem & protectorem, qui efficiet, ut etiamsi plura & maiora mala in te irruant, tu tamen potenter serueris, & recipias uicissim æterna bona. Sed reuertemur ad Euangelistam. Ministri, inquit, responderunt. Nunq̃ sic locutus est homo sicut hic homo. Considera hic obsecro, q̃ serui multo sint honestiores dominis suis, ac Pontificibus. Hi cupiũt Christum extinctum, illi admirantur eum, ut eximium doctorem, hi proscindunt eum oĩbus generibus conuitiorum, illi ornant eum summis laudibus. In hoc aũt seculo solenne est, ut dñis frugi contingant serui nequã, et dñis nequã, contingant serui frugi. Quod qualecunq̃ sit, & sæpe fallat, Certe seruis hoc agendum est, ut cum iubẽtur à carnalibus dominis impia facere, magis obediant preceptis dei, ad pia, q̃ preceptis carnalium dominorum ad impia uocantibus. Maiorem enim debent obedientiam deo, conditori & seruatori æterno, q̃ homini, benefactori caduco & incerto. Quare laudanda & imitanda est honestas Pontificiorũ seruorũ,

Imposturæ uitandæ.

Vindicta priuata prohibita.

Herodotus in Vrania.
Τοῖσι μὲν χρηστοῖσι ἀνθρώπων, κακοὶ δοῦλοι φιλέουσι γινέσθαι, τοῖσι δὲ κακοῖσι, χρηστοί.

de quibus nunc fit mentio, ꝓ maluerint Christum & contionem eius magna laude coram Pontificibus ornare, cꝓ exemplo Pōtificum execrari, & ex mandato eorum Christum in uincula ducere. Sed operępreciū
,, est audire, quō hi serui à dominis suis excepti fuerint. Responderūt e-
,, is pharisęi, Num et uos seducti estis? Nunquis ex principibus credidit
,, in eum, aut ex Pharisęis? Sed turba hęc, quę non nouit legem, execrabi
,, les sunt. Vetus & usitatum hoc est, ꝓ impij allegent maiorum autoritatem, ad refutandam piam doctrinam. In Amos dicit Sacerdos Amazias ad Amos. Non adijcies ultra ut prophetes in Bethel, quia est sanctificatio regis, & domus regni, hoc est, Religio, quę in Bethel obseruat, instituta est à regibus, quam & multi reges confirmarunt, & defenderunt. Quæ ergo tua est temeritas & insania, ꝓ eam damnes religionē, quę est tanta principum autoritate fundata? In Hieremia dicunt. Venite, cogitemus contra Hieremiam cogitationes. Non enim peribit lex à sacerdote, necꝫ cōsilium à sapiēte, nec sermo à ꝓpheta, hoc est, Quid? errarent ne tot sacerdotes, qui legē dei docent? tot sapientes, qui remp. gubernant? tot prophetę, qui nobiscum consentiunt, & Solus Hieremias saperet, ac uera doceret? Hoc plane cum eo conuenit, quod Pharisæi ad ministros dicunt. Nū uos prudentiores estis tot principibus, & pharisæis? (horum enim maxima erat autoritas inter Iudæos) Et tamen quis est inter hos, qui agnoscat hunc Iesum pro Messia? Nullus adiungit se cum illo, præter execrabilem uulgum, & abiectissimos nebulones, qui nullam habent diuinæ legis cognitionem. An non eędem prope uoces his nostris temporibus audiuntur? Cum enim doctrina Euangelij reuelata sit diuina clementia, & reprehendatur impietas Pontificum ac monachorum, qui defendūt impiam doctrinam, solet nobis autoritas maiorum adeocꝫ ipsius Ecclesię obijci. Pontifices gloriantur se esse successores apostolorum, et legitimos prępositos Ecclesię. Dicunt, spiritum sanctum non derelinquere Ecclesiam. Prępositis obediēdum esse, & Ecclesiam audiēdam. Et quemadmodum Iudęi de suis Rabinis affirmant, quod tanta sit eorum autoritas, ut si dicant, dextrum esse sinistrum, & sinistrum dextrum, non sit reprehendendum, sed consentiendum, ita Pontifices de sua autoritate prędicant, ꝓ quæ sentiunt, constituunt & decernunt, hæc sint, ut diuina mandata, accipienda. Itaꝫ splendor nominis Ecclesię, principum, & pontificū, perstringit oculos multorum imperitorum. Obserua igitur, ꝓ non sit dubium, quin magna sit autoritas maiorum, sapientum, & principum populi. Coram cano capite, inquit scriptura, assurge. Et, Fili mi, inclina aurem tuam, & audi uerba sapientum. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit. Et de summi sacerdotis sententia dicit Moses, Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, ex decreto iudicis moriatur. Dicit & Epistola ad

Pontificum gloriatio.

Maiorum autoritas.

Hebræos.

Hebrgos. Obedite prępositis uestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro aiabus uestris reddituri. Quare nequaq̃ committendum est, ut à sententia maiorẽ, sapientum, & principum temere discedamus. Sed si quidem sermo est de ciuili dñatione, & in rebus ciuilibus, tunc deus ita subiecit nos autoritati maiorum, & imperio principum, ut sententiam eorẽ etiam iniquam propter publicam tranquillitatem feramus. Famuli, inquit Petrus, subditi sint cũ timore dominis, non solum bonis & humanis, uerẽ etiam prauis. Nam hęc est gratia, si quis propter conscientiã dei suffert molestias, prętер meritum affectus malis. Ac peccant quidem maiores & principes grauissime, cum imponunt iniqua onera, sed cum tantum de rebus mũdanis & corporalibus agitur, melius est ea patienter ferre, ut pax, quam deus exigit, seruetur, q̃q̃ ut diffidia, rixę, & seditiones quas deus prohibuit, excitentur. Si aũt sermo est de rebus spũalibus, de rebus cœlestibus, de religiõe, & de uera ac perpetua hoĩs salute, tunc deus nulli homini, quantumuis sapienti & potenti ita nos subiecit, ut necesse habeamus quamuis eius sententiam, propter ipsius autoritatem & potentiam, agnoscere, sed alligauit nos tantum ad cœleste suum uerbum. Et ut dicã quod res est, deus non collocauit ueritatem religionis, et doctrinã perpetuę salutis, nec in multitudine, nec in paucitate, nec in sapientia, nec in stulticia, nec in potentia, nec in autoritate, nec in imbecillitate nec in abiectiõe hoĩm. Doctrina enim religionis non idcirco uera aut falsa est, q̃ uel multi uel pauci, uel sapientes, uel stulti, uel potentes uel abiecti eam aut amplectantur, aut aspernentur. In quo ergo collocauit deus ueritatem doctrinę de perpetua nostra salute? In solo uerbo suo, quod est diuinitus è cœlo confirmatum. Dedit nobis scripta prophetica & Apostolica, quæ habent cœlestia ueritatis testimonia. Conciues, inquit Paulus, estis sanctorum, ac domestici dei, superstructi super fundamentum Apostolorum & prophetarum, summo angulari lapide ipso Iesu Christo. Et iterum. Fundamentum aliud nemo potest ponere, prętер hoc quod positum est, quod est Iesus Christus. Is autem explicatur & illustratur scriptis propheticis & Apostolicis. In Iobe dicitur. In antiquis (quemadmodum uos amici iudicatis) est sapientia, & in multo tempore prudentia, (At ego dico uobis) apud ipsum Deum est sapiẽtia et fortitudo, & ipse habet consilium & intelligentiam. Deus autem patefecit suam sapientiam, suam sententiam & uoluntatem scriptis propheticis & Apostolicis. Quare his cedere debet omnis humana autoritas, sapientia, & potentia. An non Hieremias necesse habuit discedere à sententia Regis, principum, sacerdotum, & aliorum, qui & ipsi iactabant se esse prophetas? Quid ita? quia habebat uerbum Dei, cui obsequendum erat. Apostoli quoq̃ opposuerunt se sententiæ totius cõcilij Hierosolymitani, & dicunt. An

Religionis doctrina in quo collocata

iustum sit in conspectu Dei uos potius audire, q̃ Deum, iudicate. Etsi enim sapientes & principes suam habent autoritatem, tamen usitatum est, q̃ & sapientes fiant stulti, & principes à deo abñciant. Occidit, inquit psalmus, pingues eorũ, & electos Israel impediuit. Et iterẽ. Reprobat consilia principum, Dicit et Christus ipse. Gratias ago tibi dñe pater cœli & terrę, q̃ absconderis hęc à sapientibus & prudentibus, & reuelaris ea paruulis. Et Paulus. Sapientia huius mundi est stultitia apud Deum. Scriptum est enim. Qui comprehendit sapientes in astutia ipsorum. Quare in doctrina religionis, de uera hominis salute non est confidendum iuditio, autoritate & potentia hominum, sed tantum autoritate & ueritate uerbi Dei, quod scriptis propheticis et Apostolicis continetur. Quid autem si & ipsi aduersarij ueritatem horum scriptorũ fatentur, dissentiunt autem in eorum sententia, & uolunt aliud his scriptis doceri, q̃ tu sentias? An non in tali casu audiendum est humanum iuditium? Minime omnium. Sed scriptura cum scriptura conferenda est, & obscurior locus scripturę illustrandus est per clariorem, ac omnino tenenda est summa, firma & certa regula fidei, quam tradunt scripta prophetica & Apostolica. Ad hanc regulam, si exigatur, quod de sententia unius aut alterius obscuri loci controuertitur, non difficulter potest, uera aut saltem non falsa, & non impia eius sententia cognosci. Nã quod ab hac regula, quę manifeste & perspicue in his scriptis traditur, dissentit, hoc habendũ est pro anathemate, non solum si id pontifices, ac principes, sed etiam si angeli ipsi affirmarent. Considera ergo mihi, quantum periculum subeant contemptores & neglectores uerbi Dei, qui cum necesse habeant, ad conseruandam suam salutem, sese tam sapientissimorum hominum, q̃ etiam angelorum, si ita res ferat, iuditio opponere, ne possint quidem, aut sciant præ sua ignauia, minimum fidei suæ articulum, aduersus obiectiones etiam imperitissimorum hominum tueri. Quomodo hi constabunt in certamine quod suscipiendum est cum Satana, si non possunt coram imperito homũtione consta re? Sed redeundum est ad cõcilium illud, quod Pontifices & pharisæi hoc loco aduersus Christum congregauerant. Postq̃ enim ministri non adduxerunt Iesum captiuum, conferunt inter se consilio, quid deinceps sit faciendum, ac magna eorum pars cõdemnat, & decernit eum è medio tollendum, quoquomodo id fieri possit. Nicodemus autem

Veritatis cognoscendæ regula.

» » opponit se horum sententiæ. Dicit enim Nicodemus ad eos, is qui ue-
» » nerat ad eum nocte, qui erat unus de numero eorum. Num lex nostra
» » iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit, quid faci-
» » at? Honestissime loquitur Nicodemus, sed non tã fortiter, q̃ uera pietas exigit. Nam si ingenue confessus esset, se agnoscere Iesum, aut uerum Messiam, aut saltem eximium prophetam, & cohortatus esset, ut

& reliqui eum talem agnoscerent, non tantum fuisset honesta, uerum etiam fortis ac plane heroïca sententia. Ceterum, quam legem allegat, communi omnium hominum iuditio probatur, & scripta est, in Deuteronomio capite primo. Ita paruum audietis ut magnum, nec accipietis cuiusq; personam, quia dei iuditium est. Iniquissimum enim est, reum non auditum condemnare. Iosaphat rex pius dixit ad Iudices. Sit timor Domini uobiscum, & cum diligentia cuncta facite, qua admonitione cohortatur eos ut in iuditio non unam tantum partem, sed utranque magna diligentia audiant. Alexander Magnus rex Ethnicus, cum in caussis capitalibus sederet iudex, occludebat alteram aurem opposita manu. Rogatus, cur id faceret, alteram, inquit, integram seruo reo. Itaque qui condemnat reum nondum auditum, is non solum non sectatur eam ęquitatem, quam probant pij, sed etiam quam probant Ethnici. Et tamen pharisæi, qui uidebantur esse obseruantissimi legis, uehementer indignantur se de hac lege admoneri. Responderunt enim Nicodemo & dixerunt. Nunquid & tu ex Galilæa es? Scrutare & uide, q̃ à Galilæa propheta non surrexit. Vide, obsecro, quam mercedem reportet Nicodemus, pro honestate sua. Dicit sententiam æquissimam, sed reliqui pharisęi uicissim referunt conuitia iniquissima. Contumeliose interrogant, num & ipse sit ex Galilæa, perinde ac si nihil unquã egregium et excellens ex ea regione ortum esset. Hoc autem solenne est in hoc seculo, ut pro benedicto reportes maledictum, & pro benefitio, malefitium. Quid ergo faciamus? num nec benedicendum, nec benefaciendum est? Absit. Nos nostrum offitium facere debemus. Etsi enim homines sunt ingrati, deus tamen est gratissimus, qui tanto maiori mercede rependit benefacta, quanto ingratiores sunt homines. Sed uideamus, quæ sit tandem sententia, aut quis sit Recessus (sic enim nũc loquuntur) huius conciliij. Profectus est, inquit Euangelista, unusquisque in domum suam. Quæso te, num ouum ouo tam simile est, q̃ similis est recessus horum comiciorum, recessibus eorum, quæ iam aliquot annis ad dijudicandam controuersiã de religione coacta fuerunt? Conuenerunt principes & pharisæi ut cognoscãt de Iesu Christo, Sed cum aliquamdiu inter se rixati fuissent, discedunt domum, re prorsus infecta, conuenturi aliás iterum. Sic & his temporibus, multi & magni sunt conuentus, qui in hoc instituuntur, ut fiat cognitio de doctrina religionis. Sed quoties, obsecro, iam est discessum, reiectis semper in aliud tempus deliberationibus? Postquam enim partes inter se aliquamdiu rixatæ fuerint, proficiscitur unusquisque indictis alijs comijs, domum suam. Hęc idcirco commemorantur, ut perspicue intelligamus, quàm stulte, q̃ periculose faciant hi, qui in agnoscenda & re-

Μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.

Comiciorum Recessus.

ſtituenda uera doctrina Chriſtianiſmi expectant hominum comitia, & iuditia. Deus enim propoſuit nobis comitia patriarcharum prophetarum, & apoſtolorum, in quibus iam dudum autoritate cœleſti, iudicatum, definitum, confirmatum, & diuulgatum eſt, ex qua doctrina ſalus noſtra pendeat, uidelicet, ꝙ non ſit aliud nomen, quàm Ieſus Chriſtus, ſub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Huic enim omnes prophetæ, inquit Petrus, teſtimonium ferunt, quòd remiſſionem peccatorum accepturus ſit per nomen eius, quiſquis crediderit in eum. Hæc doctrina tenenda, hæc ſectanda eſt, Aduerſus hanc, ne angelus quidem de cœlo eſt audiendus. Nam, qui huic doctrinæ fidem adhibet, eamq̃ non tam confeſſione oris, q̃ honeſtate uitæ profitetur, is teſtimonio omnium patriarcharum, prophetarum, & apoſtolorum conſequitur ueram & æternam ſalutem per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt una cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

CAPVT OCTAVVM

HOMILIA LXV.

Euſeb. in Eccleſiaſtica hiſtoria, lib. 3. cap. 39.

QVTSI NONNVLLI EXISTIMANT hiſtoriam, quæ de adultera ſequitur, non eſſe ab Euangeliſta Ioanne literis mandatã, ſed ex Euangelio, quod ſecundum Hebræos fuiſſe inſcriptum dicunt, in hunc locum tranſpoſitam, tamen memorabilis eſt hiſtoria, & digniſſima, quæ ab interitu ſit uindicata. Docet enim, quod ſit proprium offitium Chriſti, & concludit omnes homines ſub peccatum, ut omnes ſalutem ſuam è Chriſto petant. Quare hæc hiſtoria excipienda & ,, conſeruanda eſt, ut uere Apoſtolica & Euangelica. Ieſus, inquit, per,, rexit in montem Oliuarum, & diluculo iterum uenit in templum, cun,, ctusq̃ populus uenit ad eum, & ſedens docebat eos. Alij Iudæi profecti ſunt in domum aut diuerſorium quiſq̃ ſuum, daturi fortaſſis operam conuiuijs aut ſomno. Ieſus autẽ abijt ex urbe in montem Oliuarũ, orandi gratia, ut & nobis oratione ſua placaret patrẽ, & ſuo exẽplo nos ad orationẽ excitaret. Nec ſtatim à feſto tabernaculorũ reliqt Iudęã, ſed mane redijt ad templum contionaturus. Quanq̃ em̃ ſciebat phariſæos

insidiari uitæ suæ, maluit tamen fidutia diuinæ defensiõis mandatum Dei patris sui, quod erat, ut doceret ac uulgaret Euangelion suum, conficere, & metu periculorum ab offitio declinare. Reuertitur ergo ad templum diluculo, & cum iterum conuenisset maximus auditorum numerus, contionatus est sedens. Solenne enim erat, ut interpretes legis, docerent sedendo, & haberent auditores ad pedes suos. Sed quid fraudis aduersus Christum nõ excogitat impietas? Scribę & pharisæi, cum non successisset antea consilium de occidendo Iesu, alia uia aggrediuntur eum, ut quoquo modo fieri posset, uel saltem calumniis opprimant ipsum. Ecce enim tibi, cum Iesus cõtionaretur in maxima hominum frequentia, ex improuiso irrumpunt. Et adducunt ad eum scribæ ac pharisæi mulierem in adulterio deprehẽsam, & cum statuissent eã in medio, dicunt ei. Magister, Hæc mulier deprehensa est in ipso facto, adulterium cõmittens. In lege autem Moses prȩcepit nobis, ut huiusmodi lapidarentur. Tu ergo quid dicis? Priusq; exponamus consilium pharisæorum, pauca quȩdam dicenda sunt de lege adulterij, de qua nos hic locus admonet. In Decalogo enim extat hæc lex. Non cõmittas adulterium. Videndum igitur erit, quid hac lege prohibeatur, quid item prȩcipiatur. Ac primum, prohibetur in ea externum & uulgare illud adulterium, quod cum alterius uxore designatur. Et hoc adulterium, sua habet tam corporalia q̃ spiritualia, tam externa, q̃ æterna supplitia. Nulla enim unq̃ fuit honesta etiam inter gentes politeia, in qua hoc genus adulterij non fuerit iudicatum dignum graui ac seuero supplitio. Alicubi quidem mitiores, alicubi seueriores fuerũt leges. In nullo autem bene constituto imperio leges non insurrexerunt in adulteria. Aliàs notarunt adulteros & adulteras publica infamia. Aliàs affecerunt eos pœna capitali. Romanæ leges puniunt temeratores alienarum nuptiarum gladio. Mosaicę leges obruunt eos lapidibus. Si dormierit (inquiunt) uir cum uxore alterius uterq; morietur, tam adulter, quàm adultera. Et mox. Lapidibus obruentur. Ac Deus tanto odio prosequitur adulterium, ut etiamsi cessauerit magistratus, qui est legum administrator, ipse tamẽ Deus non cesset, sed animaduertat in illud suis quibusdam supplitijs grauissime. Vide mihi Dauidem. Hic etsi erat rex, & deo alioqui acceptus, tamen cum designasset adulterium, tanta seueritate punitus est à Deo, ut eiectus sit è regno in exilium, & uxores eius publice fuerunt à suo ipsius filio (ò nefandum scelus) constupratæ. Quod si Deus & regi, & sibi tam dilecto, non pepercit, sed puniuit in eo adulterium seuerissime, quid non supplitiorum immitteret alijs hominibus, huic sceleri obnoxijs? Nec contentus est Deus externo supplitio, sed punit adulteros, nisi resipiscant, perpetua pœna. Male

Adulterium.

Leui. 20.
Deu. 22.

dictus, inquit, qui dormit cum uxore proximi sui. Et dicat omnis populus. Amen. Et Paulus. Necq; scortatores, necq; molles, necq; adulteri, regni Dei hereditatem accipient. Quid autem hac pœna grauius? Deinde prohibetur in hac lege quęuis scortatio. Etsi autem magistratus ciuilis non solet punire uulgarem illam scortationem hominis liberi cum libera, capitali suppitio, imo aliquoties ne requirit quidem, in tanto tamen odio est apud deum, ut puniat eam in hoc seculo, maledictiõe corporalium bonorum, in futuro autem, perpetua cõdemnatione. Qui sotius est, inquit Salomon, scortorum, perdit opes. Quomodo enim consequeret in rebus suis benedictionem, qui scortationis fœditate repellit à se Iesum Christum, unà cum spũ suo sancto, qui est omnis benedictionis autor? An nescitis, inquit Paulus, q̃ corpora uestra sint mẽbra Christi, & templum habitantis in uobis spũs sancti? Qui autem scortatur, tollit membrum Christi, et facit illud membrum scorti, ac prophanat templum spiritus sancti, ut fiat hospitium spiritus Satanæ. Quæ ergo potest ibi esse benedictio, ubi spiritus sanctus est expulsus, & dominatur spiritus Satanæ? Ac tolerabile esset, si scortatio puniretur tantum corporali maledictione. Nunc autẽ tam horrendum scelus est, ut puniatur etiam spirituali & æterna maledictione. Scortatores, inquit Paulus, non accipient regni Dei hęreditatem. Et iterum. Hoc scitis, quod omnis scortator aut immundus, non habet hęreditatem in regno Christi & Dei. Prętera, in hac lege de adulterio prohibetur omnis mollities, omnis immunditia, quæ honeste non potest nominari, omnis item impudicus sermo, omnis impudicus gestus, omnis impudicus incessus ac uestitus. Hæc non iudicantur quidem semper ab hominibus pro adulterijs supplitio dignis, Deus autem, qui est absoluta honestas, multo aliter iudicat. Deponite, inquit Paulus, omnem turpiloquentiã ab ore uestro. Et si reddenda est ratio de otioso uerbo, quanto magis de impudico & turpi uerbo. Quod si impudica cupiditas cordis digna est ęterno supplitio, quomodo non eodem supplitio dignus esset impudicus sermo, aut gestus? Nam in hac lege, Non cõmittas adulterium, prohibetur etiam omnis impudica cupiditas in animo. Sic enim Moses ipse in Decalogo exponit, cum ait. Non concupiscas uxorem proximi tui. Et Christus. Quicunq; aspexerit uxorem alterius ad concupiscendam eam, iam adulterium cum ea commisit in corde suo. Si autem cupiditas est genus adulterij, certe debetur etiam ei supplitium adulterij, quod est æterna maledictio & damnatio. Maledictus enim (inquit lex) omnis, qui non seruauerit totã legem. Postremo pręcipitur et exigitur hac lege oĩs honesta et sancta cupiditas pudicitię, ex toto corde, omne odiũ et detestatio impudicitiæ ex toto aĩo, oĩs sermo & gestus sanctus & pudicus, oĩa opera sancta et pudica, ex spiritu ipso sancto, ut nihil impudicitię nec

Scortatio prohibita.

citiæ nec in cogitatione, nec in sermone, nec in actionibus inueniatur. Lex enim, inquit Paulus, est spiritualis. Quare exigit totum hominem spiritualē, honestum, sanctum & pudicum. Nullus autem unq̃ homo fuit, preter Iesum Christum, qui hanc legem perfecte seruauerit, nec ullus est, qui eam natura sua perfecte seruare queat. Affectus carnis, inquit Paulus, inimicitia est aduersus deum, nam legi dei non subditur, siquidem ne potest quidē. Dices ergo. Cur nobis hęc lex proponitur, cur obseruatio eius à nobis exigit, si nullus homo potest eam seruare? Graues & honestæ sunt huius rei caussæ. Primū enim proponitur nobis hæc lex, Non cōmittas adulterium, et alia quę ad huius legis genus pertinent, ut publica honestas in hominū πολιτεία conseruetur. Etsi em̄ homines non possunt natura sua hanc legem perfecte seruare, tamen possunt eam, adhibita diligenti cura, & sobrietate, ciuiliter seruare, & aut honestum cœlibem, si ita res ferat, aut honestum coniugem agere. Itaq̃ Paulus aliās dicit. Iusto lex nō est posita, sed iniustis, prophanis, scortatoribus, & si quod aliud est, quod sanæ doctrinæ aduersatur. Deinde hæc lex proponitur nobis, ut ex ipsa agnoscamus corruptionem naturæ nostrę, magnitudinem peccati hærentis in carne nostra, & grauitatem diuinę iræ, quam propter peccatum meriti sumus. Homines enim natura sua hoc ingenio præditi sunt, q̃ q̃ primum audiunt legem Dei, putant se posse eam suis uiribus implere, & exclamant cum Israelitis. Omnia uerba, quæ DOMINVS locutus est, faciemus. Sed quemadmodum hi, cum audirent decalogum, tanto pauore concussi sunt, ut retrocesserint, ac dixerint ad Mosen, Loquere tu nobis, & audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur, ita & nobis proponitur & exponitur uera & spiritualis sententia huius legis, ut cum eam audimus, agnoscamus, quanta peccati seruitute captiui teneamur, & q̃ longe absimus à uera & perfecta iustitia, q̃q̃ digni simus propter peccatum, perpetuo supplitio. Peccatum, inquit Paulus, non cognoui, nisi per legem. Nam & concupiscentiam non nouissem, nisi lex diceret, Non concupisces. Reuelat autem & ostendit nobis hæc lex peccatum impudicitiæ, non ut in hoc peccato pereamus, sed ut excitemur ad quærendam & consequendam ueram & perfectam iustitiam ac pudicitiam in Iesu Christo seruatore nostro. Nā, qui credit in Christū, huic donat Christus una cum oībus suis bonis. Itaq̃ condonat ei peccatum quod & ante designatū est opere, & adhuc carni inhęret, ac imputatur ei tota pudicitia Christi, quæ est perfectissima, præterea donatur ei spiritus sanctus, qui reliquias impudicitiæ expurgat, ac reddit hominem pudicitiæ studiosissimum, ut aut honestam in cœlibatu uitam agat, aut honestum connubium suscipiat. Postquam enim hęc lex ablegauit nos ad Christum, & nos per Christum accepimus spiritum sanctum, tunc

Lex de adulterio nō committendo quomodo impleatur.

docet nos, qui sunt fructus spiritus sancti, quæ opera placeant deo, quibus sacris debeamus deo seruire, uidelicet, ꝙ is uere bona opera faciat, qui sectetur pudicitiam siue in cœlibatu, siue in coniugio. Hæc enim, inquit Paulus, est uolũtas dei, Sanctificatio uestra, ut abstineatis à fornicatione, & sciat unusquisq; uestrum suum uas possidere cum sanctificatione & honore, non cum affectu concupiscentiæ, quemadmodum gentes, quę non nouerunt deum. Sed de hac lege, Non committas adulterium, hactenus. Reuertemur nunc ad scribas & pharisęos, qui hoc loco de supplitio adulterij sic tractant, perinde ac si ipsi nulla parte aduersus hanc legem, Non committas adulterium, peccassent, sed essent tam coram deo, q̃ coram hominibus pudici & sancti. Sola autem hęc mulier esset digna adulterij supplicio. Itaq; adducunt eam captiuam, & irrumpunt, ut apparet, magno tumultu in mediam contionem, ac postulant à Christo sententiam suam de ea. Hęc mulier, inquiunt, deprehẽsa est in ipso adulterio, & conuicta. Non hoc agimus, ut exquiratur, num sit adultera, quemadmodum necessitas postulat, si non certo constat adulterium esse commissum. Multę iudicantur adulterę, è solis suspiciõibus, & maleuolorum sermonibus, quę tamen sunt innocentes. Quod iuditium fatemur ipsi esse illegitimum & iniustum, Hanc autem mulierem comperimus ipsa re, & optime scimus esse adulteram, quia deprehensa est in ipso adulterij facto. Quid igitur dicis? Lapidabimus ne eam iux
» » ta Legem Mosi? Hoc aũt dicebant, inquit Euangelista, tentantes eum,
» » ut possent accusare eum. Non quęrunt sententiam Christi, uel honoris gratia, uel ut recte docerentur, uel ꝙ tam uehementi zelo tenerentur, ut adultera iuste puniretur, sed potius hoc agunt, ut Iesus ipse lapidaretur, aut ut saltem autoritas eius apud uulgum eleuaretur. Videbãt enim eum haberi pro Messia. De Messia autem scriptum est, Spiritus Domini super me, eo ꝙ unxerit & miserit me ad prędicãdum captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. Quare, si Iesus non dimitteret captiuam, sed censeret eam lapidandam, sperarunt se occasionem habituros uociferandi, eum non posse Messiam esse, quippe ꝙ non liberaret captiuos, sed obijceret potius eos extremo supplitio. Si autem censeret eam impunem dimittendam, sperarunt se occasionem nacturos accusandi eum uiolatę legis diuinę. Sed & hoc cogitabant, Si iuberet adulterã punire, amitteret in uulgo laudem clementię et misericordię, quę plurimum in eo commẽdabatur. Si autem iuberet eam dimittere, uideretur fauere adulterio, & occasionem dare perpetrandę impudicitię. Quid si & aliud fuerit ipsorũ consilium? Quis em̃ non suspicaret pessimos nebulones, pessima quęq; consilia aduersus Christũ agitasse? Nã eo tempore, q̃ hęc facta sunt, administratio gladij non erat penes Iudæos, sed penes pſides Romanos. Nobis, inqunt ad Pilatũ, non licet interficere quemq̃. Et

quemq̃. Et tamẽ sentiebant, iniquissimum esse, q̃ Ethnici dominaren tur in populo Dei, & in ea regione, quam Deus ipse sibi præ alijs eleg erat, ideoq̃ expectabant aduentum Messiæ, ut ipsos è Romanorũ tyrannide liberaret. Quęrunt igitur sententiam Christi de supplitio adulterę inferendo, ut si iuberet eam lapidari, possent eum apud pręsides accusare, q̃ arrogaret sibi ius administrandi gladij in ea urbe, quę sit subiecta Romanis, ideoq̃ condẽnandus seditionis: Si aũt iuberet eam duci ad pręsides Romanos, ut ex ipsorum sententia de ea statueretur, uidere tur tyrannidem Romanorũ approbare, eamq̃ ob caussam populo inuisus fieri. Breuiter, scelerati homines hoc maxime omnium egerunt, ut hac quęstiõe Christum uel populo uel pręsidib. iugulandũ obijcerẽt. Hic em̃, quia docebat remissionẽ pctõrum et iustitiam non contingere hominibus, propter merita sacrifitiorũ aut aliorum opm, sed tantum propter misericordiã dei, per fidem in ipsum, erat ficus, seu ut scriptura loquit, sudes in oculis eorũ. Audiamus ergo, q̃d Christus & fecerit & dixerit. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terrã. Initio nihil respondet pharisęis, sed ut erat sedẽs, inclinauit se, & scripsit digito in terrã. Et tm̃ hęc scriptio, erat q̃dam modo responsio. Quid scripserit digito, non est curiose perscrutandũ, sed q̃ consilio sic scripserit. Primũ em̃ scribendo in terrã significare uoluit, hos impios nebulones dignos esse cõfusione, quorũ noia nõ debeant scribi in cœlo, sed in terra, ut deleant̃ ac pereant, sicut ea q̃ in puluere terrę scribunt̃, leui uento dispergunt̃. Non sic impij, ait psalmus, sed tanq̃ puluis, quẽ proijcit uentus à facie terrę. Et Hieremias. Oẽs qui te derelinquunt, confundent̃, recedentes à te in terra scribẽtur. Deinde scribit in terrã, ut aliud agendo significaret se non uenisse in hunc mundũ, ut iudicaret de ciuili supplitio sceleratorũ. Auertendo enim se facie sua à pharisęis, et inclinando se in terram sic quasi dicere uidetur: Quis me cõstituit iudicem de uestris adulteris? Ergone, inquis, damnat externa luditia? Nihil certe minus. Cum enim aliàs mittit leprosos ad sacerdotes, & aliàs iubet dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris, approbat politicas ordinationes. Sed quemadmodun non uenit in hunc mundum, ut administraret mundanum regnum, ita nec uenit ut esset iudex ciuilium controuersiarum. Maius & excellentius est offitium Christi. Venit enim ut expiaret peccata nostra coram deo, ut reconciliaret nos cum deo, ut uinceret mortem, & daret omnibus in ipsum credentibus hæreditatem æternæ uitæ. Quare, auertit se à pharisæis, & scribit in terram, ut significaret se longe alio consilio & usu uenisse in terram, quàm ut suscipiat id genus quęstiones pro more ciuilium magistratuum dijudicandas. Quo exemplo partim docet Christus, quid in ipso quærendum sit. Etsi enim exigit inter homines ciuilem honestatem, & tranquilli-

Christi offitium.

tatem, tamen si proprium eius offitium, propter quod suscepit hoiem, consideraueris, non uenit ut administrator externę & terrenę tranquillitatis, sed ut autor cœlestis & ꝑpetuę pacis atq; fœlicitatis, partim monet nos, ne simus ἀλλοτριοεπίσκοποι, ne suscipiamus administrationem earꝫ rerum, ad quas non sumus legitime uocati, sed cõtineamus nos in finibus nostrę uocationis, ut oĩa suo ordine gerant. Quid ergo ad hæc pharisęi? postq; uident Iesum aliud agere, existimant suum consilium promouisse, & se iã uictores, ꝙ putent Iesum dubitare, quid sit respondendum, ideoq; instant, & urgent, ut aliquid dicat. Sperant enim fieri nõ posse, quin coram tot milibus hominum pudefiat. Sed quo magis
,, putant se Iesum pudefacturos, eo magis ipsi pudefiunt. Cum enim per
,, seuerarent interrogare, erexit se, & dixit eis. Qui uestrum immunis est
,, à peccato, primus in illam lapidem iaciat. Et quo hęc sententia altius in
,, animum eorum demitteretur, atq; infigeretur, non addidit plura, Sed
,, iterꝫ inclinans, scribebat in terra. Quid aũt ad hæc dicemus? an nullus potest bona conscientia esse aliorꝫ hominum iudex, nisi sit innocens, & ab oĩ peccato immunis? profecto necessarium est Iudici, ut si ueram ac perpetuam salutẽ à Dño sperauerit, agat, cognito Christo per fidẽ, honestam, innocentem ac irreprehensibilem uitam. Nec tolerandũ est, in rep. bene constituta, siquidem hoc legitime caueri potest, ut adulter de adultero, homicida de homicida, raptor de raptore publicum iuditi
Exod. 18. um ferat. Prouide, inquit Iethro ad Mosen, de omni plebe, uiros sapientes, & timentes deum, in quibus sit ueritas, et qui oderint auaritiam, & constitue ex eis, qui iudicent populum omni tempore. Quod aũt ad
Iudex sit innocens. offitium attinet, etiamsi iudex fuerit, & ipse eius criminis, de quo faciendum est iuditium, reus, ac sibi conscius, tñ eo ipso iuste facit, ꝙ pronunciet legitimam sententiam aduersus reum. Hęc enim sententia, non est hoĩs, sed diuinę legis, cuius iudex est administrator. Et iudex in iuditio sedens, nõ assidet ut homo priuatus, sed ut publicus dei minister. Moses dicit ad iudices. Ita paruum audietis ut magnũ, nec accipietis cu
Deute. 1. iusq; personam, quia DEI iuditium est. Et Iosaphat, prącipiens iudicibus, uidete, inquit, quid faciatis. Non enim hoĩs exercetis iuditiũ, sed Dñi. Quare, etsi sceleratus iudex impie agit, ꝙ eadem scelera sectetur, quę reus ad iuditium adductus, designauit, & tanto grauius punietur à Dño, propter ipsius scelera, quanto honestius est offitium iudicãdi, tñ in hoc sectatur uocationem dei, si cum necesse habeat sententiam de reo ferre, pronunciet de eo iuste, & secundum diuinam legem atq; ordinationem. In hac autem sentẽtia, Qui immunis est à peccato, primus mittat in eam lapidem, Christus nihil prorsus contionat de offitio publici Iudicis, sed reprehendit tantum impiam pharisęorꝫ hypocrisim, & exęquat eos iuxta ueram & spiritualem sententiam diuinę legis, cum muliere adul-

muliere adultera. Adduxerunt em̃ hanc mulierem captiuam, non tantum hoc consilio, ut puniretur, sed ut publice quasi iactarẽt suam iustitiam & pudicitiam, ac significarent se non esse adulteros & iniustos coram Deo, sicut hæc mulier, sed uiros longe oĩm honestissimos & sanctissimos. Et quanq̃ de adultera tantum uideantur uerba facere, tñ re ipsa secum sentiunt, quod Pharisęus apud Lucam dicit. Deus gratias agimus tibi, q̃ non sumus sicut cęteri hoĩes raptores, iniusti, adulteri, ueluti etiam hæc impudica mulier. Hanc impiam pharisæorꝝ sententiam reprehendit Christus, cum ait. Qui immunis est à pctõ, primus mittat in eam lapidem. Nõ nego, quin hęc mulier sit peccatrix. An putatis autem eam solã esse peccatricem? Non, dico uobis, imo & uos estis pctõres maximi, & nisi resipueritis, non digni tantum estis supplitio externo, sed etiam æterno. Concludit em̃ scriptura oĩa sub peccatum. Maledictus, inquiens, omnis, qui non seruat totam legem. Lex aũt est spũalis, nos uero sumus carnales, uenditi sub peccatum. Non em̃ exigit tantum externa opera honesta, sed etiam spũm sanctum in toto corde hominis, & in tota anima eius. Hoĩes autem carent natura sua spũsancto. Quare omnes homines, non inhonesti tantum, sed etiam honesti sunt iuxta legis diuinę sententiam pctõres, & ut de lege adulterij dicamus, cuius totiens iam facta est mentio, Dñs deus noster nõ inuenit tantum in muliere inhonesta & impudica, uerumetiam in honesta & pudica, quod sit perpetua damnatione dignum, si de ipsis iuxta huius legis exactam sententiam iudicauerit. Omnes em̃ declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, nõ est usq̃ ad unum. Sed quid? inquies. An non ista periculose in publica hominũ frequentia adnuntiantur? Quid non offendiculorꝝ ex huiusmodi contionibus tam inter honestas, q̃ inhonestas mulieres oriri posset? Honestæ enim mulieres, cum audiunt, q̃ cum ipsis exequentur scorta, an non cogitant se frustra dare operam honestati, et sumunt hinc occasionẽ laxandi frenos impudicitiæ? Scorta aũt gaudent in suo catalogo recẽseri etiam honestas mulieres, & blãdiuntur sibi in sua impudicitia. Quis hęc ferre posset? De hac re ita sentiendum est, q̃ hęc doctrina de exequatione honestorum & inhonestorꝝ hominum in diuina lege, necessaria est ad agnitionem pctõrum, & ad consequendã ueram salutem. Nisi enim cognoscamus peccatum nostrꝝ, quod nobis per legem reuelat, non dolemus de pctõ nostro, non quęrimus misericordiam dei, nec curæ nobis est, ut cognoscamus Christũ per fidem, & habeamus deum propitiũ propter Christum. Quare, etsi hęc doctrina offendit imperitos & impios, tñ, quia est ad salutem nostram necessaria, non potest in Ecclesia omitti aut cælari. Ac si recte intelligitur, non offendit nisi eos, qui sua culpa offendi uolũt. Quanq̃ enim Dñs Deus noster, si legem suam respiciat, & con

Adultera non sola est peccatrix.

Peccatores, & honesti exæquantur quomodo?

sideret, tam inuenit in muliere pudica, quod damnet, ꝗ in muliere im
pudica, ut hac quidem in parte inter se exequentur, tamen maximum a-
lioqui est discrimen inter pudicam & impudicam mulierem. Nã si pu
dica mulier fuerit pia, & crediderit in Christum, tunc etiamsi gestet ad
huc in carne & sanguine naturalẽ impudicitiam, tñ quia facta est mem-
brum Christi per fidem, non imputant ei coram deo reliquiæ carnis,
& donatur spũsancto, quo possit huic peccato dominari, ac honestã pu
dicitiam conseruare. Si uero pudica mulier fierit impia, (Fuerunt em
multæ honestę ac pudicæ mulieres inter Ethnicos, & idololatras, quę
non agnouerunt Christum, sed manserunt in impietate sua) tunc etiã-
si non habet remissiõem pcti sui coram deo nec cõsequitur ęternam fœ
licitatem, tamẽ coram hoĩbus laudatur, cõmendatur, honoratur, & con
sequitur multa alia corporalia bñfitia, quæ deus confert etiam impijs,
propter externam uitę suę honestatem. Quid autẽ dicendum est de mu
lieribus impudicis? Hæ em̃, quia sectantur impudicitiam, non habent
Christum, nec sanctum eius spiritum, ideoq; nec habent remissionem
pcti sui, nec sunt hęredes æternę uitę, sed uiuentes, mortuæ sunt. Si em̃
secundum carnem, inquit Paulus, uixeritis, moriemini. An nõ hoc est
maximũ inter pudicas & impudicas mulieres discrimen? Fingamus ho
nesto patrifamilias proponi duos, fœda & contagiosa scabie æqualiter
infectos, quorũ alter sit filius, qui cupiat curationem, & petat eam à pa
rente, alter aũt sit alienus, qui ita insaniat, ut ne cupiat quidem, nec pe-
tat curationem. Hos si inter se contuleris, similes sunt fœditate scabiei,
sed si contuleris eos ad patremfamilias, & iudicaueris de affectu eorũ,
longe oĩm dissimilimi erunt. Alter enim nõ est patrifamilias abomina
bilis propter fœditatẽ, propterea ꝗ sit dilectus filius, alter aũt magno
est horrori patrifamilias, propterea ꝗ sit alienus. Huc accedit, ꝗ de al-
tero bona spes concipiatur, quia petit medicinam, de altero autem nul-
la prorsus sit spes, quia ita insanit, ut reijtiat oẽ genus remedij. Eodem
modo sentiendum est de muliere pudica & impudica. Illi em̃, quia est
pia, fauet deus cœlestis pater, & quãꝗ eadem naturali fœditate labo-
rat, qua impudica, tñ condonatur ei propter Iesum Christum in quem
credit, huic aũt deus minime fauet, nec remittit ei suam fœditatẽ, prop-
terea ꝗ sit prorsus à deo aliena, pręterea, illa dominatur per spũm san-
ctum naturali suę impudicitię, hæc aũt tradidit sese totam impudicitię
suæ captiuam, ideoq; illa perpetuam consequitur uitam, propter Chri
stum, hęc aũt, quia est impœnitens, necesse habet perpetua morte peri
re. Quid potest hoc discrimine maius excogitari? Quare honestę mu-
lieres non debent offendi, ꝗ aliqua ex parte exæquentur cum inhone-
stis, sed tanto magis danda est opera honestati, quãto apertius cognos
cunt pctũm natura inhærens, ut dominentur ei per spiritum sanctum,

Pudicæ mulieres.

Pudicæ et impudicæ mulieris discrimẽ.

& pergãt

& pergant pudicam uitam agere, quo in Christo seruentur. Quæ cum ita se habeant, reuertemur ad pharisęos. Qui audientes hęc, singulatim alius post alium exibant, initio facto à senioribus, & relictus est solus Iesus, ac mulier in medio stans. Hoc est æquissimum fraudulenti consilij supplitium. Capiẽtur, inquit Salomon, iniqui in insidijs suis. Et Dauid. Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit. Nam pharisæi uenerunt ad Iesum cum muliere captiua, ut pudefacerẽt eum, Sed ecce ipsi paucissimis uerbis Iesu in maxima hominum qui aderant, frequentia, ita pudefiunt, ut confestim subducant sese è conspectu hominum. Non enim dubium est, quin uerba Christi non inciderint tantum in aures ipsorum, sed etiam penetrauerint in intimos recessus ac latebras cordis eorum, & reuelauerint ipsis immundiciem & impietatem suam. Fieri autem non potest, ut qui uere agnoscit suam iniquitatem, consistat aperta fronte & tranquilla mente siue coram deo, siue coram hominibus. Sic Adam audiens uocem Dñi dei sui ambulantis in paradiso, & agnoscens peccatum suum, metuit, fugit, & abscondit se à facie dñi. Sic Cain, postq̃ occidit fratrem suum, & agnoscit peccatum, trepidat & fugit à facie Dñi, nec audet oculos suos attollere coram Ecclesia dei. Quid ergo? num qui propter peccatum fugiunt faciẽ dei & hominum, effugiunt peccatum & supplitium eius? Nihil certe minus. Possunt quidem fugere conspectum hominum, sed nõ possunt effugere nequam suum, quem in sinu gestant. Ac fugiunt quidẽ externam dei Ecclesiam, sed non possunt uerum iuditium dei effugere. Nulłę enim sunt latebrę, nulli sunt recessus, in quibus possis esse in tuto, si tecum feras peccatum. Non est pax impijs, dicit Dominus. Solus autẽ Iesus Christus propositus est nobis, ut in ipso habeamus remissionem peccatorum. Et solus is in tuto est, qui ad hunc per fidem confugerit. Ac uide mihi maximam pharisęorum inscitiam & imprudentiam. Pudefacti enim agnitione peccati, fugiunt Christum. Quin potius tempus iam fuisset accedendi & festinandi ad Christum. Nemo enim potest à peccato & supplitio eius liberari, nisi ad Christum confugiat. Nãis uerus est agnus, qui tollit peccatum mundi. Multo prudentius agit misera mulier. Hæc enim nõ fugit Christum, sed manet cum Christo. Quare consequitur etiam liberationem. Nam cum erexisset se Iesus, & neminem (uidelicet eorum scribarum & pharisęorum, qui mulierem captiuam adduxerant) uideret præter mulierem, dixit ei. Mulier, ubi sunt illi tui accusatores? Nemo te condemnauit? Quæ dixit. Nemo domine, Dixit autem Iesus. Nec ego te cõdemno. Vade & posthac ne peccaueris. Ergo ne Christus approbat adulterium, cp dicat. Nec ego te cõdemno? Absit. Non approbat peccatum, sed primum significat se non esse ciuilem magistratum. Non enim uenit in hunc mundum, ut funge

Peccati agnitio affert fugam.

retur offitio ciuilis iudicis, sed ut cõtionaretur Euangelion suum. Quare non licet prętextu Christianismi aut Euangelij suscipere administrationem politici regni. Licet quidem Christiano politicum regnum accipere & administrare, non aũt prętextu ministerij Euangelij, sed ciuilibus ac legitimis ordinationibus. Deinde dimittit, quantũ in ipso est, mulierculam liberam, & addit, Ne posthac peccaueris, ut doceat, se remittere peccata, non ut peccet amplius, sed ut nõ peccet. Donat enim se se totũ his, qui in ipsum credunt, ut & habeãt in ipso remissiõem pctõrum suorũ, & accipiant spũm sanctum, quo dominentur pctõ, ac expurgẽt, q̃ad eius in hac mortali uita fieri potest, reliquias peccati. Quare, qui uoluerint fructum benefitiorũ Christi capere, necesse habent pctã fugere, & ueram iustitiam sectari, ut conseruent secum Christum, ac uicissim conseruentur à Christo, uero nostro seruatore, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LXVI.

VÆ sequitur contio, una est è prȩcipuis contionibus, quas uncꝫ Iesus Christus filius dei, in terris habuit. Et est epitome totius Euangelij Christi. Quare tanta diligentia obseruanda est, quantę nobis cœlestis & perpetua nostra salus curæ est. Iterum ergo Iesus locutus est eis, dicẽs. Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen uitę. In hac breui quidem, sed maxime oĩm memorabili contione Iesus perspicue p̃dicat se esse uerũ illum Messiam seu Christum, quẽ spũs sanctus uenturũ promisit. Nam in Esaia cap. xxxxij. dicit Dñs de Messia suo. Dedi te in fœdus populi, in LVCEM gentium, ut aperires oculos cęcorũ, et educeres de conclusione uinctũ, de domo carceris sedentes in tenebris. Et cap. xxxxix. Parum est, ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas. Dedi te in LVCEM gentium, ut sis salus mea uscꝫ ad extremũ terrę. Ac negari nõ potest, quin hęc de Messia intelligenda sint, & uocatur Messias, LVX gentium, & salus uscꝫ ad extrema terrę, quod certe nihil aliud est, cꝫ si diceres Lucem MVNDI. Quod aũt Spũs sanctus de Messia dicit, hoc Iesus in hac contione sibi tribuit, Ego, inquiens, sum Lux mundi. Quare manifeste fatetur se esse uerũ Messiam seu Christum, quem prophetę uenturum promiserũt. Quod cum ita se habeat, uideamus nunc, qualis lux sit Iesus Christus. Ac initio, manifestum est, cꝫ nullus hic sermo fiat de externa & corporali luce, quã prębet nobis uisibilis ille sol in cœlo. Christus enim non est talis externa lux. Deinde non est talis lux, qualis est Moses, & Lex Mosi. Nam legi Mósi sua quocꝫ lux est, quippe cꝫ altero suo offitio luceat ad cognoscenda & intelligenda pręcepta dei, altero autem luceat, ad agnoscen

Lux Christi.

Lux Mosi.

ad agnoſcenda peccata noſtra, qua luce, quantum quidem in ipſa eſt, ab ducuntur homines potius ad ęternas tenebras, q̃ ad ſplendorem cœleſtis fœlicitatis. Per legem, inquit Paulus, agnitio peccati. Et iterum. Peccatum non cognoui, niſi per legem. Vbi autem peccatum agnoſcitur, ibi patefiunt etiam portę regni tenebrarum. Quare lux legis, quantum in ipſa eſt, ducit homines ad moleſtas potius & pernitioſas tenebras, q̃ ad iucundum ſplendorem. Manifeſtum quidem eſt, q̃ Chriſtus etiam ipſe docuerit aliquoties legem, non autem docuit eam, q̃ ad hunc prȩcipue uſum uenerit in hunc mundum, ſed ut repurgaret eam à ſordibus phariſaicis, & ut explicatione legis ac reuelatione peccati, peruenirет ad conficiendum ſuum proprium offitium, quod eſt, peccatum remittere, & condonare. Prȩterea Chriſtus non eſt talis lux, qualis eſt humana ratio. Hæc enim, etſi eſt illuſtre donum dei, & lucet partim ad cognoſcendum aliquo modo Deum ex rebus ab ipſo conditis, partim ad inueniendas & exercendas uarias artes huic uitæ utiles ac neceſſarias, partim etiam ad agendam inter homines honeſtam uitam, non tamen lucet ad cognoſcendum deum perfecte & conſtanter, nec lucet ad inueniendam & exercendam artem, qua conſequamur ęternam iuſtitiam & uitam. Poſtremo Chriſtus, non eſt talis lux, qualis ſunt Apoſtoli, nam & hi dicuntur LVX mundi. Magnum autem eſt diſcrimen inter ipſos & Chriſtum. Dicuntur enim lux, non q̃ ipſi natura ſua ſint uera lux, ſed quod fuerint ueluti candelabra, quibus uera lux geſtata & in toto orbe terrarum circumlata fuit. Et quod Euangeliſta de Ioanne Baptiſta dicit, hoc idem intelligendum eſt de Apoſtolis. Non erant illi uera lux, ſed miſſi, ut teſtarentur de luce. Ac docuit quidem Chriſtus Euangelion in Iudęa, ſicut & Apoſtoli docuerunt, unde & Paulus uocat Chriſtum, miniſtrum circumciſionis, hoc eſt, doctorem & contionatorem Iudæorum. Apoſtoli autem fuerunt tantum doctores, non autores ſalutis, Sed Chriſtus non fuit tantum externus doctor. Quid ergo de ipſo dicendum eſt, aut qualis lux eſt Ieſus Chriſtus? Hic nobis prius conſiderandum, quæ ſint ueræ illæ tenebræ, de quibus in præſentia ſermo eſt. Nam hęc conſideratio demonſtrabit nobis, qualis lux ſit Chriſtus. Primum ergo, Tenebræ dicuntur, Ignoratio Dei. Hę ſunt ſpirituales tenebræ, quibus omnes homines natura immerſi & obſcurati ſunt, ac neceſſe habent in his, niſi illuſtrentur, perpetuo interire. Et ſi enim humana ratio habet aliquam cognitionem dei, tamen ea, ut nõ eſt perfecta, ita in grauibus tentationibus facile excutitur, & redit tandem humana ratio eo, ut neget eſſe deum, præſertim cum uidet bonos affligi, & nullum apparere auxilium in aduerſis. Contionatur etiã Decalogus, qui eſt totius legis compendium, de Deo, & illuſtrat maieſta-

Rationis humanæ lucis.

Tenebræ quæ ſint.

tem eius, sed id facit more legis, uidelicet, ꝙ Deus seruet seruantes legem, & puniat uiolantes legem. Ego sum, inquit, Dominus Deus tuus fortis zelotes uisitãs iniquitatem patrum in filijs, in tertia & quarta generatione eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiam in milia, his qui diligunt & custodiunt præcepta mea. Hæc magna quidem lux est, sed quemadmodum ante diximus, ducit nos magis ad tenebras inferni, ꝗ ad lucem regni cœlorum. Cum enim non seruemus legem dei perfecte, manifeste agnoscimus ex hac doctrina, ꝙ deus uisitaturus sit nostram iniquitatem, & punitorus eam perpetuo supplitio. Christus autem uera est lux, quę has tenebras ignorantię dei dispellit. In Christo enim filio dei, reuelatur deum ita misericordem esse, ut etsi homo non custodiuit pręcepta eius, tñ si credit in Christum, deus suscipiat eum in gratiam, adoptet ipsum in filium, & donet ei hęreditatem cœlestis regni. Hæc est uoluntas eius (inquit) qui misit me, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam ęternam, & ego suscitabo eũ in nouissimo die. Et loãnes in epistola sua ait. In hoc apparuit caritas dei, ꝙ filium suum unigenitum misit deus in mundum, ut uiuamus per eum. In hoc est caritas, non quod nos dilexerimus deum, sed quod ipse dilexerit nos, & misit filium suũ propiciationem pro peccatis nostris. Cognitio huius diuinę uoluntatis & caritatis, uidelicet, quod deus seruet nos gratis sine respectu nostrorum meritorum, sed tantũ propter Christum filium suum, si credimus in eum, hæc inquam cognitio, est uera dei cognitio, qua sola seruamur, Reliquę cognitiones de deo, de diuina essentia, de diuina maiestate, de diuina iustitia, de diuina etiam misericordia erga seruantes legem suam, habent quidem suam laudem & utilitatem, sed ut nõ sunt perfectę in homine, ita si solę fuerint absq; uera illa diuinę caritatis et uoluntatis, de qua modo diximus, cognitione, obijciunt hominem tam tetris tenebris, ut necesse habeat perire. Cum igitur Christus filius dei reuelet nobis hanc cognitiõem de deo, quod deus seruet clementer absq; ullis operibus legis, aut meritis operum, omnes qui credunt in filium suum Iesum Christum, manifestum est, Iesum Christum esse ueram lucem, qua illustrati, perueniamus ad hęreditatem cœlestis regni. Deinde Tenebrę sunt peccatum. Vnde & qui peccant, dicuntur filij tenebrarum. Et paulus iubet nos abijcere opera tenebrarum, hoc est, peccata. Hę tenebrę abducunt homines in perpetuum ignem inferni. Et ex his tenebris non potest nos educere nec Lex Mosi, nec humana ratio, nec humana uel sapientia, uel potentia, uel iustitia. Solus autẽ Iesus Christus uera lux est, quia expiauit peccatum, & reconciliauit nos cum deo patre, qui remittit credentibus in Christum

peccata gra

peccata gratis, tantum propter Christum. Est & Christus perfecte iustus, ac donat se totum una cum omnibus bonis suis credenti in ipsum: Perfecta autem iustitia, uera est lux, perducens ad sempiternam uitam. Quare cum Christus sit reconciliatio nostra, & perfecta iustitia, perspicuum est, ꝙ sit etiã uera lux, quæ ubicunꝗ lucet, disiciat tenebras peccati. Huc accedit, ꝙ iuxta phrasim sacræ scripturæ, Lux dicatur fœlicitas, Tenebræ autem infœlicitas. In Iobe dicitur, Post tenebras spero lucem, hoc est, post infœlicitatem spero fœlicitatem. Et iterum. Nõne lux impij extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius? hoc est, fœlicitas impij uertetur in infœlicitatem. Et in psalm. Lux orta est iusto, hoc est, fœlicitas contigit iusto. Cum igitur tenebrarum nomen comprehendat in se omnia infœlicitatum genera, mors autem & infernus sint extrema infœlicitas, conuenienter uocantur mors & infernus, Tenebrę. Vnde & Iob describens has tenebras, Antecꝗ uadam, inquit, ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitans. His tenebris, & hac infœlicitate homines ita obruti sunt propter peccatum, ut nullus possit suis uiribus ex illis ad lucem uitæ & cœlestis gaudij emergere. Solus autem Iesus Christus est uera lux, quia uicit mortem, & dolores inferni. Excitatus, inquit Paulus, a' mortuis, nõ amplius moritur, mors illi non amplius dominabitur. Et apud prophetam. Ero mors tua o' mors, morsus tuus inferne. Sed quid? num Iesus Christus retinet sibi soli hanc lucem? aut affert eam uni tantum Iudaicæ genti? Minime omnium. Sed affert eam uniuerso mundo. Dicit enim. Ego sum lux MVNDI. Non dicit, Ego sum lux unius tantum Iudaicæ gentis, aut principum tantum, & pharisæorum. Hi enim existimabant Christum, cum adueniret, ad se solos pertinere, & si alię gentes uellent benefitijs Christi frui, putabant necessarium esse, ut fierent Iudæi. Vnde & in Actis Apostolicis reprehendunt Petrum, ꝙ introierit ad uiros habentes præputium. Et alij dicunt. Nisi circumcidamini secundum morem Mosi, non potestis esse salui. Christus autem non dicit se esse lucem Iudæorum tantum, Sed MVNDI, hoc est, tam Iudæorum, quàm Gentium, quemadmodum & supra ex Esaia retulimus, apud quem DOMINVS de Christo suo dicit. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea uscꝗ ad extremum terræ, uidelicet, non in uno tantum angulo terræ, in quo Iudæi habitant, sed in toto orbe terrarum, ubicunꝗ hoĩes habitauerint. Hoc & Christus aliâs docuit, cũ ad Apostolos dixit: Ite in mundũ uniuersum & prędicate Euangelion omni creaturæ. Et iterum. Eritis mihi testes, non solum Hierosolymis uerumetiam in uniuersa Iudęa, Samariaqꝗ, denicꝗ uscꝗ ad extrema terræ.

Quid ergo ad hæc dicemus? nũ Christus, qui est uera lux, ita illuminat uniuersum mundum, ut omnes homines, siue agnoscant siue non agnoscant ipsum, illustrentur splendore eius? Quantum quidem in ipso est, proponit suam lucem omnibus hominibus, Sed non oẽs accipiũt eam. Vnde & addit hoc loco. Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen uitę. Nã qui uoluerit bñfitijs Christi frui, is necesse habet sequi Christum. Qui non sequitur eum, non fruitur luce eius. Etenim, quẽadmodum is qui sequit̃ lumen huius uisibilis solis, tãtisper ambulat in luce, dum solẽ sequitur. Quod si possibile esset, ut tãta celeritate seq̃retur solem in terra, quanta ipse in cœlo circuit totã terram uiginti quatuor horis, profecto nũq̃ offunderent̃ ei tenebrę noctis, cum semp̃ haberet prę euntẽ solem, ita qui sequitur Iesum Christum, ueram lucẽ, fieri non potest ut tenebris inuoluat̃. Sequi aũt Iesum, q̃d quidem ad hunc locum attinet, non est imitari uirtutes eius. Ac omnino q̃dem uirtutes Christi sunt imitandę. Christus fuit sobrius, fuit mitis, fuit uerax, fuit patiens, fuit innumeris alijs uirtutibus ornatus. Hæc exẽpla sequenda sunt pio hoĩ. Necesse em̃ est, ut studeamus sobrietati, ut loquamur ueritatẽ, ut simus patientes in aduersis, & ut alias bonas uirtutes imitemur. In hoc aũt loco sequi Iesum, est credere, q̃ ipse sit uerus Christus, expiator pctõrum nostrorꝝ, et seruator noster. Nã qui sic sequitur Iesum, is primum recte cognoscit deum, q̃ sit misericors, q̃ sit clemẽs, nõ propter merita operũ, sicut lex contionat̃ de deo, sed propter filium suum, quem dedit propiciationem pro pctis. Hoc est uerꝝ lumen uitæ. Deinde, qui sic sequitur Iesum, reputatur coram Deo iustus, quia donatus est tota & pfecta iustitia Christi. Splendor huius lucis tantus est, ut possis eo prę lucente peruenire ad cœleste regnum. Ad extremum, qui sic sequitur Iesum, seruatur in omnibus tenebris afflictionum, in morte denicq̃ ipsa, et inferni horroribus. Maiores nostri consueuerunt morituris iam, & animam efflaturis in manus dare lumẽ accensum. Ac hypocritæ & imperiti abusi quidem sunt hac consuetudine ad superstitionem, & putauerunt hoc lumen aliquid facere ad absterrendum Satanam, & illustrandam uiã per mortem, hęc aũt est mera superstitio. Neq̃ em̃ Satan fugatur externo lumine, nec tenebrę mortis disijciunt̃ corporali luce, sed qui hac cõsuetudine tolerabiliter usi fuerũt, hi dederũt lumẽ morituris in manus, ut hoc signo admonerẽt eos, q̃ reciperent ad se per fidem Iesum Christũ, qui se lucem Mundi uocauit, ut hac luce illustrati, possint tenebras mortis euadere. Non enim est alia lux, quæ possit mortis tenebras, & principem ipsum tenebrarum fugare, prętercq̃ Iesus Christus filius dei. Ego sum, inquit, resurrectio et uita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Et oĩs, qui uiuit & credit in me, non morietur in ęternũ. Quare hoc unum in tota uita nostra agendum est,

Iesum Christum sequi quid sit.

dum est, ut cognoscamus Euangelion Christi, & accendatur in nobis lux Christi, per fidem, qua disſipantur tenebræ pcti mortis & inferni, ac euadamus ad ſplendorem & gloriam cœleſtis uitę & fœlicitatis per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA LXVII.

Magnam nobis lucem ſalutis noſtræ attulit Ieſus Chriſtus filius dei in ea contione, in qua prędicauit ſe eſſe lucem mundi. Ex hac enim cognoſcimus uiam, qua euadamus non ſolum è pctō ad iuſtitiam, uerę etiam è morte ad uitam, & ex horroribus inferni ad gaudia cœleſtia. Sed quanto magis hęc lux illuſtrat pios, tanto plus cæcat impios. Poſtcą enim phariſæi audiuerunt Ieſum prædicare ſe eſſe lucem mundi, ac polliceri aſſeclis ſuis gloriam ęternę uitæ, intellexerunt quidem docere ipſum, ą ſit uerus Meſſias, non adhibuerunt aūt huic doctrinę ullam fidem, ſed potius reprehenderunt, ac Dixerunt ei. Tu de teipſo teſtificaris, teſtimonium tuū non eſt uerę. Hęc uidetur eſſe honeſtiſſima aduerſus doctrinam, ſeu ut phariſęis uidebat, iactantiam & arrogantiam Ieſu obiectio. Nam ſi de priuatis colloquijs dicendum eſt, magna habetur uanitas, ſi quis ſuijpſius tibicen fuerit. Ac ſolet in gloriioſos iactatores uulgo dici, ą habeant malos uicinos. Laudet te, inqt Salomon, alienus, & non os tuum, extraneus & non labia tua. Si autem dicendum eſt de publicis iuditijs, non agnoſcitur unius tantum hoīs de alio teſtificantis ſermo, quanto minus agnoſcitur ſermo prędicantis & laudantis ſeipſum. Quare, quod phariſæi obijciunt Ieſu Chriſto, magnam habet ſpeciem prudentię. Chriſtus aūt refutat illud perſpicue. Reſpōdit enim & dixit eis. Et ſi ego teſtimonium perhibeam de meipſo, uerum eſt teſtimonium meum. Quia ſcio unde ueni et quo uado. Vos aūt neſcitis, unde uenio, & quo uado. Vos ſecundum carnē iudicatis, ego non iudico quēcą. Porro etſi iudicem ego, iuditium meum uerę eſt, quia ſolus nō ſum, ſed ego, & qui miſit me pater. Et in lege ueſtra ſcriptum eſt, ą duorum hominum teſtimonium uerę eſt. Ego ſum, qui teſtimonium fero de meipſo, et teſtimonium fert de me qui miſit me pater. Hęc eſt refutatio phariſaicę obiectiōis. Conſtat autē duobus argumentis. Alterum ductum eſt à perſona Chriſti, qua ipſe diſtinguitur ab alijs hominibus. Alterum ductum eſt, ab offitio & negotio Chriſti, quod longe differt ab offitijs & negotijs ciuilibus. Si ego, inquit, teſtimonium perhibeam de meipſo, uerum eſt teſtimonium meum. Scio uani eſſe hominis, ſeipſum laudare. Sed magnum eſt diſcrimen inter me et uos, aut alios homines. Vos neſcitis, unde uenio et quo uado.

Vos ignoratis meam diuinam uocationem & legationē, nec ſcire labo ratis. Vos eſtis impietate cæcati, & ut poſtea ſequitur, uos ab infernis & de hoc mundo eſtis. Sic & de alijs hoibus ſentiēdum eſt. Omnes em alij homines in peccatis concepti ſunt, et nati, Oēs declinauerūt, ſimul inutiles facti ſunt, nō eſt qui faciat bonum, non eſt uſq; ad unum. Et ite rum. Omnis homo mendax. Quare non eſt mirꝝ, q; teſtimonium hois de ſeipſo nō habeatur fide dignum. De me autem longe aliter ſentien dum eſt. Scio unde uenio, & quo uado. Certus ſum, me eſſe filium dei, & à deo patre in hanc terram miſſum, ut aſſumpto hoīe, defungar offi tio Meſſię, et reuertar per mortem in gloriā patris mei, & ſedeam à dex tris eius perpetuo. Miſſus aūt ſum, non ut mutus in terra obambulem, ſed ut mandatū meę legationis adnuntiem, ut offitium Meſſiæ, q̄d mi hi eſt à patre impoſitum, prędicatiōe mea illuſtrem. Hoc tam uere, tam indubitanter ſcio, ut nihil mihi ſit nec certius nec manifeſtius. Quod i gitur alijs hoibus ſeipſos laudātibus datur uitio, hoc meum eſt offitium, mea eſt uocatio, mea neceſſitas. Vt interim non & hoc addam, q; oēs alij homines ſint mēdaces, me aūt ueritatē ipſam. Quare, etſi alijs hoī bus de ſeipſis teſtimoniū ferentibus nō ſolet adhiberi fides, mihi tn̄ me ipſum p̄dicanti fides eſt adhibenda. Atq; hæc eſt prior pars refutatio nis, ex qua illud nobis conſiderandū uenit, q; quēadmodum Chriſtus profitetur ſe de ſua legatione, ſeu uocatione & offitio certū eſſe, ita ne ceſſitas exigit, ut & nos certi ſimus fide noſtra, quod hic Ieſus ſit uerus Meſſias, ſeruator noſter. Dicit enim paulopoſt. Niſi credideritis, q; ego ſim, moriemini in peccatis ueſtris. Sed unde, inquies, cōſequemur hanc certitudinem fidei? num ex humanis opinionibus? num ex maio rum traditionibus? num alioꝝ hominum exemplo? Tradiderunt qui dem nobis maiores noſtri, Ieſum eſſe uerum Chriſtū filium dei, et mul ta ſunt pioꝝ exempla, qui in hunc Ieſum Chriſtum credunt, certitudo autem fidei non pendet ab humana autoritate (nam & Ethnici potue runt gloriari de maiorum ſuorum traditionibus, & multorum exem plis) ſed à diuina autoritate, uidelicet, à uerbo dei, cœleſtibus miracu lis comprobato. Primum ergo, nihil eſt certius, q̄ q; prophetica ſcrip ta, quæ ſunt uerbum dei, doceant & teſtificentur ab initio orbis terræ promiſſum eſſe Chriſtum, qui ſit credentibus in ipſum allaturus æter nam iuſtitiam, uitam et fœlicitatem. Deinde hęc ſcripta definierunt cer tam familiam ex qua Chriſtus ſit naſciturus, certum etiā tempus, ac lo cum, in quo ſit naſciturus. Poſtremo teſtificantur ſcripta Apoſtolica, quę et ipſa ſunt uerbum Dei, cœleſtibus teſtimonijs comprobatum, q; nullus alius ſit aut fuerit, in quem, tanq̄ in uerum Chriſtum competāt prophetica ſcripta, q̄ in Ieſum, quē uocarūt, Nazarenum, natū ex fami lia Dauid, ex Maria uirgine, in urbe Bethlehē. Hoc probat doctrina Ieſu, hoc

Fides in Chriſtum ſit certa.

Iesu, hoc probant miracula eius, resurrectio eius à mortuis, diuulgatio Euangelij eius in orbem terrę per Apostolos, miracula etiã, quę Apostoli nomine eius ędiderunt. Quibus rebus nihil certius est, q̃ꝗ deus hunc Iesum, quem Iudęi crucifixerunt, fecerit DñM ac Christum, quẽadmodum Petrus loquitur. Hęc si diligenter considerauerimus, & inter se contulerimus, spũs sanctus mentem imo fidem nostram ita confirmat, ut nec Pontifices & Monachi, qui obtrudunt nobis in locum offitij Christi, Sanctos mortuos, ficticium ignem, quem purgatorium uocant, & uaria hypocritica opera, nec Alcoranus Saracenorꝝ, qui obtrudit hoibus Legem Mahumetis, pro Christo, nec Rabini Iudęorꝝ, qui pro uero Christo, pollicentur suis uanum quendum Christum adhuc uenturum, eumꝗ regem mundanum, nec angeli Satanę, queant nos a fiducia, quam habemus in Iesum Christum, unum & solum seruatorẽ nostrum, auellere. Sed audiamus nunc alterum argumentum refutationis. Hoc ductum est ab offitio & negotio Christi. Vos, inquit, iudicatis secundum carnem, ego non iudico quemq̃ꝗ. Vestra negotia, q̃ inter uos tractatis, sunt carnalia, sunt humana, sunt politica & ciuilia. Quare iudicatur etiam de ipsis secundum carnẽ, hoc est, secundum leges carnales, humanas & politicas, quę nullam tribuunt autoritatem unius tantũ hominis testimonio, sed dicunt: In ore duum aut trium stabit oẽ uerbũ. Meum autẽ negotium, quod ago, est spirituale, cœleste ac diuinũ. Nec ueni in hunc mũdum, ut suscipiam administrationem carnalis politiæ, & mundani regni, ac exerceam in homines forensia iuditia. Quare nõ debet de meo negotio iuxta forenses uestras leges & humana testimonia, sed iuxta cœlestia testimonia iudicari. Non iudico, inquit, quẽq̃ꝗ. Regnum igitur Christi, non est mundanum. Nam si esset mundanum, necesse haberet Christus leges forenses ferre, & forensia iuditia exercere. Nunc aũt perspicue affirmat, se non iudicare quẽq̃ꝗ, hoc est, se non tractare eiuscemodi negotium, nec fungi tali offitio, quod humanis legibus, & ciuilibus ordinationibus constet. Quare regnum eius nõ est humanum aut ciuile. Hoc dictum Christi admonet nos de mltis rebus obseruatu dignissimis. Primum enim docet Christum non esse legislatorem, qualẽ eum finxerunt ignari uerę doctrinę Christianismi. Quæ igitur docuit Christus de lege, ea non docuit hoc consilio, ut ferret nouam legem, sed ut ueterem interpretaretur, & hac occasione ostenderet hominibus peccata, & inuitaret eos ad petendum proprium suum offitium, quod est, peccata remittere. Deinde, quia regnum Christi non est mundanum, non debemus offendi, ꝗ sapientes & potentes in hoc mundo non agnoscant illud, sed potius persequãtur. Animalis homo, inquit Paulus, non accipit ea, quę sunt spũs dei. Stultitia siquidem sunt illi, nec potest cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur. Prętera, etsi

Christus non est legislator

aduersarij opprimunt Christum & Ecclesiam eius carnalibus armis, non tamen possunt interitum eius facere. Sicut enim Christus uiuit etiam in morte, & resurgit à morte, ita & Ecclesia etiamsi opprimatur & occidatur, uiuit tñ et regnat propter Christum. Huc accedit, ꝙ cum regnum Christi non sit mundanum, non pronuntiabitur in iuditio dei nouissima sententia de hominibus secundum legem uel Mosaicam, uel aliam politicam aut mundanam, sed tantum secundum Euãgelion Christi, ut qui crediderit in Christum, seruetur, qui aũt non crediderit, condemnetur. Sed quid? nũ tanta est differentia negotij Christi, seu Euangelij eius, & politicarẋ ordinationũ, ut nulla prorsus inter ea possit esse communio? Absit. Sequitur enim. Si iudicem ego, iuditium meum uerum est, quia solus non sum, sed ego & qui misit me pater, hoc est, et si non subijtio meam doctrinam humano iuditio, nec patior, ut de Euãgelio meo iudicetur secundum forenses leges, tñ si mihi omnino agenda esset caussa doctrinæ meæ coram humano iuditio, possem ueritatem eius, aliquo modo etiam ex autoritate forẽsium legum ostendere. Audiamus igitur quomodo Iesus hoc ostendat. In lege, inquit, uestra scriptum est, ꝙ duorẋ hominum testimonium, uerẋ est. Hæc est una è forensibus legibus, ex quibus dijudicantur controuersiæ politicæ. Et scripta est hæc lex in Deutoronomio cap. 17 & cap. 19 In ore, inquit, duorẋ aut trium testium stabit omne uerbum. Possunt quidem etiam duo & tres, & mille hoĩes mendax testimonium dicere, sed quod ad iudicẽ attinet, non debet unius tantum hoĩs testimonio, reum damnare, sed audiẽda sunt ad minus duorẋ aut trium testimonia. Quod si & hi falsum dicant testimonium, iudex innocẽs quidem est, si modo oĩbus diligenter perscrutatis, non inueniat testium mendatia. Si deprehenderit aũt mendatia eorum, reddat eis, inquit Lex, sicut fratri suo facere cogitauerunt, & auferes malum de medio tui. Habes Legem. Nunc audi quomodo Iesus accõmodet eam ad suam caussam. Ego, inquit, non sum solus, sed nostrum sunt duo, qui de hac mea doctrina testimoniũ ferant. Alter, ego ipse sum. Alter est Pater, qui me misit. Cum igitur nostrum sint duo & in ore duum aut triũ stet oẽ uerbum, profecto manifestum est, ꝙ ueritas meæ doctrinę etiam autoritate uestrę legis constet. Hic inuitio significat Christus, quòd maximus & prẹcipuus usus politicẹ Legis sit, non ut dominetur, sed ut seruiat uerbo dei, & Euangelio Christi. Quod de politica lege dicitur, hoc etiam de magistratu ipso politico intelligendum est. Magistratus em̃ ad hunc usum institutus & confirmatus est à deo, non ut sit Magister, sed minister dei, ut puniẽdo malos, & defendendo bonos tueatur Ecclesiam dei, & seruiat glorię Dei. Reges, inquit psalmus, intelligite, erudimini qui iudicatis terrã. SERVITE Dño in timore, & exultate ei cum tremore. Quare peccat magistratus, qui

Magistratus offitiũ et usus

ſtratus, qui ſumit ſibi dominationem in uerbum Dei, & exiſtimat, ꝙ quemadmodum licet ipſi aliquoties politicas ſuas leges mutare, ita liceat etiam uerbum dei pro ſua libidine mutare. Deinde uides hoc loco, ꝙ Chriſtus manifeſte diſtinguat ſuam perſonã à perſona patris. Cum em̃ lex dicat, In ore duum teſtium, ſtabit oẽ uerbum, exigit duos teſtes perſonis inter ſe diſtinctos. Chriſtus aũt numerat ſe & patrem pro duobus teſtibus. Ego ſum, inquit, qui teſtimonium fero de meipſo, & teſtimonium fert de me, qui miſit me pater. Quare Chriſtus & pater eius, natura quidem & eſſentia ſua, unus tantum ſunt deus, duæ aũt ſunt diſtinctæ perſonæ. Sed conſideremus nunc quod ſit illud teſtimonium, quod deus pater perhibuit de Ieſu, ꝙ ſit Chriſtus & ꝙ uera ſit doctrina eius, qua ſe Chriſtum profeſſus eſt. Non dicemus iam de ijs teſtimonijs, quę deus pater de Ieſu dedit, cum miſit angelum ad Mariam uirginem, & promiſit ei, ꝙ Chriſtus ex ipſa ſit naſciturus, et cum poſtea iuſſit angelos adnunciare paſtoribus Chriſtum eſſe natum in Bethlehem. cum etiã excitauit Magos per ſtellam, ut Chriſtum quererent ac adorarent. Hęc teſtimonia dei patris de Ieſu, etſi magna ſunt, et illuſtria, tñ et infanti contigerunt, & uidebanť à priuatis tantum hoĩbus iactata eſſe, et iam temporis diuturnitate pene obliterata. Hęc em̃ de Ieſu geſta erãt ante triginta annos, et Ieſus interim delituerat inter ſuos obſcurus. Quare, cum Ieſus hoc loco citat teſtimoniũ patris ſui, ſentiendum eſt, ꝙ prę cipue loquatur de eo teſtimonio, q̃d deus ipſi dedit, quando ſuſcepit et adminiſtrauit publice offitium Chriſti. Primum igiť pater teſtificatus eſt de Ieſu, ꝙ ſit Chriſtus, cum Ieſus baptiſaretur à Ioanne. Tunc enim ſpũs ſanctus uenit ſuper Ieſum, in ſpecie columbæ, & audita eſt uox dei patris de Ieſu. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacitũ eſt. Deinde, teſtificatus eſt de ipſo, cũ dedit ei poteſtatẽ tam magna & multa miracula inter hoĩes ędendi. Opera, inqt, quę dedit mihi pater, ut perfitiam ea, ipſa, inquam, opera quę ego facio, teſtificanť de me, ꝙ pater miſerit me. Et iterꝫ. Si mihi nõ credatis, operibus credite. Sed de miraculorꝫ Chriſti ratione aliàs ſępe diximus. Ac ocioſum quidem & ſuperuacaneum hoc p̃ſertim tempore uidetur, multum laboris & diligentię ſumere, ut explicemus & probemus, Ieſum Nazarenum eſſe uerum Meſſiam ſeu Chriſtum, quẽ deus per prophetas promiſerat. Sed ſi cõſideraueríms, quanto conatu laboret Satan, nũc per Rabinos ludęorꝫ, nunc per Mahumetẽ Sarracenorꝫ, nunc per Hypocritas & Monachos Chriſtianorꝫ, nũc per afflictiões piorꝫ, ut deijciat Ieſum è throno maieſtatis Chriſti, & efficiat, ne credať eſſe uerus Chriſtus & ſeruator, profecto manifeſtum erit, ꝙ neceſſariũ ſit, ut quę de Ieſu traduntur in ſcriptis Apoſtolicis, & rerꝫ geſtarꝫ hiſtorijs, diligentiſſime cognoſcantur, quo fides noſtra per ſpũm ſanctum firmiſſime corroberetur. Quæ

Pater et filius quæ perſonæ.

Patris teſtimonia de filio ſuo.

,, cum ita se habeant, audiamus, quid Iudęi responderint Iesu. Dixerunt
,, ergo ei. Vbi est pater tuus? Iesus citauit testimonium patris sui, Iudæi
aũt rident eum. Quid tu nobis de patre tuo prędicas? Si loqueris de pa
tre hoĩe, non agnoscimus hominis patris de filio suo testimonium. A
mor enim cęcat parentes, ut non possint syncerę testimonium de liberis
suis ferre. Si aũt loqueris de patre deo, age, ostende nobis deum, adduc
eum in medium, ut uideamus, & audiamus eum. Absurdum enim est,
ut adhibeamus fidem testi, nec uiso nec audito. Sic cœlestis & diuina
contio Christi rhonchis & sannis ab impijs excipitur. Sed Christus re
,, prehendit ignorantiam & impietatem eorũ grauissime. Et respondit:
,, Necq; me nostis, necq; patrem meum, Si me nouissetis, & patrẽ meum
,, nouissetis. Quid potuisset aduersus Iudęos grauius dici? Volebant ui
deri populus dei, arrogabant sibi cognitionem dei, prę oĩbus gentibus
terrę. Ecce, inquit Paulus, tu Iudęus cognominaris, & acquiescis in le
ge, & gloriaris de deo, & nosti uoluntatẽ ac probas eximia, institutus
ex lege, confidisq; teipsum esse ducem cęcorum, lumen in tenebris uer
santium & eruditorem insipientium. Atq; hęc quidem tribuebant sibi
Iudęi. Iesus autẽ accusat eos nunc publice, q; prorsus ignorent deum, &
sint diuinarum rerum imperitissimi. Necq; me nostis, inquiẽs, necq; pa
trem meum. Nullam habetis uel dei, uel Messię seu Christi eius cogni
tionem. Quid ergo est, aut unde accidit, q; populus ipse dei non habe
at ueram dei cognitionem? unde hęc ignorantia, & cęcitas? Addit̃ caus
sa. Si me nouissetis, & patrem meum nouissetis. Est & hoc unum ẽ præ
cipuis dictis, quę in omnibus Apostolicis scriptis continentur. Quare
non est oscitanter considerandum. Habet autem hanc sententiam. Ne
mo potest deum cognoscere, nisi cognoscat Iesum Christum. Deum ne
mo uidit unq;, unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit.
Primum enim deus non est uisibilis, natura sua. Postq; autẽ filius dei,
qui est una cum patre eiusdem essentię & maiestatis, assumpsit homi
nem, deus factus est quodam modo uisibilis. Deinde deus non est uisi
bilis, aut cognoscibilis, uoluntate sua. Etsi enim cognoscitur ex lege, q;
deus uelit punire malos, & seruare bonos, tamẽ cum oẽs homines sint
natura sua mali peccatores, non cognoscitur ex lege, nisi seuera & irata
dei uoluntas erga hoĩes. In Christo aũt, qui ab initio mundi promissus
fuit, & in plenitudine temporis hominem assumpsit, cognoscitur cle
mens dei uoluntas, & gratuita eius misericordia erga oẽs, qui credunt
in Christum. Quid ergo dicemus? Gloriantur de deo Ethnici, Iudæi,
Sarraceni, Turcę, Iudęi, hypocritę, scelerati, impœnitẽtes. Sed cũ horũ
alij simpliciter ignorent Iesum Christum, alij negent Iesum esse Chri
stum, alij etsi fatẽtur uerbis eum esse Christum, tm̃ non tribuunt ei uerã
Christi maiestatem, profecto uanissima est gloriatio ipsorũ de deo, ac
Dei co-

Deus non cognoscitur, nisi per Christũ

Dei cognitione, quippe quòd nemo possit deum, & gratuitã eius clementiam cognoscere, nisi cognoscat Iesum Christum filium dei. Itaq; soli pij, qui in Iesum Christum uere credunt, cognoscunt uerum deum & clementem eius erga hoies uoluntatẽ. De qua re, quoniã aliâs copiose diximus, pergemus nunc ad ea quæ sequũtur. Hæc uerba locutus est Iesus in Gazophylatio, docens in templo. Et nemo apprehendit eũ, qa nondum uenerat hora eius. Euangelista iterũ significat Iesum inter Iudęorum insidias tutum fuisse, ac recenset illud magni miraculi loco: Iesus enim accusauit Iudæos ignorantiæ dei, idq; non priuatim, coram uno aut altero auditore, nec in loco priuato, sed corã magna hominum multitudine, publice, in Gazophylatio, hoc est, in exteriori illa templi parte, ad quam Iudęi conferebant sua munera in usum Ecclesiastici ministerij, aut pauperum distribuenda, quẽadmodum in Nehemia cap. x. scriptum est, in quam etiam templi partem licebat non sacerdotibus tantũ, sed & uulgo Iudęorum ingredi, nihilominus tñ nemo iniecit manus suas in Iesum, etiamsi Iudęis nec uoluntas, nec potestas, nec opportunitas defuerit. Hoc ad nostri consolationem scriptum est, ut cum ambulamus in uocatione dei, non sinamus nos ab obedientia abduci periculis & insidijs aduersariorũ, sed recta pergamus mandatum dei conficere. Sicut enim Christus filius dei, tutus fuit in medio hostium suorũ, ita etiã impetrauit à deo patre suo, ut quisquis in ipsum crediderit, & ambulauerit in uocatione dei, seruetur in oibus periculis, de qua re supra pluribus. Etsi aũt Iesus non ignorabat insidias sibi à Iudęis parari, tñ quia mandatum patris erat, ut Euãgelion suum prędicaret, suscepit aliã contionem in Hierusalem habendam. Sic enim scribit Euangelista. Dixit ergo iterũ eis Iesus. Ego uado, & quęretis me, & in peccato uestro moriemini. Quo ego uado, uos nõ potestis uenire. Quę sit huius dicti sententia, ex collatione similium locorum facile intelligi potest, Supra ca. vij. & postea cap. xiij. similia penè dicuntur. Docet enim Christus his uerbis, q̃ non sit suscepturus in hac terra mundanum regnum, quẽadmodum Iudęi de Messia somniabant, sed q̃ sit moriturus, & acceptuRus regnum cœleste. Quęretis, inquit, me, hoc est, nonnulli uestrũ putabunt me esse Messiam, sed tantisper, dum sperauerint se meo beneficio consecuturos terrenam fœlicitatem. Ego aũt uado, ego crucifigar, ego occidar, ego moriar, Et quo ego uado, uos nõ potestis uenire, quia cum uideritis uos spe uestra frustrari, & me crucifigi, non credetis amplius me esse Messiam, sed iudicabitis me esse uanissimum hoiem, & dignissimum, qui à terra tollatur. Itaq; moriemini in peccato uestro, & ingęternum peribitis. Sed Iudęi non intelligunt hoc dictum. Dicebant ergo. Num interficiet semetipsum, quia dicit. Quo ego uado, uos non potestis uenire? Supra cap. vij. intelligunt tale dictum, de discessu Iesu

Ioseph. lib. 7. cap. 11. de bello Iudaico.

ad gentes, hic autem intelligunt de sui interfectione. Ignauissimi & impijssimi homines, qui etsi uidebāt Iesum maxima autoritate docentem, non tamen hoc agunt, ut discant pietatem, sed ut uerba eius aut magno fastidio rideant, aut peruerse interpretētur. Quare Christus inuehitur in eos seuerissime, & explicat caussam copiosius, propter quam sint in ęternum perituri. Dicebat enim eis. Vos ab infernis estis. Ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo uobis, ꝙ moriemini in peccatis uestris. Si enim non credideritis, ꝙ ego sum, moriemini in pctis uestris. Nihil potest hac seu cōminatione seu uaticinio horribilius excogitari. Dixi, inquit, uos in peccatis uestris morituros & inæternum perituros. Hoc uerbum non est mihi natum in ore, nō somniaui, sed est uerissimum, ac certissimum. Necesse enim est, ut qui sunt ab infernis, & de hoc mundo, ac non credunt, ꝙ ego sim uerus ille Messias, filius dei, moriantur in pctis suis. Vos aūt estis ab infernis, & de hoc mundo, nec creditis, ꝙ ego sim uerus Messias, uerus dei filius. Necesse igitur est, ut moriamini in peccatis uestris. Sed hęc desiderant copiosiorem explicatiōem. Videamus igitur, quid sit esse ab infernis et de hoc mundo, ut etiam intelligamus, quid sit esse de supernis, & non esse de hoc mundo. Itaq; ab infernis & de hoc mundo esse, non est nasci ex homine in hac terra, alioqui enim Christus ipse esset de hoc mundo, sed est in peccato concipi & nasci, ac esse natura filium irę, & carere spū sancto. Tales autem non sunt tantum Iudęi, sed oēs homines. Reuelatur enim, inquit Paulus, ira dei de cœlo aduersus oēm impietatem, et iniustitiam hoīm, qui ueritatē in iniustitia detinēt. Et iterum. Oēs peccauerunt, ac destituuntur gloria dei. Quid igitur dicemus? Si non Iudęi tantum, sed etiam oēs alij hoīes sunt ab infernis & de hoc mūdo, profecto nihil aliud reliquum est, q̄ ꝙ necesse quoq; habeāt in peccatis suis mori? Quō enim fieri posset, ꝙ qui in pctis concipiuntur, nascuntur, & uiuunt, non etiā in peccatis moriantur? Hic, ut respondeamus, cōsiderandum erit, q̄d Christus hoc loco addit. Ego nō sum, inqens, de hoc mundo, sed de supernis. Nā oēs alij hoīes sunt ab infernis et de hoc mundo, hoc est, sunt in peccatis, sunt in ira dei, & carent spūsancto. Solus autem Iesus Christus est de supernis, non de hoc mundo, hoc est, solus ipse est in uera iustitia, est in gratia Dei, & habet natura sua spūmsanctum. Ecce puer meus, inqt, suscipiam eum, electus meus, cōplacuit sibi in illo anima mea. Et iterum. Peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Ac rursus. Requiescit super eum spiritus Dñi, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spūs scientię & pietatis, & replebit eū spūs timoris Dñi. Sed quid? num Christus fruitur solus tantis bonis, nec habet ea cōmunia cum reliquis hominibus? Certe in hunc usum proponitur nobis Christus, non ut ipse

Ab infernis & de hoc mundo esse quid sit.

ut ipse tm̃ his cœlestibus bonis fruat, sed ut cõmunicet ea, cum oĩbus, qui credunt in ipsum. In cognitione sui, inquit, iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorꝝ ipse portabit. Et iterꝝ. Finẽ accipiet peccatum, delebit iniquitas, adducet iustitia sempiterna, uidelicet, per Christum, quem propheta uocat, Sanctũ Sanctorꝝ. Quare, qui credunt in Iesum Christum, etsi habent adhuc pctũm in carne, tm̃ quia cõsequuntur peccati remissionem propter Christũ per fidem, non moriuntur in pctõ, sed in iustitia. Qui aũt nõ credunt in Christum, necesse habent in pctõ mori. Si non credideritis, inquit, qꝑ ego sum, moriemini in peccatis uestris. Pauca uerba, sed quę res summas & maximas comprehendant. Nihil grauius, nihil horribilius est, q̃ꝑ in pctõ mori. Nulla est calamitas, nulla infœlicitas, q̃ hãc exuperet. Sunt em̃ uaria calamitatum genera, quę hoĩbus tam uiuendo, q̃ꝑ moriendo accidunt. In hac corporali uita, alius est pauper, alius captiuus, alius ęgrotus, alius infamis. Hęc habentur quidẽ in numero infœlicitatis, non sunt aũt summa & extrema infœlicitas. Sunt & in moriendo uarij casus. Alius moritur in aqua, alius in igne, alius in cruce, alius gladio, alius lapidibus, alius diutino morbo afflictus, alius inopinato, & ex improuiso. Hęc spectacula incuciunt his, qui ea uident, magnum horrorẽ, & iudicantur esse grauissima calamitas, non aũt sunt maxima & extrema calamitas. Quaqua em̃ uitę infœlicitate affligaris, & quoq̃ mortis genere pereas, tamẽ potest adhuc reliqua esse cœlestis et perpetua fœlicitas. In peccatis autẽ uiuere, & in peccatis mori, ea demum est summa, maxima, extrema & nunq̃ꝑ finiẽda infœlicitas. Amabo ergo te, quid est in peccatis uiuere, & mori? Num est peccata habere in carne, et pctã secum ad sepulcꝝ ferre? Sed sic etiã pij uiuunt & moriunt in peccatis, & tm̃ seruantur. Etsi enim habent remissiõem peccati, ꝓpter Christum, & dñantur pctõ per spũm sanctum, tm̃ manent in carne reliquię peccati usq̃ꝑ ad mortẽ. Quare hoc loco in pctis uiuere & mori, non est pctã in carne habere, & ea secum usq̃ꝑ ad mortẽ gestare, Sed est cupiditatib. peccati seruire, & nullam habere peccati remissionem. Vbi aũt peccatum non est remissum, ibi est ira dei, perpetua condemnatio, & ęternum in gehenna tormentum. Hęc demum est maxima oĩm calamitas & infœlicitas. Nam alię calamitates, siue in uita, siue in morte, etsi interdum sunt graues & horribiles, tamen non sunt perpetuę. Hęc aũt est ꝓpetua & nunq̃ꝑ finienda. Et in hanc maximã calamitatẽ conijciunt oẽs hi, qui in peccatis suis moriunt. Obsecro igit te, quid faciamus, ne in peccatis moriamur? Quid faceremus aliud, q̃ꝑ ut q̃ramus & consequamur pctõrum remissionem. Vbi enim est peccati remissio, ibi etiam est summa & perpetua beatitudo. Beati, inquit, quorꝝ remissę sunt iniquitates, et quorꝝ tecta sunt peccata. Sed quõ, inquis, consequimur remissionem peccatorꝝ? Hic maximum est discrimẽ humanorꝝ studiorꝝ. Ethnici, Saraceni, Turcę, Iudęi,

In peccatis uiuere & mori maxima omnium infœlicitas.

& Hypocritę quęrunt uarias rationes quibus expient peccata ſua, & aſ-
ſequantur peccatorꝫ remiſſionem, ne moriantur in peccatis. Oēs hi ob
trudunt deo actiones & merita ſuorum bonorꝫ operum, pro pctis. Sed
à uera conſequendę remiſſionis pctorum ratione longiſſime aberrant.
Vna enim ſola uera eſt ratio, fides in leſum Chriſtū. Niſi credideritis,
inquit, ꝙ ego ſum, moriemini in pctis ueſtris. Ergo ſoli hi, qui credūt
in leſum, ꝙ ſit uerus Chriſtus, expiator pctorum ſuorꝫ, & ſeruator, nō
moriuntur in peccatis, ſed habent pctorꝫ remiſſionem & ęternā uitam.
In leſu autem Chriſto, ut non eſt circumciſio, nec pręputium, nec maſ
culus, nec fœmina, ita nec eſt paupertas, nec diuitię, nec ſanitas nec mor
bus, nec fama, nec infamia, nec diuturna ęgritudo, nec repentina mors.
Quare ſiue quis uiuat pauper aut diues, ſiue moriatur lento, uel hone-
ſto, aut repentino uel inhoneſto mortis genere, ſi credit in leſum Chri
ſtum, nō moritur in pctis ſuis, ſed uiuit ęterna uita ac fœlicitate. Dices
igitur, Si res ita ſe habet, quid opus eſt, ut me affligam actione bonorꝫ
operum? Viuam pro mea libidine, et cum ſenſero mortē prope adeſſe,
conuertam me ad Chriſtum, & credā in eum, ut nō moriar in pctis, ſed
in pctorꝫ remiſſione. Hęc & multa id genus alia ſolent aduerſus p̄dica
tionem de gratuita remiſſione pctorꝫ per Chriſtum, ab impijs Euange
lij deriſoribus, & ſceleratis hoībus obijci. Ac fieri qdem poteſt, ut qui
ſemper fuit impius & ſceleratus, cōuertat in fine uitę ſuæ ad Chriſtum
ſeruatorē noſtrꝫ, ſed audi tu, cui datū eſt in tempore cognoſcere Chri-
ſtum, & pœnitentiā agere. Primum em̄, fides in Chriſtū non eſt huma
num, ſed diuinum opus. Non igit licet hoī fidem in Chriſtum arripe-
re, cum humano arbitrio libet, ſed cum ſpūs dei offert, et tradit. Tradit
aūt, cum uocat per Euāgelion ad pœnitentiā. Deinde, is qui cum noue-
rit credendū eſſe in Chriſtum, & tn̄ uiuit interim ſcelerate, non ſolum
tētat deum, ſed etiam irridet eum, ac exponit ſe ſua temeritate maximis
periculis. Qui autem amat pericula, ſolet etiam in illis perire. Et qui ri-
det, ſolet uiciſſim rideri. Quare pœnitētia & fides in Chriſtū, non eſt
reijcienda uſqꝫ ad finem uitæ, ſed ſuſcipienda in tempore, cum Chri-
ſtus ſeſe per Euangelion ſuſcipiendum proponit, ut conſequamur re-
miſſionē pctorꝫ, et ęternam iuſtitiā in leſu Chriſto Dño ac ſeruatore no
ſtro, qui eſt unā cū patre et ſpū ſancto Deus bn̄dictus in ſecula, Amen.

HOMILIA LXVIII.

ET ſi leſus his uerbis, Si non credideritis, ꝙ ego ſum,
moriemini in pctis ueſtris, uidet oſcitantibus tenuia
& exigua dicere, tamen ſi ea diligenter perpendas, cō-
peries ipſum tribuere ſibi ſummam omnium maieſta-
tem, ac non ſolum ſignificare ſe eſſe uerum Meſſiam,
ſed teiā uerum DOMINVM ac deū noſtrum. Eſaias enim de Meſſia
dicit:

dicit. Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum. Et mox. In cognitione sui iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. In alio autem loco inducit Esaias Dominum Deum nostrum ita dicentem. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorꝫ non recordabor. Cum igit̃ Iesus his uerbis, (nisi crediderit̃is in me, ꝙ ego sum, moriemini in peccatis uestris) tribuat sibi hanc maiestatem, ꝙ qui in ipsum credunt, accipiant ab ipso remissionem aut deletionem peccatorum, & ueram uitam, perspicuum est, ꝙ his uerbis doceat se esse uerum Messiam, ac uerum DOMINVM Deum nostrum. Hęc cum non sint obscura, prę̃sertim his, qui habent aliquam cognitionem earum promissionum, quæ in prophetis de Messia extant, audiamus, quid Iudæi, qui gloriabãtur de cognitione scripturę, ad ea responderint. Dicebãt ergo ei, Tu quis es? Hic est extremus cõtemptus. Etsi enim Iesus manifeste significauit, quis sit, tamen cum uident personam eius non respondere tantæ maiestati, contionem eius non aliter accipiunt, q̃ꝫ si audirent quẽdam nugiuendum spermologum. Ridicule igitur & contemptissime quęrunt qs sit, Sed Iesus serio respondet, ut & mandato patris sui obediat, qui iussit filium suum hanc de se maiestatem publice uulgare, & impietatem Iudæorum reprehendat. Et dicit eis. Quamprimum, quia & loquor uobis, hoc est. Etsi iam manifeste dixi, quis sim, tamen statim, primo quoque tempore, manifestius id dicam aut reuelabo, propterea ꝙ propter hanc caussam uobiscum loquar, ut meam maiestatem in mundo per Euangelion meum patefaciam, & illustrem. Sed o nobis longe omnium exoptatissime Iesu, quid est, ꝙ Iudęos, tam impios & fastidiosos uerbi tui contemptores, non afficis pro tua potentia repentino aliquo et stupendo supplitio? Vides uerba nihil proficere, facta expedienda essent, & supplicia immittenda, ut reipsa sentirent te eum esse, quem iam prædicasti, uerum uidelicet Messiã, ac uerum DñM deum nostrꝫ. Ad hæc respõdet Iesus. Multa habeo, quę de uobis loquar ac iudicem, Sed qui misit me, uerax est, & ego q̃ audiui ab eo, hęc loquor in mundo. Horꝫ uerborum hęc est sententia. Possem quidem uobis uestrã impietatẽ & contemptum, non uerbis tantum declarare, uerumetiam factis punire, & grandine, fulmine, hiatu terrę, aut igni de cœlo uindicare, quemadmodum Dathan & Abyron perierunt, & quinquagenarij cũ militibus suis, qui deridebant Eliã, ab igne deuorati sunt, Veni aũt in hunc mundum, non ut externis & repentinis supplitijs grasser aduersus inobedientes & contẽptores, sed ut adnunciem uerbum dei patris, qui me in hunc mundum misit. Is cum sit uerax, necesse est, etiam meam contionem ueracem esse. Non em̃ cõtionor publice inter hoies ea, q̃ per somniũ conficta sunt, sed contionor uerbũ dei, q̃d à patre deo ipio audiui. Quare siue rideatis, siue contemnatis, tamen scio me ueritatem doce-

Τὴν ἀρχὴν. Sicut apud Xenophontẽ Τὴν ταχίστην uelocissime, τὴν συντομωτάτην per compendium celerrime, ita et τὴν ἀρχὴν aduerbialiter, pro, q̃primum, statim, sine ulla mora, gletch uon stund an. Subintelligendum autẽ est, dicam, aut exponam, aut reuelabo.

re, quo etiam offitio defungar, non per ostentationem externę maiestatis, qualem uos in Messia requiritis, sed per obedientiam, & humilitatem, quam deus pater à me exigit. Hoc de offitio & uocatione Christi diligenter est considerandum. Iudæi em expectauerunt Messiam, qui suscipiat regnum mundanū, & peragret orbem terrę potentissimo exercitu, ut subijciat imperio suo oēs gentes, & qui nō agnoscāt ipsum, continuo pereāt. Sic enim falso interptabantur illa prophetica de Messia. Percutiet terram uirga oris sui, & spū labiorum suorū interfitiet impium. Ac rursus. Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine uastabunt. Nec Iudęi tantū somniauerunt Messiam, qui sit mundanus princeps, et subijciat sibi aduersarios uiolenta manu, sed etiam nos ipsi, qui Iesum Christum agnoscimus sępenumero admirari solemus, quō fiat, ꝙ Christus, cum sit rex regnantium, & dns dominātium, tulerit hactenus, aut adhuc ferat tot conuitia, & blasphemias quibus impij grassati sunt in ipsum, & adhuc grassant. Cogita mihi, quam uirulenta conuitia aduersus Christum non cōfinxerint tantum, sed etiam literis mandarint Rabini Iudęorū, in eo libello, cui titulum fecerūt, Tholdoth Ieschu, hoc est, Generatiōes Iesu? Quid Ethnici? Hi nō tantum debacchati sunt uarijs, ijsq; crudelissimis generib. supplitiorū, aduersus eos, qui profitebātur & confitebant Iesum Christum, uerumetiam ędiderunt cōtra eum scriptum conuitijs plenissimū, & quod dici solet, plaustrum blasphemiarū. Huic scripto titulum fecerunt, Acta Pilati. Quantum item publice conati sunt maiestati Christi detrahere Arriani? Quid faciunt Turcæ, Arrianorū proles? Vt alia taceā. In expugnatiōe Constātinopoleos Turca iussit erigi imaginē Christi crucifixi, et luto conspergi. Hoc nō idcirco fecit, ut significaret tātum se damnare abusum imaginum, sed ut esset contumeliosus & blasphemus in Christum ipsum. Sed quid necesse est de his dicere, quantus est inter Christianos ipsos contēptus, quantum fastidiū Christi? Obsecro igit te, qd est, ꝙ Christus ad hęc oia tacitus cōniueat, & nō eiaculet fulmina? Posset qdem cœlum terrę miscere, & blasphemos oēs uno spū perdere, sed qui misit me (inqt) uerax est, et ego, q audiui ab ipso, loquor in mūdo. Quibus uerbis docet se in terrā missum, nō ut coerceat impios & blasphemos corporali potētia, sed ut doceat ueritatē uerbi dei, ut fungatur offitio & ministerio prędicādi Euāgelij. Vnde & aliās dicit. Filius hominis non uenit ad perdendum animas hoīm, sed ad seruandū. Quam uocationē Christus tanta fide et diligentia sectatus est, ut nec ante passionē, nec post passionem & resurrectionē suam uiolenter & hostilem in modum grassatus sit in aduersarios suos. Nam priusq; mortem obiret, passus est sibi strui insidias, se contēni, rideri, cōtumeliosis dictis et factis sordidari, cōprehendi, ligari, percuti, conspui, flagellari, et cruci affigi. Cōtra aūt ipse non uicissim contēnere et percutere, sed bñfacere, docere

Eusebius histo Ecclesiast li. 9. cap. 5. & 7.

Impij cur nō uiolenter à Christo compescantur.

docere Euangelion suũ, edere miracula, infirmos sanare, leprosos mundare, mortuos suscitare, & pro persecutoribus orare, atq; adeo pro impijs mortem suscipere. Postq; uero resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum ac sedit ad dextram Dei, tum ne eo quidem tempore fecit hostiles incursiones in aduersarios suos, sed misit spũm sanctum discipulis, dedit eis potestatem ędendorũ miraculorum, & curauit, ut Euangelion suum diuulgaretur in totum orbẽ terrę, & uocarentur oẽs gentes ad suscipiendam salutẽ. Inter hęc, etsi totus mundus cooriebatur aduersus Euangelion suum, & cupiebat illud extinctum, tamen reliquit ultionẽ Dño deo patri suo, ipse autem interim curauit, ut sine uiolenta manu, & externa hostium suorum cede conseruaretur Euangelion, in medio inimicorũ suorum. Hoc enim est, quod psalmus ait. Dixit Dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellũ pedum tuorum. Virgam uirtutis tuę emittet Dñs ex Zion, dominare in medio inimicorũ tuorum. Quibus uerbis significatur, Christum habere quidem diuinam maiestatem, nõ opprimere autem hostes suos externa & mundana potentia, sed relinquere ultionem deo patri suo ac ipsum dominari in terra, inter aduersarios suos, uerbo tantũ Euangelij sui, quod in die Pentecostes publice in Zion magnis miraculis uulgari cępit, & ab eo loco sparsum est in totum orbem terrę. Huc accedit et Petrus, qui in Actis Apostolicis de Christo ita contionatur. Hunc oportet cœlum accipere, usq; in tempora restitutionis oĩm, quę locutus est deus per os omnium sanctorũ suorum à seculo prophetarum. Docet & hic Petrus, q̃ Christus dñetur quidem in cœlesti regno, sed non appareat in hoc mundo manifesta & externa maiestate, donec ueniat nouissimus dies, quo oĩa reformabuntur. Quare nõ est nobis in hoc seculo expectanda mundana & externa piorũ, credentiũ in Christum liberatio, & impiorum, cõtemnentium & blasphemantiũ Christum deletio, sed discenda est in hoc seculo ueritas Euãgelij Christi, & agenda est pœnitẽtia, quã Euãgelion Christi exigit, ut supatis oĩbus huius seculi difficultatibus, cõsequamur in futuro seculo uerã liberationẽ, et fœlicitatem. Atq; hoc sibi uelle uidet Christus, cũ ait. Multa habeo q̃ de uobis loquor ac iudicem, sed qui misit me, uerax est, &c. Quę sentẽtia, ut non pugnat cũ his uerbis, ita optime conuenit cũ uera ratiõe offitij Christi in hoc seculo. Sed qd si hæc uerba simpliciter ita acciperemus. Possem qdẽ multa de uestra doctrina cõtionari, & eã publice mẽdacij cõuincere, sed quid opus est nũc multa de uobis, & de uestra doctrina dicere. Dicã de me & mea doctrina, Scio me uera docere, scio meum uerbũ esse uerbum dei. Scio me ea cõtionari inter hoĩes, quę audiui & didici à deo patre meo. Deus aũt uerax est. Quare & mea cõtio uera est. Hęc est cõgruẽtissima cum ijs, quę in hac Christi contione tractantur, sententia. Dices autem. Quid nobis profuerit, q̃ tu scias te uera docere? An nõ hoc etiã nobis

Christi dominatio in medio inimicorum.

probandum & confirmandum est ut & nos sciamus, si modo exigis à nobis fidē? Sed hoc & res ipsa probat, & hactenus probauit Christus, ac probabit etiamnum postea. Primum em̄ doctrina Iesu, cōuenit cum oraculis et uaticiniis prophetarum, qui promiserunt hoc tempore, quo fuit Iesus in terris, uenturū Christum, & ex hac familia, & in hac urbe, ex qua natus est Iesus, nasciturum Christū. Deinde Iesus testatus est miraculis ueritatem suę doctrinę, uidelicet, ꝙ ipse sit Christus, quem prophetę promiserunt. Postremo testatus est post mortē suam, resurrectione à mortuis, ascensu in cœlum, missione spūs sancti, ac diuulgatiōe Euangelij sui in orbem terræ. De hac re mox contionabitur Iesus. Dicit enim. Cum exaltaueritis filium hoīs, tunc cognoscetis, ꝙ ego sum. Sed priusq̄ hęc perstringamus, audiamus quid Euangelista de Iudęis interponat: Non cognouerunt (inqt) ꝙ ipsis de patre locutus esset. Quid est inscitia, quid contēptus, si hic non est? Iesus perspicue significauit, se à deo missum, et deum patrē suum uocare. Et tn̄ tanta est oscitantia Iudæorū, ut non cognoscāt, de qua re loquatur. Hoc inde adeo accidit, ꝙ contemnant ipsum magno fastidio, nec existiment se audire cœlestem cōtionatorē, sed nugacem quendam impostorem. Contionabatur em̄, non de libertate carnis, non de regno mundano, non de externa dominatione in orbe terrarū, nec de frumento, uino & oleo. Nam talia contionū argumenta facile intelligere poterāt, quippe ꝙ totus animus eorū erat in rerū terrenarū fœlicitate, sed cōtionabat cœlestia, de uera & perpetua salute. Quare ut Iudæi his contionibus non afficiebantur, ita nec curabant admodum, quid aut qua de re diceretur. Non dissimile est exemplum in uulgo huius temporis. Non intelligunt ullā contionem, nisi dicas de uino, de frumēto, deq̄ alijs corporalibus rebus. Spūales res surdissima aure excipiunt. Ac plane accidit eis, q̄d noctuis. Hę, cū ad lumen cecutiant, in nocte clare uident, ita isti in rebus spūalibus ac cœlestibus sunt plane stupidi & prorsus cæci, in rebus aūt huius seculi, quę sunt obscurę tenebrę, oculatissimi sunt. Profecto non hac itur ad cœlū. Ne sitis, inquit Paulus, pueri sensibus, sed malitia pueri sitis, sensibus uero perfecti. Hoc enim nostrum est offitium, & in hoc uocati sumus, ut discamus uerbum dei, & cognoscamus filium Dei. Non agimus uitam, ut edamus tantum & bibamus, sed maxime oīm, ut meditemur in uerbo Dñi die ac nocte, ac uerā Dei cognitionē per Euangelion Christi assequamur. Agite ergo, nō imitemur in audienda cōtione Christi oscitantiam Iudęorū, sed meminerimus nos audire cœlestē contionatorem, de quo Deus pater ipse dixit. HVNC audite. Dixit ergo eis Iesus. Cum exaltaueritis filium hominis, tūc cognoscetis, ꝙ ego sum, & ꝙ ex meipso facio nihil, sed ita, ut docuit me pater, hæc loquor. Et qui misit me, mecum est. Nō reliquit me solum pater, quia ego quę placita sunt ei,

sunt ei, facio semper. Supra dixit, se primo quoq; tempore reuelaturæ et probaturum, quis sit. Nunc igitur exponit, quando hoc sit futuræ. Cum exaltaueritis, inqt, filium hois, tunc cognoscetis, q̃ ego sum. Obsecro igitur te, quę est illa exaltatio, qua reuelatur & probatur maiestas Iesu? num est exaltatio in regium thronum terrenę dominatiõis? at Iesus nunquam uoluit regiam dñationem in hac terra suscipere. Filius hois, inquit, non uenit, ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, utq; daret animam suam redemptionem pro multis. Quare exaltatio illa, de qua hic fit sermo, non est exaltatio in regium thronum, sed in crucem, ut sit sensus. Cum crucifixeritis me, cognoscetis q̃ ego sum. Primũ igit̃ his uerbis contionatur Iesus, q̃ non sit dñaturus in terra regio more, sed quod sit passurus multa aduersa, & moriturus. Nã si regnum eius esset de hoc mundo, certe ministri eius, quẽadmodum ad Pilatum dicitur, decertassent pro eo, ne traderetur Iudęis, ut interficeretur. Et cũ prophe ta de Messia dicit. Regni eius non erit finis, ipse aũt docet se moriturę, profecto manifeste significat regnum suum non esse mundanũ, sed cœleste. Sic em̃ potest esse perpetuum. Deinde his uerbis significat etiam quali mortis genere sit moriturus, uidelicet, crucifixiõe, genere mortis longe oim turpissimo. Vnde & cap. duodecimo ait. Ego si exaltatus fuero à terra, oẽs traham ad meipsum. Et addit Euangelista. Hoc aũt dicebat, significans qua morte esset moriturus. Quid ergo fiet, cum Iesus fuerit exaltatus, hoc est, crucifixus? Cognoscetis, inquit, q̃ ego sum, uidelicet, quod doctrina mea, sit uere diuina, q̃ sim uerus Messias, et uerus deus. Dubitabit aũt quispiã quõ hęres lõge oim maximę patefactę sint et probatę cruce Iesu? Certe crux ipsa per se non est tãti momẽti, ut possit pbare crucifixum esse Messiã, ac deũ ipsum. Multi em̃ crucifixi sunt qui tñ non fuerunt Messię. Et si iuxta legem dei iudicandum est, probatur potius ex cruce crucifixum esse à Deo abiectum, q̃ esse Messiã deo acceptum. Dicit em̃ lex. Maledictus à Deo, qui pendet in ligno. Quid igitur est, quod dicit. Cum exaltaueritis, hoc est, crucifixeritis filium hominis, tunc cognoscetis, quod ego sum? Non loquitur Iesus de ipsa crucis morte per se, sed de his, quæ mox crucem cõsecuta sunt. Postq̃ enim Iesus crucifixus est, tunc mox tertia die resurrexit à mortuis, & cum aliquot diebus testatus esset ueritatem suæ resurrectionis, ascendit in cœlum, misit dona spiritus sancti, dedit discipulis suis potestatem ut ederent in nomine ipsius miracula, uulgauit Euangelion suum per Apostolos in totum orbem terræ, ac defendit illud & conseruauit in medio omnium hostium suorum. Nam quod Christus contionetur hoc loco de sua resurrectione à mortuis, haud obscure significatur, cum additur. Qui misit me, mecum est. Non reliquit me solum pater. Quorum uerborum hæc est sententia. Ego crucifigar quidem

Exaltatiõ Christi quæ sit.

& moriar, ſed mecum eſt, deus pater meus, qui non derelinquet me in morte, ſed excitabit me ad uitã, & collocabit me in ſede maieſtatis ſuæ. Non derelinques, (inquit in pſalmo, è quo hęc ſumpta uidentur) animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionem. Ab eo igitur tempore, quo Ieſus crucifixus eſt & reſurrexit à mortuis, manifeſte cognita eſt maieſtas Ieſu, & quę poſt mortem eius conſecuta ſunt, perſpicua ſunt argumenta, quibus patefactum et cõprobatum eſt, ꝙ Ieſus non ſolum ſit uerus Meſſias ſeu Chriſtus, ſed etiam uerus Dñs deus noſter. In Cõcilio Pontificum interrogatur Ieſus publice, num ſit Chriſtus filius dei. Et reſpondet. Amodo uidebitis filium hoĩs ſedentem à dextris uirtutis, & uenientem in nubibus cœli, hoc eſt, Etſi nunc nihil minus uobis uideor, q̃ Chriſtus & filius Dei, ſeu uerus deus, tñ ab hoc tempore manifeſte cõprobabitur me habere diuinam maieſtatem, & datam mihi eſſe iuxta Danielis uaticinium, poteſtatẽ, honorem & regnum, ut oẽs populi tribus & linguæ mihi ſeruiant. Et Paulus ad Romanos ſcribens. Declaratus eſt (inquit) filius dei cũ potentia, ſecundum ſpũm ſanctificationis ex eo ꝙ reſurrexit à mortuis. Et ad Epheſios. Vnicuiq̃ (inquit) noſtrum data eſt gratia iuxta menſurã donatiõis Chriſti. Quapropter dicit. Cum aſcendiſſet in altum, captiuã duxit captiuitatem, et dedit dona hoĩbus. Hęc ſcripta ſunt in pſalmo ſexageſimo ſeptimo. Et manifeſte dicuntur de uero Dño deo noſtro. Dñs, (inqt) in eis in Sinai in ſancto. Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatẽ, accepiſti dona in hoĩbus. Cum igitur hęc impleta ſint reſurrectiõe Ieſu à mortuis, aſcenſu eius in cœlum, & miſſione ſpũſancti in nomine eius, perſpicue reuelatum & cõprobatum eſt, ꝙ Ieſus ſit uerus Meſſias, Dñs deus noſter. Certo ſciat, inquit Petrus, tota domus Iſrael, ꝙ Dominum et Chriſtum fecerit, hoc eſt, declarauerit deus hunc Ieſum, quem uos crucifixiſtis. Quęſo aũt te, quo merito ſuo impetrauit Ieſus tantam maieſtatẽ à deo patre ſuo? Quid fecit, quòd ſit collocatus in throno dei? Qua quidem deus eſt, habuit diuinam maieſtatem ab æterno, quia eſt naturalis unigenitus & ęternus filius dei. Itaq̃ cum habeat eam natura, nulla eſt amplius reliqua, hac quidem in parte, quęſtio de meritis. Qua autem homo eſt, aſſumptus fuit in unitatem perſonæ, cum deo, & obediuit deo in oĩbus pręceptis eius perfectiſſime. Qua obedientia Deus in tantũ delectatus eſt, ut iuſſerit eum ſedere à dextris ſuis & habere ęqualem cum ipſo maieſtatẽ. Non reliquit me ſolum pater. Quam ob cauſſam? Quia ego, quę placita ſunt ei, ſemper facio. Obſeruabile dictum, quo Chriſtus primũ oſtendit cauſſam, propter quam deus pater nõ de reliquerit ipſum in morte, ſed exaltauerit ipſum à morte reſuſcitatũ, in thronum diuinę maieſtatis. Exaltauit em̃ ipſum, propterea ꝙ fuerit ipſi longe oĩm obedientiſſimus. Deus mandauit ei, ut prędicaret Euangelion inter

Chriſti obedientia.

lion inter Iudæos. Et obediuit, quanꝯ maximis uitę ſuę periculis. De
us mãdauit ei, ut bñfaceret hominibus, ędendis miraculis. Et obediuit,
ut qui maxime. Deus mandauit ei, ut nõ ſuſciperet regnũ mundanum,
ſed ut humilem uitam in terris ageret. Et obediuit obſequẽtiſſime. De
us mandauit ei, ut ſuæ ipſius uitæ non parceret, ſed traderet eam uicti-
mam pro pctis totius humani generis. Et obediuit. Breuiter, Chriſtus
ſemper fecit, quę placita fuerunt Dño Deo patri ſuo. Quid ergo conſe
cutus eſt ſua obedientia? Hoc nimirꝝ quod Paulus ad Philippenſes ſcri
bens, Ieſus Chriſtus, inquiens, cum eſſet in forma dei, inaniuit ſemetip
ſum, forma ſerui aſſumpta, & factus eſt obediens uſqꝯ ad mortem, mor
tem autem crucis. Quapropter & deus extulit illum in ſummã ſublimi
tatem, ac donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in noĩe Ie
ſu omne genu ſe flectat cœleſtium terreſtrium, & infernorum. Deinde
Chriſtus diſtinguit ſe hoc dicto ab Adamo, & omnibus poſteris eius,
hoc eſt, ab omnibus hoĩbus. Adam enim fuit deo inobediẽs, nec fecit
quæ deo placita fuerunt. Vnde & per inobedientiam eius introꝟt pec-
catum in mundum, ac per pctũm mors, & ſic in oẽs homines mors per
uaſit, quatenus omnes peccauimus. Chriſtus aũt fuit deo obedientiſſi-
mus, & ſemper fecit, quæ deo placita fuerunt. Etſi autẽ Chriſtus diſtin
guitur hac in parte ab omnibus aliꝟs hoĩbus, tamẽ obediẽtia eius cedit
in utilitatẽ & ſalutem omnium eorꝝ hominum, qui credunt in ipſum.
Deus enim pater intantum delectatus eſt obedientia Chriſti filiꝟ ſui, ut
propter ipſum remittat oĩbus qui credunt in eum, peccata, reputet eos
iuſtos, adoptet ipſos in filios, & tribuat ipſis hęreditatem cœleſtis reg
ni. Sicut per unius delictum, inquit Paulus, propagatum eſt malum, in
oẽs homines ad condemnationem, ita & per unius iuſtificationem pro
pagatur bonum in oẽs homines ad iuſtificationem uitę. Et quemadmo
dum per inobdientiam unius hominis, pctões conſtituti fuimus multi,
ita per obedientiam unius, multi conſtituuntur iuſti. Quid ergo? De-
us non agnoſcit te iuſtum, & hęredem æternorꝝ bonorum propter A-
damum, nec propter Abrahamũ, nec propter Moſen, nec propter Da-
uidẽ, nec propter prophetas, nec propter Apoſtolos, nec propter mar-
tyres. Sed tãtum propter Ieſum Chriſtum unigenitum filium ſuum. In
hunc igitur ſolum confidendum, huic ſoli ſit gloria in ſecula. Sed pri-
uſqꝯ ab hac contione diſcedamus, cognoſcendum eſt, quem fructũ hęc
contio inter auditores attulerit. Dicit ergo Euãgeliſta. Hęc illo loquen-
te, multi crediderunt in eum. Etſi enim maxima ludęorꝝ multitudo con-
temnit Ieſum, & contionem eius, tamen aliqui credunt. Quo exemplo
monemur, ut de fructu uerbi dei nõ deſperemus. Non credunt, nõ re-
ſipiſcunt omnes, credunt tamen & reſipiſcunt nonnulli. In parabola de
faciente ſementem, cadit quidem aliud ſemen iuxta uiam, aliud in loca

ſaxoſa, aliud in ſpinas, & hęc nullum afferunt fructum, aliud autem cadit in terrã bonã, & affert fructum copioſiſſimum. Quare non eſt committendum, ut propter multitudinem impiorũ palã uerbum dei irridentium & contẽnentium deſeramus offitium p̃dicandi Euangelij, ſed pergendum & inſtandum eſt, ut ſi non oẽs, ſaltem aliqui ſeruẽtur. Cęterũ, quia non eſt ſatis, ut bene incipias, niſi etiam in bono incœpto perſeueres, idcirco Ieſus priuatam habet contionem ad eos, qui credebant in ipſum, ac monet eos, ut perſeuerent. Dicebat ergo Ieſus ad eos qui credi-
» » derãt ipſi, Iudęos. Si uos mãſeritis in ſermone meo, uere diſcipuli mei
» » eſtis, & cognoſcetis ueritatẽ, & ueritas reddet uos liberos. Hæc eſt cohortatio ad perſeuerantiam in Euangelio Chriſti. Si mãſeritis, inquit, in ſermone meo. Sermo Ieſu, eſt Euangelion eius, quo contionatus eſt, ſe eſſe uerum Meſſiam ſeu Chriſtum, qui expiet peccata, & ſeruet etiã in morte oẽs qui in ipſum credunt. Manere igitur in Euãgelio Ieſu, eſt ei ita fidem habere, ut non ſinas te quouis uento circumferri, ſed perdures in audiendo & credendo ipſo, etiamſi non ſtatim intelligas, nec uideas, qua ratione euentus reſponſurus ſit promiſſis eius. Non mãſit in ſermone Ieſu, qui nunc Ieſu, nunc phariſęorum doctrinam ſectatus eſt. Non manſit, qui tantiſper audijt contionẽ Ieſu, dum uidit eum miracula ędere, poſtea ſuas res egit. Manſit aũt Petrus, manſit Iacobus, manſit Ioannes, manſit Matthęus, & alij Apoſtoli ac diſcipuli, qui uerſati ſunt perpetua conſuetudine cum Ieſu, à baptiſmo Ioannis uſq; ad eum diẽ, quo receptus eſt in cœlum. Manent & illi in ſermone Ieſu, qui cum ſemel acceperunt Euangelion eius per fidem, ſemper in ea fide perſeuerant. Quid autem fiet his, qui manent? quem fructum accipient? Num fient reges mundani? num accipient magnam uim pecunię? Nihil harũ rerũ promittitur. Hęc enim terrena non poſſunt ueram ſalutem afferre, Sed promittuntur manẽtibus in ſermone Ieſu cœleſtia bona. Primum, Vere, inquit, eſtis mei diſcipuli. Multi audiunt quidẽ meas contiones, ſed cum phariſęi minantur proſcriptionem his, qui meam doctrinam ſectantur, deſerunt me, & abeunt. Qui aũt manent & perdurant mecũ, hi ſunt uere mei diſcipuli. Et de his dicit aliàs Chriſtus. Ego diſpono uobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſup menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael. Ac rurſus. Pater, q̃s dediſti mihi, uolo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum. Quare uere eſſe diſcipulum Chriſti, eſt participem fieri oĩm bonorum, quę Chriſtus à deo patre ſuo accepit. Deinde, Cognoſcetis, inquit, ueritatem. Hoc uerbo promittit Chriſtus ſe his, qui manent in ſermone ipſius, daturũ ſpiritum ſanctum, qui ducat ipſos in omnem ueritatem. Varia ſunt genera doctrinę de religiõe. Alia eſt doctrina Moſi. Hæc proponit quidem legẽ, quæ & ipſa eſt ueritas,

non

non eſt autem illa ueritas, qua ſeruamur, ſed potius qua perditionem noſtram agnoſcimus, nec eſt illa ueritas, qua gratuita dei clementia erga nos reuelatur, ſed potius qua patefit ira dei. Alia eſt doctrina phariſeorꝝ. Hęc proponit magis mendatium, q̃ ueritatem. Solum aũt Euangelion Chriſti, ea eſt doctrina, qua cognoſcitur q̃ Ieſus ſit uerus Meſſias, q̃ ſit uerus deus, q̃ deus pater uere faueat his, qui credunt in Chriſtum, q̃ remittat eis pctã gratis, q̃ adoptet ipſos in filios & hæredes oim cœleſtium bonorum, propter Chriſtum. Hæc una illa ueritas eſt, quę nobis æternam affert ſalutem. Vnde etiam additur, Et ueritas reddet uos liberos. Nullus hic fit ſermo de externa & mundana libertate, quẽadmodum Chriſtus mox exponet, ſed de ſpũali & cœleſti libertate. Homines enim ſunt captiui pctĩ, & propter pctũm, ſunt etiam captiui mortis et inferni. Qui autem cognoſcit ueritatem, hoc eſt, qui credit in Ieſum Chriſtum, qui eſt ipſa ueritas, is primum redditur liber à iure peccati. Etſi enim geſtat adhuc peccatũ in carne et ſanguine, tñ ſi credit in Chriſtum, q̃ ipſe ſit expiator pctõrum, non poteſt peccatum amplius accuſare eum, ſed neceſſe habet ipſum liberꝝ dimittere. Deinde qui cognoſcit ueritatem Euangelij, hoc eſt, qui credit in Chriſtum, redditẽ liber à morte & inferno. Etſi enim obnoxius eſt morti & damnationi inferni, propter peccatum, tñ quia peccatũ eſt remiſſum propter Chriſtum, nullum amplius ius in ipſum habent mors & infernus. Acuidentur quidem etiam hi qui credunt in Chriſtum, mori, et concutiunt̃ horroribus inferni, non pereunt autem in morte & inferni terroribus, ſed ſeruantur perpetuo. Hęc ſunt maxima priuilegia libertatis, quę nullus huius ſeculi Monarcha nobis dare poteſt. Solus Ieſus Chriſtus dat nobis ea per Euangelion ſuum. Quare manendum & perſeuerandum eſt in hoc Euangelio, ut cognitione ueritatis aſſequamur cœleſtem & perpetuam libertatem per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Doctrinæ de religione uariæ.

Libertas Chriſtiana quæ ſit.

HOMILIA LXIX.

IN ſuperiori contione, quam Ieſus Chriſtus habuit ad Iudæos, qui in ipſum crediderunt, manifeſta fit mentio libertatis, Veritas, inquit, reddet uos liberos. Primum igitur omnium dicendum nobis eſt, quid nomine libertatis aut liberorum intelligatur, ut ſtatum controuerſiæ, quam Iudæi cum Chriſto de libertate ſuſcipiunt, recte cognoſcamus. Nam in hac diſputatione nomen libertatis nõ accipitur pro ea libertate, qua quis ſolutus

Libertatis nomen.

manibus & pedibus expedite incedit, Sic enim et serui incedunt liberi, sed pro ea, quæ opponitur seruituti. Non enim est obscurum, quæ fuerit quondam seruorum conditio. Dominis potestas fuit uitę neciscp in seruos. Et quodcunqp per seruum acquirebatur, id domino acquirebat. Contra autem liberi dicuntur, qui nō sunt alienę potestati subiecti, sed facultatem habent facere, quod libet, nisi quod ui aut iure prohibetur, & qui sunt exempti, ab ijs publicis oneribus, ac seruitutibus, quibus alij sunt obnoxij. Hos uocare nunc solemus, Ingenuos, Nobiles, aut Barones. Duplex aūt est libertas seu Nobilitas. Alia est carnalis & mundana, alia spūalis & cœlestis. Cum igitur Iesus Christus promitteret discipulis suis libertatem, seu nobilitatem, existimant Iudæi sermonem
» » fieri de carnali & mundana libertate. Et responderunt ei. Semen Abra-
» » hæ sumus, nec cuiqp seruiuimus unqp. Quō tu dicis, Liberi reddemi-
» » ni? De Abraamo gloriantur Iudęi. De Abraamo igitur pauca quędam dicenda sunt. Nam cum inter nos fit mentio Abrahę, putant multi mētionem fieri, de homine quodam Iudæo, qui non debeat esse magno loco apud Christianos. Sed si dicendū est, quod res est, Abraami nomen admonet nos de summa, & illustrissima oīm, quę unqp in terris fuit, nobilitate. Abraham enim fuit præcipuus in toto mundo patriarcha. Nā quod ad externam eius familiam attinet, duxit originem suam à patriarcha Noha, per præcipuum filium eius Sem. Nec est natus post mortē Nohæ aut Sem, sed uixit cum Noha sexaginta, plus minus, annis, Sem autem uixit post mortem Abrahæ triginta annis. Itaqp Abraham non modo uidit atauos suos Noham et Sem, aliosqp, qui hos sequuntur, patriarchas, sed etiam uixit cum ipsis familiariter, & audiuit contiones eorum de diluuio, de rebus gestis ante diluuium, de creatione mundi, de Adamo, quem Noha quidem non uidit, Pater autē Nohę, qui est Lamech uidit & uixit cum Adamo quinquaginta sex annis, quemadmodum ratio temporis, sacris literis mandata perspicue indicat. Etsi autem habitauerunt tūc in terris in alijs atqp alijs locis, posteri Cam & Iaphet, tñ apparet ex ea benedictione, quę dicta est ad Sem, posteritatem Sem fuisse patriarchę Nohę maxime omnium acceptam, propterea qp haud dubie per spiritum sanctum intellexerit, Christum seruatorem mundi, Adamo promissum, ex ea posteritate uēturum. Quare, cum Abraham non solum numeret atauos & proauos suos, nobilissimos & illustrissimos patriarchas, sed etiam multis annis familiariter cum ipsis uitam egerit, perspicuum est, Abrahamum collocandum esse in catalogo summorum ac præcipuorum huius terræ heroum, qui nobilitate generis sui excellat omnes reges & Monarchas huius terræ. Quod autem attinet ad res spirituales, etiam hac in parte superat Abraham nobilitate & splendore suo omnes alios homines. Deus em̄ collocutus est familiater cum A-

Abrahæ Nobilitas.

cum Abraamo, promisit se de semine suo missurum Christum, qua dignitate nihil potuit homini in terris excellentius cõtingere, instituit in Abraamo nouum pactum circumcisionis, promisit ei nõ tantum posteritatem magnam, sed etiam regnum & sacerdotium, in quo cõseruaretur promissiones de Christo, donec mitteretur. Quare siue mundana siue spũalia & cœlestia consideraueris, Abraham fuit Patriarcha longe oĩm in toto orbe terrarum nobilissimus, et illustrissimus. Parentum autem nobilitas & splendor transfertur in liberos & posteros eorẹ. Quare Iudęi, qui ducebant genus suum ab Abraamo, gloriantur coram Iesu de hac generis sui nobilitate, qua non fuit maior in terris. Quid inquiunt. Tu ne reddes nos liberiores aut nobiliores, quàm ante sumus iam inde ab autore generis nostri, Abraamo? In hunc si respicimus, quid nobis est in toto orbe terrarum nobilius aut generosius? Neq; cuiq; seruiuimus unq;. Quod ad genus nostrum attinet, nunq; fuimus serui. Etsi enim maiores nostri post Abraamum, sępenumero oppressi fuerunt aliena tyrannide, & abiecti sunt aliquoties in seruitutem, nũc Ægyptiacam, nunc Moabiticam, nunc Madianiticam, nunc Ammoniticam, nunc Babylonicam, nos quoq; hoc tempore opprimimur seruitute Romana, tamen nobilitatem generis nostri nunq; amisimus. De regis filio semper uere dicitur ipsum esse regij generis, etiamsi abducatur in seruitutem, aut conijctiatur in carcerem, ita de nobis quoq; sentiendũ est, q̃ nunq; fuerimus serui, sed semper retinuerimus libertatem seu nobilitatem generis nostri, etiamsi necesse habuerimus multa seruitutis & captiuitatis onera ferre. Cuius rei manifesta sunt argumenta, q̃ etiam in medijs captiuitatibus ac seruitutibus retinuerimus cultũ DOMINI dei patrum nostrorum, & nunq; non liberati simus uel tandem ab hostibus nostris. Speremus quoq; breui nos ab ista, qua nunc pręmimur, Romana seruitute liberandos. Quare, cum semper fuerimus homines nobilissimi, nec quisq; est regum aut Monarcharum, qui nobis generis nobilitate anteferri queat, frustra tu promittis nobis maiorem ex Euangelio tuo nobilitatem. Hęc est Iudæorum gloriatio. Quid ergo de ea sentiendum, quid dicendum est? Num approbabimus eam? Non est quidem obscurum, q̃ quantum attinet ad externam generis nobilitatem, non sint nobiliores homines, q̃ Iudæi, qui ducunt originem suam ab Abraamo. Nullus est princeps, nullus rex, qui eos familiæ suę nobilitate superet, quemadmodum antea indicauimus. Sed hoc loco dupliciter errant sua gloriatione. Primum, q̃ confidunt externo suo genere, & putant se DOMINO Deo propter generis sui nobilitatem acceptos. Erant homines impij, inuidi, arrogantes, auari, homicidæ, ac nullo non scelere sordidati. Non erat eis curę uera pietas, ac uerus Messias, propter quem pręcipue Abraham factus erat non tantum

nobilis, ſed etiam deo acceptus, propter quem etiam acceperat promiſ-
ſiones de regno terrę Canaan. Hęc cura nihil afficiebat ipſos, ſed exiſti-
mabant ſe propter genus ſuum eſſe populum dei, & acceptos deo, eti-
amſi alioqui eſſent impiſſimi, & deſignarent quæuis ſcelera. Quod
quale fuerit, facile licet coniecturam ſumere ab exemplis huius noſtræ
ætatis. Sunt ciues & equites, qui ſunt maiorum ſuorum ſplendore illu-
ſtres. Sunt & Pontifices, qui Apoſtolis & ſanctis epiſcopis ſucceſſe-
runt. Ac magna quidem illorum ciuium & equitum pars, hoc unum
habent, ꝙ ducunt genus ſuum ab honeſtis & nobilibus maioribus, cæ-
tera, ſunt bibones, helluones, prædones, adulteri, tyranni, contempto-
res Dei & hominum, nec ullum eſt ſcelus tam horribile, quod non de-
ſignare audent. Hæc ſibi licere putant, quòd dicantur Nobiles. Itaq;
abutuntur nomine Nobilitatis ſuæ ad patrocinia ſcelerum, & quo ui-
deantur omnia honeſte agere, imponunt uicijs ſuis nomina ciuilium
offitiorum. Si ebrij fuerint, uocantur lauti, & læti, Si adulterium com-
miſerint, dicuntur iocati eſſe, ſi ſocij fuerint prædonum, dicuntur præ-
ſtitiſſe offitium amicitiæ, cum interim hæc uitia uocentur in ſeruo aut
homine abiecto, helluatio, ſtuprum, & rapina. Vnde & Germanicum
prouerbum ortum eſt, Vnus ligneus nobilis plus ualet, q̃ decem cha-
libei ſerui, quo ſignificant, nobilitatem eſſe patrocinium ignauiæ &
ſcelerum, in ijs, qui ſunt à maioribus ſuis illuſtres, cum interim alij
homines etiamſi ſint honeſti & ſtrenui, contemnantur, & ſi quid deli-
querint, grauiſſime puniantur. Pontifices autem, qui ſunt hoſtes E-
uangelij, gloriantur ſe eſſe ſucceſſores Apoſtolorum, & putant ſe hoc
noĩe eſſe uerã Eccleſiã, Sed inter hęc, ſunt ſceleratiſſimi. Nã ſi doctrinã
& uitam eorũ conſideraueris, aut nihil prorſus docẽt, q̃d eſt manifeſta
uocationis neglectio, aut ſi docent, impia docent, impiam doctrinam
tuentur, Euangelion Chriſti perſequuntur, innocentes occidunt, impu-
dicitiam defendunt, impudice & ipſi uiuunt, auaritiam ſectantur, tyrã-
nidẽ exercent. Quid plura? ſunt impij et crudeles hypocritę ac tyrãni.
Et tamen exiſtimant ſe eſſe populum dei, & eccleſiam Chriſti, hoc tm̃
nomine, q̃ ſint Apoſtolorum ſucceſſores, & ſedeant in cathedris eo-
rum, quo etiam nomine putant ſibi licere, quicquid libet. Eodem mo-
do ludęi quoq; iactabant ſe eſſe poſteros & ſucceſſores ſummorũ Patri-
archarum, & quãuis nullo non impietatis & ſcelerum genere contami-
nati eſſent, tamen iudicabant ſe deo acceptos, propter maiorum ſuorũ
nobilitatem. Hæc eſt magna impudentia, & merito reprehendenda.
Etſi enim generis nobilitas, donum dei eſt, & habet ſuum uſum in hac
corporali uita, tamen nullus eſt reſpectus eius coram tribunali Dei, &
tantum abeſt, ut ſit patrocinium ſcelerum, & faciat populum Dei, ut
potius

Equitum et ciuium nobilitas.

Nobilitas generis.

Ein hultzener Edelmangilt mehr denn zehen ſtheline knecht.

potius, scelerā reddat grauiora, & efficiat, ut qui erat populus dei, seuerius, si peccauerit, puniatur, ac propter impietatem horribilius condemnetur. In propheta Amos dicit DOMINVS, Tantum modo uos cognoui ex omnibus cognationibus terrę. Hoccine ergo respiciet DOMINVS, & conniuebit ad impietates Israelis? Minime omnium. Additur enim. Idcirco uisitabo super uos omnes iniquitates uestras. Et Moses in carmine suo, Pars DOMINI, inquit, populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. Quid ergo fiet? num quia Israelitæ magnis benefitijs fuerunt à Deo affecti, & duxerunt genus suum à sanctissimis patriarchis, habent excusationem impietatis? Nihil certe minus, Sed tanto grauius propter impietatem puniuntur, quanto nobilior fuit origo eorum, & quanto maiora benefitia à Deo acceperunt. Ipsi me, inquit, prouocauerunt in eo, qui non erat deus, & irritauerunt in uanitatibus suis. Et ego prouocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos. Quare plurimum errant Iudæi, quòd de generis sui libertate ac nobilitate ita glorientur, ut sentiant se propter ipsam Deo gratos & acceptos. Deinde longe errant, quòd quæ Iesus contionatur de libertate, intelligant de externa & mundana libertate, cum Iesus loquatur de spirituali & cœlesti. Sic enim sequitur. Respondit eis Iesus. Amen amen dico uobis, quòd omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo inæternum. Filius manet inæternum. Si ergo uos filius liberos reddiderit, ueri liberi estis. Scio quod semen Abrahæ estis, Sed quæritis me interficere, quia sermo meus non habet locum in uobis. Ego, quod uidi apud patrem meum, loquor, & uos, quod uidistis apud patrem uestrum facitis. Memorabilis contio de uera seruitute, & libertate, seu nobilitate. Est autem hæc sententia. Nihil loquor nunc de externa & mundana libertate. Ego, quod ad meum offitium attinet, relinquo huic humanæ uitæ suas ordinationes, sua discrimina, suas seruitutes, libertates, & nobilitates, tantummodo ne quis his abutatur. Hoc autem de uobis dico, ꝙ etiamsi ducatis genus ab illustrissimo patriarcha Abraamo, tamen uos non estis ueri liberi, nobiles, aut ut uocant, Barones, sed estis serui uilissimi, & mancipia abiectissima. Nec dicit tantum hoc Christus de Iudæis, sed probat etiam perspicuo argumento, Omnis, inquiens, qui facit peccatum, seruus est peccati, etiamsi fuerit de semine Abrahæ. Vos autem facitis peccatum. Reliquum igitur est, quod etsi estis semen Abrahæ, tamen sitis uilissimi serui. Videamus autem partes huius probatiōis. Qui facit peccatum, seruus est peccati. Nihil hac sententia certius. An nescitis, inqt Paulus, ꝙ cui accommodatis uos ipsos seruos ad obediēdum, eius serui estis, cui obeditis? Et Petrus. A quo quis

Ioan. 8.

Seruitus peccati.

Rom. 6.

2. Pet. 2.

ſuperatur, huic etiam in ſeruitutem eſt addictus. Quare manifeſtum eſt, ꝙ qui facit imperium peccati, is ſit ſeruus peccati, id quod exemplis paulo manifeſtius declaratur. Contemnere uerbum dei eſt peccatum. Ierobeam autem, primus rex Iſraelis, poſt Salomonem, faciebat hoc peccatum. Res igitur ipſa docet, ꝙ fuerit etiam ſeruus huius peccati. Iuſſus enim ab hoc peccato inſtituere idolatrian aureorum uitulorum, ſtatim obſecutus eſt. Iuſſus prophetam Domini admonentem eum de impietate, cõprehendere, mox toto animi impetu obedijt. Manifeſte igitur uides, ꝙ fuerit ſeruus peccati. Eſt & peccatum inuidere. Cain autem faciebat hoc peccatum, quia proſequebatur fratrem ſuum magno odio et inuidia. Quare fuit etiam ſeruus huius peccati, id quod facta ipſa teſtãtur. Nam hoc peccatum mandabat Caino, ut uerbum dei contemneret, ut nullam haberet rationem naturalis cõiunctionis cum parentibus & fratre, ut fratrem occideret. Quid autem Cainus? Erat ſeruus pcti. Mandatis igitur eius ita obſequitur, ut bubali naribus tracti. Sic & peccatum eſt, flagrare illegitimo amore mulierum. Hoc peccatum faciebat Amon filius Dauidis, quia tenebatur magno, ſed illegitimo amore erga ſororẽ ſuam Thamar. Fuit igitur & ſeruus huius peccati, quod cum iuberet eũ noctes inſomnes ducere, & ſorori ſuę uim inferre, obſequebatur magna animi promptitudine. Quid pluribus opus? Qui ſuſcipit peccatum faciendum, is etiam ſubijcit ſe dominationi peccati, & tradit ſeſe in eius ſeruitutẽ. Quale enim eſt ius dominorũ in ſeruos aut emptos, aut bello captos, tale etiam eſt ius peccati, in eos qui uel peccato uẽditi ſunt, uel ſeſe peccato captiuos reddunt. Nulla autem eſt grauior, nulla horribilior ſeruitus, q̃ꝫ peccati. In mundana ſeruitute, ſeruis homini, aliquoties quidem ſęuo & crudeli, homini tamen carne & ſanguine tibi cognato. In ſeruitute autem peccati, ſeruis Satanę. In mundana ſeruitute, habes incommoda uitę corporalis, ſed quę non durant perpetuo. In ſeruitute autem peccati, habes incommoda ſpiritualia, & perpetua. In humana ſeruitute, accipis, mercedis loco, alimenta corporalia, nonnunq̃ꝫ etiam pecuniã. Quod ſi ſecus euenerit, reportas quidem plagas, & eſuriem, ſed quæ ſuo tempore finem accipiunt. In ſeruitute autem peccati, reportas pro mercede, mortem & ignem inferni. Stipendium enim peccati, inquit Paulus, mors eſt. Et, Ite maledicti in ignem æternum qui pręparatus eſt diabolo & angelis eius. Huc igitur confer mihi nobiles peccatores, cum ſeruis pijs & iuſtis, quantum, obſecro, hi ſuperant illos ſua fœlicitate? Hi ſeruiunt homini, illi autem diabolo. Hi accipiunt à dominis ſuis panem cibarium, illi autem accipiunt à domino ſuo, ignem inferni. Non enim eſt reſpectus perſonæ apud deum. Reddet deus unicuiq̃ꝫ iuxta facta ſua, ſiue liber fuerit, ſiue ſeruus. Multo igitur præſtat pium eſſe ſeruum, abiectiſſimi etiam

Peccati ſeruitus grauiſſima.

etiam hominis, q̃ impium esse liberum aut nobilem, in illustrissima etiam familia. Habes eos esse uere seruos, qui faciũt peccatum. Accommodemus nunc hanc sententiam ad Iudęos, ut cognoscamus, q̃ etsi sunt de semine Abrahæ, & iuxta carnem liberi, aut nobiles, tamen uere sint serui, & mancipia coram deo. Faciunt enim magna & horribilia peccata. Ecquę sunt illa? Posset quidem Christus lõgum catalogum pctõrẽ, quæ Iudæi designant, texere, sed recitat tantum unum, q̃d ut est maximum, ita cõprehendit in se oĩa alia genera pctõrum. Vos, inquit, quæritis me interficere. ME, inquam, Me, interficere quęritis. Etsi enim loquor quod uidi apud patrẽ meum, etsi mea doctrina est diuina, quam didici à deo patre meo, & quam deus iussit me cõtionari, tñ ea non inuenit apud uos ullum locum, non adhibetis ei fidem, sed potius id agitis, quod uidistis apud uestrum patrem. Vester pater est Diabolus. Is quia est mendax & homicida, docet & iubet uos homicidia facere, ideoq̃ hoc unum agitis, ut ME, diuinum doctorem, & uerẽ Messiam interficiatis. Quid hac accusatiõe grauius? Accusantur enim Iudęi, q̃ meditentur cædem Messię, & seruiant pctõ nõ simpliciter homicidij, sed Christicidij. Hoc est summum & maximum oĩm peccatum, quod complectitur in se oĩa alia peccata. Nam qui meditatur cædem Christi, is tãtum abest ut credat Christum esse seruatorem suum, ut potius sentiat se non posse seruari, nisi Christum opprimat. Qui autem nõ credit Christum esse suum seruatorem, huic pctũm nõ est remissum, nec habet spiritum sanctum, qui affectum peccati mortificet, ac expurget. Quod si non habes peccati remissionem, nec spiritum sanctum, reliquum est, q̃ spiritus Satanę dominetur, qui cum sit autor pcti, quemadmodum postea sequitur, fieri non potest, quin impellat seruum suum in omnia genera peccati. Ac finge hominem, quod ad externam uitam attinet, honestissimum esse, tamen si est dñationi Satanę obnoxius, sustinet in se omnis mali molem. Quare Christus recitando unum hoc peccati genus de Iudęis, haud obscure significat, eos omnibus grauissimorẽ peccatorum generibus obnoxios ac sordidatos esse. Quid ergo ad hæc dicemus? Hoc uidelicet dicendum est, q̃ Iudæi, etiamsi sint de semine Abrahæ, & sint natiuitate sua liberi aut Nobiles, tamen quia sunt impij, & peccatis obnoxij, uilissima sint mancipia, & abiectissimi serui. Quæres autem, si carnalis generatio nõ affert ueram libertatem aut Nobilitatem, & si peccatum facit homines uere seruos ac mancipia, quomodo liberabimur hac seruitute, ut cõsequamur ueram libertatem & nobilitatem? De hac re contionatur Christus ipse hoc loco, Seruus, inquiens, non manet in domo inęternũ. Filius manet inæternum. Si ergo filius uos liberos reddiderit, uere liberi estis. Memorabile dictũ, q̃ docemur, unde uerã assequamur libertatem. Est aũt sumpta similitudo à politicis mo-

ribus. In politeia enim huius mundi magnum est discrimen in familijs inter seruum & filium. Seruus non est hæres domini sui. Filius autem hæres est. Seruus non semper in eadem familia manet, sed aut uenditur, aut expellitur. Filius autem semper manet in paterna sua familia, nisi forte aliquid tam scelestum, tam atrox & nefarium committat, ut exhæredetur. Seruus non potest conseruum suum facere liberum, & hæredem facultatum domini sui. Cum enim ipse sit seruus, & non sit hęres, quomodo potest alteri dare libertatem ac hęreditatem, quam ipse non habet? Filius autem, qui est liber & hæres, potest seruũ non solum reddere liberum, sed etiam cooptare in cohæredem omnium paternarum suarum facultatum. Atq; hęc quidem ita se habent in politicis familijs. Eodẽ modo res geri solet inter seruos & filium, in familia cœlesti. Deus enim est cœlestis paterfamilias, Vnigenitus filius eius est dominus noster Iesus Christus. Omnes autem homines sunt serui eius. Quid ergo fit? Cum seruus non possit conseruum reddere liberum, nec facere ipsum hęredem facultatum patrisfamilias, quippe q; nec ipse sit liber nec hæres, perspicuum est, quod nullus hominum possit alterum hominem in cœlesti familia Liberum aut Nobilem facere, ac cœlestem ei hæreditatem dare. Itaq; nec patriarcha quispiam, nec propheta, nec Apostolus aut Martyr, nec ullus alius homo, quantauis sanctitate, autoritate, & maiestate præditus sit, potest nos è seruitute peccati eximere, & in cœlestem nobilitatem transferre. Omnes enim peccauerunt, ac destituuntur gloria dei. Quomodo igitur possent alijs dare gloriam dei, qua ipsi natura sua carent? Quod autem nullus hominum potest, hoc potest unigenitus filius dei, Dominus noster Iesus Christus. Etenim Christus filius dei est natura sua lõge omnium liberrimus seu Nobilissimus, siue spiritualem siue corporalem eius generationem consideraueris. Nam quod ad spiritualem eius generationem attinet, genitus est, non ab homine, sed à deo patre suo. Et genitus est, non in tempore, sed ab æterno. Quid autem liberius, quid nobilius esse posset, q; esse æternum filium dei? An talis filius nõ maneret in domo patris sui ingeternum? Deinde, quod attinet ad natiuitatem eius humanam, etsi nullum habet patrem in terris, è cuius semine, iuxta aliorum hominum morem, natus sit, tamẽ si uirginem matrem eius respicias, duxit genus suum humanum à summis patriarchis, ab illustrissimis ducibus ac regibus. Itaq; si de Iesu Christo etiam iuxta externam familiarum nobilitatem iudicaueris, non inuenies eo nobiliorem ac illustriorem, inter omnes huius seculi reges ac Monarchas. Sed quid? Num filius Dei retinet sibi soli hanc diuinam libertatem ac nobilitatem? Num solus ipse fruitur tam illustri gloria? Minime omnium. Non est inuidus, non est auarus, Sed proponit suam nobilitatem & gloriam omnibus

Christus nobilissimus omnium regum ac principum

omnibus hominibus accipiendam, & communicat eam cum omnibus his, qui credunt in ipsum. Venit enim in hunc mundum, & expiauit morte sua pctã nostra, ac reconciliauit nos cum Deo patre suo. In quem usum? Vt quemadmodum ipse liber est, & filius, & hæres dei, ita omnes qui in ipsum credunt, fierent liberi, fierent fratres ipsius, & adoptarentur in filios ac hęredes dei. Quotquot, inquit, receperũt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri, nimirꝝ his qui credunt in nomen eius. Et Paulus. Vbi uenit (inqt) plenitudo temporis, emisit deus filiũ suum, factum ex muliere, factũ legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus. Obsecro igitur te, cõmemora nobis quę sunt huius adoptionis, libertatis & nobilitatis iura ac priuilegia. Nam, qui sunt in hoc seculo liberi, ac nobiles, & ut uocant, Barones, hi sua habent iura, suas libertates, et priuilegia. Alij liberi sunt à publicis uectigalibus et tributis. Alij liberi sunt à publicis qui busdã iuditijs, alij hoc habent priuilegium, ꝙ sint sacrosancti & inuiolati, quale quondam fuit ius ciuium Romanorꝝ, quod & Paulus habuit. Et hæc sunt politica priuilegia. Quę ergo priuilegia, quas libertates habent hi, qui propter filium dei fiunt liberi, & adoptantur in filios dei? Primum hanc habent libertatem, ꝙ pctũm non habeat amplius in ipsos ius damnandi. Quid hoc priuilegio maius? Peccatum natura sua habet ius damnandi oẽs homines, propterea ꝙ omnes homines sint natura peccato obnoxij. Postq̃ autem homo agnoscit Iesum Christum, & credit in ipsum, tũc peccatum amittit ius suum in eo qui credit in Christum, ac necesse habet ipsum libere dimittere. Christus enim expiauit pctũm, & impetrauit, ut omnes, qui in ipsum credunt, reputentur coram deo iusti. Ergo ne licet credenti impune peccare, ꝙ pctũm non habeat ius dãnandi ipsum? Hoc plane illud est, quod etiã apud Paulum dicũt. Peccabimus, ꝙ nõ sumus sub lege, sed sub gratia? Hic cõsiderandũ nobis est, ꝙ priuilegia non conceduntur, ut ijs abutamur, sed ut recte utamur. Nam qui abutitur priuilegio, solet illud amittere. Sic & credenti cõcessum est hoc priuilegium, ꝙ pctũm non habeat in ipsum aliquod ius damnandi. Hoc aũt datum est, non ut licentia peccandi abutamur, sed ut in seuero iuditio legis aduersus peccata, bene confidamus, & hãc fidutiam obedientia testemur, noscq̃ gratos declaremus. Fieri enim nõ potest, ut qui uere & ex fide agnoscit hoc priuilegium, seruiat peccato. Qui mortui sumus, inquit Paulus, peccato, quomodo post hac uiuemus in eodem? Et iterꝝ. Liberati sumus à lege, mortui ei in qua detinebamur, ut seruiamus per nouitatẽ spũs, & nõ per uetustatẽ literę. Quare hoc priuilegio sic utẽdũ est, ut fugiamus pctã, et obediamus iustitię. Deinde q fiũt liberi per filiũ dei, donantur hac libertate, ꝙ nec mors habeat ius perdẽdi ipsos, nec sint ꝑpetuo igni gehẽnę obnoxij. Est & hoc

Nobilium ac Baronum priuilegia.

Priuilegia credentium in Christum

priuilegium excellētius & admirabilius, q̃ quod pro dignitate ſatis explicari queat. Mors enim & infernus habent natura ſua propter pctūm ius perdendi, & retinendi oēs hoīes in perpetuis cruciatibus. Qui autē credunt in Chriſtum, & confidunt Euangelio Chriſti, liberant ab hoc iure peccati & inferni. Quare qui in Chriſtum credunt, etſi uident mori, & horroribus inferni torqueri, tn̄ nec moriuntur, nec detinentur in doloribus inferni, ſed ſeruātur perpetuo. Ego ſum, inquit, reſurrectio & uita. Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, uiuet. Et oīs qui uiuit & credit in me, nō morietur in eternum. Poſtremo, qui fiunt liberi per filium dei, hi conſequuntur non ſolum eternam uitā, ſed etiam cœleſtē hereditatem diuinorē bonorum, et participant cum filio dei gloriā perpetuo. Quid eſt libertas, quid eſt Nobilitas, ſi hec non eſt? Quis p̄ hac libertate & nobilitate, non duceret oēm carnalem nobilitatem pro damno, & haberet eam pro reiectamento? Et tn̄ pietatis ac gratitudinis eſt, ne quis hac libertate et nobilitate abutatur. Pij em̄ etſi ſunt in Ieſu Chriſto liberi & nobiles, faciunt tn̄ ſe ipſos oīm ſeruos, & agunt uitā humilem, ac tanq̃ ignobilem. Nam ſi fuerint ſerui politici, tanto obedientius ſeruiunt hoībus, quanto maiorem acceperunt à Chriſto libertatem. Si aūt fuerint liberi politici, agnoſcūt ſe eſſe ſeruos Chriſti, ut propter Chriſtum ſeruiant ac benefaciāt oībus, quibus poſſunt, hoībus. Tanq̃ liberi, inquit Petrus, & non uelut pretextum habentes malicię libertatem, ſed tanq̃ ſerui dei. Quare nemo glorietur de carnali ſua libertate ac nobilitate, quę etſi ſuum habet locum in hac humana uita, tn̄ nullius eſt momenti coram deo, & in cœleſti politia, Sed in hoc ſtudium incumbamus, ut conſequamur per Euangelion ueram cognitionem & fidem in Chriſtum, quo & uera ac cœleſti libertate donemur, per eundem Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum, qui eſt unà cum patre et ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA LXX.

VItas habuit Ieſus Chriſtus contiones humanitatis & clementię pleniſſimas, Sed quę ſequitur contio, longe omnium, quas unq̃ in terris habuit, ſeueriſſima eſt. Adimit enim Iudęis oēm gloriam, qua fuerunt illuſtres tam coram deo q̃ corā hominibus. Negat ipſos eſſe ueros poſteros Abrahę, de quo tamen inſolētiſſime gloriabantur. Negat item eos eſſe populum ſeu filios dei, cum tn̄ exiſtimauerint ſe ſolos ex omnibus huius terrę nacionibus eſſe Eccleſiam dei, eoq̃ ſeueritatis ſermo procedit, ut uocet eos filios Diaboli, ac ſignificet ipſos pro incorporatis, ut ita dicam, diabolis habēdos. Sed uiciſſim, nec ipſi

tractant

tractant Iesum micius, ac primũ qdem petunt eũ uirulentissimis conuitijs, uocant eum Samaritanum & dęmonio obsessum, postea etiam lapidibus in ipsum sęuire statuunt. Hęc non sunt oscitanter percurrenda, ut cognoscamus, q̃ sit uera, & q̃ adulterina posteritas Abrahę, & qs sit uerus, qs fictitius populus dei. Cum ergo Iesus antea dixisset se cõtionari eã ueritatẽ, quã a deo patre suo didicerit, hoc est, cœlestem & diuinam doctrinam, Iudęos autem imitari suum patrem, nondum quidem aperte dicens, significans autem patrem ipsorum diabolum esse, Respon- derunt & dixerunt ei, Pater noster Abraham est. Intelligũt Iudęi, ꝙ Iesus neget ipsos esse filios Abrahę. Quare inuehũtur in eum contumeliose, Pater noster, inquiũt, est Abraham. Quicquid cogitaueris, quicquid senseris aut dixeris, & quales quales simus nos, certe negare non potes, nisi pergas impudentissime nugari, patrem nostrum esse Abraamũ, ideoq̃ nos esse uere liberũ populum, ac ueram Ecclesiam dei. Videsiterꝫ Iudęos confidere externo suo genere, ac nobilitate. Existimãt enim se idcirco esse populum dei, & gratum deo, ꝙ ducant originem suam à sancto patriarcha Abraamo. Hic est uulgaris hominum error, Alij enim, quo sunt ex familijs & successionibus suis in hac terra illustriores, eo putant se esse excellentiores in regno cœlesti corã deo. Alij fortuna facultatum & dignitatis suę ita confidunt, ut sentiant sibi tanto sublimiorem locum apud Dñm deum nostrum deberi, quanto pauperioribus & indignioribus hominibus in terra anteferri uidentur. An nõ etiam pontifices gloriantur, sicut & Iudęi, ꝙ cum sint ordinarij successores Apostolorum, debeant etiam, uel hoc solo nomine agnosci pro uera Ecclesia Christi: Itaq̃ & hi, quales quales alioqui fuerint uel doctrina uel uita, confidunt nobilitate et sanctitate maiorum suorum. Sed Iesus Christus reprehendit hanc uanissimam opinionem, sicut & antea grauissime. Et dicit eis. Si filij Abrahę essetis, opera Abrahę faceretis. Nunc aũt quęritis me interficere hominẽ, qui ueritatem uobis locutus sum, quam audiui a' deo. Hoc Abraham non fecit. Priusq̃ hęc uerba perstringamus, exponendum erit, quę sit ea ueritas, quam Iesus sępe numero & ante, & hoc loco, & postea affirmat, se à deo patre suo audiuisse & didicisse. Ac omnia quidem, quæ Iesus docuit, sunt certissima ueritas, & cœlestis doctrina; hic autem fit præcipue sermo, de ea ueritate, qua tribuit sibi honorem Messię, ac filij dei. Docuit enim se esse uerũ illum Messiam seu Christum filium dei, quẽ deus per prophetas promiserit, ad benedicendas & seruandas oẽs gentes, quæ ipsum agnoscant, missurum. Hæc est pręcipua, & propria doctrina Iesu, quam etiam non proposuit auditoribus, nudis uerbis, sed confirmauit ueritatem eius, magnis & multis miraculis. De hac igitur doctrina oriuntur inter Iesum & Iudęos acerrimę cõtentiões. Iesus affirmabat hanc

Doctrina Iesu propria quæ

esse certissimâ ueritatem. Contra, Iudęi, quia non uidebāt in Iesu mundanam maiestatem, negabant pertinacissime, ac tātum aberat, ut fidem huic doctrinę eius adhiberent, ut etiam statuerēt eum interficere. Quare, cum tantam impietatem & immanitatem designarent, Iesus primum negat eos esse ueros filios Abrahę, idq; probat hoc argumento, Non sunt ueri filij Abrahę, qui non imitantur opera, seu fidē & pietatē Abrahę. Vos aūt non imitamini opera Abrahę, Non estis igit̄ ueri filij Abrahę. Sed huius argumenti partes considerandę sunt. Nā, q; hi dicantur uerius filij Abrahę, qui opera seu uirtutem Abrahę sectātur, q̄; qui neglecta paterna uirtute, genus tantum externum ab ipso ducunt, etiam ipsa humana ratione iudice conuinci potest. Sapientes enim hoies sentiunt eum esse uirum nobilem, non qui natus est è parentibus nobilibus sed qui nobilibus & claris uirtutibus operam dederit. Bonus (inquit ille) uir, nobilis mihi uidetur. Quod si uero q̄spiam malus fuerit, ignobilis mihi uidet̄, etiāsi natus fuerit patre, qui loue sit melior. Sed & consuetudo obtinuit, ut filium degenerantē à bonis moribus maiorum suorum, affirmemus non esse filium eorę parentum, quorę uocatur. Scriptura etiam ipsa tribuit degenerantes & impios filios, alijs parētibus, q̄ q̄rum carnales sunt filij. Esaias uocat principes Israelis, principes Zodomorę, & Israelem ipsum uocat populum Gomorrę, cum tm̄ hi genus suum ducerent à sanctissimis patriarchis Abraamo, Isaaco, & Iacobo. In Ezechiele dicit̄ ad impios ciues Hierosolymitanos, qui erant de genere Abrahę, Radix tua & generatio tua de terra Canaan, Pater tuus Amorręus, & mater tua Cethea. Manifestum igitur est, q; recte sentiat, q; impios posteros Abrahę, neget esse ueros Abrahę filios. Conferamus nunc in medium opera Iudęorę, & uideamus, num conueniant cum operibus & uirtutibus Abrahę. Si filij (inquit) Abrahę essetis, opera Abrahę faceretis. Quę ergo sunt illa opa, q̄ sunt uirtutes Abrahę? Abraham recessit ab Idolatria, & coluit unum deum. An non & Iudęi unum tm̄ deum coluerunt? Abraham circumcisus est, An non et Iudęi circūcisi fuerunt? Quid ergo deest Iudęis, q; non faciant opera Abrahę? Vnū deum coluit Abrahā. Recte. Sed unus deus nō potest uere coli, nisi cognita eius clementia per semen mulieri in paradiso promissum. Circūcisus est Abraham, Et hoc recte, Sed externa illa circumcisione non abiuitur uera pietas. Extant & multa alia opera pietatis, q̄ fecit Abrahā. Sed unum tm̄ est opus, q̄d ut excellit oīa alia, ita unum illud est, quo solo Abraham factus est Dño deo nostro acceptissimus, & patriarcha lōge oīm illustrissimus. Deus em̄ promisit Abraamo Semen seu filium, quo benedicendę essent oēs gentes. Hic filius est Iesus Christus. Quō ergo Abraham gessit sese erga hanc promissionē, seu potius erga hunc filiu promissum? Credidit (inq̄t scriptura) Abrahā deo, & reputatum est ei ad

Ἐπίρ. ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς, εὐγενὴς ἐμοὶ εὐ ἀνήρ ὁ δ' οὐ δίκαιος, κἂν ἀμείνονος πατρὸς ᾖ νὸς τεφύκῃ, δυσγενὴς εἶναι δοκεῖ.

est ei ad iustitiam. Hoc illud est opus, hęc illa uirtus est, qua Abraham tantam gloriam apud deum est cõsecutus. Credidit enim in Christum sibi diuinitus promissum. Collocauit oẽm salutis suę fiduciã, in hoc solo Christo. Exultauit, quẽadmodum paulopost sequitur, ut uideret diẽ Christi. Vidit & gauisus est. Ex hac fide ita obediuit deo, ut ne uoluerit quidem uitę unigeniti filij sui Isaaci parcere. Hac fide deus intãtum est delectatus, ut non solum reputauerit Abrahamum iustum, sed etiã contulerit in ipsum ęterna benefitia cœlestis regni. Quare cum fit mentio operum seu uirtutum Abrahę, sentiendum est ꝙ sermo fiat p̃cipue oĩm de fide Abrahę in semen ipsi promissum, quod est Iesus Christus, propter quem etiã Abraham consecutus est iustitiam & perpetuã salutem. Sed cõsidera mihi nunc, quę sint opera seu uirtutes Iudęorꝫ. Vos q̃ritis, inquit, me interficere, hoĩem, qui ueritatem uobis locutus sum, quã audiui à deo. Hoc Abraham non fecit. Ego perspicue doceo, me illum esse, qui promissus est Abrahę. Hęc est certissima ueritas, quã non confinxi, sed quam deus pater me contionari iussit, & quam confirmo tot cœlestibus testimonijs ac miraculis. Videte ergo mihi, quõ Abrahę & uestra opera cõueniant. Ille in me credidit. Vos me reijcitis, & abominamini. Ille oẽm salutis suę spem in me solo collocauit. Vos hoc solum agitis, ut me damnetis. Ille exultauit, ut uideret diem meum. Vos exultatis, ut uideatis mortẽ meam, & me interficiatis. Ille, ut declararet fidẽ suam in me, uoluit occidere filium suum, Vos aũt ut declaretis incredulitatẽ & uirulentum uestrꝫ odium in me, q̃ritis me ipsum occidere. Quid igitur magis perspicuum est, q̃ꝫ ꝙ non sitis ueri filij Abrahę, etiãsi externũ genus ab Abrahamo ducatis? Hęc aũt nec sunt dicta, nec conscripta tm̃ propter Iudęos, sed propter uniuersam Ecclesiã dei. Post q̃ꝫ enim Abraham uocatus est à deo pater multarꝫ gentium, & promissum est ei diuinitus, ꝙ deus uelit esse deus seminis eius, & ꝙ in semine eius benedicendę sint oẽs gentes, manifestũ est, ꝙ nullus possit deo acceptus esse, & consequi ueram benedictionẽ ac salutem, nisi fuerit e' gente, familia, & posteritate Abrahę. Vnde & in Euangelio, quod inscribitur secundum Lucam, Lazarus deportatur ab angelis in sinũ Abrahę, ut significaret Abrahamum esse patrẽ eorꝫ, qui consequunt cœlestem salutẽ. Et cum Zachęus resipuisset, ac Christum agnouisset, dicitur domus eius facta esse filia Abrahę. Duplex aũt est posteritas aut cõsanguinitas Abrahę. Alia est Carnalis, alia spũalis. Ac carnalis quidẽ posteritas Abrahę suam habuit suo tẽpore in hoc seculo gloriam, nisi aũt accesserit spũalis cognatio cum Abrahamo, nulla prorsus est gloria carnalis cognationis corã deo. Nam spũalis posteritas Abrahę ea dicitur, q̃ sectat fidem Abrahę, hoc est, quę credit in promissum semen Abrahę, uidelicet Iesum Christum Dñm nostrꝫ, siue ducat externum ge-

Abrahę fides.

Abrahę consanguinitas duplex.

nus ab Abrahamo, siue non ducat. De Hierusalem enim, in qua urbe habitabat posteritas Abrahæ, dicit Esaias. Filij tui de longe uenient, et filiæ tuæ de latere surgent. Quo dicto significat propheta Gentes fore per Christũ ciues Hierosolymitanos, hoc est, posteros Abrahæ. Et Ose as. In loco ubi dicetur eis, Non populus meus uos, dicetur eis, Filij dei uiuentis. Huc pertinet, quod & Ioannes Baptista ait. Ne sitis, inquiẽs, hac mente, ut dicatis intra uosipsos, Patrem habemus Abraham. Dico enim uobis quia possit deus facere, ut ex lapidibus his filij surgant ipsi Abrahæ. Et Christus. Multi ab oriente & occidente uenient, & accumbẽt cum Abrahã, Isaac & Iacob in regno cœlorum, filij uero regni eijcient in tenebras exteriores. Ac Paulus, Non oẽs, inquit, qui sunt ex Israel, sunt Israel, neq; quia sunt semẽ Abrahæ, statim oẽs filij, sed per Isaac nominabit tibi semen, hoc est, non qui filij carnis, hi filij dei, sed qui sunt filij promissionis, recensentur in semen. Et iterũ. Nos fratres secundum Isaac promissionis filij sumus. Quare, cum nos, qui sumus ex gentibus incircumcisis, credimus in Iesum Christum, qui est uerũ semẽ Abrahæ, tunc quãdmodum coniungimur cum Abrahamo spũali cognatione, & efficimur spũalis eius posteritas, ita adoptamur etiã in filios dei, & consequimur uerã, cœlestem bñdictiõem, ac hereditatem. Deinde hæc contio Christi de ueris & illegitimis filijs Abrahæ, rephendit uanitatẽ impiorũ Pontificum, qui etsi docent impie, & uiuunt turpiter, tñ quia sunt ordinarij successores Apostolorũ, gloriantur se esse ueram dei Ecclesiam, et quis sua decreta, pro diuinis mandatis suscipienda esse. Sed sicut duplex est posteritas Abrahæ, ita etiam duplex est successio Apostolorũ. Altera est externa & politica, qua ab hoibus eliguntur, qui administrent episcopatum Ecclesiæ dei. Hæc suum habet usum, si nõ defuerit spũalis successio, Altera eñ & pcipua successio est spũalis, quæ est, cum hi qui docent Ecclesiã, adnuntiant uerã & Apostolicam doctrinã, hoc est, syncerũ Euãgelion Dñi nostri Iesu Christi. Nam qui psequuntur Apostolicam seu Euangelicã doctrinam, nõ magis sunt ueri Successores Apostolorũ, q̃ Iudæi, qui Christum crucifixerunt, ueri posteri Abrahæ. Postremo rephendit Christus in hac cõtione etiam politicos nobiles, qui cum iactant maiorũ suorũ gloriam, nõ sectant eorũ uirtutes, qua illi tantum gloriæ sunt cõsecuti. Sicut enim impij Iudæi, nõ fuerunt ueri filij Abrahæ, etiãsi genus suum ab Abraamo ducerent, ita illi, q̃ numerãt auos & proauos suos clarissimos principes, Barones, ac nobiles, & interim non aliud agunt, q̃ q dent operã helluationibus, cõpotationibus, adulteriis, tyrannidi & latrocinio, non sunt ueri filij seu posteri eorũ maiorũ, qui uirtutib. suis tantã amplitudinem sunt cõsecuti. Quare filijs in hoc studium incumbẽdum est, ne uicijs ac sceleribus suis obscurent aut sordident maiorũ suorũ gloriam, sed ut eam uirtutibus illustriorem

Episcoporũ successio.

ſtriorem reddāt. Atq; hactenus quidem docuit Chriſtus, q̃ Iudęi non ſint ueri filij Abrahę. Itaq; ademit eis gloriam, quam habebant ex patri archa Abraamo. Nunc adimit etiam eis gloriam, quā habebant ex deo, & docet eos non eſſe uerā Eccleſiam dei. Cum enim Chriſtus dixiſſet, Vos facitis opera patris ueſtri, etſi nondum aperte dixit, de Satana, tñ Iudęi probe intelligunt, Chriſtum ſignificare hoc uerbo, q̃ ſectenĩ Satanam, & ſint idolatrę, ſeu cultores dęmoniorum, ſicut & gentes. Dixerunt itaq; ei. Nos ex fornicatione non ſumus nati. Vnum patrem habemus deum. Fornicatio ſpūalis, de qua Iudęi hic loquūtur, eſt idolatria. Non accipias, inquit ſcriptura, uxorem de filiabus eorꝝ, filijs tuis, ne poſtq̃ ipſę fuerint fornicatę, fornicari faciant & filios tuos in deos ſuos. Et ad Moſen dicitur. Ecce tu dormies cum patribus tuis, & populus iſte conſurgens, fornicabitur poſt deos alienos. Vides ex his dictis, q̃ ſcriptura uocet Idolatriam, fornicationem. Quod igitur Iudęi ad Chriſtum dicunt, habet hanc ſententiam. Cum dicis, nos facere opera patris noſtri, ſignificare uideris nos eſſe ſpurios & illegitimos filios dei, ac ſectari dęmonia, quemadmodum gentes. At ut uerꝝ ſcias, nō ſumus in circumciſę gentes, nec ex his nati. Hæ ſunt Idolatræ, & dij earꝝ ſunt dæmonia. Sed ſumus nati è ſanctiſſimis maioribus, qui unum tantum, & uerum deum coluerunt, quem & nos colimus. Quare non ſumus ſpurij & illegitimi, ſed ueri & legitimi filij dei. Audiamus ergo, quō Chriſtus refutet hanc iactantiam Iudæorum. Dixit eis Ieſus. Si deus pater ueſter eſſet diligeretis utiq; me. Ego enim ex deo proceſſi, & ueni. Neq; enim ueni à meipſo, ſed ille me miſit. Quare loquelam meam non agnoſcitis, quia non poteſtis audire ſermonē meum. Perſpicua probatio, q̃ Iudęi non ſint ueri filij dei, nec uere unum deum colant, Si deus pater ueſter eſſet, diligeretis utiq; me, hoc eſt, Quicunq; non diligit me, nec loquelam aut contionem meam agnoſcit, is non habet deum patrē, non eſt legitimus filius dei, nec uerus unius dei cultor. Quam ob cauſſam? quia non ueni in hunc mundum à meipſo, ſed deus miſit me. Nā ab initio mundi promiſit deus, q̃ uelit mittere filium ſuum in mundū, ex muliere, qui conterat ſerpenti caput, qui conferat gentibus benedictionē, qui iuſtificet ac ſeruet oēs in ipſum credentes. Hic eſt Ieſus Chriſtus. In hoc deus uult patefieri, in hoc uult inuocari, in hoc uult coli atque glorificari. In hoc ſolo deus uult hoīes iuſtificare et ſeruare. Hic, inquiens, eſt filius meus dilectus, in quo mihi cōplacitum eſt. Et, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terrę. Quare qui hunc filium dei, Ieſum Chriſtum, non agnouerit, nec ſermonem eius per fidē ſuſceperit, is ut non eſt uerus filius dei, ita nec eſt uerus dei cultor, nec eſt deo acceptus. Huc mihi nunc Iudæos confer, & manifeſte uidebis,

Exod. 34.

Idolatria, fornicatio.

ꝙ non ſint ueri filij aut cultores dei. Nam tantũ abeſt ut diligant Ieſum Chriſtum, ut prę impietate ſua nec poſſint nec uelint ſermonem Chriſti audire, & ueritatem loquelę eius agnoſcere, ſed potius abominentur oēs contiones eius, & in hoc ſolum ſtudium incumbunt, ut interficiāt ipſum. Reliquum igitur eſt, ꝙ nequaq̃ cenſendi ſint ueri ac legitimi cultores dei. Quod de Iudæis dictum eſt, hoc intelligendum eſt de oibus Turcis, & hypocritis. Hi enim non diligunt Ieſum Chriſtum, non agnoſcunt Euãgelion eius, non tribuunt ei maieſtatẽ expiationis pctõrum, & redemptionis. Quare etſi gloriantur de uno deo, quem ſe colere affirmant, tñ non ſunt legitimi filij Dei, nec ueri cultores dei. Cuius ergo ſunt filij, cuius ſunt cultores? Sequit. Vos ex patre diabolo eſtis, & deſiderijs patris ueſtri uultis obſequi. Ille homicida erat ab initio, et in ueritate non ſtetit, quia non eſt ueritas in eo. Cum loquitur mendatium, ex proprijs loquit. Quia mendax eſt, & pater eius. (uidelicet mendacis) Ego autem, quia ueritatem dico, non creditis mihi. Quis ex uobis arguet me de peccato? Porro, ſi ueritatem dico, quare uos non creditis mihi? Hic nunc ſine ulla circuitione exponit Chriſtus, quem ante intellexerit patrem Iudęorum. Vos, inquiens, ex patre diabolo eſtis. Sed quõ hoc ꝓbabitur? Nihil profecto certius eſt. Quiſqs em̃ cõtempta ueritate uerbi dei, amat mendatium, & meditatur homicidium, is eſt filius diaboli. Quod ne quis temere magis q̃ uere dictum exiſtimet, Chriſtus ipſe perſpicua ratione confirmat. Diabolus enim etſi creatus eſt à deo in ueritate, iuſtitia & ſanctitate, ſicut & reliqui angeli, tamen non ſtetit, non permanſit in ueritate, ſed factus eſt, primum quidem mendax, idq̃ non diuina creatione, qua bonus & uerax factus eſt, ſed ſua ipſius excogitatione & malitia. Cum enim loquitur mendatiũ, non eſt creatio dei, ſed propria natura Satanæ. Ex proprijs (inquit) loquitur, cum mendatium loquitur. Deinde factus eſt ſuo ipſius conſilio, homicida. Reliquum igitur eſt, ꝙ Satan ſit pater mendacis & homicidæ, & qui amat mẽdatium, ac meditatur homicidium, ſit filius Satanę. Quod cum ita ſe habeat, audiamus nunc de operibus Iudæorum. Quid enim faciunt? Vos uultis, inquit, deſiderijs patris ueſtri obſequi. Ego enim doceo ueritatem, uidelicet, me eſſe uerum Meſſiam, à deo promiſſum, & hoc tempore exhibitum. Vos autem, etſi nullus ueſtrum poſſit me arguere peccati, ſeu mendatij, quin potius agitedum, prodeat é uobis quiſpiam, qui me alicuius mendatij, aut etiam alterius cuiuſdam peccati conuincat? tamen tantum abeſt, ut mihi fidem habeatis, ut & impia mendatia ſectemini, & in meam necem conſpiraueritis. Hęc certe, mendatium uidelicet, & homicidium, ſunt deſideria, ſunt affectus, ſunt opera Satanę. Quare, cum uos hæc Satanę opera faciatis, nihil manifeſtius eſt, q̃ ꝙ Satan ſit pater ueſter, & uos ſitis filij Satanę. An non hæc ſatis ſunt per-

Diabolus mendax & homicida.

ſunt perſpicua? Sed quod Chriſtus hoc loco de Satana ſeu diabolo con
tionatur, non eſt oſcitanter cõſiderandum. Docet enim unde ortum ſit
malum ſeu peccatum. Etenim Dñs Deus noſter natura bonus eſt, & o- *Peccatum unde ſit.*
dio habet iniquitatem. Quare fieri non poteſt, ut malum habeat origi-
nem ſuam à deo. Vnde ergo eſt malum? unde pctũm? De hac re ita ſen
tiendum eſt. Deus creauit omnes angelos, ab initio bonos, & beatos.
Vidit enim deus cuncta, quę fecerat, & erant ualde bona. Inter hos aũt,
alij conſtiterunt in ſua bonitate, qui & perpetuo manent boni & beati,
alij autem defecerunt ſua ipſorũ uoluntate à bonitate ad malitiam, exco
gitauerunt mendatium, & homicidium, adeoq; omnia genera ſceleru.
Hi uocantur nunc dęmones, diaboli & Satanę. Ille, inquit Chriſtus, ho
micida erat ab initio, et in ueritate non ſtetit, quia ueritas in eo non eſt.
Cum loquitur mendatiũ, ex proprijs (ſeu propria natura, non quidem
ſic à deo creata, ſed ſua uoluntate facta) loquitur, quia mendax eſt. Igi-
tur & pater mendacis. Et aliàs dicit Ioannes. Qui cõmittit peccatum, ex *1. Ioannis. 3.*
diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccat. Teſtatur et Petrus, An
gelos peccaſſe, & factos eſſe diabolos. Deus, inquiens, angelis qui pec *2. Pe. 2*
cauerant, non pepercit. Sed & Iudas in ſuo epiſtolio, Angelos, inquit,
qui non ſeruauerant ſuam originem, ſed reliquerãt ſuum domicilium,
ſeruauit ſub caligine æternis uinculis ad iuditiũ magni illius diei. Hic
paucis uerbis tria nobis de angelis Satanæ obſeruanda proponuntur.
Vnum eſt, q̃ hi angeli habuerint initio bonam originem, et ſint à deo *Satanę ángeli.*
boni ac fœlices creati. Alterũ eſt, q̃ non conſeruauerint hãc bonitatem,
ſed defecerint à Deo, & facti ſint non mali tantum, ſed & autores mali.
Tertium, q̃ eiecti ſint è cœleſti fœlicitate, ad perpetuũ interitum. Nã
de ſempiterna damnatione Satanę, cõtionatur etiam Chriſtus ipſe. Ite,
inquiens, maledicti in ignem ęternum, qui paratus eſt diabolo & ange
lis eius. Et Petrus, Deus, inquit, angelis, qui peccauerant non pepercit,
ſed catenis noctis in tartarum p̃cipitatos, tradidit ſeruatos in iuditium.
Quare manifeſtũ eſt, q̃ Dñs deus noſter non ſit autor pctĩ, ſed diabo
lus, qui primum quidem excogitauit pctũm ſua ipſius uoluntate, prop
ter quod etiam deiectus eſt, in extremam & perpetuam infœlicitatem,
deinde autem inſpirauit & homini peccatum. Itaq; propter unum ho-
minem, quemadmodum Paulus ait, peccatũ introijt in mundum, ac
per peccatum, mors, & ſic in omnes homines mors peruaſit, quatenus
omnes peccauimus. Fortaſſis autem nõ fuerit alienum à propoſito con
ſiderare, quod genus peccati diabolus ab initio deſignauerit, propter
quod deiectus ſit è cœleſti beatitudine, ad ſempiternum cruciatũ. Sunt,
qui dicunt diabolum arrogantia inflatum, uoluiſſe Deo eſſe ſimilem.
Et hi citãt illud Eſaiæ, Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane *Eſa. 14.*
oriebariss? Corruiſti in terrã, qui uulnerabas gentes, qui dicebas in cor

de tuo, In cœlum conſcendam, ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum. Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium. Similis ero altiſſimo. Ac hi quidem, qui tribuũt diabolo ſuperbiam & arrogantiam, non omnino nihil dicunt, hæc aũt Eſaię uerba, non cõtionantur, iuxta literam, de diabolo, ſed de Nebucad Nezare rege Babylonioꝝ. Iudaica fabula eſt, ꝙ Satan proturbatus ſit è cœlo, propterea ꝙ noluerit adorare Adamum. Quid his nugis ineptius? Et tamen apparet fabulam hinc ortam, ꝙ diabolus noluerit adorare & obedire ſecundo Adamo, qui eſt de cœlo, cœleſtis, unigenitus filius dei. Sed quid plura? Chriſtus perſpicue docet hoc loco, ꝙ diabolus fuerit ab initio mẽdax & homicida. Inueſtigemus ergo quale illud mendatium et homicidium fuerit, quod diabolus cõmiſit. Non eſt quidem obſcurꝝ, quale mendatium dixerit Euę, & quale homicidium meditatus ſit aduerſus hominẽ, ſed diabolus fuit mendax & homicida ſeu occiſor, priuſq̃ homo creatus eſt. Niſi enim ante peccaſſet, non fuiſſet è cœlo deiectus. Videamus ergo quale fuerit mendatium, & genus occiſiõis, quo peccauit. Quid aũt multa, & curioſa inquiſitione opus eſt, cum diabolus iam inde à conditione hominis ſemper manifeſte prodiderit peccatum ſuum. In hoc enim ſtudium omni cogitatiõe & cura ſua incumbit, ut perſuadeat hominibus, quo tribuant ſibi ipſis maieſtatem diuinitatis, hoc eſt, ut contempto Chriſto, filio dei, arrogent ſuis uirtutibus laudem, gloriam, & meritum iuſtitię ac fœlicitatis. Hoc enim eſt ſibi maieſtatem diuinitatis proturbato filio Dei tribuere. An non ſatim, creato homine, excitauit eum mendatio, ut conaretur reponere ſe in locum filij dei? Nequaq̃, inquiens, morte moriemini. Scit enim deus, ꝙ in quocũq; die comederitis ex hoc fructu, aperiẽtur oculi ueſtri, & eritis ſicut deus, ſcientes bonum & malum. Habes hic mendatium, ꝙ diabolus promittit per inobedientiam pręcepti Dei, maieſtatem diuinitatis. Et hoc mendatio, occidit hominem. Itaq; habes etiam homicidium. Deinde uide mihi Cainum. Hunc diabolus inſtigauit primum, ut ſentiret ſe ipſum eſſe ſemen mulieri promiſſum, hoc eſt, Chriſtum filium Dei, DOMINVM cœli & terræ, poſtea, cum frater eius anteferretur ipſi diuino iuditio, ſollicitauit eum, ad necandum fratrem, hac ſpe propoſita, ꝙ ſi interficeret fratrem, retineret maieſtatem diuinitatis, & dominationis. Dominatio enim eſt maieſtas diuinitatis. Habes iterum mendatium & homicidium. Sic diabolo autore, & graſſante ſemper mendatijs aduerſus filium Dei, quem ſemper uirulentiſſimo odio habuit, & contra humanam ſalutem, perſecutus eſt Iſmael Iſaacum, Eſau Iacobum, Pharao Iſraelitas, Saul Dauidem, hypocritæ prophetas, Gentes Iudæos, breuiter impij, pios, donec uenit in hunc mundum Chriſtus ipſe, aduerſus quem excitauit diabolus

Satanæ peccatum quod ſit,

mendatijs

mendacijs suis omnia genera hominum, nec uncq; abijciet odium suum aduersus Christum filium dei, et membra eius. Cum autem hoc sit principuũ studiũ diaboli, facile intelligi potest, quale fuerit genus mendacij & occisionis, q̃ diabolus ab initio, antecq; homo conditus esset, peccauit, et propter q̃d deiectus est in ęternã damnationẽ. Nam creatus est à deo, dignissimus quidẽ & excellẽtissimus, sed tm̃ angelus, hoc est, seruus & minister dei, non deus ipse. Vidit autẽ filio dei deberi oẽm maiestatem & dominationẽ, uidit & se filio dei subiectum esse. Sed excogitauit hoc mendaciũ, q̃ si non obediret filio dei, se ipsum consecuturę omnẽ maiestatẽ diuinitatis, & proturbato filio dei dñaturum ppetuo. Quare fauens mendaci suę spei, noluit maiestatẽ filij dei obedienter adorare, sed uendicauit sibi potius dominationem, & hoc egit, ut abiecto filio dei, ipse omniũ rerum potiret. Habes, quod genus peccati diabolus ab initio designauerit, quo peccato, cum ipse perierit, studet etiam omnes homines perdere. Redeamus aũt ad nostrum institutũ. Nam cũ diabolus sit sua ipsius uoluntate mendax & homicida, non sibi tm̃ malus est, sed trãsfundit mendaciũ & homicidiũ in hoĩes, q̃s & ita sibi obnoxios reddit, ut toto pectore inspirationẽ eius amplectant. Quare q̃ obediunt diabolo, et student mendacijs, ac meditantur homicidia, non sunt dicendi filij dei, sed filij diaboli. Hic nunc uide mihi, quãtus sit numerus filiorum diaboli inter homines. Primum em̃ omnes ludęi, quales quidẽ hoc tempore sunt ludęi, oẽs Turcę & omnes hypocritę, sunt filij diaboli. Non em̃ adhibent fidem ueritati filij dei, sed mendacio diaboli, et sęuiunt crudeliter in eos, qui ueritatẽ filij dei agnoscunt. Deinde sunt & omnes homines natura sua filij diaboli. Omnis em̃ homo, inquit Psalmus, mẽdax. Mendacis aũt pater est diabolus. Quid igitur faciendum, ut liberati à diabolo, fiamus filij dei? Hoc Ioannes breuissimis supra docuit. Quotquot, inqens, receperunt eum, uidelicet Iesum Christum, dedit eis potestatẽ filios dei fieri, his qui credidissent in nomen ipsius. Et Paulus. Vbi uenit, inqt, plenitudo temporis, emisit deus filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxiũ, ut eos, qui legi erant obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorũ acciperemus. Sed de his hactenus. Ad extremum huius contionis addit Christus aliud argumentum, quo probat Iudæos non esse filios Dei, sed diaboli. Et ait. Qui ex Deo est, uerba Dei audit. Propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis. Quid iterum posset magis perspicue dici? In Deuteronomio promittitur Christus, Prophetam, inquit Moses, de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi DOMINVS Deus tuus, IPSVM AVDIES. Et mox. Ponã, inquit DOMINVS, uerba mea in ore eius, loq̃turq̃ ad eos oĩa, quę pręcepero illi. Iesus autẽ manifestis signis & certissimis argumẽtis probabat se hũc esse prophe

Satanæ filiorũ numerus.

tam & uerba eius, esse uerba dei. Dicit ergo ad Iudæos cõtemptores. Fieri non potest, ut qui est uere populus ac Ecclesia dei, contẽnat uerba dei, quæ Messias eius cõtionatur. Vos aũt non auditis uerba Messiæ, quę sunt uere uerba dei. Quis ergo dicere possit uos esse populum, Ecclesiam, seu filios dei? Hic iterꝝ diligenter considerandũ est, quàm seuerum pronuntietur iuditium aduersus eos, qui cõtemnunt Euangelion Dñi nostri Iesu Christi. Non simpliciter peccare dicuntur, sed Non esse ex deo, hoc est, non esse populum dei, non esse Ecclesiã dei, non esse filios Dei, sed potius Ecclesiam & filios diaboli. Inter cõtemptores aũt non tantum hi numerandi sunt, qui persequũtur Christum & Euangelion eius, aut qui manifeste sunt scelerati, sed & hi, qui cum in cõtubernio Christianorꝝ uitam agant, nulla tamen cura cognoscendi Euãgelij afficiuntur, sed alius quidem uillam emit, ut habet parabola, alius emit iuga boum, alius ducit uxorẽ. Quę quidem per se non sunt mala opera, his aũt operibus sic deditum ac intentum esse, ut nullam prorsus habeas rationem cognoscendi Christi, ac Euangelij eius, hęc demũ extrema est internitio. De his ait paterfamilias. Dico uobis, ꝙ nemo uirorꝝ illorum, qui uocati sunt, gustabit cœnam meã. In hoc aũt loco manifeste adimitur eis gloria filiorꝝ dei, & pronũtiantur esse filij diaboli. Metuamus igitur seueritatẽ diuini iuditij, & suscipiamus ueram curã atq; diligentiam audiendi Euangelij, et cognoscendi Christi, ut liberemur tyrannide ac seruitute Satanę, & consequamur libertatẽ & hęreditatem filiorum Dei, per Iesum Christum seruatorem nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LXXI.

Vod in superiori contione Iesus Christus de diabolo dixit, Cum loquitur mẽdatium, ex proprijs loquitur, quia mẽdax est, & pater mendacis, non solum exponit ꝙ diabolus sit totus è mendatio compositus, & ꝙ peccatum ducat originem suam à diabolo, uerꝝ etiam monet nos, ut caueamus, ne ulla in re mentiamur. Quare, priusq; explicatione nostra percurramus ea quę sequuntur, dicendum est de uitando mendatio, ut proposita nobis turpitudine ac fœditate mendatij, ueritatem loqui discamus. Ac omnino hæc est necessaria contio, quippe ꝙ inter homines nullus sit mentiendi nec finis nec modus. Non dicemus autem nunc de mendaci doctrina, quam impij confingunt, de religione dei, ac obtrudunt eam Ecclesię pro ueritate. Hoc mendatij genus maxime quidem est horrendũ, sed est alterius loci & argumẽti. Nec dicemus de eo genere mendatij, q̃d hoĩes aliquoties inscientes, & nolentes proferunt, sed dicemus de uulgari illa mentiendi consuetudine, qua homines quod uerꝝ esse sciunt, impudenter negant,

Mendatium. uitandum.

negãt, aut quod falsum & uanum esse sciunt, prefracte affirmant. Comperimus autem reipsa horum mendatiorum plenam esse uniuersam humanam uitam. Pueri ab ineunte ętate delectantur mendatijs, & deprehensi in furtis, aut alijs sceleribus, mentiri solent, ac factum negare. Seruis & ancillis nõ solum usitatum, sed etiam quotidianũ est, mentiri. Solent em̃ apud dominos suos de uicinis, & uicissim apud uicinos de dominis mendacia confingere. Mercatores parum iuuat lucrari, nec putãt se posse multũ proficere, nisi admodum mentiant̃, quin & nonnunq̃ addunt mẽdatio iurisiurandi religionẽ. Opifices existimãt se non posse operas suas cõmode extrudere, nisi adijciant orationis uanitatẽ & ornent eas nugis ac mendatijs. In publicis quoq̃ iuditijs frequẽtissima est cõsuetudo menciẽdi, non inter partes tantũ litigantes, sed etiã testes ipsos, adeoq̃ ut propheta ait, maledictum & mendatium inundauerunt. Quod certe hinc adeo accidere uideť, partim q̃ cum hoĩes natura sint captiui Satanæ, qui est autor mendatij, afferant secũ in hunc mundũ libidinem mentiendi, partim, q̃ hoĩes iudicent mentiri esse lusum puerilem. Loquũtur de mendacibus ridicule. Dicũt mendaces esse sano iecinore pręditos. Et quia publica testimonia iureiurando, quod fit leua ta in cœlum manu, exigunt̃, dicere solent, facilius esse iuramenta p̃stare, q̃ rapas effodere, propterea q̃ hic cõmacules manus, illic aũt serues manus puras. Quo dicto significant se sentire, q̃ parę referat, etiãsi qs in dicendo testimonio mentiatur. Hęc est magna turpitudo et fœditas, qua tantum pctũm, tam leue delictum iudicat̃. Quare grauitas & magnitudo huius pctĩ diligenter cognoscenda est, ut discamus abstinere à mendatio, & loqui ueritatẽ. Ac initio, nihil certe grauius, nihil horribilius potest aduersus mendaces dici, q̃ quod Christus ait, diabolũ esse mendacem, & patrẽ mendacis. Hoc em̃ dicto perspicue significat, eũ qui sciens mentiť, non iam esse filium dei, sed filium diaboli. Cum em̃ diabolus sit pater mendacis, profecto mẽdacem, filium esse diaboli, necesse est. Cogita nunc mihi, quis sit diabolus, & quæ sit hæreditas illa, quam is parens filijs suis tradat. Nam diabolus, etsi initio creatus est à Deo honestissimus, ac omnibus uirtutibus ornatissimus, tamen factus est propter peccatum, quod à seipso excogitauit, lõge oĩm turpissimus ac fœdissimus, ac tãtę est abominatiõis, ut etiã ad ipsum diaboli nomẽ homines trepidare & cohorrescere soleant. Tam turpis autem & tam horribilis parentis filij sunt mendaces. Si quis honesto animo prædi tus habeat parentem, uel furem uel latronem, uel incendiarium, magno afficitur pudore, ac uix audet oculos suos coram honestis uiris attollere. Cum quis considerauerit, (inquit quispiam è sapientibus huius seculi) scelera patris aut matris, seruili redditur animo, etiamsi alioqui fortis fuerit. Quid ergo facerent, q̃ pudore, imo quo horrore non

Mendatiorũ oĩa plena.

Diabolus quis sit.

Eurip.
Δουλοῖ γὰρ ἄνδρα κἂν θρασύστομος πλαγχνός τις ᾖ, ὅταν συνίδῃ μητρὸς ἢ πατρὸς κακά.

perfunderentur mendaces, cum cogitauerint parentem ipsorum esse diabolum ipsum, oim scelerum autorem & patronum? Sed considera etiã mihi, quę sit hęreditas diaboli. Nam diabolus pręcipitatus est è cœlo in Tartarum, ut Petrus ait, & seruatur catenis noctis, ad perpetuum ignem. Ite, inquit Christus, maledicti, in ignem ęternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. En, hęc est hęreditas diaboli, Tartarus uidelicet, & ignis infernalis. Cum igitur mendaces sint filij diaboli, manifestum est, cp & hęreditatem patris sui adeant, nec aliud ex mendacijs suis reportent, cp perpetuum ignem inferni. Quid aũt hac hęreditate abominabilius? quid hoc patrimonio horribilius, aut etiam calamitosius? Quem sana mente pręditum delectaret breuem menciendi uoluptatẽ, aut, ut aliquoties apparet, utilitatem, tanti emere? Deinde monet et nos Decalogus de grauitate & magnitudine eius peccati, quod menciendo designatur, cum ait, Non dicas falsum testimonium aduersus proximũ tuum. Nam quẽadmodum in hoc pręcepto, Non occidas, non prohibetur tm occisio, quę fit manu aut gladio, sed etiam ea, quę fit animo, hoc est, odium & inuidia, ita in hoc pręcepto, Non dicas falsum testimonium, non tm prohibetur publicum mendacium coram iudicibus, sed etiam priuatum mendacium, coram priuatis hominibus. Sic enim & lex ipsa interpretat, cum inquit, Nõ menciemini, nec decipiet unusquisq; proximum suum. Si aũt mentiri, est peccare aduersus decalogum, profecto dubium non est, quin debeat ei perpetua maledictio. Dicit enim lex. Maledictus oĩs, qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit. Et in psalmo dicitur. Odisti oẽs, qui operantur iniqtatem, perdes oẽs, qui loquuntur mẽdacium. Sed declarauit deus iram ac seueritatem suam aduersus mendacia,, etiam ea lege, quę extat de mẽdaci teste. Si steterit, inquit, testis mendax contra hominem, & iudices diligenter perscrutantes inuenerint falsum testem dixisse contra fratrẽ suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit. Et additur seuerissima appendix, NON MISEREBERIS eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedẽ pro pede exiges. In hac lege fit quidem tantum mentio publici mendacij coram iudicibus, & magistratibus, qui & publica nocentibus supplitia inferunt, coram deo aũt, qui nõ est respector externę pompę, sed rei ipsius, tam abominabile est priuatum, cp publicum mẽdacium. Abominatio Dño, inquit Salomon, labia mendacia. Et in Apocalypsi dicit Theologus, Omnibus mẽdacibus pars erit in stagno ardenti, igne & sulphure. Non est aũt silentio pretereundum horribile illud exemplum, quod de Anania & Sapphira in Actis Apostolicis extat. Hi coniuges, cum uẽdidissent agrum suum, seposuerunt aliquid de pcio, reliquum aũt deposuerunt pro more ad pedes apostolorũ, ac mẽciebantur

Diaboli hęreditas.

Leuit. 19.

se non

se non plus pretij ex agro accepisse, quã offerebant. Quid ergo factum est? num impune tulerunt hoc mendatium? Nemo cogebat hos coniuges facultates suas in cõmune conferre, ac licuisset ipsis sepositam partem pretij seruare, si id ingenue confessi fuissent, aut saltem non addidissent oratiõis uanitatem. Nunc autem, quia mentiebantur, tanta seueritate diuinitus puniti sunt, ut repentina morte interirent. Non es mentitus, inquit Petrus, hoĩbus, sed Deo. Quibus auditis, Ananias collapsus expirauit. Idem mox etiam uxori eius contigit. Quo exemplo perspicue significatur, ꝓ q sciẽtes mentiunt, mereantur tam repentinam q̃ꝫ perpetuã mortem. Quid ergo mendatio horribilius? Nam ꝓ hoc tempore, hi qui mentiuntur, non subito expirent, nõ idcirco accidit, ꝓ deus oblitus sit suæ seueritatis aduersus mendatium, sed ꝓ bonitas eius, ut Paulus ait, inuitet mendacẽ ad pœnitentiam. Nihil enim certius est, q̃ꝫ ꝓ mentiendo merearis repentinam mortem, deus aũt, qui non uult mortem pctõris, sed magis ut cõuertatur & uiuat, differt meritum supplitium, ut resipiscas. Quare, si contempseris diuitias bonitatis ac tolerantię dei, et perrexeris mentiri, nihil aliud reliquum est, q̃ꝫ ut colligas tibi iram in die irę, quo uentura est indignatio, afflictio & anxietas, ad uersus oẽm animam hoĩs perpetrantis malum. Sed quid? an ne magni quidem alicuius cõmodi gratia mentiri licet? Veteres sapiẽtes dixerũt. Non honestum quidem est mendatia loqui, attamẽ si ueritas graue malum afferat, ignoscendum est, etiamsi quis inhoneste loquatur. Et iterꝝ. Melius est eligere mendatium, q̃ꝫ uerꝝ malum. Ac rursus. Non est reprehendendum, si quis pro uita sua mendatium dixerit. Solent etiam mendaces se exemplis sacræ scripturæ tueri. Iacob mentitus est parenti suo Isaac. Ego sum, inquiens, primogenitus tuus Esau. Mentitæ sunt etiam obstetrices Ægyptię Pharaoni, cum dixerũt, hebręas mulieres parere, priusq̃ꝫ uenerint ad ipsas. Mentita est & Raab Hierichuntina, quę cum exploratores Israeliticos abscõdisset, dicebat eos exijsse è ciuitate. Et tamẽ, ut Iacob fuit sanctissimus patriarcha, ita & hę mulieres relatæ sunt in sanctorꝝ catalogum. Non licebit ergo horꝝ exemplo mentiri, pręsertim si maxima ex eo utilitas secutura uideatur? Nihil certe minus. Non enim licet exempla sanctorꝝ, pro nostra libidine, sine mãdato dei sectari. Sancti enim aliquoties habent personales uocationes, quas cum ipsi sectantur, obedientia est & cultus dei. Quod si idem alij, sine eadẽ aut simili uocatione fecerint, temeritas est & impietas. Abraham pie fecit, ꝓ uoluerit mactare unigenitum filiũ suum, quia fuit ad hoc diuinitus uocatus. Moses heroice fecit, ꝓ interfecerit Ægyptium qui afficiebat Israelitam iniuria, quia huc uocabat eum spũsanctus. Existimabat eũ, quemadmodum Stephanus ait, intelligere fratres suos, ꝓ deus per manum ipsius daret illis salutem. Quod si alij, sine speciali uocatione ma-

Sophò Καλὸν μὲν οὐκ ἔστι τὸ ψευδῆ λέγειν, ὅτῳ δ' ἀληθὲς δεινὸν ἢ ἀπαλλάξει κακοῦ, συγγνωστὸν εἰπεῖν ἐστι καὶ τὸ μὴ κακόν.

Κρεῖττον δ' ἐλέσθαι ψεῦδος, ἢ ἀληθὲς κακόν.

Οὐ νέμεσις καὶ ψεῦδος ὑπὲρ ψυχῆς ἀρωγεύειν.

Sanctorum exempla non temere imitanda.

ctarent filios suos, & occiderent eos, qui uicinum iniuria afficiant, non esset pietas, sed crudelitas, & immanitas. Aliq̃ties etiam Sancti ipsi peccant, ut Aheron institutione uituli aurei, Dauid adulterio & homicidio. Hęc exẽpla, si quis sectaretur, tam peccaret aduersus deum, q̃ Sancti ipsi peccauerunt. Videamus ergo in quem ordinem mendatia Sanctorum, q̃ ante cõmemorauimus, referenda sint. Nõ ignoro aũt, q̃ possint q̃dam excogitari, quibus defendantur, sed quid opus est ea in Sanctis sollicite defendere, quę scriptura ipsa non defendit? Isaac ipse uocat factum filij sui Iacob fraudem & dolum. Quid enim necesse habebant Rebecca & Iacob senem sic mendaciter aggredi, & benedictionẽ dolose p̃ripere, cum manifesta extabat promissio dei, qua dictum erat, q̃ maior esset seruiturus minori, hoc est, Esau Iacobo? Quare debuissent pium senem huius diuinę promissionis admonere, cui etiãsi senex non uoluisset locum dare, deus tñ uel in ipsa benedictionis cõmemoratione potuisset uerba eius ab Esau in Iacobum transferre, quemadmodum aliãs mutauit maledictionem, quam Bileam susceperat aduersus Israelitas dicendam, in uerba benedictionis. De Ægyptijs obstetricibus scriptum quidem est, q̃ deus benefecerit eis, non est autem sentiendũ, q̃ deus approbauerit mendatium ipsarum, & benefecerit eis propter mendatium, cum deus odio habeat illud, sed q̃ condonauerit quidem eis clementer peccatum mendatij, per fidem, benefecerit autem eis, propterea quod in cõseruandis masculis Israelitarum magis timuerint deum, q̃ mandatum regis fui. At uero Raab Hierichuntina tutata est exploratores suo mendatio, sed nisi deus clementer condonasset ei mendatium, coniecisset hoc peccato non seipsam tãtum sed & exploratores in pręsens exitium. Quid enim, si ciues Hierichuntini, perscrutati essent, nulla uerbis eius fide adhibita, totam domum? Et deus nõ fuit tantæ industrię, ut potuerit exploratores sine mendatio tueri? Quoties eripuit Dauidem è medio hostium suorum? An non cæcauit ciues Zodomiticos, ut non potuerint inuenire ianuam ędium Loth? an non cæcauit exercitum Syrię, ut Elizęum, quem trucidandum quęrebant, comitem & monstratorem uię, nõ agnouerint? Libet hoc loco commemorare historiam, quam Augustinus de Firmo scribit. Quanto fortius, inquit, quanto excellentius dices. Nec prodam, nec mentiar. Fecit hoc Episcopus quondam Tagastensis Ecclesię Firmus noĩe, firmior uoluntate. Nã cum ab eo quęreretur homo iussu imperatoris per apparitores ab eo missos, quẽ ad se confugientem diligentia quanta poterat, occultabat, respondit q̃rentibus, Nec mentiri se posse, nec hoĩem prodere. Passusq̃ multa tormenta corporis, nõdum em̃ erant imperatores Christiani, permansit in sententia. Deinde ad imperatorẽ ductus, usq̃ adeo mirabilis apparuit, ut ipsi hoĩ, quem seruabat, indulgentiam, sine ulla difficul-

Augustin. de mendatio ad Consencium.

difficultate impetraret. Quid? num existimas deum non potuisse multo fœliciorem euentum facere, si Raab ingenue confessa fuisset, se innocentes hoïes nec proditurum, nec ad lanienam traditurum? Sed hęc exẽpla tolerauit deus in sanctis suis clementer, ut & ipsi his admoniti non adscriberent suę iustitię benefitia dei, quę ipsis contigerunt, & nos cognosceremus, q̃ non debeamus aliena exempla sine certo uerbo ac uocatione dei sectari. Quę uero illa est utilitas, quam tu mihi ex mẽdatio prouenturam speras? An non etiã Ethnici uiderunt, utile non esse, q̃d non sit honestum? Nihil aũt mendatio inhonestius. Nec illud obscurę est, q̃ non sint facienda mala, ut eueniant bona. Sed quid? Si te metus damni, & cupiditas utilitatis tenet, certe prudentis est, minus damnum suscipere, ut maius uites, & minorem utilitatẽ negligere, ut maiorẽ cõsequaris. Confer igitur nunc mihi damna & utilitates, quę tum ex mendatio tum ex ueritate ueniunt, ut perspicue uideas quanta sit mendatiũ hoïm imprudentia & insania. Mercator, exẽpli gratia, uir pius, habet merces quasdã, ex q̃bus nullum potest lucrę facere, nisi addat oratiõis uanitatem, & mentiatur. Quid igitur faciat? Conferat inter se damna et lucra. Si dixerit ueritatẽ, faciet quidem nonnullam terrenę suę hęreditatis iacturam, sed interim conseruat cœlestem hęreditatem, quam habet per fidem in Iesu Christo, quia obsequitur diuinę uocationi. Si aũt dixerit mendatium, uidetur quidem aliquod terrenarum facultatum lucrę facere, sed interim facit iacturam perpetuę suę salutis, ac regni cœlestis. Et ut breuius dicam, Veritate manet filius ac hęres dei, Mendatio autẽ fit filius & hęres diaboli. Quod, obsecro, maius est damnũ? quod maius lucrum? an non potius est, manere hęres dei, cum iactura oïm terrenarum facultatum, q̃ fieri hæres diaboli cum oïm terrenarum facultatum lucro? Bonum est tibi, inquit Christus, ad uitam ingredi claudum aut mutilum, potius q̃ duas manus uel duos pedes habentem mitti in ignem ęternum. Alius quispiam in persecutione Euangelij captus, interrogatur num sentiat solum Iesum Christum esse expiatorẽ pctõrum. Si fatetur se hoc sentire, exponit se periculo uitę corporalis. Si autẽ negat & mentitur, uidetur quidem corporalem uitã ad tempus conseruare, sed interim amittit uitam ęternam. Quę ergo maior est iactura? Ne metuatis, inquit Christus, uobis ab his, qui occidunt corpus, animam aũt non possunt occidere. Sed metuite magis illum, qui põt & animam & corpus perdere in gehenna. Non potest em̃ fieri, ut mendatiũ sit diu fœlix ac fortunatum. Abominatio Dño, inquit Salomon, labia mendatia. Quod autẽ deus abominatur, quã, obsecro, haberet benedictionẽ? Adhęc, quod conseruas mendatio, hoc cõseruas pręsentia et auxilio diaboli, qui est mẽdax, ut supra dictum est, & pater mendacis. Itaq̃ si quis cum uel opes, uel uitam corporalem conseruat mẽdatio, posset spũales

oculos aperire, profecto uideret id quod sic conseruatum esset, manibus plusq̃ mille diabolorꝫ contineri. Vnus em̃ Diabolus, semel suscep tus, adducit secum diabolorꝫ legionem. Quę autem posset esse fœlicitas, quod incrementũ eius rei, quę tot diabolorꝫ manibus contineatur, & cui tot diaboli adhęreant? Quare maxime oim cauendũ nobis est & prouidendum, ne unquam, uel in minimis etiã rebus, mentiamur. Pro uidebimus aũt hoc modo, primũ, ut cum simus natura mẽdaces, discamus Euãgelion Christi, & cognoscamus Christum per fidẽ. Hic em̃ solus est ueritas. Quare si crediderimus in Iesum Christum, q̃ ipse sit seruator noster, remittit deus pctũm nostrꝫ, eripit nos è potestate diaboli, reputat nos ueraces & adoptat nos in filios suos ꝓpter Iesum Christũ. Donat etiam nos spũsancto, ut queamus uirtute eius reliquias mẽdacis naturę mortificare. Deinde suscipiendum est studiũ & exercitium dicẽdę ueritatis. Nulla ars sine aliqua exercitatione percipi potest. Non est aũt excellentior ars, q̃ scire uera dicere. Exerceamus igit̃ nos in hac arte, ut offitium hoĩe dignum faciamus, et uocationi dei obediamus. Huc aũt conferenda sunt oim studia, & operę. Magistratus tã diligenter debet in mendaces testes inqrere, q̃ in fures & latrones. Auferes, inquit lex, malum de medio tui, ut audientes cęteri timorẽ habeãt, & nequaq̃ talia facere audeant. Similiter & patresfamilias aĩaduertant pro sua uocatione grauissime in mendatia familiæ suæ, ne in domibus ipsorꝫ una cũ mendatijs, Satan dominet̃. Sed & priuatim unusqsq̃ proponat sibi ob oculos grauitatem huius pcti, & iram dei, aduersus mendatia. Meminerit mendatia pugnare ex diametro cũ Dño deo nostro, cogitet mẽdaces esse filios et hęredes diaboli, consideret aũt ex altera parte pulcritudinẽ ac uenustatẽ ueritatis, & magnitudinẽ ac multitudinem bñfitiorꝫ, quę deus ueritatis studio promisit, ut cõpressa et mortificata mẽtiendi libidine, loquat̃ ueritatem cũ ꝓximo suo, ꝑ Iesum Christũ Dñm nostrꝫ, qui est una cum patre & spũsancto deus bñdictus in secula. Amẽ.

Vera scire dicere summa ars.

HOMILIA LXXII.

Rauissime inuectus est Iesus Christus in impios Iudęos. Dixit, ipsos non esse populum dei, sed diaboli. Dixit eos nõ esse filios dei, sed esse filios diaboli. Quod etsi ueritissime dicebatur, tm̃ uidebat̃ esse maxima oim cõtumelia. Iudęi em̃ existimabãt se propter patriarchas, quorꝫ genus erant, & ꝓpter legẽ, quam deus maioribus ipsorꝫ dederat, electum dei populũ esse, nec fieri posse, ut abijcerent̃ à deo, & traderẽtur diabolo. Quare q̃d Christus dixit, iudicabatur ab ipsis, non tantũ intolerabile, sed etiã diabolicũ, ideoq̃ Responderunt & dixerũt ei. Nonne bene dicimus nos, q̃ Samaritanus es & dęmoniũ habes? Iesus dixit Iudęos alienos esse à deo, & filios diaboli. Iudęi

boli. Iudęi igitur ut par pari referret, uocant eũ uicissim Samaritanum, hoc est, hostem dei, (tales enim iudicabant Iudęi Samaritanos) & furiosum ac dęmoniacum. Principio considera mihi mores impiorũ. Solenne emẽ est, ꝓ impij accusent piam doctrinam impietatis ac furiarũ, et doctores eius, dęmoniacę insanię. De propheta Elizæo dicunt socij Iehu, Quid uenit insanus iste ad te? De Ioanne Baptista dicunt pharisęi, Dæmonium habet. Ad Paulum clamat Festus, Insanis Paule, multæ literæ te ad insaniam conuertunt. Nec mirum admodum est, ꝓ pij doctores uideantur impijs insanire, & dęmoniaci esse. Damnant enim pij humanã sapientiam & iustitiã, damnant publicam maiorũ autoritatẽ, dãnant inueteratam consuetudinẽ, damnant publicum consensum orbis. Damnant aũt non oẽm harũ rerum usum, sed tantum in caussa consequendæ uerę iustitiæ, & perpetuę salutis. In hac enim caussa anteferunt uerbum dei cœlestibus testimonijs confirmatum, oĩ humanæ autoritati, potentię, sapientię, multitudini & magnitudini. Quare, cum impij existimẽt suam, hoc est, humanã autoritatem & sapientiam oĩbus rebus pręferendam esse, sentiunt pios doctores, qui ea dãnant, furere ac insanire. Hoc aũt iuditium impiorũ de pia doctrina & eius doctoribus diligenter cognoscendum est. Multi enim aut imbecilles in fide, aut rerum imperiti solent terreri & offendi uociferationibus impiorũ, quibus damnant uerã ac piã doctrinã. Gloriant enim impij de maiorũ autoritate, & iactãt consensum orbis, interim citant etiã aliqt dicta scripturę, qbus cogunt id uideri cõtineri, q̃d ipsi intelligendum p̃sumpserunt, & ex his oĩbus pronunciant suam sententiã esse diuinã, piorũ aũt esse dęmoniacã. Sed non debemus his aduersariorum uociferationibus cõmoueri, ut à pia doctrina deficiamus, & impiam amplectamur. Etsi enim nõ oĩs doctrina, q̃ aliqties dicit dęmoniaca, pro pia habenda est, (damnant enim & pij doctores impiã doctrinam, & uocant eam dęmoniacam) tñ uulgare est in hoc seculo, ꝓ pia doctrina uocet ab impijs dæmoniaca. Non est igitur propter humana iuditia à doctrina deficiendum, sed diligenter cognoscendum est, num sit uera, certa, & uerbo dñi probata, atq̃ cõfirmata. Quod si cognitum fuerit, tenenda erit constantissime, etiãsi totus orbis eã oĩbus diris deuouerit. Magis enim deo, q̃ hoĩbus, & plus uerbo dei, q̃ autoritati hoĩm obediendum est. Et, Sapientia huius mundi, stultitia est apud deum. Habes & hoc loco morẽ humani ingenij, in referenda contumelia. Iesus dixit Iudæos esse alienos à deo & filios diaboli. Hęc non est contumelia, sed uera & legitima rep̃hensio. Iudæi aũt uicissim uocant eum Samaritanum, & dæmoniacum, prorsus quasi obiectum crimen, cõuitijs diluerẽtur. Solenne est hoc inter hoĩes, ꝓ propter scelera rep̃hensi, repẽdant conuitia. Nihil dicam modo de ijs conuitijs, quibus priuati homines mutuo inter se certãt. Manifestum enim est, ꝓ talia conuitia sunt peccatum aduersus hanc legem, Diliges proxi

4. Reg. 9.

Acto. 26.

Pietatis doctores damnantur ab impijs.

mum tuum sicut teipsum. Et, Non occidas. De illis aũt conuitijs loqui/
mur nunc, quę hoĩes solent pro iusta & legitima reprehensione repen/
dere. Ecclesiastes reprehẽdit pro offitio suo, ebriosos, aut impostores:
Quid fit? Hic tum non solum audias hos ut canes latrare, uerumetiam
uideas eos in reprehensorem sese uertere, ac lacerare ipsum. Magistra/
tus reprehendit erratum subditi, Paterfamilias uituperat uitia familię
suę. Quid ergo respõdent? Pro offitio rependunt conuitia, si non diser
tis uerbis, attamen uirulentissimis cogitationibus, quas non solũ uultu
sed omnibus etiã actionibus suis produnt. Hac aũt ratione, hi qui legi/
time reprehenduntur, nõ diluunt crimen, sed augent, nec purgant sce/
lus, sed scelus scelere cumulant. Quod enim iam ante male fecerint, unũ
est peccatum. Quod aũt non ferãt iustam & legitimam reprehensionẽ,
alterum est peccatum. Quod addant conuitia, & meditentur ultionem,
tertium est & quartum peccatum. Et quis oĩa peccatorũ genera, quę de/
signant hi, qui iustam reprehensionem non ferunt, enumerare posset?
Sed iniuste, inquis, reprehendor. Tuo hoc dicis iuditio, ut in nostris
caussis solemus propitij admodum iudices esse, & sępe in manifesta in
iustitia tribuimus nobis non mediocrem iustitiam. Ac fingamus sane,
nos non esse meritos reprehensionem, non tamen est conuitijs grassan/
dum in proximum, multo minus in eos, penes quos est legitima auto/
ritas reprhendendi errata. Nam si hoĩ priuatim maledicẽti ignoscendũ
est, quanto magis patienter ferenda est maledicentia illorum, quibus
publica data est potestas. Male faciunt hi & habent suũ iudicem, cp̃ sua
potestate abutantur, si modo abutuntur, nostrum tamẽ offitium est, ut
malefaciendo cum ipsis non certemus. Sed audiamus quid Iesus Chri/
" stus ludęis respondeat. Ego, inquit, dęmonium non habeo, Sed coho/
" nesto patrem meum. Et uos ignominia affecistis me. Ego aũt nõ quęro
" gloriã meã. Est q̃ quęrat & iudicet. Quod dicit hanc habet sentẽtiam,
Ego antea dixi uos esse filios diaboli. Hoc autem nõ est conuitium, sed
offitium. Vos nunc uicissim dicitis me esse diabolicum. Hoc non est
offitium, sed conuitium, atcp̃ adeo manifesta est ignominia et cõtume/
lia. Ego em̃ non habeo dęmonium, sed habeo deum ipsum. Quod ago
& doceo, non est dęmoniacum, sed diuinũ. Ago enim, quę deus pater
iussit agere. Et doceo, q̃ deus pater pręcepit docere. Quibus certe re/
bus non promouet regnum diaboli, sed gloria & regnũ dei patris. Cũ
igitur obsequar mãdatis dei, ut gloria eius illustretur, fieri non potest,
ut sim dęmoniacus. Sed q̃d hoc est, inquies? Christus affectus est con
tumelia a' ludęis. Quid ergo est, cp̃ nõ p̃terit eã surda aure, sed resistit
ei sollicite, & minat pręterea supplitium diuinũ. Est ingens, qui q̃rat
gloriã meam et iudicet. Hoc quid aliud uidetur, cp̃ supplitiũ dei mina/
ri? An non Christus ipse docuit, Ne resistatis malo. Et addit, Quisqs
impe

Reprehensioni legitimæ homines rependunt conuitia.

Christus resistit conuitijs.

impegerit alapam in dextram tuam maxillam, obuerte illi & alteram? Nunc aũt Christus percussus est, quasi pugno, maledicis & contumeliosis uerbis, in dextram maxillam. Cur ergo huic malo resistit, & nõ potius dicit. Bene, recte fecistis. Agite ludęi, plus addite contumeliarũ, & pro uno dęmonio, dicite me habere mille dęmonia? Ecce aũt seuerã negationẽ, Nõ habeo dęmonium. Et graues minas. Est qui iudicet. Quõ ergo defendemus Christum? Non indiget nostra defensione, sed habet cœlestem defensorem, adeoq; ipse sui est defensor. Peccatum enim non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Nam q̃d docuit, Non esse resistendum malo, etsi non est propria doctrina Christi seu Euangelij, sed Mosi aut legis quẽadmodum aliâs demonstrauimus, tñ ut est uerissima, & oi homini seruanda proposita, ita Christus impleuit eam perfectissime. Cum enim dicitur, non esse resistendum malo, intelligendũ est, alio uidelicet malo, ut sit sensus, Non resistas malo male, sed bene. Non rependas pro malo malum, sed bonum, Non studeas malum uincere malo, sed bono. Sic enim malo non est resistendum, ut tamen interim bene facias, & non deseras tuum offitium, ac uocationẽ. Nam malum paciendum est, bonum autem faciendum. Hęc res erit fortassis exemplo illustrior. Fingamus patrem esse, quẽ filius iam tum in teneris adhuc annis crudelitatem exercens, percuciat pugno in maxillam. Extat autem hoc dictũ, Ne resistatis malo. Quid ergo faciat parẽs? Num dicat ad filium percussorem, Macte ingenio, mi fili, en tibi & alterã maxillam, percute hanc quoq; pro tua libidine? Sed quis talem hoiem nõ pro insano haberet? Nam quod dicit, Ne resistas malo, iubet malum pie ferre, non iubet malum impie facere. Et ut hoc dictum uetat, ne rependas malum male et illegitime, ita uetat, ne in tolerando malo, bonum & iustum tuum offitium, ac legitimam tuam uocationem prætermittas. Offitium autem & uocatio parentis est, ut non uerbis tãtum sed & uerberibus pueros suos castiget. Qui parcit uirgę, inquit Salomon, odit filium suum, qui autem diligit illum, erudit instanter. Et iterum. Noli subtrahere à puero disciplinam, Si enim percusseris eum uirga, non morietur. Tu uirga percucies eum, & animam eius de inferno liberabis. Quare parens non peccat legitima & uocationi suę congrua castigatione, aduersus legem Dei, sed potius seruat eam, & iustitiam eius sectatur. Dicamus & de politico magistratu. Latrones incurrunt in fines eius, & non pecora tantum abigunt, uerumetiam miseros agricolas trucidant. Extat autem Lex, Ne resistas malo. Quid ergo faciat magistratus? num sedeat ignauus & conniueat ad latrocinia? At hoc esset malum iuuare & augere. Nam cum dicitur, non esse resistendum malo, prohibetur, ne illegitime, & male resistas malo, sed interim mandatur, ut malo resistas bene, & legitime. Bene autem & legitime resistitur, cum magistratus persequitur latrones, & punit latro-

Malo non resistendum

cinia. Hæc enim est uocatio, hoc est offitium magistratus. Ordinatio, inquit Paulus, dei est. Et, nõ frustra gestat gladium. Nam dei minister est ultor ad irã ei, qui q̃d malum est, fecerit. Quare magistratus resistẽdo malo p̃ sua uocatiõe, tantũ abest, ut peccet, ut potius p̃stet cultũ deo gratissimum. Exigamus nunc ad hęc exẽplum Christi. Nam Iudęi sunt cõtumeliosi in Christum, & inferunt ei malũ. Christus aũt resistit huic malo. Negat enim se habere dęmoniũ, & minatur Iudęis diuinum supplitium. Ergo ne dicemus Christum nõ obseruasse hanc legẽ. Ne resistas malo? Absit. Nõ enim resistit malo male, sed bene. Nõ resistit malo iniuste, sed iuste. Missus em̃ est à deo patre, ut doceret ueritatẽ, & reprehenderet mendatium. Cum igit̃ Iudęi calũniarentur doctrinã eius, & arguerent eam mendatij, necesse habuit Christus eã pro offitio et uocatione sua defendere. Itaq̃ q̃ restitit, iustitia est & obedientia, non temeritas aut uiolatio legis. Sed cur, inqęs, uerbis tantũ, non autem manifestis supplitijs ulciscit̃ tantam cõtumeliam? cur non pluit super impios hoies, sulphure & igni, sicut meriti erãt? Sequitur. Ego aũt non quęro gloriam meã. Est qui quęrat, & iudicet, hoc est, possem quidem non uerbis tantum, sed etiam seuerissimis supplitijs hanc ignominiam, qua me affecistis, uindicare, & gloriã meam tueri. Ego aũt non quęro gloriam meam, non sum missus in hanc terram, ut gloriã meam tuear externo gladio, aut corporali supplitio, non ueni in hunc mũdum, ut hostes meos uiolenta manu inuadam, qualis est uocatio Regum huius terræ, qui gloriam suam gladio defendũt, sed ueni, ut adnuntiem Euãgelion meum, & doceam ueritatem, ac si hostes in me grassentur uel cõtumeliosis dictis, uel crudelib. factis, relinquã deo patri meo ultionẽ, qui suo tempore tanto grauius puniet hostes meos, quanto diutius supplitium differtur. Obseruabis igit̃ hoc loco, primũ q̃ regnum Christi non sit de hoc mundo. Nam si esset de hoc mundo, tunc oẽs angeli & hoies inuasissent hos nebulones, qui dixerunt ipsum dęmonium habere, ac defendissent gloriã eius, quoquo modo potuissent, fulminibus, grãdine, igni, manibus, fustibus, sudibus, gladijs, lanceis & alabardis. Deinde nõ obscure significat Christus hoc sermone, quõ resistendum sit malo, & quõ non sit ei resistendum. Dicit enim, Dæmonium non habeo. Et addit, Non quęro gloriam meam, Est qui quęrat & iudicet. Hic uides, q̃ Christus resistat quidem calumnijs sua prædicatione, non autem resistat externo supplitio, aut uiolenta oppressione, sed relinquat deo uindictam. Vocatio enim Christi erat, prędicare, & testari de ueritate. Vocatio aũt eius nõ erat, externum bellũ cum hostibus suscipere, et uiolenta manu in eos grassari. Quare licet malo resistere iuste, & p̃ offitio uocatiõis suæ, non aũt licet malo resistere iniuste, & cõtra uocationis suæ offitiũ. Postremo notabis & illud, qd caussę sit, q̃ cum Christus sedeat ad dextram Dei patris sui & sit oĩpotens, contemptores & hostes eius

non sta

non ſtatim pereant in hoc ſeculo, ſed pergant diu fœliciter in ſua impietate uiuere. Non enim hi Iudęi tantum, qui dixerunt eum dęmonium habere, affecerunt Chriſtum inſigni contumelia, ſed etiam illi Iudæi, qui nunc incertis ſedibus uagantur, non ceſſant horribiles blaſphemias aduerſus Chriſtum euomere, quibus accedunt etiam Turcę, ut nihil interim dicam de impijs & impœnitentibus Chriſtianis. Hi etſi nullo non genere contumelię ſordidant maieſtatem Chriſti, tñ uidentur hoc impune facere, ac inſuper proſperam uitam agere. Quę, obſecro, cauſſa eſt tantæ impunitatis? Non quęro, inqt, gloriam meam. Eſt qui quærat & iudicet. Hoc plane illud eſt, quod Petrus de Chriſto dicit. Cum maledictis inceſſeretur, non regeſſit maledicta, cum malis afficeretur, non minabatur, ſed tradidit uindictam ei, qui iudicat iuſte. En habes cauſſam impunitatis impiorꝝ in hoc ſeculo. Chriſtus em̃ etſi regnat in cœlo, tñ non quęrit gloriã ſuam, ut eam uindicet ante tempus externis ſupplitijs, ſed tradidit uindictã deo patri ſuo, qui ſtatuit diẽ, quo iudicaturus eſt totũ orbẽ terrę, & uindicaturus, ac illuſtraturus gloriã Chriſti filij ſui. An non uides ſolennẽ morem humanorꝝ iuditiorꝝ? Vnum quoduis regnum, imo unaquęuis regio ſua habet publica iuditia, quæ & ſuo certo tempore exercentur. Cũ ergo oriuntur cõtrouerſiæ inter ciues, primum, nec ſemper audiuntur partes litigantes nec mox punitur nocens, ſed partes neceſſe habent expectare certũ et definitum tempus, quo iuditiũ exerceri ſolet. Deinde, etiãſi accuſator expoſuerit cauſſam ſuam iudici, tñ ad accuſationem eius non ſtatim profertur ſentẽtia, ſed datur etiam locus dicendi reo. Accedit huc, ꝙ reus ne compellitur quidem mox ad obiecta crimina reſpondere, ſed cõceditur ei legitimus terminus deliberandi, & apologiam meditandi, tãtum abeſt, ut ſtatim ad accuſationẽ alterius partis puniatur. Hęc magna eſt ęquitas, quę niſi in humanis iuditijs obſeruaretur, quis innocẽs poſſet ſupplitia euadere? Nemo em̃ tam innocens eſt, qui nõ aliquoties ab alijs accuſetur. Quid ergo dicemus? Num exiſtimabis maiorẽ eſſe ęquitatem in humano, ꝙ in diuino iuditio? Minime omnium. Etſi em̃ deus omnium rerum ſciens & gnarus eſt, tamen quia exercet iuditium, obſeruat etiam iuſtitiam & ęquitatem iuditij. Sunt aũt coram deo partes litigantes, Pij & impij, ſancti & ſcelerati, in hoc ſeculo. Impij enim & ſcelerati affligunt pios, opprimunt ſanctos, & nullum non crudelitatis genus exercent in eos. Pij autem & ſancti, non uindicant ſe temere, ſed tradunt Deo iuſto iudici uindictam, & prouocant ad dei iuditium. Teſtatur hoc Chriſtus ipſe, cum ait, An Deus non faciet uindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die & nocte, etiam cum paciens fuerit ſuper illis? Et in Apocalypſi animæ interfectorum propter uerbum Dei clamant uoce magna dicentes. Vſqꝫ quo domine, qui es ſanctus & uerax, non iudi

cas ac uindicas ſanguinem noſtrum de his, qui habitant in terra? Cum ergo tot & tantę ſint querelę pioꝝ aduerſus impios coram deo, quid faciat deus? num ſtatim puniat impios, nōdum legitime auditos? Nouit quidem deus omnia, & impij meriti ſunt repentina ſupplitia, ſed deus appellatur ut luſtus iudex. Quare erit etiam obſeruanda iuſtitia iuditij. Hæc aūt eſt iuſtitia iuditij, ut reus nō ſtatim ad expoſitionē accuſatoris cōdemnetur, & puniatur, ſed ut concedatur ei legitimū ſpacium meditandę Apologię, & audiatur. Statuit ergo deus generalem et publicum diem iuditij, in quo oēs impij debeant querelę & accuſationi pioꝝ reſpondere, ac diuinam ſententiā in ea cōtrouerſia, quam ab initio orbis terræ pij aduerſus impios habuerunt, audire. Priuſqꝫ aūt aduenerit hic dies, etſi nonnulli impij aliquoties mirabiliter puniūtur in hoc ſeculo, id quod etiam deus ſuo facit cōſilio, uidelicet, ut oēs intelligant, deum adhuc regnare, et ſeueriſſime ſuo tempore iudicaturꝝ eſſe, tamen impij magna ex parte fœliciter in ſua impietate uiuere permittuntur, ut habeant tempus deliberandi de ſua defenſione, hoc eſt, reconciliandi cum pijs, & reſipiſcendi, ut & ipſi ſalutem in iuditio dei conſequātur. Quare, cum uidemus contemptores Chriſti, Iudęos, Turcas, & alios ſceleratos, qui ſunt cōtumelioſi in Chriſtum, uerꝝ ſeruatorem, proſperum habere ſucceſſum rerum ſuarꝝ in hoc ſeculo, non eſt accuſanda diuina ceſſatio, ſed agnoſcenda eſt diuina iuſtitia, qua conceſſum eſt impijs corā deo accuſatis legitimum ſpatium, quo meditentur Apologiam, & audiantur. Sic em̄ leges iubent, ut & altera pars audiatur. Sed de his hactenus. Reuertemur nunc ad uerba Chriſti. Dicit enim. Amen amen dico uobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non uidebit ingternum. Non exiſtimes Chriſtum temere in hæc uerba prorupiſſe, ſed poſtqꝫ Iudæi affecerunt ipſum contumelia, & dixerunt eum habere dęmonium, ac doctrinam eius eſſe diabolicam, cogitat ſecum quem fructum afferat uerbum diaboli, & opponit ei ſuum uerbum, ut per antitheſin oſtēdat, q̄ uerbū ſuū nō ſit diabolicum. Et eſt ſenſus. Quicunqꝫ ſeruauerit ſermonē diaboli, is neceſſe habet mori. Cuius rei manifeſta exēpla ſunt Adā & uxor eius. Hi em̄ ſeruauerunt ſermonē diaboli, dicentis, Nequaqꝫ morte moriemini, ſed aperientur oculi ueſtri, et eritis ſicut dij, ſcientes bonū & malum. Quare facti ſunt morti obnoxij. Qui auetm ſeruauerit meū, MEVM, inquam, ſermonem, hic non uidebit mortem inæternum. Quomodo igitur fieri poteſt, ut ſermo meus ſit diabolicus? Sed hæc ſententia, quam Chriſtus hoc loco recitat, eſt una ex inſignioribus ſententijs totius ſcripturæ, et complectitur uniuerſam ſummam Euangelij de Chriſto. Non eſt igitur oſcitanter pretereunda. Ac primum conſidera mihi. QVIS ille ſit, qui hæc dicat. Non enim eſt uanus quiſpiam homo, ſed Chriſtus, filius dei, de quo pater teſtificatus eſt,

Iuditium extremum.

Diaboli & Chriſti ſermones opponuntur.

catus est, ꝙ posuerit uerba sua in ore eius. Deinde considera, quomodo hęc dicat. Non enim simpliciter enuntiat, sed confirmat iuramẽto, Amen amẽ, inquiens. O nos beatos, quorũ gratia filius dei iurat. O nos miserrimos, si ne iuranti quidem credimus. Nunc ergo cõsidera mihi, Quę dicat. Amen amen dico uobis, si qs seruauerit sermonem meum. Nulla hic est distinctio personarũ. Quisqs seuauerit, siue Iudæus, siue Gręcus, siue rex siue bubulcus, siue diues siue pauper, siue sanus siue ęgrotus, siue mas siue femina, siue dñs siue seruus, siue honestus siue inhonestus. Non enim est personarũ respectus apud deum, sed ut in quauis gente; ita etiam in quauis uitæ cõditione, qui seruauerit sermonem Christi, non uidebit mortem ingternum. Quis aũt est ille sermo Christi, & quomodo seruatur? Docuit Christus aliquoties legem, aliquoties Euangelion. Quem ergo sermonem, num legis, an Euangelij hic intelligamus? Non certe loquitur hoc loco de sermone legis, qualis extat apud Matthęum cap. quinto et sexto, qui sermo etsi est uera interpratio legis, non tñ is est, propter quem dicendũ Christus in hunc mundum missus est. Non em̃ uenit ut legislator, aut legis doctor, quẽadmodum Moses antea uenerat. Accedit huc, ꝙ sermo legis mortificat, et occidit, quẽadmodum Paulus docet. Reliquum igitur est, ꝙ cũ Christus dicat sermonem suum uiuificare, loquatur de sermone suo proprio, propter quem est in hunc mundũ missus. Is aũt est sermo Euãgelij, uidelicet ꝙ Iesus sit uerus Messias, filius ille mulieris, de q̃ dictum est. Cõteret caput serpentis, filius Abrahæ, in quo bñdicendæ sint oẽs gentes, filius Dauidis, qui in domo Iacob sit perpetuo regnaturus, adeoqꝫ filius ille dei, ad quẽ dictũ est, Postula à me et dabo tibi gentes hęreditatẽ tuam, & sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos scabellũ pedum tuorũ. Hic est sermo ille, de quo in p̃sentia fit sermo, cum dicit, Si quis seruauerit sermonẽ meum. Sed quõ hic sermo seruatur? Num hoc est seruare, si qs hęc uerba memoriter recitare sciat? Hoc non nihil quidẽ est. Nam & uerba sunt probe tenenda, sermo autem Christi nõdum uere hac tantũ scientia seruat, sed accipiendus et tenendus est fide. Per fidem enim seruatur, uidelicet, si crediderís, ꝙ Iesus sit Messias filius dei, iustificator & redemptor noster. Ego sum, inqt, resurrectio & uita. Qui CREDIT, CREdit, inquam, in me, etiãsi mortuus fuerit, uiuet. Et iterũ. Hęc scripta sunt, inqt Ioannes, ut credatis, ꝙ Iesus est Christus filius dei, & ut credentes uitã habeatis per nomẽ eius. Nam cum prædicatur, Iesum esse Christum, nõ est lex, quę exigat aliquid operis, sed est Euangelion, seu bona & iucunda adnunciatio, quę exigit, ut fide agnoscatur et recipiat. Quare is dicitur sermonem Iesu Christi seruare, qui accipit Euangelion eius per fidẽ, & credit ꝙ Iesus sit uerus Christus ac redẽptor omnium eorum, qui spem suam in ipso positam habent. Ex hoc manifestum est, ꝙ nec Iudęi, qui nunc sunt, nec Turcæ, nec hypocritæ

Christi sermo quis sit.

nec ſcelerati & impœnitentes inter Chriſtianos ſeruent ſermonem Ieſu Chriſti. Illi enim abnĩtiunt & damnãt Chriſtum. Hypocritę non agnoſcunt offitium Chriſti. Scelerati autem & impœnitentes, etſi gloriãtur aliquoties de Chriſto, tamen quia non agunt pœnitentiã, perſpicuum eſt, ꝙ non uere credant in Chriſtum. Quare nullus horẽ conſequitur eum fructum, qui promiſſus eſt ſeruãtibus ſermonem Chriſti. Ecquis, obſecro te fructus ille eſt? Quid fiet credenti in Chriſtũ? MORTEM, inquit, non uidebit ingternum. Hoc eſt bñfitium longe omnium maximum, Non dicit, Qui ſeruauerit ſermonem meum, conſequetur magnam uim pecuniæ, aut regnum aliquod terrenum. Hæc em̃, etſi continentur in numero donorum dei, tñ non defendunt hoĩem à morte, nec afferunt ei ueram iuſtitiam & fœlicitatem, & ſi recte iudicaueris, tanta ſunt hominũ uitia, ut diuitiæ & regnum magis reddant ipſos, etiam in hoc ſeculo infœlices, q̃ꝫ fœlices. Sed dicit, Mortem non uidebit ingternum. Nihil hoc bñfitio maius aut excellentius. Primum enim, ſi is, qui ſeruat ſermonem Chriſti, nunquàm moritur, manifeſtum eſt, ꝙ habeat remiſſionem pctõrẽ, ꝙ reputetur coram deo iuſtus & ſanctus. Mors enim eſt ſtipendium pcti. Ablata igitur morte, pctũm etiam ſublatum ſit neceſſe eſt. Deinde, ſi is qui ſeruat ſermonem Chriſti, nunquàm moritur, perſpicuum eſt, ꝙ habeat uitam perpetuo fœlicem. Ea enim uita, quę etſi perpetua eſt, infœlix tamen eſt, (qualis eſt uita diaboli, & hominum damnatorẽ) multo magis mors, q̃ꝫ uita dicẽda eſt. Quare cum promittitur ſeruãti ſermonem Chriſti, ꝙ nunq̃ꝫ ſit moriturus, neceſſe eſt ut intelligatur, de uita perpetuo fœlici. Quid aũt poteſt hoĩ maius & acceptius cõtingere, q̃ꝫ perpetua iuſtitia et fœlicitas? Quid em̃ bonorũ poteſt ei deeſſe, ſi hęc affuerint? Affligit te pauptas aut infamia, aut ęgrotatio, quid metuis, ſi ſeruaueris ſermonẽ Chriſti? Reputaris em̃ coram deo iuſtus, & es Dño Deo propter Chriſtum acceptus. Quare fieri non poteſt, ut Deus te in his miſerijs perire ſinat. Moleſtus tibi eſt horror mortis, quid corde tuo trepidas, ſi ſeruaueris ſermonẽ Chriſti, hoc eſt, ſi agnoſcis Ieſum Chriſtum, redemptorem tuum? Mors enim illa corporalis, non eſt mors, ſed reditus ex laborioſa & difficili peregrinatiõe ad patriam, & profectio ad Chriſtum Dñm noſtrum, ſedentem ad dextrã dei, & conſeruantem oẽs pios in ſempiterno gaudio. Cupio, inquit Paulus, diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Sed de hac re poſtea. Nũc admonendi ſumus, ut hanc ſententiam, Si quis ſeruauerit meum ſermonem, non uidebit mortem ingternum, quàm maxima poſſumus cura & ſtudio cõſeruemus. Video em̃ idem contingere nobis, quod quondam Iſraelitis in deſerto, aut pueris in magna copia panis ac pomorẽ. Dedit deus Iſraelitis Manna de cœlo, ſed quia hic cibus erat ſine labore parabilis, & copioſus, Anima, inquit, noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.

Diuitiæ faciunt hoies infœlices.

uissimo. Pueri, si proposueris eis multum panis aut pomorum, sic fasti diunt in ipsis, ut & sordident ea, & nec ipsi fruantur, nec alijs fruenda relinquant, ita solet etiam hoc tempore uulgo hoim accidere. Recitant & explicantur iam multo tempore excellentissima quęq; dicta Euangelij Dñi nostri Iesu Christi. Sed quia magna est eorꝝ frequentia, sic uilescunt, ut multi existiment se his audiendis magnam facere temporis iacturam. Quod si uero recte & pie perpenderemus dicta Euãgelij, certe hanc unam sententiã, quam nũc paucis tractauimus, iudicaremus oi auro & argento digniorem ac pręciosiorẽ, & ad hanc recte cognoscendã, nullũ laborem recusaremus, etiamsi ad extremos Indos proficiscẽdum esset. Sunt, qui susceperunt peregrinationes non ad Romam tm̃, ad limina, ut ipsi loquuntur, Petri & Pauli, sed etiã ad urbem Hierusalem per maria, per terras, perq; maxima rerꝝ discrimina. Susceperũt autem eas, ut aliquam spem remissionis pctõrꝝ, & uitę ęternę conciperẽt. Sed quid factum est? Redierunt multo incertiores, q̃ antea, addo etiã, multo iniquiores, & infœliciores. Vna aũt hęc sententia, Si quis eam recte cognouerit, tantum utilitatis, tantum iustitię & fœlicitatis affert, quantum nulla unq̃ peregrinatio per se quidem dare potest, etiãsi totam terram emeciaris. Alij tradiderunt se captiuos Monasticis, ut uocant, ordinibus, & susceperunt sua sponte uaria genera afflictionum, ut cõsequerentur meritis suarꝝ actionum & passionũ spem iustitiæ & uitæ coram deo. Sed quid? Nullus est Monachorꝝ qui in sexaginta aut octoginta annis consequutus sit suis operibus, quod licet pio gratis per fidem ex hac una sententia Euangelij cõsequi. Nã si metuis iuditium pctĩ, offert tibi hęc sententia iustitiam in Christo. Si metuis mortẽ, offert tibi uitã. Si metuis ignem inferni, offert tibi gaudium cœli, ac breuiter, siue uiuendum, siue moriendũ est, habes in hac sententia, unde petas & in uita, recreatiorem, & in morte conseruationem. Reponamus igitur eam, tanq̃ thesaurꝝ, ut possimus ea opportuno, hoc est, nullo nõ tẽpore uti, & ad ueram fœlicitatẽ peruenire, per Iesum Christum Dñm nostrum, qui est una cum patre & spũ sancto deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LXXIII.

INsigne & memorabile est, quod Iesus ait, Amen amen dico uobis, Si quis seruauerit sermonẽ meum, non uidebit mortem inæternum. Quo dicto non solum significauit nihil sibi prorsus cõmune esse cum diabolo, quippe q̃ huius sermo afferat ęternam mortẽ, ipsius aũt sermo afferat æternã uitam, sed etiam perspicue docuit, se esse uerũ Messiam. De Messia em̃ scriptum est, q̃ sit contriturus caput serpentis, quod est potentia Satanę. Dominatur autem Satan per pctũm & mortem. Et

Esaias de Messia ait, Iugum oneris eius, & uirgam humeri eius & sceptrum exactoris eius superasti. Quibus uerbis significat peccatũ & mortem per Messiam superari & aboleri. In Hosea quoq; Messias ait, De manu mortis liberabo eos, de morte redimã eos. Ero mors tua ò mors, morsus tuus inferne. Cum ergo Iesus affirmet se seruare seruantem sermonis sui, ne unq; moriatur, manifeste tribuit sibi maiestatẽ ueri Messię. Quod cum ita se habeat, audiendum nunc est, quõ Iudæi hoc dictũ
» » exceperint. Dixerunt ergo. Nunc cognouimus q̃ dęmonium habes. A-
» » braham mortuus est & prophetę, & tu dicis, Si quis sermonem meum
» » seruauerit, non gustabit mortem inęternum. Nunquid tu maior es pa-
» » tre nostro Abraham, qui mortuus est? Et prophetę mortui sunt. Quem
» » teipsum tu facis? Iudęi iterum uociferantur Iesum esse dæmoniacum & insanum, Sed eo ipso produnt suam ipsorũ insaniam & summam diuinarum rerũ inscitiam. Putant enim Iesum loqui de externa & corporali morte, & haud obscure his obiectionibus significãt se nullam prorsus habere cognitionem eorum beneficiorũ, q̃ prophetę per Messiam conferenda promiserunt. Nã magnitudo peccati ab Adamo propagati tanta est, ut nullus possit perfectam iustitiam coram deo facere, ac necesse habeant oẽs hoĩes propter pctũm perpetua morte interire, nec est quisq̃ inter posteros Adami, qui possit sua se uel iustitia, uel potentia uel sapientia ab interitu sempiternæ mortis, & perpetuæ condemnationis uindicare. Per unius, inquit Paulus, delictum propagatum est malum in oẽs hoĩes ad condemnationem. Nec fieri potest, ut quispiã hoc malo liberetur, nisi per Messiam. In hunc enim usum promissus fuit Messias, totus iustus & sanctus, ut cum nos non possimus propriam habere iustitiam, donemur iustitia Christi, & seruemur ab æterna morte. Iudæi aũt, qui hoc loco cũ Christo litigant, prorsus non intelligunt, quãta sit magnitudo humani mali, sed cogitant, q̃ Adam reddiderit quidem posteros suos propter peccatum corporaliter miseros, non autem coniecerit hoĩes in tantam miseriam, ut non possint ex seipsis iustitiam & fœlicitatem petere. Existimãt unumquemq; hoĩem uiribus suis spũalibus ita integrum esse, ut queat perfectam iustitiam prestare, si modo libeat. Itaq; putant deum proposuisse legem, ut qui uelit, possit eã seruare, peccata expiare, & regnum cœleste mereri. Quod autem ad Messiam attinet, sentiunt se non indigere aliquo expiatore pctõrum, donatore iustitię & uitę eternę. Se enim adiuti diuina gratia, (nã sic loquuntur honoris caussa) posse hęc oĩa, si modo uelint, sua ipsorum industria consequi. Indigere aũt ope Messię, tm̃ propter externam liberationem à Romana seruitute, et alijs corporalibus afflictiõibus, adeoq; hoc plane de Messia sentiunt, quod uulgo dici solet, Det uitam, det opes, animum mi ęquum ipse parabo. Quare, cum iudicẽt se suis uiribus posse

Messias, in quem usum promissus.

spiritualem

ſpiritualem mortem euadere, nõ uideant aũt Abrahamum, aut prophe
tas corporali morte liberatos, dicunt Ieſum furijs agitari, ꝗ anteponat
ſe Abraamo & prophetis, ac polliceat id ꝑſtituru alijs ſuo ſermone,
q̃d nec ſummi patriarchę & ꝓphetę ſibi ipſis ꝑſtare potuerint. Sed qd
Ieſus uiciſſim dicat, operę ꝑcium eſt audire. Reſpondit Ieſus. Si ego glo « «
rifico meipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt pater meus, qui glorificat me, « «
quẽ uos dicitis deum ueſtrꝫ eſſe, et tñ non cognouiſtis eum, ego aũt no « «
ui eum. Et ſi dixero, ꝗ non nouerim eum, ero ſimilis ueſtri mendax, « «
Sed noui eum, & ſermonem eius ſeruo. Abraham pater ueſter exulta- « «
uit, ut uideret diem meum. Et uidit atq̃ gauiſus eſt. Non negat ſe maio « «
rẽ eſſe Abraamo, ſed conſtanter id affirmat, & probat. Ac initio alle-
gat teſtimonium dei patris ſui, Si ego, inqens, glorifico meipſum, glo
ria mea nihil eſt. Eſt pater meus, q̃ me glorificat, hoc eſt, Si ego huma-
no more, ex carnali arrogantia iactarẽ me eſſe uerꝫ Meſſiam, ac uerum
filium dei, profecto uaniſſima eſſet mea iactantia, nec poſſet hęc gloria
diu cõſtare. Moabitica ſuperbia eſt, plus ſibi arrogare, q̃ diuinitus da
tum ſit. Superbia eius, inquit ſcriptura, & arrogantia eius, & indigna-
tio eius pluſq̃ fortitudo eius. Idcirco ululabit Moab, ad Moab uniuer
ſus ululabit. Nonnulli quoq̃ ſeditioſi arrogauerunt ſibi maieſtatem
Meſſię, & promiſerunt aſſeclis ſuis liberationem, ſed quia nõ erant ad
hoc offitiũ diuinitus excitati, corruerunt unà cum ſua gloriatiõe. Qua
re ſi ego ſimiliter his iactarẽ me eſſe Meſſiam, & filium dei, in propin
quo eſſet, ut pudefierem. Ego aũt habeo cœleſte teſtimonium meę glo
riæ, Meus pater, qui eſt uerus deus, dicit de me teſtimonium de cœlo,
ꝗ ſim uerus Meſſias & uerus filius eius. Ecquod, obſecro, hoc eſt teſti
monium? Enumeremus igit uaria genera teſtimoniorꝫ de Ieſu, ꝗ ſit
uerus Meſſias, filius dei, ut manifeſte uideamus, q̃ firma, q̃ conſtans
ſit gloria eius. Principio, in Ieſum conuenit familia Meſſię. Dictũ em̃ *Patris teſti-*
eſt à prophetis Meſſiam naſciturum è familia Abrahæ ac Dauidis. Ie- *monia de filio*
ſus aũt, quem Nazarenum uocarunt, natus eſt ex hac familia. Sed mul-
ti etiã alij fuerunt ex ea familia. Quare & alia teſtimonia conſideranda
ſunt. Nam in hunc Ieſum conuenit quoq̃ tempus aduentus Meſſię. Ex
uaticinio em̃ patriarchę Iacob de aduentu Silo, ſeu ſaluatoris, & ex heb
domadis Danielis perſpicuum eſt, ꝗ ijs temporibus, quibus Ieſus Na
zarenus egit uitam ſuam inter hoĩes, debuerit Meſſias aduenire, et ſem
piternam iuſtitiam adducere. Sed nec hoc ſatis eſt, ad cõprobandã certi
tudinem glorię Ieſu. Pergamus igitur ad alia. Nam in hunc Ieſum cõue
nit etiã locus natiuitatis Meſſię. Dictum enim erat de Meſſia, ꝗ naſci-
turus eſſet in Bethlehem. Ieſus aũt in Bethlehem natus eſt, Sed cum eti
am alij nati ſint in Bethlehem, nec hoc teſtimonium tãtę rei ſufficit. De
inde conuenit in matrem Ieſu perſona, qualis tribuitur matri Meſſiæ
ab Eſaia. Ecce, inquit Eſaias, uirgo concipiet et pariet filiũ. Natus enim

est Iesus ex Maria uirgine. Hoc tale quidem est, quod nulli alteri hoim conuenit. Sed non erat publice notum, Mariam peperisse filium, in uirginitate, sine semine uiri. Audienda igitur sunt præter hæc, etiam alia testimonia. Ecce autem, cum Iesus esset ferme triginta annorum, & baptisaretur à Ioanne Baptista, deus palam testimonium dicit de Iesu, missso etiamnum spū sancto corporali specie quasi columba in ipsum, Hic, inquiens, est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Hoc certe insigne est testimonium, quod deus ipse è cœlo dedit, & q̃d nulli alteri hoim unq̃ datum est. Deinde idem testificatus est de Iesu, diuina autoritate, Ioannes Baptista, uir quo nullus eo tempore fuit sanctitate illustrior, & autoritate excellentior. His accessere miracula, quæ Iesus ipse publice ędidit, de quibus supra dixit, opera quæ dedit mihi pater ut perficiam ea, ipsa inquam opera, q̃ facio testificantur de me, q̃ pater miserit me. Sed nondum est finis testimoniorum dei de Iesu. Resurrexit enim Iesus à mortuis, ascēdit in cœlum, misit apostolis suis spiritum sanctum, dedit apostolis nomine suo donum ędēdorum miraculorum, uulgauit per apostolos Euāgelion suum in totum orbem terræ, & tutatus est illud contra oēm potentiam mundi, ac congregauit Ecclesiam suam ex omnibus gentibus. Messiam aūt hęc in terris peracturū, & hoc modo dñaturum prophetę multis ante seculis uaticinati sunt. Cū igitur deus hęc oia, per Iesum Nazarenum, impleuerit ac perfecerit, nihil manifestius est, q̃ hunc Iesum esse uerum Messiam, filium dei. Habes, quō deus pater glorificauerit Iesum, de qua re dicit Iesus ipse, Est pater meus, qui glorificat me. Nam cum hoc Iesus diceret, gloria eius partim iam illustrata erat a' deo patre, per testimonium uocis è cœlo, q̃ testimonium Ioannis Baptistę, & per miracula, partim postea illustrabatur per resurrectionem à mortuis, per missionem spūs sancti, & per diuulgationem Euangelij in totum orbem terrę, partim adhuc illustrabitur, per gloriosum aduētum eius in nouissimo die. Quod si Iesus est Messias, quemadmodum deus testificatus est de ipso, quid, obsecro, aliud reliquum est, q̃ Iesum maiorē esse Abraamo & oibus prophetis? Sed nec illud est oscitanter pretereundum, quod Iesus addit, Quē uos, inquiens, deum uestrum esse dicitis, & tñ non cognouistis eum, ego autem noui eum &c. Hic enim iterum reprehendit Iudæos ignorantiæ dei, ac impietatis, haud obscure significans, q̃ nemo possit deum cognoscere, nisi habeat cognitiōem Iesu Christi. Deus enim totus est in Iesu Christo, et extra Christum non est deus. Quare, qui Christum ignorat, deū ignorat. Qui aūt nouit & habet Christum per fidem, is nouit & habet deum ipsum, cum omnibus suis bonis. Deinde ostendit Iesus ex offitio ac benefitio suo, q̃ non solum maior sit Abraamo, sed etiam q̃ benefitio ipsius Abraham adhuc uiuat, perpetuoq̃ sit uicturus. Abraham, inquiens, pater uester exultauit, ut uideret diem meum, uidit

& ga-

& gauisus est. Nam Abraham non hoc sensit, quod impij & imperiti Iudęi, se suapte natura satis habere uirium ad consequendam ueram iustitiam, & hæreditatem regni cœlestis, sed intellexit magnitudinē peccati natura inhęrentis, ac reipsa comperit, se nec posse perfectam iustitiam facere, nec irā dei aduersus peccatum perferre, nec à perpetua damnatiōe seruari, nisi donetur aliena iustitia, & seruetur alieno benefitio. Quare suspirauit ad semen mulieris, q̄d initio mundi promissum erat, & de quo priores patriarchę multum ac diu prędicauerāt, ut cum de eo dictum esset, q̄ conterat caput serpentis, hoc est, potentiam Satanę, consequerēt ex eo remissionem peccati, iustitiam ac uitam. Hoc enim illud est, quod Iesus, qui est hoc mulieris semen, dicit, Abrahā pater uester exultauit ut uideret diem meum. Quid aūt factum est? Postq̄ deus uidit Abrahamum maximo onere peccati & damnatiōis grauatum, & desiderio ueręiustitię ac salutis flagrantem, tanta clemētia prosecutus est eum, ut non solum reuelauerit ei ueterem & generalem prędicationem de semine mulieris, uerę etiam præstiterit ei hoc benefitium, q̄ promiserit ei, se daturum hoc semen ex ipsius familia. Dicit enim, Per memet ipsum iurauī, benedicentur in semine tuo oēs gentes terræ. Hoc aūt de Messia, qui est semē mulieris, ab initio orbis promissum, dictum esse, manifeste testatur tā prophetica, q̄ Apostolica doctrina. Itaq̄ cum antea ignotū esset, è cuius patriarchę familia deus daturus esset semen mulieris, seu Messiam, nunc plane & perspicue dicitur, Messiam uenturę è familia Abrahę. Quid ergo ad hęc Abraham? VIDIT (inquit) & gauisus est. Primum, nō fit hic sermo de corporali uisu, sed de spūali, quo uidelicet diuinę promissiones uideri solent. Videntur autem per fidē. Quare uidere hoc loco est fidē habere, seu credere ei, quod uerbo dei promittit. Abraamo aūt promissum fuit, q̄ in semine suo, q̄ est Christus, benedicendæ essent oēs gentes. Cum igitur Abraham adhiberet huic promissiōi fidem, recte dicitur uidisse diē Christi. Deinde, quod ait, Gauisus est, non intelligendum est de carnali gaudio, quod cōcipi solet è promissionibus rerū corporalium, q̄ res cū sint euanidę, fieri nō potest, ut gaudium illud non intereat, sed intelligendum est de gaudio spuali, q̄d uenit è promissione rerū cœlestium, q̄ cum sint æternæ, erit etiā hoc gaudium æternum. Nec potest hoc gaudium uerę ac perfectū esse, nisi habeas propitium deum, ac perpetuam iustitiam & uitā. Quare cum Christus dicit Abrahamum ex fide in ipsum gaudio exultasse, significat Abrahamum non solum iustificatum esse, sed etiam consecutum ęternam uitam per ipsum, ut etiamsi uisus sit suis cogtaneis mori, non tā sit mortuus, sed uere adhuc uiuat, & sit ppetuo uicturus. Quod de Abraamo dictum est, erit & de prophetis, & oībus pns dicendum. Hi enim exultauerunt, ut uiderent diem Christi, quia intellexerunt magnitudinem peccati sui, et grauitatem damnationis, propter peccatum,

Abraham seruatus est benefitio Christi.

nec potuerunt iuuari uel sua uel aliorꝫ hominum iustitia & industria, ideoq; suspirarunt ad Christum. Non flagrarunt desiderio Christi, ut consequerentur terrenam fœlicitatem, quam uidebant esse caducã, sed ut consequerentur cœlestem fœlicitatem, hoc est, perpetuam iustitiam & uitam. Quid ergo factum est? Postq; uiderũt diem Christi, hoc est, crediderunt in Christum, gauisi sunt, spũali uidelicet gaudio. Non potuissent autem tale gaudium concipere, nisi contigissent eis spũalia, cœlestia & ęterna benefitia. Ac primum quidem reputati sunt coram deo iusti propter Christum, quippe q; donata sit ipsis tota et perfecta iustitia Christi, ut de ea tanq; propria in iuditio dei gloriarentur. Deinde seruati sunt in morte, ne perirent, id quod resurrectiõe manifestissime declarabitur. Hęc sunt uere cœlestia & ęterna bona, quę si cui contigerint, (id quod fit per Iesum Christum seruatorem nostrꝫ) fieri non potest, quin tanto gaudio perfundatur, ut summam & perpetuam habeat fœlicitatem. Pauca quidem uerba loquitur Christus cum ait. Abraham exultauit ut uideret diem meum, uidit & gauisus est, sed his multa & magna nos docet, è quibus unum & alterꝫ nunc recitabimus. Docet igitur nos Christus his uerbis, q; patriarcharꝫ et nostra religio ac fides, non sint inter se diuersa, sed una & eadem religio. Non enim sentiendum est, q; patres seruati sint per merita operꝫ legis naturalis. Iudæi seruati sint per merita operum legis scriptę, nos aũt, qui uocamur Christiani, seruemur per opera legis Euangelicę. Sic enim nonnulli distinguũt uias salutis. Sed hi perspicue produnt se nullã prorsus habere cognitionem piæ doctrinę, & hæc sententia continet multos impios errores. Horum unus est, q; hi existiment Euangelion Christi esse doctrinam legis. Cum em̃ legant in Euãgelio, mulierẽ non esse aspiciendam, ad concupiscendam eam. Malo non esse resistendum, sed percutienti alteram maxillam prębendam, & multa id genus alia, putant Euãgelion hac doctrina pręcipue cõstare, et uocant has leges Euãgelicas. Sed maximum est discrimen inter legem & Euangelion. Nam Euangelion proprie est doctrina de Iesu Christo, q; propter hunc solum consequamur iustitiam & uitam æternam. Lex autem est doctrina de faciendo bono & iusto, ac uitando malo & iniusto, qualis est Decalogus, & ea quæ decalogum exponunt. Ac manifestum quidem est, q; in scriptis Euangelicis & apostolicis sæpe doceatur, quid recte fieri debeat, quid secus fiat, hæc autem doctrina non pertinet proprie ad Euangelion, sed ad legem & expositionem eius, quemadmodum alias sępe demõstrauimus. Quare magnus & pernitiosus error est ex Euangelio facere legem. Alter error est, q; existiment aliam esse legem naturalem, qua patres usi sint, aliam, quę postea scriptis Mosaicis mandata est. Etsi enim, in instituenda politia mosaica accesserunt multa politica & Leuitica, quibus patriarchę

Pelagius dixit, homines uixisse iustos, primũ ex natura, deinde, sub lege. Tertio sub gratia Vide Augu. To. 7. de pctõ originali. li. secundo.

patriarchę non sunt usi, hæc tamen non sunt diuersa à lege naturali, sed sunt tantum determinatio legis naturalis ad certam politeian. Nam de calogus ipse lex est naturalis. Reliquę autem leges politicæ & Leuiticę ducunt originem suam ex decalogo. Magna igitur est inscitia sentire, ꝙ patres aliam legem habuerint, ꝗ quæ postea literis mandata est. Errant & in hoc uehementer, ꝙ putent homines consequi iustitiam & uitam æternam propter merita suorum operum. Hæc est maxima impietas, quæ summam affert perniciem. Quare ut merito damnatur, ita etiam omni studio fugienda est. Nam quod ad uias consequendę ueræ salutis attinet, non sunt diuersę, sed una tantum est patriarcharum, nostra & omnium piorum, uidelicet Iesus Christus, & fides quę est in ipsum. Sicut enim Abraham, Isaac, & Iacob, non potuerunt consequi ueram salutem, & ingredi in regnum cœleste, nisi uiderent diem Christi, ita nec nos possumus ueram consequi salutem, & in regnum cœleste ingredi, nisi hac uia, ut uideamus diem Christi. Viderunt quidem patriarchæ hunc diem uenturum, nos autem uidemus eum uenisse, sed q̃d ad Christum ipsum attinet, unus est, & tam maioribus, ꝗ posteris eorum æqualiter propositus. Non enim, ut Petrus ait, aliud nomen est datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri, præterꝗ Iesus Christus. Et iterum. Huic omnes prophetæ testimonium ferunt, ꝙ remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Ac rursus. Quid tentatis deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neꝗ patres nostri, neꝗ nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus, nos saluos futuros, quemadmodum & illi. Hic aperte dicit, patres non consecutos esse salutem per legem, seu propter merita bonorum operum, sed tantum per gratiam Iesu Christi, sicut & nos. Quare fides in Iesum Christum, una illa uia est, per quam solam possunt homines ueram & æternam salutem consequi. Docet etiam Christus in hac de Abraamo contione, quod corporalis mors in his, qui uident diem Christi, non sit mors, sed ingressus in ueram uitam. Iudæi enim dixerunt, Abraham mortuus est, Christus autem uicissim respondet, Abraham uidit diem meum, & gauisus est. Quo certe responso significat Abrahamum adhuc uiuere. Gaudium enim spirituale & cœleste, quale Abraham concepit, est perpetua uita. Vnde & Christus aliàs de uita Abrahami ait, Moses dicit DOMINVM deum Abraham, & deum Isaac, & deum Iacob. Deus autem non est mortuorum, sed uiuorum. Omnes enim illi uiuunt. Quod si hi patriarchæ uiuunt deo, quamuis mortui, propterea ꝙ deus dicatur deus eorꝝ, perspicuũ est, ꝙ etiã ꝓphetę & oẽs pñ, q̃ in Christum crediderunt, & mortui sunt, adhuc uiuãt, ꝓpterea ꝙ sicut Deus dicitur deus patriarcharꝝ, ita dicatur & deus prophetarum ac om

Decalogus, lex naturalis

Via ad salutẽ una est, Iesus Christus.

Abraam uiuit.

nsum piorꝝ. Quare, si credimus in Iesum Christum, ꝙ ipse sit iustificator & redemptor noster, etsi uidemur huic mundo mori, tm̃ non morimur Deo, qui & palã per excitationem à mortuis cõprobabit, nos interim uere uixisse. Sed quę Christus contionatus est de Abraamo, magis pene absurda ꝗ̃ quę prius dicta sunt, uidentur Iudęis. Dixerunt ergo ad eum. Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham uidisti. Nam à natiuitate Abrahami usq; ad natiuitatẽ Iesu Christi numerãtur plusq̃ duo millia annorꝝ. Vociferantur ergo Iudęi, quõ fieri possit, ꝙ aut Abraham uiderit Iesum, aut Iesus uiderit Abrahamũ. Ac iterꝝ produnt ignorantiã suã & cęcitatẽ in doctrina religionis. Nam his uerbis manifeste significant se nõ cognoscere uel quõ patriarchę cõsecuti sint salutẽ, uel quis sit Messias ille, qui per prophetas promissus erat. Quare ut certo cognoscatur, quis sit Messias, dicit Iesus. Amen amẽ dico uobis, anteqũ Abraham nasceretur, ego sum. Iesus antea perspicue significauit se esse uerꝝ Messiam, nunc hac uoce manifeste significat se esse uerꝝ deum. Dicit enim se esse, priusq̃ Abraham natus sit. Primum aũt, Iesus non erat tunc homo. Numerantur em̃ plusq̃ duo millia annorꝝ, ut paulo ante diximus. post Abrahamum, priusq̃ Iesus homo est. Deinde Iesus non erat angelus. Nam de Messia scriptum est psalmo nonagesimo sexto, ꝙ adorent ipsum oẽs angeli. Sic enim interpretatur hunc psalmũ de Messia, epistola ad Hebręos cap. primo. Angeli aũt non adorant angelum, sed uerum Dñm deum nostrum. Et quanq̃ Christus aliquoties angelus uocatur, hoc tm̃ tribuitur ei non secundum spũm sed secundum carnem, qua est missus angelus seu nuntius in hanc terrã. Reliquũ igitur est, ꝙ cũ Iesus dicat se esse, priusq̃ Abraham natus sit, perspicue significet se esse uerꝝ Dñm deum nostrꝝ. Et quia unus tm̃ est deus, manifestũ est, ꝙ extra Christum, non sit alius deus, & ꝙ qui nõ cognoscit nec habet Christum, is nec deum cognoscat & habeat. Sunt qdem p̃ter Christũ aliæ duæ psonę in diuina natura, pater & spũs sanctus, nõ est autẽ alius Deus pręterq̃ Iesus Christus Dñs & seruator noster. Quod cum Iudæi intelligerẽt Iesum de se affirmare, iudicant hanc blasphemiam, ut ipsi putabant, non amplius uerbis coarguendam, sed lapidibus uindicandam esse. Ideoq̃ tollebant lapides, ut iacerent in eum. Hęc est fortuna piorum doctorum, quorum Christus princeps est. Non enim uno tantum persecutionis genere, sed duobus affliguntur ab impijs in hoc seculo. Altero, uerbis, conuitijs, & uirulentissimis maledictis, altero factis, lapidibus, gladijs, cruce, igni, & crudelissimis homicidijs, idq̃ non eo modo, quo fures aut latrones affligi solent. Hi enim cum prolata sententia ducuntur ad mortem, habent qui afficiuntur erga ipsos misericordia, & consolentur eos, illi autem in tanto sunt odio, ut qui ipsos trucidauerit, existimet se expiare terrã, ne pereat, & facere opus deo acceptissimum, tantũ abest, ut imparciatur eis misericordiam.

Ab Abrahamo usq; ad Christũ sunt anni. 2012.

Piorum doctorum fortuna.

V eniet

Veniet tempus, inquit Christus, ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum prestare deo. Sed bene habet. Mundus conculcat eos pedibus, & obruit ipsos lapidibus, Deus aũt exaltat ipsos in regios honores, & coronat eos cœlesti gloria. Gaudete, inquit, & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Quare non est propter crudelitatem impiorũ defitiendum à pia doctrina, sed potius perdurandũ est in ea propter gloriam, quæ oĩbus pijs apud Dñm Deum nostrũ reposita est, presertim cum deus pijs non largiatur tantum ęterna benefitia in cœlis, uerumetiam frangat conatus impiorũ, & tueatur pios etiam in hoc seculo, id quod uides in exemplo Iesu Christi. Cum enim Iudęi sustulissent lapides, ut iacerent in eum, abscondit se Iesus, & exiuit è tẽplo. Sed potuit, inquies, Iesus sese inuisibilẽ reddere diuina potentia, mihi aũt prę humana imbecillitate idem facere non licet, quõ igitur exemplo Christi bene in periculis confidere queam? Recte dicis, ꝙ Christus sit uerus deus, & potuerit sese diuina potentia inuisibilem reddere, sed tempore carnis suę suscepit etiã ipse humanas imbecillitates, & exinaniuit semet ipsum, forma serui assumpta. Quare quod hic in Christo gestum est, non est gestum ad ostentandã diuinam eius maiestatem, sed ad cõmendandã & illustrandam curam, quam deus pro oĩbus pijs in uocatione sua ambulantibus sustinet. Deus enim misit filium suum in hunc mundum, non ut tueretur ipsum tm̃ in periculis, sed ut propter ipsum rediret in gratiam cum oĩbus credentibus in eum, et tueretur etiam ipsos in oĩbus periculis suis, ut quod in capite Christo gestum est, hoc idem gereretur in membris. Hinc extant tot promissiões de diuina in aduersis protectione. Salus, inquit psalmus, iustorũ à Dño, & protector eorũ in tempore tribulatiõis. Et iterũ. Inuoca me in die tribulatiõis, et eruam te & honorificabis me. Ac rursus. Cũ ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eũ. Extant & uaria exẽpla diuinę liberatiõis. Quoties Dauid mirabiliter seruatus est, cũ iam manibus hostiũ suorũ tenere tur? Elizęus circũdatus ab his, qui quęrebant aĩam eius ita seruat̃, ut & hostes percutiant̃ cęcitate, & ipse ducat eos captiuos in Samariam. Petrus educitur è carcere ab angelo. Paulus etiã inter lapides apud Lycaones, seruatus est. Itaq; etsi incerti ac diuersi sunt modi diuinę liberationis, certissima tm̃ est liberatio ipsa, qua pij diuinitus seruant̃. Sed hic nobis considerandũ est, ꝙ in oĩbus periculis bene qdem cõfidendũ sit etiam de externa liberatione, non tm̃ existimes ꝙ hæc sit uera liberatio, & ꝙ perpetuo consequaris in hac terra, & in hac corporali uita liberationem. Non em̃ nati sumus hoĩes, ut perpetuam uitã in hac terra, & in hac mortali corpore agamus. Nõ habemus, inqt, hic manentẽ ciuitatẽ, sed futuram inquirimus. Quemadmodum em̃ hi, qui ad mercatũ proficiscuntur, solent diuerti ad aliena hospicia, non ut ibi semper maneãt Sed ut confectis negotijs suis, redeant ad suam domum, ita & nos ueni-

mus in hanc terrã tanq̃ in alienũ hospitium, nõ ut in ea semper uersemur, sed ut transigamus negotium, quod deus iussit, & abeamus iuxta uocationem dei ad cœlestem patriã. Maximum autem omniũ negotiũ, quod nobis in isto seculo transigendum erit, non hoc est, ut colamus agros, ut edamus & bibamus, sed ut discamus Euangelion, & cognoscamus dominum nostrum Iesum Christum. Illa quidem opera, colere agros, et id genus alia facere, sũt παρεργα et accessoria, hoc aũt uidelicet, Christum cognoscere uerum est ἔργον & principale negotiũ, cuius gratia hoĩes sumus. Quare nihil nobis prius, nihil posterius sit, q̃ ut hoc negotium conficere studeamus. Ac si quidem nondum aduenerit hora diuinitus constituta discedendi ex hoc seculo, nihil certius est, q̃ deum tueri nos, et conseruare etiam externa liberatione in maximis quibusq̃ periculis. Vestri, inquit, pili capitis omnes numerati sunt. Si autẽ aduenerit hora illa, quam deus nouit, non seruamur quidẽ externa liberatione, sed si cognouimus Christum p̃ fidem, seruamur etiam in media morte ad externam uitam per Iesum Christum Dñm nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto deus benedictus in secula, Amen.

CAPVT NONVM

HOMILIA LXXIIII.

MVlta & magna sunt pericula, quæ Iesus hactenus subijt, ut mandatum Dei patris sui conficeret, ac nobis opem & salutem ferret. Iudęi enim non solum insidiabantur uitæ eius, & paulo ante lapidibus eum obruere conati fuerant, uerum etiam odio eius etiã alios homines ita persequebantur, ut decreuerint, se è synagoga, hoc est, ut ipsi quidẽ sentiebant, è regno cœlesti eiecturos, quisquis eũ pro Messia agnosceret, ac confiteretur. Tot tamen ac tantis odijs & periculis Iesus non cõmouetur, ut declinet ab offitio, sed tanto fortius pergit Euãgelion suũ adnũciare, et miraculis illustrare, quanto crudeliori furore Iudęi in ipsum grassabantur. Cuius rei perficiendę offertur ei hoc loco opportuna admodum occasio in eo hoĩe, qui à natiuitate cæcus fuerat.

» » Prętériens eũ Iesus, (nimirũ Hierosolymis, uel in plateis, uel prę foribus templi, ubi sedere solebant mendici) uidit hoĩem cęcum à natiuitate, & interrogauerũt eum discipuli eius, dicentes: Rabbi. Quis peccauit, hic an parẽtes eius, ut cęcus nascereẽ? Non interrogant, nũ hęc cęcitas sit supplitium pctĩ, sed quasi nihil certius esset, q̃ q̃ huic hoĩ contigisset cęcitas ꝓpter pctũm, dubitãt nũ in ipsum an in parẽtes referẽdũ sit pctũm. Itaq̃ ꝓdunt suo exẽplo iuditiũ humanę sapiẽtię de afflictiõibus. Ho-

bus. Hoïes enim sentiunt deum immittere in nos afflictiones tantum propter peccata, & ubi uiderint aduersa, ibi iudicant esse merita pctorum. Nam cum audiunt deum esse sapientissimum & iustissimũ, offitium autẽ iustitiẹ esse, innocentes tueri, & solos nocentes punire, existimant deum neminem punire aut affligere, nisi propter pctã & scelera, & quemadmodum putant eũ esse innocentem, quem uident multis corporalibus benefitijs fœlicem esse. Promptuaria eorẹ, inquit psalmus, plena eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fetosæ abundantes in egressibus suis, boues eorum crassẹ. Non est ruina maceriæ necẹ transitus necẹ clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt, ita sentiunt eum esse pctorem, ac propter peccata affligi, quem uident calamitatibus affectum. Hẹc est illa cõtrouersia, quam habuit Iob cum amicis suis. Iob enim affirmat se non esse à Deo afflictum propter pctã sua. Eliphaz autem amicus eius, Recordare, inquit, quis unqẹ innocens perijt, aut quãdo recti deleti sunt? Quin potius uidi eos qui operantur iniquitatem & seminant dolores, ac metunt eos, flante deo perijsse, & spiritu iræ eius esse consumptos. Et postea, etsi nunqẹ uiderat Iobem designare aliquod peccatum, sed perspicuũ erat, Iobem semper honestissimam uitam duxisse, tamen quia uidet in eo prẹsentem calamitatem, accusat eum magnorum scelerum, Abstulisti, inquiens, pignus fratrum tuorẹ sine caussa, et nudos spoliasti uestibus. Aquam lasso non dedisti, & esurienti nõ dedisti panem. Nihil horum criminum fecerat Iob, quemadmodum deus ipse dicit testimonium de innocentia eius, et extat cõfessio eius in ca. tricesimo primo, nihilominus tñ fingit de ipso hæc crimina Eliphaz, propterea qꝑ sentiebat deum esse iustiorem, qꝑ qui tam grauiter affligat innocentem. Extat & tale iuditium insulanorum Melitensium de Paulo, ut scribit Lucas in Actis apostolicis capuicesimo octauo. Hi enim nunqẹ antea uiderant Paulum, nec ullum eius pctũm cognouerant, tamen ut uiderunt uiperam pendentẽ de manu eius, dicebant inter se, Omnino homicida est homo hic, quem seruatum è mari ultio non sinit uiuere. Itaqẹ pronuntiant eum nocentẽ, qꝑ uideant eũ esse calamitosum, adeoqẹ uulgare est inter hoïes, ut cum ponatur eis ob oculos mendicus quispiã mutilus aut putridus, aut cẹcus, sentiunt eũ idcirco tam horribiliter à deo puniri, qꝑ fuerit fortassis in iuuentute sceleratus. Sed Iesus Christus reꝑhendit grauiter hoc temerarium iuditium hoïm. Et respõdit discipulis suis. Necẹ hic peccauit, necẹ parentes eius, sed ut manifestentur opera dei in illo. Me oportet operari opa eius, qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest opari. Quãdiu fuero in mundo, lux sum mundi. Primum, quod Christus dicit, Necẹ hic peccauit, necẹ parentes eius, non hoc sentit, qꝑ cæcus & parentes eius nullum omnino peccatum habeant. Omnis enim homo mendax. Et oẽs peccauerũt, ac indigent gloria Dei. Ecce enim in

Iob. 22.

peccatis cõceptus sum, & in pctis concepit me mater mea. Sed sentit, ꝙ hęc calamitas non sit huic cęco immissa propter aliquod pctũm uel suum uel parentum suorꝫ. Necꝫ hic, inquiens, peccauit, necꝫ parentes eius, uidelicet, ut nasceretur cęcus. Peccauerunt quidem filius & parẽtes, filius autem non est natus cæcus propter pctũm. Deinde addit ueram caussam, cæcitatis. Vt manifestentur, inquit, opera dei in illo, hoc est, ut gloria dei per miraculum illustretur. Sed paulo pluribus de ratione calamitatum & afflictionum dicẽdum est, ut excitemur ad prestandam in his ueram obedientiam Dño Deo nostro. Hoĩes enim solent in aduersis ualde impaciẽtes esse, & uirulenta ac cõtumeliosa uerba in quosuis obuios proijcere. Negant deum esse autorem afflictionum, sed tantum diabolum, & malos, ut aiunt, hoĩes, ideocꝫ meditãtur in homines ultionem. Quærunt remedia iniusta, impia, & diuina lege prohibita. Cum iubentur bene confidere, deũ solere sicuisitare suos amicos, Mallem igitur, inquiunt, deum esse hostem, cꝫ amicum meum. Et multa id genus alia blasphema dicunt. Initio ergo considerandum est, ꝙ etsi diabolus nuncꝫ non insidiatur saluti hoĩm, & hoc unum agit, ut hominibus noceat, quoq̃modo possit, tamen deus ita muniuit homines, presertim pios angelis, imo castris angelorꝫ, ut diabolus nulli possit aliquid mali inferre, nisi Deo uolente & permittente. Vt enim nihil boni, ita etiam nihil aduersi potest accidere hoĩ absqꝫ uoluntate dei. Solum peccatum, non fit autore deo. Reliqua aũt omnia siue prospera, siue aduersa fiunt autoritate & administratione Dei. Ego Dñs, inquit, & non est alter, formans lucẽ, & creans tenebras, faciens pacem, et creans malum, hoc est, immittens bellum. Et iterum. Quis est iste, qui dixit, ut fieret dño non iubente? Ex ore domini non egredientur nec bona, nec mala? Ac rursus. Nonne duo passerculi minuto asse ueneunt, & unus ex illis non cadet in terrã sine patre uestro? Vestri uero etiam pili capitis oẽs numerati sunt. Vide mihi exemplum Iobis. Etsi enim Satan cupiebat ei magno desiderio mala inferre, tamen ne ouibus quidem eius ante nocere potuit, cꝫ accepit à Dño potestatem. Nec est dubium, quin diabolus, cum sit mendax, semper hoc conetur et meditetur, ut hoĩes decipiat? Et tamen nõ potuit prophetas Ahab ante decipere, cꝫ permitteretur ei à deo, quemadmodum testatur scriptura. In Euangelica historia diabolus petit, ut cribret apostolos, nequacꝫ hoc petiturus, si liceret ei pro sua libidine in quosuis grassari. Quare calamitates & afflictiones non sunt imputandę diabolo tancꝫ autori, sed referendę sunt in autorem deum. Deinde cognoscendum est, ꝙ deus non immittat hoĩbus afflictiones, nisi optimo consilio. Etsi enim aliquoties affligit suum populum iratus, tamen finis irę eius est clementia & misericordia. Viuo ego, inquit, nolo mortem pctoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Percurramus igitur

Afflictionum ratio quæ sit.

Esa. 45.

Hiere Thre. 3.

4 Reg 22.

mus igitur caussas, propter quas deus solet hoies affligere, ut è singulis cognoscamus, q̃ deus immittendo aduersa, non cogitet hominis internitionem sed salutem. Vna est, q̃ deus uult per afflictionem ducere hominem in agnitionem pcti in carne & sanguine latentis. Sunt em̃ multi honesti & sancti, qui obsequuntur quidem uocationi dei, magnitudinem aũt peccati, quod adhuc carni eorum inhęret, non tam probe agnoscunt, quàm utile ipsis foret. Immittit ergo deus aduersa, ut caro irritetur, & pctũm eius agnoscatur. Huius rei exemplum extat in Iobe. Hic erat teste etiam deo, iustus idq̃ per fidem. Credidit enim deum esse ipsi propitium, propter semen mulieri promissum, id quod sacrifitijs suis significauit, & ex hac fide ambulauit in bonis operibus. Gestabat tamen adhuc in carne sua pctũm, quod à parentibus contraxerat, sed non agnoscebat illud prę uitæ suę honestate. Quare deus permittit, ut maximis doloribus obruatur, quo erumpente impacientia & blasphemia, agnoscat etiam suã carnẽ pctõ obnoxiam esse. In carne Petri magna erat imbecillitas & impietas, quã Petrus ne indicante quidem Christo ipso agnoscere uoluit. Quare deus cõniuet, ut serui sacerdotum incurrãt in ipsum, tanq̃ ad supplitium rapturi, & occisuri, quo perspicue discat, quid hactenus in carne & sanguine suo latuerit. Ducimur autem à deo in agnitionem pcti, non hoc consilio, ut in pctõ pereamus, sed ut excitemur ad quęrendam opem & remissionem peccati, in Iesu Christo filio dei. Conclusit (inquit) deus oẽs sub incredulitatem, quid? ut oẽs perirent? Minime, sed ut omnium misereret. Et iterꝝ. Conclusit scriptura omnia sub pctũm, ut promissio ex fide Iesu Christi daret credẽtibus. Manifestum igitur est, q̃ qui affligitur, ut discat agnoscere pctũm suum in carne latens, non affligatur suo malo, ut pereat, sed suo bono, ut seruetur. Altera caussa afflictionum est, ut pctũm opere designatum, et actione sua iam pręteritum agnoscatur. Sunt enim, qui etsi grauissima perpetrarunt scelera, tamen non agnoscunt magnitudinem eorꝝ, nec ducuntur pœnitentia, sed secure ambulant ad facienda uel eadem iterum, uel etiam maiora. Quare deus conijcit eos in calamitates, ut his excitati recenseant secum Decalogum, & excutiant quę pręcepta uiolauerint, & quantum aduersus deum autorem calamitatum peccauerint. Israelitę instituerunt idolatriam, & coluerunt Baalim atq̃ Astaroth, postq̃ uenerunt in terram Canaan. Etsi autem admonebantur de his pctis contionibus prophetarꝝ, tamẽ non agnoscebãt grauitatem huius peccati, ut resipiscerent. Traditi igitur sunt in manus hostium suorꝝ, quemadmodum totus liber Iudicũ testatur, ut excitati calamitatibus cognoscerent quid aduersus deum peccassent. Manasses rex Iuda, non solum ipse horribiliter aduersus Deum peccauit, sed etiam seduxit Iudam & habitatores Hierusalem. Et cum reprehenderetur à prophetis, tantum abfuit, ut re-

Iobis iustitia.

4. Reg. 21.

ſipiſceret, ut etiam prophetas ipſos trucidaret. Sãguinem innoxium, in quit ſcriptura, fudit Manaſſes multum nimis donec impleretur Hieru ſalem uſq; ad os. Quid ergo factum eſt? Deus tradidit Manaſſen hoſti bus ſuis, qui uinctum catenis & compedibus duxerunt in Babylonem. Tradidit aũt eũ hoſtibus hoc cõſilio, ut uinculis admonitus, cõmemo raret ſecũ Decalogum, & cõſideraret quantum aduerſus legẽ dei peccaſ ſet. Eodem conſilio dei fit, q̃ hi qui publica ſcelera deſignant, capiant & afficiantur legitimo ſupplitio à magiſtratibus. Non enim agnoſcũt magnitudinem ſceleꝝ ſuorum, ideoq; traduntur diuinitus ſupplitio, ut reuocentur ad conſiderationem pctõrum ſuorum, & agnoſcant gra uitatem eorum. Ducuntur aũt & hi ad agnitionem peccatorum, non ut pereant, ſed ut ſeruentur, uidelicet, ut excitentur ad inqrendum Chri ſtum, & in Chriſto ſalutem conſequantur. Tertia cauſſa afflictionum eſt, ne in poſterꝝ peccet. Tanta em̃ eſt imbecillitas hoim, ut ſi contingat eis tranqlla & fœlix uita in hoc ſeculo, non contineant ſe, quin peccent. Incraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit, incraſſatus impinguatus dilata tus. Dereliquit factorẽ ſuũ, & receſſit à deo ſalutari ſuo. Si contigerint diuitiæ, hoies abutuntur eis ad luxum, & oppreſſionem pauperum. Si ſanitas corporis, ſi magiſtratus contigerit, ſumunt occaſiõem graſſan di in quoſuis. Quare ſolet deus calamitates congerere in hoies, & eos coniicere uel in paupertatem, uel in ęgrotationem, uel in abiectum ge nus uitæ, ut libido ueteris Adę cõpeſcatur, et ſpũi ſubiiciat. Quid autẽ melius, qd utilius, q̃ peccata cauere? Cum igitur deus immittit nobis calamitates, ut peccata uitemus, manifeſtum eſt, q̃ his calamitatibus cõ ſulat noſtrę ſaluti. Quarta cauſſa afflictionum eſt, ut alter alterius ſup plitio admonitus, à peccando deterreatur. Ad gentes dicit Dñs in Hie remia. Ecce in ciuitate in qua inuocatum eſt nomen meum, ego incipio affligere, & uos quaſi innocẽtes & immunes eritis? Sic proponit Chri ſtus etiam ſuam calamitatem meditandam. Si hoc, inquiens, faciunt in uiridi, in arido quid fiet? Dauidi remiſſum erat peccatum, & erat ipſe iuſtificatus per fidẽ, nihilominus tñ conijcit in afflictiones, ut ſit exem plum, quo alij à peccando deterreantur. Verum tamen, inqt, qm̃ blaſ phemare feciſti inimicos nomẽ Dñi ꝓpter uerbũ hoc, filius qui natus eſt tibi, morte morietur. Deterrere aũt exemplo ſuo alios à peccando, cul tus dei eſt, & offitium deo gratũ. Quare deus non abiicit à ſe hoies affli ctiõibus, ſed potius uocat eos ad ſuum cultum, ut ſint miniſtri quibus inuitet alios homines ad pietatem. Quinta cauſſa eſt, ut deus excitet ho mines ad orationem, & conferat ipſis maiora benefitia, q̃ antea dede rat. Homines em̃ fiunt in rerꝝ fœlicitate ignaui & torpidi ad inuocan dum nomen Dñi, & ad petenda benefitia eius. Oĩno aũt uult deus ut in uocet, & paratior eſt ad benefaciendum nobis, q̃ nos ad petẽda eius be

Deuter. 32.

nefitia.

nefitia. Quare permittit, ut obruamur aduersis, quo expergiscamur & capessamus inuocationē, qua excitatus largiat nobis maxima quęq; bñfitia. Inuoca me, inqt, in die tribulatiōis, et eruā te, et honorificabis me. Inuocare aūt deum, magna est pietas, & accipere bñfitia dei, magna est utilitas. Deus igitur affligendo nos aduersis, non uult interitum, sed salutem nostrā. Postremo accedit huc & illa caussa, quā Christus hoc loco recitat. Vt manifestentur, inqt, opera dei in illo. Etsi em̄ deus, si iuxta pctā hoim iudicare uellet, posset optimo iure quemuis conijcere non solum in cęcitatem, sed etiam in perpetuum ignem inferni. Si iniqtates obseruaueris dñe, domine quis sustinebit? tamen in inferendis calamitatibus non semper respicit pctā, sed nonnunq; cogitat per calamitates gloriam nominis sui illustrare. Hoc dei consilio hic homo, de quo nobis nunc sermo est, natus est cæcus, uidelicet, ut restitueret ei uisus per Christū, & gloria Christi filij dei illustraretur. Eodem cōsilio, Ioseph coniectus est in carcerē, non q̄ deus respiceret pctā eius, sed ut nomen Dei per Iosephum in tota Ægypto clarę fieret. Non dissimili consilio passus est deus, ut Dauid eijceret in exilium à Saule, quo admirabili restitutione eius in regnū, agnosceretur magna dei industria & clementia, qua solet ex abiectissimis facere illustrissimos. Idem sentiendū est de Apostolorę & aliorę piorę afflictiōibus, ad quas deus idcirco conniuit, ut admirabili ipsorę conseruatiōe perspicuū fieret, deum esse adiutorem in necessitatibus, & liberare sperātes in ipsum. Quare corrigendum est humanū iuditium de afflictiōibus, nec cōtinuo condēnandus est pctī is, qui affligitur, sed cū uidemus hoīes peccare, sentiendum quidem est, q̄ deus odio habeat pctūm, et sit pctūm puniturus, cum aūt uidemus eos hoīes, quos scimus esse honestos & pios affligi, cogitandū est, deum multas habere caussas inferendæ calamitatis, ideoq; non est temere de honestorę hoīm afflictionibus pronunciādum. Deinde, cum deus affligat hoīes non ut pereant, sed ut seruent, quēadmodum supra demonstrauimus, non simus aduersus deū & hoīes uirulenti, sed sufferamus afflictiōes æquo aīo, non quęramus impia remedia, sed utentes licitis remedijs cōfugiamus pijs precibus ad autorem afflictionum, & maneamus in uocatiōe dei, ut clemētia eius liberemur. Quę cū ita se habeant, pergamus ad perstringenda ea, q̄ sequuntur. Me, inqt, oportet operari opa eius, qui misit me, donec dies est. Venit nox, quādo nemo potest operari. His uerbis cōtionatur Christus de offitio legatiōis suę, & interim significat se moriturę. Dies em̄ est, tempus illud, q̄ Iesus prędicauit Euangelion suū in terra. Nox aūt dicitur, tempus illud, quo captus est à Iudęis, et crucifixus ac mortuus. Hęc est, inquit, hora uestra, et potestas tenebrarę. Quod ergo Christus dicit hanc habet sententiam. Deus pater misit me in hanc terram ut ædam miracula, donec iuxta me

am functionem adnuntio inter uos Euangelion meum. Non existimetis aũt, me perpetuo prędicaturum in hac terra Euangelion, & æditurę miracula. Veniet emẽ tẽpus quo cõprehendar & occidar, q̃d erit tẽpus noctis, quo nec prędicabitur Euangelion, (uos enim fugietis & derelinquetis me solum) nec ędentur miracula. Hæc contionatur Christus discipulis suo quodam consilio, primum, ut cum uenerit nox, hoc est, cum Christus non amplius ędiderit miracula, sed crucifixus & mortuus fuerit, non offendantur. Dixi, inquit, uobis, priusq̃ fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Et mox. Hęc locutus sum uobis, ut ne quid offendamini. Deinde ut discant, q̃ regnum suum non sit mundanum. Existimauerũt enim, q̃ Christus aliquandiu sit ęditurus miracula, & postea collecta populi multitudine, suscepturus externum imperium huius mundi. Hanc opinionem refutat, cum ait, Venit nox, quando nemo potest operari, hoc est, ueniet crux & mors, quo tempore non ędam miracula. Sed quid? num Christus post mortem suam non est lux? imo uero maxima & clarissima omnium lux est. Etsi enim breui tempore non luxit, sed uisus est ęternis tenebris immersus, tñ per has tenebras euasit in splendidissimam lucem. Minuisti, inquit, eum paulominus ab angelis, gloria & honore coronasti eum & constituisti eum super opera manuum tuarum. Et iterum. Factus est obediens usq̃ ad mortem, mortem autem crucis. Quàpropter & deus extulit eum in summam sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra oẽ nomen. Quare cum Christus factus sit per tenebras mortis lux clarissima, sectemur hanc lucem, ut & nos euadamus tenebras mortis ad cœlestem splendorem. Sed uidendum nunc erit, quõ cæcus receperit uisum. Hoc cum dixisset Iesus, inquit Euangelista, expuit in terram & fecit lutum ex sputo & illeuit lutum super oculos cęci, & dixit ei, Vade, laua in piscina Siloe, quod si interpreteris, sonat, Missus. Abijt ergo & lauit, & uenit uidens. Omnino admirabile est, non tam q̃ cæco restituitur uisus, q̃ quo modo restituitur. Vide enim mihi quibus cęrimonijs, & quo malagmate utat Christus ad restituendum cæco uisum. Expuit in terram, facit massam luti, Hac illinit oculos cæci. Mittit deinde cęcum ad piscinam Siloe, cuius etiam fit mentio apud Esaiam cap. octauo, & apud Lucam cap. decimo tertio. Interpretatur autem Euangelista nomen Siloe, quasi diceret, Recte conuenit, q̃ cæcus ad hanc piscinam MISSVS sit. Si enim hoc nomen Siloe exponas, significat MISSVM. Mittit aũt Christus cæcũ ad hanc piscinam, ut abiuat iterum massam luti, & sic recipiat uisum. Quid ad hęc dicemus? An Christus non potuit uno uerbo restituere uisum cæco, quemadmodum aliàs fecit? certe potuit, Sed libuit ei nunc his cærimonijs uti, idq̃ suo quodam consilio. Primum enim, quemadmodum propheta Elizęus non continuo sanauit Naemanum Syrum à lepra,

lepra, sed misit eum ad Iordanem, ut septies in eo lauaretur, et Christus ipse aliâs non mundauit statim leprosos, sed misit eos ad sacerdotes, hoc nimirum agēs, ut & fides eorum exerceretur, & miraculum hac occasione magis illustraretur, ita & hoc loco non reddit cæco uisum uno momento, sed illinit oculos eius luto, & mittit eum ad piscinam, ut lutum abluat, idq; fecit hoc consilio, partim ut obedientia cęci probaret, partim ut miraculum fieret illustrius. Erat em̄ sabbatum, quo pharisæi existimabant nihil tale facere licere, quemadmodum postea sequitur. Quare, cum homines cognoscebant ista in sabbato facta esse, diligentius perscrutabantur de miraculo, & fiebat miraculum tam uulgatius, q̄ nobilius. Nos autem admonemur exemplo cęci, ut diuinę uocatiōi sem per obediamus. Nam uerisimile est, q̄ quę Christus expuendo & faciendo luto, ac illinendis oculis, & prącipiendo lauationem in Siloe, fecerit, uisa sint initio, etiam ipsi cæco ridicula, inepta, & aliena à recuperando uisu, Sed quia uocationi & mandato Christi obedijt, consecutus est, quod optauit, ita etsi deus nos uocat ad ea facienda aut perferenda, q̄ uidentur nobis à uotis et aoptatis nostris alienissima & absurdissima, tn̄ obediendum est diuinę uocationi, cuius certissimus finis est liberatio & salus, etiamsi ea quę intercedunt, haudquaq; congruere uideantur. Deinde uoluit Christus his cęrimonijs significare quanta esset autoritas, & efficatia Sacramentorum suorum. In regno Pontifitio usitatum fuit, oculos infantis ad baptismum allati, luto per sputum sub acto illinere. Christus aūt non uoluit hoc suo exemplo prącipere Ecclesię, ut talem cęrimoniam in baptismo usurparet, sed tantum uoluit docere, sacramenta, quę ipse instituit, & quibus Ecclesiam uti iussit, non esse uana, nec inania. Quid enim ineptius & incongruentius uideē ad restituendum uisum cęco, q̄ lutum ex sputo facere, & super oculos cæci illinere? Et tamen hoc lutum manibus Christi acceptum, & ad restituēdum uisum ordinatum, necesse habet cęci oculos illustrare. Nam cū Christus sit oīpotens oīpotentis dei filius, fieri non potest, ut quod in manus sumit, & ad certum opus peragendum uerbo suo ordinat, non sit efficax. Accepit quinq; panes & duos pisces in manus, & uoluit ut pascerentur ex eis quinq; millia hoīm. Itaq; hi panes & pisces necesse habuerunt perficere id, ad quod ordinati erant. Sic & in baptismo accipit in manum aquā, (iubet enim suo nomine baptisare, quod certe est aquam in manum suam accipere) & uult, ut abluat peccata eius, qui baptisatur. Quicunq;, inquit, crediderit & baptisatus fuerit, salūs erit. Et Paulus ait, Christus exposuit semetipsum pro Ecclesia, ut illam sanctificaret mundatā lauacro aquę per uerbum. Quare, quicunq; accipit aquam baptismi per fidem in Christum, cōsequitur remissionem oīm peccatorū. Sic & in cœna dn̄ica Christus ipse accipit in manus suas pa-

Sacramentorum efficatia

Baptismus.

Cœna Dominica.

nem & uinum, & addit uerbum suum, quo sanctificat panem et uinum in corpus & sanguinem suum, ut afferant pie sumentibus remissionem peccatorum & uitam æternam. Fieri autem non potest, ut manus & uerbum Christi sint inefficatia. Quare qui ex fide in Christum accipit panem & uinum cœnæ dominicæ, accipit etiam corpus & sanguinem Christi, & in his remissionem peccatorum, ac æternam uitam. Postremo, quia hoc miraculum testatur Iesum esse à deo missum, (Nisi enim hic esset à deo, ut postea sequitur, non potuisset facere quicq̃) confirmat ueritatem totius Euangelij eius, uidelicet, quod ipse solus sit uerus Christus, filius dei, redemptor & seruator noster. Reponamus igitur hoc miraculum alta mente, ut cognita certitudine & ueritate Euangelij obediamus Christo per fidem, & consequamur in ipso ueram salutem, qui est unà cum patre & spũ sancto deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LXXV.

Magna & incredibilis res est, oculos eius hominis, qui à natiuitate usq; ad iuuentutem cæcus fuit, aperire. Nam priusq̃ Iesus Christus uenit in hũc mundum, neminem unq̃ hoc post hominum memoriã fecisse, compertum est. Ac in morbis quidem oculorum sua sunt remedia, in agnata autem cæcitate, nullus unq̃ remedium inuenire potuit. Quare postq̃ Euangelista cõmemorauit insolitum miraculum, prudenter facit, q̃ attexat narrationem de controuersia, quæ propter hoc miraculum inter Iudæos coorta
» » est, ut hac occasione miraculi certitudo probaretur. Vicini, inquiens,
» » & qui uiderant eum prius, q̃ mendicus esset, dicebant, Nonne hic est,
» » qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant, Hic est. Alij rursus, Similis
» » est ei. Ille dicebat. Ego sum. Dicebant ergo ei. Quõ aperti sunt tibi oculi?
» » Respondit ille & dixit. Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit, & in
» » unxit oculos meos, & dixit mihi, Vade ad piscinam Siloe, & laua. Vt
» » aũt abij & laui, uisum recepi. Dixerunt ergo ei. Vbi est ille? Ait, Ne-
» » scio. Adducunt ad pharisęos eum, qui dudum cęcus fuerat. Erat aũt sab-
» » batum, cum lutum faceret Iesus, & aperiret oculos eius. Iterum ergo in-
» » interrogabant & eum pharisęi, quõ uisum recepisset. Ille aũt dixit eis:
» » Lutum mihi imposuit super oculos, & laui & uideo. Dicebant ergo ex
» » pharisęis quidam. Non est hic homo à deo, quia sabbatum non obser-
» » uat. Alij aũt dicebant. Quõ potest homo pctõr hęc signa ędere? Et dis-
» » sensio erat inter eos. Dicunt cæco iterũ. Tu qd dicis de illo, quia aperu-
» » it tibi oculos tuos? Ille aũt dixit, Propheta est. Nõ crediderunt ergo Iu-
» » dęi de illo, q̃ cęcus fuisset, et uisum recepisset, donec uocauerunt paren-
» » tes eius, qui uisum recepat, & interrogauerũt eos dicẽtes. Hic est filius
» » uester, quẽ uos dicitis cęcũ natũ esse? Quõ ergo nũc uidet? Respõderũt

eis paren

eis parẽtes eius & dixerũt. Scimus, ꝙ hic est filius noster, et ꝙ cęcus natus est, quomodo autem nunc uideat, nescimus, aut quis eius aperuerit oculos, nos nescimus, ipse ætatem habet, ipsum interrogate, ipse de se loquetur. Hęc dixerunt parentes eius, ꝙ timerent Iudęos. Iam enim conspirauerant Iudæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, è Synagoga eijceretur. Propterea parentes eius dixerunt, Ætatem habet, ipsum interrogate. Hactenus Euangelista. Vides autem ex hac narratione, duplicem controuersiam inter Iudæos ortam. Alteram de miraculo, num uere sit æditum. Alteram de autore miraculi, num is sit ex deo, hoc est, num habeat diuinam uocationem, & fungatur diuino opere. Necessarium autem est, ut ueram habeamus cognitiõem de miraculis Christi. Nam Christus sæpe ac multum citat testimonium suorum miraculorꝝ. Opera, inquiẽs, q̃ ego facio, testantur de me, ꝙ pater miserit me. Et, Si mihi nõ uultis credere, operib. credite. Huc accedit, ꝙ etiã Ethnici quę dam miracula de dijs suis commemorent, quę tamen aut sunt conficta, aut magicis artibus ædita. Cognoscenda igitur est ueritas ac certitudo miraculorꝝ Christi, ne inter imposturas & prestigias numerentur. Porro cum hoc miraculum, quod Euangelista de cæco nato narrauit, sit unum è prẽcipuis, non sine diuino cõsilio factum est, ꝙ de ueritate eius seuerissime & exactissime tã priuatim ꝙ publice sit inquisitum. Quare audienda sunt testimonia. Ac primi omniũ testes sunt discipuli, qui nõ interrogassent Christum de pctõ cęci aut parẽtum eius, nisi probe cognouissent, hunc hominem fuisse à natiuitate cæcum. Et ijdem, qui sciebant ipsum cęcum fuisse, reipsa cognouerunt eum recepisse uisum, per Iesum Christum. Alij testes sunt uicini, qui etsi attoniti improuiso miraculo, initio dubitant de mendico, tamen re certius explorata, uident & cognoscunt hunc hominem, qui nunc uidet, eum ipsum esse, qui à natiuitate cęcus fuerat. Deinde cęcus ipse testis est, qui toties commemorat, quid de ipso gestum sit. Sed hæc tractata fuerunt priuatis tantum colloquijs, & cæcus uisus est id nullo suo periculo affirmare. Quare, ut miraculum illustrius fiat, & certius probaretur, tractatur etiam hoc negotium publice coram magistratu. Adducitur ergo is, qui cæcus fuerat ad Pharisæos. Nam penes hos erat summus inter Iudæos magistratus, prẽsertim in ijs rebus, quæ ad religionem pertinebant. Quid igitur factum est? Res geritur magna diligentia & seueritate. Pharisæi enim, coacto concilio, primum, hominem ipsum, qui cæcus fuerat, audiunt, & inuestigant ac explorant omnia. Homo autem, etsi minis terrebatur, & uidebat magnum sibi periculum impendere, si ueritatem rei, quam intelligebat pharisæis displicere, fateretur, tamen constanter affirmat, quę gesta sunt, & perseuerat firmiter in confessione. Deinde, cum pharisæi non crederent hunc fuisse cęcum, uocãt parentes eius, qui etsi erãt meticulosi, tamen ingenue fatentur hunc

Miraculorꝝ Christi certitudo.

filium suum fuisse à natiuitate cæcum. Itaq; probatum est tam priuatim q̃ publice, q̃ huic cæco restitutus sit uisus per Iesum mirabiliter. Reliquum autem nunc est, q̃ cum hoc miraculum sit et uerum et certum, doctrina etiam huius Iesu, qua se Messiam seu Christum affirmauit, uera, ac certa sit, nec alius seruator sit agnoscendus prẹter hunc Iesum Christum. Multa alia signa, inquit Ioannes, fecit Iesus in conspectu discipulorẹ suorum, quẹ non sunt scripta in hoc libro. Hẹc autem scripta sunt, ut credatis q̃ Iesus est CHRISTVS, ille filius Dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen eius. Sed audiamus & alteram controuersiam de autore miraculi. Nam hoc miraculũ ẹditum erat in die Sabbati, quo pharisæi iudicabant non esse licitum, massam ex luto facere, oculos ungere, & lauare. Damnant igitur autorem miraculi, hic homo, inquiunt, non est ex deo, quia non obseruat sabbatum. Itaq; oritur controuersia, nũ homo peccator possit miracula ẹdere. Primum igitur, Christus non uiolauit hoc opere sabbatum, iuxta sententiã diuinẹ legis, sed tantum iuxta opinionem pharisæorẹ, & traditiones eorum, quemadmodum aliàs demonstrauimus. Deinde usitata est quæstio de autoribus miraculorẹ, num peccatores possint ẹdere miracula. In Exodo enim extãt miracula Ægyptiacorum Magorum. Et Moses testatur pseudoprophetas posse signa & prodigia prædicere. Dicit & Christus ipse. Surgent pseudoChristi & pseudoprophetẹ & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiã electi. Quid igitur dicemus? Si impij & mendaces possunt ẹdere miracula, quõ ueritas doctrinẹ Christi ex miraculis eius probabitur? Cõsiderandũ ergo est, q̃ cum hoc loco dicitur, Quõ potest homo peccator hæc signa ẹdere? nomine pctõris non intelligatur quiuis peccator, generaliter, sed tantum pseudopropheta aut mendax doctor. Non enim dubium est, quin etiam hi homines, qui fuerunt alioqui peccatores, sed pia docuerunt, ẹdiderint uera ac diuina miracula. Si em̃ carnem & sanguinem consideraueris, pctõr fuit Moses, peccatores fuerunt, Elias & Elizẹus, pctõres fuerunt Apostoli, & tamen ẹdiderũt diuina uirtute magna & illustria miracula. Qui aũt talis est pctõr, ut nõ solum impie agat, sed etiam impia et mẽdatia doceat, fieri nõ potest, ut is uera ac diuina miracula ẹdat. Nã uera & certa miracula nõ possunt ẹdi, nisi diuino fauore et potẽtia. Deus aũt, ut odio habet mendatiũ et impietatem, ita nõ confirmat mendatium suo fauore & ut postea sequitur, Deus non exaudit peccatores, non approbat miraculis suis impiã doctrinam pseudoprophetarẹ. Permittit quidem deus, & cõniuet aliq̃ties, ut pseudoprophetæ uideantur miracula ẹdere, quemadmodũ uides in magis Ægyptiacis, & alijs impijs doctoribus, quorẹ supra mentionem fecimus, ea aũt miracula non sunt uera, sed p̃stigiẹ & illusiões oculorẹ. Et quẹ prẹter dẹmonum imposturas nar

Miracula edere nũ possint peccatores.

posturas narrantur ab Ethnicis, ea partim sunt conficta, partim ui natu rae facta, herba uidelicet adhibita, aut lapide. Deus autem conniuet ad ficticia miracula impiorum suo quodam consilio, uidelicet, ut pio rum fides probet, & incredulorum ac impœnitentium impietas puniatur. Non audies, inquit, uerba prophetę illius aut somniatoris, quia tentat uos deus uester ut palam fiat, utrum diligatis eum an non in toto corde & tota anima uestra. Et Paulus. Aduentus (inquit) iniqui illius est se cundum operationem Satanę cum omni potentia & signis ac prodigijs MENDACIBVS, & cum oī deceptione iniustitię in ijs qui pereunt, pro eo ꝙ amabilem ueritatē non receperunt in hoc, ut salui fierent. Et propterea mittit illis deus efficatiam illusionis, ut credant mēdatio, ut iudicentur oēs, qui nō credunt ueritati, sed approbauerūt iniustitiam. Quę cum ita se habeant, manifestum est, ꝙ qui sunt tales pctōres ut im pia doceant, non possint uera ac certa miracula edere, sed si permittitur eis diuinitus, edunt tantum eiuscemodi miracula, quę non sunt nisi prę stigiæ, & oculorꝫ illusiones. Sed prēter hoc, aliud magnum est discri men inter diuina & dæmoniaca, inter uera & falsa miracula. Nā Satan conat fallacibus suis miraculis uetus uerbū dei iam ante diuinitus con firmatum abolere, & impietatē mendaciter confictam stabilire. Vetus uerbum dei est. Nō inueniatur in te qui obseruet somnia atqꝫ auguria, sed ꝓphetam, quē Dns deus tuus de tua gente suscitabit, audies. In Eth nicismo aūt conficta fuit impietas augurandi. Negabant enim augures quicqꝫ posse mutari, aut nouum constitui, nisi aues addixissent. Quam sententiam, cum quidam irrideret, commemorant hoc miraculum acci disse. Agedum, inqt ille, diuina inaugurato, fieri ne possit, quod nunc ego mente concipio? Cum augur rem augurio expertus futuram dixis set. Atqui hoc agitaui animo, inquit, te nouacula cotem discissurum. Cape hęc & perage, quod aues tuę fieri posse portendunt. Tum augu rem haud cunctanter discidisse cotem ferūt. Primum, incertum est hoc ita contigisse. Nam qui hæc scribunt, non ipsi fuerunt spectatores, sed tantum famę, qui est sermo sine ullo certo autore dispersus, recitatores. Deinde, etiamsi tale quid contigisset, tamen nō fuit nisi aut illusio ocu lorum, aut arte quadam confectum. Adamantis duritia alioqui indomi ta est, & tamen fertur hircino sanguine rumpi. Quid si etiam augur ta li quodam ingenio cotem discideritꝰ Postremo hoc figmentum abolet uetus uerbum Dei prius confirmatum, de fugiendis augurijs, et stabili re conatur impietatem. Vetus uerbum Dei est, Non quęras à mortuis ueritatem. Et, Solus Christus est expiatio peccatorum nostrorum. In re gno autem Pōtifitio, cōfictus fuit ignis, ut uocant, purgatorius, in quo animę post mortem expient peccata sua. Et quo hæc sententia confirme tur, narrari solent quędā miracula. Spūs enim audiebant noctu uagari

Tarquinius priscus
Actius Neuius augur.

& tumultuari. Deinde, adiurati, respondebant, se maximos sustinere crutiatus in igni purgatorio, posse autem, recitatis triginta Missis liberari. Quid ergo ad hęc dicemus? primum, sępe ac multũ deprehensum est, ꝙ tales nocturni tumultus non à spiritibus, sed ab hoĩbus impostoribus excitati fuerint. Deinde, fieri non potest ut animę hoĩm mortuorum in his terris uagentur, sed si quid tale apparet, illusio dęmonis est, non rei ueritas, postremo hęc figmenta conantur stabilire impiam doctrinam, & abolere uerbũ dei antea cõfirmatum. Vera autem & diuina miracula non statuunt aliquid noui in uerbo dei, sed uetus uerbum dei confirmant, & ueritatẽ eius probant. Quę res manifesta est exemplis eorũ, qui ędiderunt uera ac diuina miracula. Sunt enim præcipue duo, qui ędendis miraculis maxime illustres fuerunt. Alter est Moses. Alter Iesus Christus. Horũ ille, cũ ęderet miracula in Ægypto nihil noui prędicauit, sed uetus dei uerbum per miracula confirmauit, & promissionem eius implendã ostendit. Nam ad Abrahamum dicturn erat. Scito, ꝙ peregrinum futurũ sit semen tuum in terra non sua, & subĩcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Verũtamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo, & post hæc egredientur cum magna substantia. Hoc uetus uerbum dei Moses prędicatiõe sua renouauit, & miraculis in memoriam Israelitarũ reuocauit, ut cognoscerent, ꝙ iam antea promissa sit diuinitus liberatio, & ꝙ quadringenti illi anni elapsi sint, ut manifestum sit, liberationem in propinquo esse. Sic & Iesus Christus non uoluit miraculis suis aliquid noui, & antea inauditũ constituere, sed uoluit his ostendere ac probare ueterem de Messia promissionem dei iam impleri. Ab initio enim mundi promissus est Messias, Definitum etiã erat tempus, quo uenturus esset Messias, uidelicet, postꝗ ablatum esset sceptrum à domo Iuda, & quadringentis nonaginta annis à secũdo anno Darij Longimani. Hoc erat uetus uerbũ dei à patriarchis & prophetis adnunciatum, et cœlestibus testimonijs confirmatũ. Cum igitur Iesus doceret se esse Messiam ac ęderet miracula, non instituit nouam doctrinam per miracula, sed tantum excitauit auditores & spectatores, ut cognoscerent hoc esse tempus, quo uetus promissio de Messia impleretur, & hanc esse personam, per quam ea promissio impleretur. Hoc etiã spectant miracula quę nomine Iesu ędita sunt per Apostolos. Quare ea sola miracula pro ueris & diuinis habẽda sunt, quę uetus uerbũ dei, & piam doctrinã antea cœlestibus testimonijs confirmatã stabiliunt. Nã sine angelus quidẽ impia docẽs audiẽdus est, certe nec ea miracula agnoscenda sunt, quę conantur ueterẽ et piam doctrinã abolere, ac nouam & pię aduersam constituere. Hęc de miraculis hoc loco sufficiant. Dicamus etiã quędã de parentibus huius cęci. Hi enim nõ negant quidem hunc esse filiũ suum, & à natiuitate cæcum fuisse, tanto antem metu pha-

Spiritus tumultuosi.

metu pharisęorum tenentur, ut etsi cognouerunt Iesum restituisse cęco uisum, non tamen audeant id ingenue fateri. Malunt diuinam gloriam obticere, q̃ humanam suam gloriam periculo exponere, ac metuunt sibi à periculo, si fateantur ueritatẽ, non metuunt autem, si mentiantur. Quid potest dici magis peruersum? Quęso enim te, confer mihi inter se pericula, quæ parentes ex una parte, propter ueritatem subiissent, & quę ex altera parte, propter mendatium subierunt, et reipsa comperies, nihil esse magis insanum, q̃ metu periculorꝫ, mẽtiri, aut alijs in rebus aduersus deum peccare. Nam parentes, si ingenue confessi fuissent Iesum ędidisse hoc miraculum, & esse uerum Christum, eiecti fortassis fuissent è Synagoga. Conspirauerant enim Iudęi, ut si quis cõfiteretur eum esse Christum, è Synagoga eijceretur. Sed quid hoc est periculi? Metuenda quidem & horribilis res est, si quis merito impietatis & iniquitatis suę iuste excõmunicatur, & anathematisatur. Sic enim excõicari, est abijci à Christo, & exhęredari ac excludi ab oi cœlesti hæreditate. Quo nihil potest homini infœlitius contingere. Excõicari autem, et condemnari humano iuditio propter Christum, aut Euãgelion eius, & si habet sua incõmoda in politica uita, tamen quo magis ab hoibus cõdemnaris, eo magis à deo conseruaris. Maledicent illi, inquit, & tu benedices. Et, Beati estis, cum hoies iecerint in uos probra, & persecuti uos fuerint, ac dixerint omne malum uerbum aduersum uos, mẽtientes propter me. Gaudete & exultate, quia merces uestra copiosa est in cœlis. Ac finge mihi maiora pericula, q̃ externam excõicationem. Pone, aduersarios non tm̃ auferre externas facultates, uerꝫ etiam uitam, propter cõfessionem ueritatis. Quid tum inde? Auferitur uita corporalis, & redditur uita cœlestis, auferẽ uita momẽtanea, & reddit̃ ęterna. Hoies eijciunt te de terra, sed angeli recipiunt te in cœlum. Hoc certe lucrꝫ magis est, q̃ damnum. Quod cũ ita se habeat, considera nunc etiã pericula, quę parentes propter mendatiũ subierunt. Retinuerunt em̃ fauorem hoim, si modo retinuerunt, sed amiserunt fauorẽ dei. Habuerunt suũ locum in cõuentu hoim, sed nullum amplius habuerunt locum in cõuentu angelorꝫ. Laudarunt eos pharisęi, si modo laudarũt, sed deus ipse execratus est eos. Seruarũt externã uitę tranqllitatem inter hoies, sed amiserunt perpetuã trãquillitatem corã deo. Ac breuiter, retinuerũt terrã, sed amiserũt cœlũ, & facti sunt obnoxij sempiterno igni inferni. Quanto, obsecro, maiora & horribiliora sunt hæc dãna, q̃ illa q̃ necesse erat suscipere, propter ueritatẽ? Quare si serio teneris metu periculorum, diligenter memineris, quid Christus ipse dicat: Ne metuatis, inquiens, uobis, ab his qui occidũt corpus, animã aũt non possunt occidere, sed metuite magis illũ, qui potest animã & corpus perdere in gehenna. Postremo, de hoc etiã admonendi sumus, q̃ pharisęi omnia conent & mo

Excõicatio.

liantur, ut obſcurēt miraculum à Chriſto ęditum, ſed his conatibus adiuuant magis gloriam eius, & illuſtrant potius, q̃ obſcurant. Qua in re agnoſcenda eſt ſumma dei induſtria. Etſi enim impij obſiſtunt cõſilijs dei, tm̃ deus tam induſtrius eſt, ut cum uideat impiorꝫ conatus adiuuare, eo ipſo conſilia ſua contra impiorꝫ ſententiã perficiat. Hoc idcirco nobis cognoſcendum eſt, non tm̃, ut non metuamus ſaluti Eccleſię dei, cũ perſecutores ineunt conſilia ad opprimendã eam, ſed etiam ne uicinis noſtris fortunam ipſorꝫ inuideamus, neue cõmodis eorꝫ inique obſiſtamus. Vulgo enim id fieri ſolet, ut alter alterius cõmodis inuideat, et aditum fortunę intercludat, quoq̃ modo id facere põt. Sed hęc eſt magna non ſolum impietas, uerꝫ etiam ſtultitia ac inſania. Primum enim, nihil certius eſt, q̃ q̃ humana conſilia nõ poſſint impedire diuina. Dñs Zebaoth, inqt propheta, decreuit, & quis poterit infirmare? Manus eius extenta, & quis auertet eam? Et iterum. Non eſt ſapientia, non prudentia, non eſt conſilium aduerſus Dñm. Quare ſi deus ſtatuit uicino dare aliquod donum terrenę fœlicitatis, fieri non poteſt, ut tu impijs et iniquis conatibus tuis cõſilium dei impedias. Si aũt deus nihil dare ſtatuit, quid opus eſt impios conatus ſuſcipere, qbus te in perniciem cõijcias, quando uicinus nihil conſequi poſſet, etiãſi tu magnam ei operam dares, & quoq̃ modo poſſes, adiuuares. Deinde nihil certius eſt, q̃ q̃ ea mala, q̃ alter alteri inique inferre cogitat, in autorem recidant. Ecce (inquit pſalmus) parturit iniuſtitiã, concepit dolorẽ, & peperit iniquitatem, Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueã, quã fecit. Cõuertetur dolor eius in caput eius, & in uerticẽ ipſius iniquitas eius deſcendet. Vide ergo mihi, quid facias? Cogitas obſtare cõmodis uicini tui, mendatijs, dolis, impoſturis, & alijs generibus iniquitatis. Sed hoc conatu, obſtas tuis ipſius cõmodis. An non inſanus & furioſus habet, qui ſibijpſi faciem diſcerpit, aut ſeipſum gladio uerberat? Non minus inſanire & furere ſolet, qui in alterꝫ eſt iniquus. Hoc enim ipſo ſibi magis q̃ alteri malum infert. Quare ſtudeamus patefacere aditũ fortunæ, ad q̃ ſuis proximos noſtros, & conferre ad eos benefitia noſtra, ut uiciſſim nobis benefiat, à Dño deo noſtro, per Ieſum Chriſtum filiũ eius, qui eſt unà cum patre & ſpũ ſancto deus benedictus in ſecula, Amen.

Inuidiæ impotentia.

HOMILIA LXXVI.

VÆ in concilio Phariſęorum cum homine, qui cęcus fuerat & cum parẽtibus eius de miraculo per Ieſum Chriſtum ædito, acta ſunt, ſuperiori Homilia percucurrimus. Etſi aũt certiſſimis teſtimonijs confirmatum eſt, miraculum in cęco uere æditum eſſe, Phariſęi tm̃, genus hoim longe impijſſimum, nondum exci-

dum excitantur, ut doctrinam Iesu diligenter cognoscant, & num Iesus, uerus sit Messias studiose inquirant, sed potius omni cogitatione curaq; in hanc rem incumbunt, ut miraculum obscurent, ac Iesu ipsi maiestatem Messię, quoq̃modo possunt, detrahant. Postquam eum parentes reiecerunt eos à se ad filiũ suum, qui rectius q̃ ipsi, sciat omnem rem gestam exponere, Vocauerunt Iudęi rursus hoiem, qui fuerat cęcus, & dixerũt ei. Da gloriam deo. Nos scimus q hic homo pctor est. Priusq̃ hęc uerba Iudæorum expendamus, quæso te, diligenter obserues, quanta cura & sollicitudine impij Iudęi glorię Iesu Christi insidientur. Ante disputarunt Iesum nihil recte agere, q non obseruat Sabbatum, & susceperunt actiones cum hoie qui fuerat cæcus, & cum parentibus eius, si quo modo aliquid uenarentur, quo miraculum refutari posset. Nunc adoriuntur hoiem, qui cęcus fuerat, primum quidem blãditijs, deinde conuitijs et diris deuotionibus, ut deijciant eum à cõfessione ueritatis, & deterreant alios homines, ne doctrinam Iesu sectentur. Hoc autẽ idcirco nobis cognoscendũ proponitur, ut nostra ignauia in sectanda uera pietate, & uocatione dei reprehendatur. Vides enim, quantum studiũ hi Iudęi adhibeãt ad perficiẽdã suã impietatẽ. Nec est obscura quãta cura impostores, amatores, potatores, fures, latrones, & incendiarij in suas cupiditates incũbant. Ducũt noctes insomnes, sudant, algent, ac nihil non extremorum periculorũ suscipiunt, ut animo suo satisfaciant, & iniquitatem suam compleant. Filij huius seculi, inquit Christus, prudentiores sunt in sua generatione filijs lucis. Quid autem turpius, quid fœdius est, q̃ q impij & scelerati maiori studio & diligentia suam impietatem, q̃ pij suam pietatem sectentur? Quę enim est illa cessatio? Deus uocauit nos, & iussit, ut piam doctrinam cognoscamus, & ei fide ac operibus obediamus. Et ad hanc rem conficiendã datum nobis est tempus huius corporalis uitę. Non est quicq̃ differendum, usq̃ in futurũ seculum. In eo enim non est tempus credendi, sed recipiendi, q̃d unusquisq̃ per corpus suum gessit. In hoc aũt pręsenti seculo tempus est Christum filium dei cognoscendi, & cum deo recõciliandi. Nec ad modum longum est tempus. Alius enim decem tantum annis uitam agit, alius uiginti, alius triginta. Et si multũ, octuaginta, ut psalmus ait, Quod autem amplius fuerit, labor est et dolor. Magna igitur opera nobis danda est, ne hoc breue si ad ęternitatem, ad quam proficiscimur, conferas, tempus inutiliter, ac pernitiose consumamus, neue impij nos suo studio superẽt, sed ut diu noctuq̃ in offitio pietatis uersemur. His ita cognitis, accedamus nunc ad uerba pharisęorũ. Da, inquiunt, gloriam deo. Nos enim scimus q hic homo peccator est, hoc est, Aut non factus es ex cęco uidens, aut si fuisti antea cęcus, & nũc uides, miraculum non est tribuendum huic homini Iesu, quem scimus esse nebulonem,

ſed tribuendum eſt ſoli deo. Quare confitere ueritatem, dic te aut non fuiſſe antea cęcum, aut uiſum tibi reſtitutum eſſe, à deo tantum, non ab hoc homine. Hoc ſi feceris, pſtabis deo magnum cultum, & nos multa in te benefitia conferemus. Hęc eſt phariſęorum ſententia. Primum ergo, obſerua ueterem eorꝝ impietatem, Gloriantur de deo, iactant nomen dei, cupiunt laudem miraculi deo adſcribi, ſed abominãtur Ieſum Chriſtum, & condemnant eum. Horum exemplum ſequuntur alij ludæi, qui nunc ſunt, & Turcæ. Sequuntur & illud hypocritę in Chriſtianiſmo. Hi enim oẽs glorianť quidem de deo, uidentur inuocare deũ, habent frequẽtiſſime in ore ſuo deum, ſed interim aut ignorant Ieſum Chriſtum, aut contemnunt & damnant perſonam eius, aut non agnoſcunt nec requirunt offitium eius. Non poteſt aũt deus uel cognoſci, uſ inuocari, niſi per Ieſum Chriſtum filium ſuum, quemadmodum antea ſępe dictum eſt. Quare uaniſſimum eſt, cognitionem aut fauorem dei, ſine Ieſu Chriſto, ſibi arrogare. Deinde conſiderandum eſt impudentiſſimum phariſęorum mendatium. Dicunt palam, ſe ſcire ꝙ Ieſus ſit peccator. Ac dicunt hoc publice in ſuo concilio. Et tamen optime ſciũt, ſe de Ieſu nihil mali unq̃ comperiſſe. Quis ergo nunc adhiberet Conciliis fidem abſq̃ certo dei uerbo? En hi phariſæi erãt pręcipua pars populi dei, tenebant ſummum locum in religione, uidebantur eſſe uiri longe oĩm ſanctiſſimi, mentiuntur tñ adeo impudenter, ut etiam à mẽdico illo, qui cęcus fuerat, derideantur. Hęc certe in admonitionẽ noſtri ſcripta ſunt, ut nec pontificum, nec Conciliorꝝ, nec aliorꝝ quorumcunq̃ hoĩm autoritate & teſtimonio in doctrina perpetuæ noſtrę ſalutis, abſq̃ iuditio confidamus, Sed ut de ipſorꝝ ſententia iuxta uerbum dei iudicemus, & q̃d cum uerbo dei conuenit, recipiamus, quod aũt cũ uerbo dei pugnat, abiiciamus. Exemplo nobis ſit is homo, q cęcus fuerat, & de quo nunc nobis ſermo eſt. Hic enim intellecta phariſęorꝝ malitia, tanto fortius tueť ueritatẽ, quanto magis ei à phariſęis contradici

Cõciliis num fides adhibenda.

» » tur. Reſpondit enim, ac dixit, An peccator ſit, neſcio, Vnum ſcio, ꝙ cæ
» » cus cum fuerim, nunc uideam. Nõ dubitat de innocentia Ieſu Chriſti, ſed ſic initio ſe ſermone ſuo demittit, ut altius ſurgat, & ueritatẽ fortius affirmet. Hęc libertas peſſime habet phariſęos. Quare inuehũtur in ip
» » ſum magna animi amarulẽtia. Et dixerunt ei iterꝝ. Quid fecit tibi? quõ
» » aperuit tibi oculos? Sed ille nihil cõmotus ipſorum indignatione, inſu
» » per etiam deridet eos. Reſpõdit enim eis. Dixi uobis iam, nec audiſtis,
» » cur iterum uultis audire? num & uos uultis diſcipuli eius fieri? Vide, q̃ amplum, q̃ excelſum, q̃ firmum animum faciat ueritatis cognitio. Hic homo erat mendicus, fuerat à natiuitate cęcus, & ab oĩbus miſerrimus habitus. Phariſęi aũt erant principes Iudæorum, & habebant ſanctiſſimi ac fœliciſſimi. Nihilominus tñ mendicus ridet phariſęos, infimus homo,

mus homo, summos principes, idq; coram in ipsorum Concilio. Vnde tanta illi fiducia? certe non nisi è cœlesti spū. Hoc enim est diuinum iuditium, q̃ cum principes contēnant & condemnent Christum, ac impie & iniuste faciant, uicissim contemnantur, & à uilissimis etiam condemnentur & derideantur. Effundit, inquit Iob, despectionem super principes, & eos qui oppressi fuerant, releuat. Et Dauid. Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dñs subsannabit eos. Si Dñs deus de cœlo irridet impios principes, quis nō cōpararet se ad Dñi dei sui uoluntatē? Non licet quidem cuiuis priuato suum legitimum principem temere, pro sua libidine contumeliose deridere. Si enim persona senis, quanto magis persona principis honoranda est, Sed hoc diuinum est iuditiū, ut cum principes rideant filium dei, & deserant suum offitium ac uocationē, uicissim & ipsi rideantur, ac à suis deserantur. Quare si principes uoluerint suam conseruare autoritatē, necesse est, ut & ipsi conseruent pro sua uirili autoritatem dei, & faciant suum offitium, ad quod diuinitus sunt uocati. Porro pharisęi, non erant assueti, tam ridicule tractari, pręsertim à mendico, idcirco multo grauius q̃ antea inuehuntur in hominem. Et conuiciati sunt ei, ac dixerunt. Tu discipulus illius esto. Nos aūt Mosi discipuli sumus. Nos scimus, q̃ Mosi locutus est deus, Hunc aūt nescimus unde sit. Hoc plane illud est, quod & nostris tēporibus iactari solet. Postq̃ enim pia doctrina Euangelij Christi, diuina clementia, reuelata est, qua dāmantur hypocritarū superstitiones, & consuetudines sine uerbo dei institutę, multi sunt, qui contempta pia doctrina, dicūt se perduraturos in ueteri maiorū suorū religione. Sic & pharisęi loquuntur. Audiunt doctrinam Iesu à mendico commendari, sed ipsi respondent, se sectaturos doctrinam Mosi, hoc est, se mansuros in ueteri sua, Mosi & patriarcharum religione, quam certo sciāt, diuinitus traditam esse. Honestum quidem est, & laude dignum, q̃ dicant se amplecti doctrinam Mosi, & ueterem maiorum suorū religionem, & admonendi fuissent, ut hanc doctrinam ac religionem fortissime tuerentur, Sed hoc est magnum peccatum ipsorū, q̃ non summa cura & studio cognoscant, quę sit uera doctrina Mosi, & qua in re pręcipue constet ueterum religio. Supra dixit Christus. Si credidissetis Mosi, credidissetis utiq; mihi, De me enim ille scripsit. Nam Moses, etsi multas politicas & Leuiticas leges tulit, ac docuit etiam decalogum, tamen hęc nō sunt proprie religio, quę seruat hoīes, sed ea oīa respiciunt in Iesum Christum, quo solo seruamur. Politia Mosaica instituta est, ut in ea conseruarentur promissiones de Christo, donec ueniret in hunc mundum. Leuitica sacra commendata sunt, ut Christum adumbrarent, & fidē in Christum docerent. Decalogus promulgatus est, ut homines agnitiōe peccati per decalogum reuelati, ad Christum expiatorem peccati remit

Principes ridentur à mendico.

Religio uetus conseruanda.

Mosaicæ politiæ institutio.

terentur. Quare, qui uere est discipulus Mosi, & cognoscit ueram sententiam doctrinę eius, fieri nõ potest, quin Iesum Christum amplectatur, & doctrinam eius summa fide sectetur. Eadem dicenda sunt etiam de his, qui nostris temporibus iactant, contempta doctrina Euangelij, uetere maiorum suorũ religionem. Hi enim non male dicunt, uetere religionem conseruandam esse, Sed male de ueteri religione sentiunt, & in hoc pernitiose errant, ꝓ non dent summam operam, ut recte intelligant, quę sit uetus religio. Nam ueterem religionem putant esse, Missas audire, Ad Sanctorum sepulcra peregrinari, Sanctos inuocare, Certis diebus ieiunare, certas preculas recitare, uarios monachorum ordines habere, & id genus multa alia opera facere, quibus pctã tua expies. Hanc sentiunt esse ueterem religionem. Sed quid ineptius, quid imperitius? Hęc enim sunt ab hypocritis recens excogitata & instituta. Vetustissima aũt oĩm religio est, Credere in Iesum Christũ, ꝓ propter hunc solum habeamus remissionem pctõrum & uitam ęternam. Hęc religio prędicata est initio in paradiso. Hanc religiõem sectati sunt patriarchę, adnuntiauerunt prophetę, & diuulgarunt in totum orbem terrę Apostoli. Quare qui hanc religionem amplectitur, is uere perdurat in ueteri religione. Quę cum ita se habeant audiamus quid mendicus pharisæis respondeat. Excitatus enim cęcitate & impietate eorum, reprehendit
» » imperitiam ipsorum grauissima contione. Respondit ille homo, & dixit eis. In hoc enim mirabile quiddam est, ꝓ uos nesciatis unde sit, & tamen aperuit meos oculos. Scimus aũt, ꝓ peccatores deus nõ audit, sed si quis dei cultor est, & uoluntati ipsius obtemperat, hunc audit. A seculo non est auditum, ꝓ quis aperuerit oculos cæci nati. Nisi esset hic à deo, non potuisset quicq̃ facere. Pharisęi negarunt se scire unde Iesus sit, hoc est, num doctrina eius sit diuina, & num quę facit, diuina uocatione faciat. Probat igitur mendicus firmissimo argumento, uocationẽ & doctrinam Iesu esse uere diuinam. Nihil certius est (inquit) q̃ ꝓ cũ essem cœcus natus, aperuerit Iesus oculos meos, ac tale in me miraculũ ędiderit, quale ab initio orbis cõditi nunq̃ auditum est. Quid? an hoc indiget ulla probatiõe? Manifestum enim est, me fuisse cęcum natum. Hoc parentes, hoc uicini, quotq̃t me nouerunt, hoc ego ipse testamur. Manifestum est, ꝓ nunc uideam. Manifestum est, ꝓ huius Iesu opera uisum receperim. Hic prorsus nullum est dubium. Fieri autem non potest, quod peccator, seu impius doctor, possit tale ac tantum miraculum ædere. Deus enim non audit peccatores, sed suos cultores & eos, qui uocationi suę obediunt. Quare si hic Iesus esset peccator aut impius doctor, deus non exaudiisset eum in ædendo hoc miraculo, nec approbasset sigillo huius miraculi impietatem eius. Porro cum hic dicitur, Deus peccatores non audit, considerandum est, quod nomine peccatoris, hoc lo-

hoc loco, non sit intelligendus generaliter, quiuis peccator. Oēs enim homines sunt natura sua pctōres. Ac etiam hi, qui pij sunt, habēt adhuc peccatum in carne & sanguine suo. Si dixerimus, inquit Ioannes, non peccauimus, mēdacem facimus eum, & sermo eius nō est in nobis. An non spūs sanctus exigit à nobis continuam cōfessionem peccati nostri, cum iubet nos semper in oratione dominica dicere, Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris? Non exigeret aūt talem confessionem, si non semper essemus peccatores. De his peccatoribus non est hic sermo. Hi enim pctōres, etsi habent adhuc peccatum in carne sua, tñ credunt in Christum, & consecuti sunt remissionē peccati propter Christum, ac dominantur peccato per spūm Christi, ideoq; non patiuntur repulsam in precibus suis, sed exaudiuntur à Dño. Inuocant enim nomen Dñi ex fide in Christum, et precantur deum, nō ut adiuuet peccatum, sed ut remittat peccatum, & det spiritum compescendi & expurgandi peccati. Quare cum hoc loco dicitur deus peccatores non audit, non intelligendi sunt ij peccatores, qui consecuti sunt in Christo remissionem peccatorum, & ambulant in uocatione dei, Sed intelligendi sunt hi, qui impia docent, & sunt autores scelerum. Hi em non exaudiuntur à deo, cum precantur eum, ut det ipsis donum ædendorū miraculorū, quo impiam suam doctrinā, aut institutum scelus confirment. Deus enim odio habet impietatem, & iniquitatem. Non pōt igitur fieri, ut approbet eam miraculis. Ac uerū quidem est, q; deus cōniueat aliquoties ad prosperū successum impię doctrinę, & scelerū. Nō enim ignotum est, q̄ multis annis fœliciter promouisse uideantur idololatria Gentium, hypocrisis monachorum, & impietas Mahumetis. Manifestum etiam est, q; deus conniueat nonnunq̄, ut impij doctores ędant aliqua miracula, Sed quę sint mendatia, & illusiones tantum oculorum, qualia fuerunt miracula Magorū Ægypti, & sacrificulorū Gentium, de quibus aliâs diximus. Nihil aūt certius est, q̄ q; deus non permittat, nec conniueat, ut impij doctores uera miracula ędāt, quibus impia eorum doctrina confirmaretur. Huc enim respicit illud, q̄d hoc loco dicitur, Deus pctōres non audit, Sed si quis est cultor dei, & uoluntati eius obtemperat, hunc audit, hoc est, deus non iuuat impios doctores, ut impietatem suam miraculis confirment, Sed si qui diuina & uera miracula ędiderint, horum doctrina uera ac diuina sit, necesse est. In tertio libro Reg. ca. xviij commemoratur de Elia & sacerdotibus Baal, q; conuenerint inter se, ut quorū holocaustū igni de cœlo incenderet, eorum doctrina uera ac diuina habeatur. Docebat aūt Elias uerā religionem, uerbo Dñi traditā. Sacerdotes Baal docebāt impiam religionē, cum uerbo dei pugnantem. Quid ergo factum est? Sacerdotes Baal clamabant ad deum suum de mane usq; in meridiem, & quanq; pretiuo

Peccatores etiam pij.

cationem inciderent etiã sese cultris, quo maior esset species religionis, tñ holocaustum non incendebat, nec ullum fiebat per eos miraculum. Deus enim pctōres nō audit. Postq̃ uero Elias, restaurato altari Dñi, & adornato holocausto, inuocaret nomen Dñi, Exaudi me, inquiens, exaudi me Domine, ut discat populus iste, quia tu es Dñs Deus, & tu cōuertisti corda eorꝝ iterum, statim cecidit ignis de cœlo, & deuorauit holocaustum. Si quis enim dei cultor est, et uoluntati eius obtemperat, hunc exaudit deus. Mahumetes instituit impia docere, et eam doctrinã inter uarias gentes propagare. Etsi aũt finxit sibi colloquium esse cum angelo dei, tamen hoc nunq̃ potuit probare, nec fuit ei diuinitus concessum, ut impiam suam doctrinam miraculis confirmaret, quemadmodum fatetur ipse, se non missum ad ędenda miracula, sed ad inferenda arma. Hoc aũt magis est latronem, q̃ doctorem agere. Neq̃ si maxime uoluisset, potuisset ullum ędere miraculum. Deus em̃ peccatores nō exaudit. Sed dices. Nec uos, qui hoc tẽpore gloriamini de doctrina ueri Euãgelij, aduersus impiam doctrinam hypocritarum, ęditis aliqua miracula, & intantum oĩ miraculorꝝ dono destituti estis, ut ne claudum q̃dem equum sanare possitis. Quid igitur de uestra doctrina sentiendũ est? Quęso ergo te, audi tu uicissim. Non ędimus talia miracula, qualia apostoli ędiderũt. Nec etiã hoc agimus, nec hoc à deo petimus. Nec est Ecclesiæ necessarium. Non enim sumus autores et prręceptores alicuius nouę & incertę doctrinę, sed sumus discipuli ueteris doctrinę, quę iam dudum est certissimis miraculis confirmata. Non enim prędicamus nouum Euangelion, sed prorsus illud ipsum, quod Apostoli prędicauerunt, id quod scriptis Apostolicis perspicue probamus. Quare q̃cunque miracula Apostoli ędiderũt, uel etiã q̃ Christus ipse ędidit, ea sunt & nostra miracula, q̃bus nostra doctrina confirmatur. Prędicamus solum Iesum, esse uerꝝ Christum, uerꝝ expiatorẽ pctōrum nostrorum, & nullum hoĩem posse consequi peccatorum suorum remissionẽ, nisi per fidem propter solum Iesum Christum. Quod si de hac nostra doctrina dubitaueris, & requisieris miracula, en tibi miraculum, quod ab initio orbis terrę non est auditum, q̃ Iesus restituit uisum cæco nato. Prędicamus Iesum esse uictorem mortis, & homines non posse uincere mortem per pontificias indulgentias, sed tantum per fidem in Iesum Christum. Quod si requiris miraculum, en tibi Lazarum à Iesu excitatum. Quid amplius desideras? Si non es contentus his & alijs id genus miraculis, sed requiris plura, & p̃sentia, oleum & opera in te perdita sunt. Si Mosen, inquit, & prophetas non audiunt, nec si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Sed de contione mendici hactenus, au
,, diamus nunc quo animo excepta sit à pharisæis. Responderunt & dixe
,, runt ei, In peccatis natus es totus, et tu doces nos? Et eiecerũt eum foras.

Euangelij summa.

Hi sunt

Hi sunt solennes mores huius seculi. Maximo bñfitio rependunt hoïes maximam ingratitudinem. Mendicus etsi pauperrimus erat, tñ obtulit pharisęis summas diuitias. Exposuit eñ eis ueritatem doctrinę Christi, & probauit ac illustrauit eam certissimo argumento, adeoq; si quid unq; eleemosynę mẽdicando ab eis accepit, hac una sua cõtione plusq; cẽtuplum rependit. Nã si agnouissent eam, consecuti fuissent non solum ueram iustitiam corã deo, uerꝫ etiam regnum cœleste. Pro tantis meritis retribuũt mendico hanc gratiam, ꝙ execrentur eum, & exprobrent ipsi cęcitatẽ ac mendicitatem, ac proscribant eum. In pctis, inquiunt, totus natus es. Reipsa manifestũ est te esse à deo abiectum. Nisi enim deo esses abominabilis, nõ fuisses cęcus natus, nec in tantã paupertatem cõiectus, ut necesse habuisses eam mẽdicitate sustentare. Apage igit cum tua uana contione. Paucissimis uerbis, summam suam ignorantiã et impietatem declarant. Ignorantię est, ꝙ sentiant, deum affligere hoïes tantum propter pctã, & afflictiones nõ esse nisi irati dei signa. De qua re, quoniam supra pluribus dictum est, superuacaneũ est, ut in hoc loco explicando cõmoremur. Impietatis est, ꝙ non solum execrentur hoïem, quem deus tanto miraculo ornauit, sed etiã, ꝙ damnent piam eius cõtionem, & notent eum, quãtum in ipsis est, publica ignominia. Sed qd? num qui ab hoïbus damnatur, dãnatur etiam à deo? Fieri quidem potest, ꝙ impius iuste etiam ab hoïbus damnetur, ideoq; damnet etiam à deo: luxta dictum illud Christi. Quorꝫ retinueritis pctã in terris, retenta erunt & in cœlis. Qui aũt pius est, & damnat ab hoïbus propter piã confessiõem noïs Christi, qd hic mendicus fecerat, is tãto maiori fauore à deo suscipitur, quanto acerbiori odio ab hoïbus abijcitur. Omnis, inquit, qui me cõfitebitur coram hominibus, cõfitebor & ego illũ coram patre meo, q est in cœlis. Quare nõ est metuẽda hominũ proscriptio aut condẽnatio, sed prouidendũ est, ut in cõfessione et obedientia pię doctrinę constanter pseueremus, quo etiãsi reijtiamur ab hoïbus è contubernio terrenorꝫ ciuium, recipiamur tñ in contuberniũ cœlestium ciuium per Iesum Christum seruatorem nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LXXVII.

Vdiuimus contionẽ mendici de Iesu Christo. Audiuimus etiã, quam gratiam retulerint pharisęi mẽdico, pro meritis suis, sed priusq; ad reliqua ꝓgrediamur, dicemus adhuc pauca de hac re, ut quanto notior fiat impietas pharisęorꝫ, tanto nos diligẽtiori cura pietati studeamus. In pctis, inquit, natus es totus, & tu doces nos? Rẽ admirandã. Pharisęi obijtiunt mendico pctã, cũ ipsi tot fere peccata hic designent, qt uerba dicunt. Vnum peccatũ est, ꝙ cum uideant hunc hoïem esse mendicum, ac à natiuitate fuisse cę

cum, sentiunt eum totum in peccatis natum esse, hoc est, sentiunt deum non inferre afflictiones, nisi propter pctã. Ac uerum quidem est, omnes hoies in peccatis totos esse conceptos & natos, sed nõ est uerum, ꝙ deus non affligat homines alia de caussa, ꝗ propter pctã. De qua re ante satis dictum est. Alterum pctũm pharisęorum est, ꝙ exprobrent huic homini cõtumeliose suam mendicitatẽ & cęcitatem. Vulgare est hoc pctũm inter homines, præsertim ad iracundiã prouocatos. Si quid emũ uitij habueris uel in animo, uel in corpore, uel in genere uitæ, uel in parentibus, uel etiam in familia, hoc solet multis uerborum cõtumelijs ab iratis aut nonnunqꝫ ab ijs quoqꝫ, qui tranquillo sunt animo exprobrari. Videtur autem esse leue genus peccati. Sed profecto grauissimum est, & refertur in ordinem homicidij. Christus cum exponeret hanc legem, Non occidas, dicit non eum solum esse iuditio homicidij obnoxium, qui manu aut gladio hoiem occidit, uerũ etiam eum, qui fratri suo irascitur, & dixerit ei Raha, aut fatue. Contumeliosum igitur in proximum esse, est homicidium designare. In psalmo ait Dauid. Filij hoim, dentes eorũ arma & sagittę, & lingua eorum gladius acutus. Quare hominem uerborũ cõtumelijs lacerare, est eum armis, sagittis, et acuto gladio inuadere, hoc est, homicidium cõmittere. Hoc pctũm pharisęi designarunt, & tamen putant se innocentissimos. Hoc pctũm designant, quotq̃t exprobratiõibus suis cõtumeliosi sunt in ꝓximos suos. Quod cum frequẽtissime ab iratis hominibus fiat, quid horribilius est, ꝗ ꝙ tot homicidę coram deo in his terris obambulent, quot fere sunt hoies irati? Sed audiamus & tertium peccatum pharisæorũ. Tu, inquiunt, totus es in peccatis natus, & nos doces? Non uolunt doceri à mendico, non agnoscunt mendicũ contionatorem. Hæc est impia superbia & arrogantia. Contẽnunt enim et fastidiunt eum, quẽ filius dei audiendum magno & illustri miraculo cõmendauerat, quem & pharisęi ipsi audiendum uocauerant. Nã existimant se sua sapientia & eruditiõe satis doctos, nec indigere aliorũ quamuis excellẽtium doctrina, tantũ abest, ut pacienter audiant doctrinã mendici. Sed uetus est, & usitatum, ꝙ deus subijciat sapientes stultis, & eligat indoctos, ut sint pręceptores & magistri doctorum. Postquàm enim, inquit Paulus, mundus non cognouit deum per sapientiam, uisum est deo per stultitiam prędicationis saluos facere credentes. An non Christus ipse habitus est nouissimus, ut propheta ait, uirorum? sed hunc abiectum hominem Deus ita exaltauit, ut in nomine eius omne genu flectatur. Lapidẽ, ait psalmus, quem reprobauerunt ędificantes, hic factus est in caput anguli. Quid Apostoli? an non tam contẽpti fuerunt, uix ut à mẽdicis qcqꝫ differrent? Sed Deus hos mẽdicos instituit, in præceptores & contionatores non tantum uulgi, sed principum & monarcharum, adeoqꝫ totius mundi, Sic necesse

Contumelia, homicidij genus est.

Stulti sapientum præceptores.

necesse habent pudefieri illustres, sapientes & docti, cum interim diuinitus illustrentur obscuri, insipientes & indocti, ut non glorietur in conspectu dei omnis caro. Quare, qui contemnit & abijcit hos, quos deus suspiciendos & audiendos proposuit, quamuis mendicos, is deum ipsum contemnit, & suam ipsius salutem à se cõtumaciter abijcit. Porro, pharisei non tantum prę se contemnunt mendicum, uerę etiam proscribunt eum. Et eiecerunt, inquit Euangelista, eũ foras. Quem aũt homines abijciunt, eũ suscipit filius dei. Sequitur em̃. Audiuit Iesus, ꝙ eiecissent eum foras. Cumꝙ inuenisset eum, dixit ei. Tu credis in filium dei? Respondit ille & dixit. Quis est dñe, ut credam in eum? Et dixit ei Iesus. Et uidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait. Credo domine. Et adorauit eum. Iesus Christus uocat se aliàs filium hoĩs. Nũc uocat se etiam filium dei. Quẽadmodum aũt nõ diceret se filium hoĩs, nisi uerus esset homo, ita cum uocat se filium Dei, docet se esse uerę deum. Duplices em̃ sunt filij. Alij sunt naturales, alij adoptiui. Christus autem non est filius dei adoptiuus, sed à deo genitus. Filius meus (inquit pater) es tu, ego hodie genui te. Et scriptura uocat eũ unigenitum. Quo noĩe significat Christum longe aliter esse filiũ dei, q̃ pios hoĩes. Ac si quidem cõsideraueris Christum secundum carnẽ suam, potest & ipse aliq̃ modo dici filius dei adoptiuus. Sed si cõsideraueris eum secundum spũm, qui humanam naturam in unitatẽ personę assumpsit, tũc ut nec est factus, nec creatus, ita nec est adoptatus, sed tm̃ natus à deo. Quare, cum uocat se filium dei, manifeste significat, se esse naturalẽ dei filium. Sicut aũt à uero hoĩe non nascitur nisi uerus homo, ita à uero deo, non nascit nisi uerus deus. Reliquũ igitur est, ꝙ Christus prędicando se esse filium dei, p̃dicat se esse uerę Dñm deum nostrę, creatorem cœli & terrę, & oĩs plenitudinis eorę. Mendicus aũt initio, cum interrogaretur à Iesu, nũ crederet in filium dei, non intelligit, q̃d sibi uelit hæc interrogatio. Fieri em̃ potuit, ꝙ cum cõsecutus esset uisum à Iesu, crediderit Iesum esse Messiam, non obscure aũt significat se nescire Messiam esse filium dei. Nec id mirę. Etsi enim inter Iudæos publica erat fama de Messia per prophetas promisso, tm̃ uulgus hoĩm siue Pontificum, siue inferioris sortis, existimabãt Messiam fore mundanũ regem, insignẽ quidem hoĩem, tantum tamẽ hoĩem, tantum Dauidis filiũ, non item filium dei, ac deũ ipsum. Quid uidetur, inq̃t, uobis de Christo? Cuius filius est? Respõderũt, Dauidis. Ac hi quidẽ, quamuis admoniti & edocti, non tm̃ crediderunt nec adorauerũt Iesum, Mendicus aũt, postq̃ admonitus est, tãta fide suscepit Iesum, ut etiamsi uideret se in maxima odia pharisęorę, quorę multi p̃sto aderant, incurrere, & difficillima pericula subire, tm̃ p̃cidens adorauerit Iesum, Dñm ac Deum seruatorem suum. Nec Iesus damnat hanc adorationem, sed agnoscit, & approbat

Filiorum duplex ordo.

eam. Et significat hunc hoïem, nunc demum recte ac synceriter uidere, q̃ non solum credat Iesum esse Messiam, sed etiam adoret ipsum, ut ue
,, rum Dñm deum suum. Dixit enim ei. In iuditiũ ego in hunc mundum
,, ueni, ut qui non uident, uideant. Et qui uident, cæci fiant. Pauca uerba dicit Christus, sed quę totum fere officium, aut negotium, quod in hoc seculo confecit, exponũt. In iuditium, inqt, ueni. In publicis iuditijs solent fieri rerum diuisiones. Ego igitur ueni, inquit, ut longe aliam rerũ diuisionem faciam, q̃ in mundanis regnis fieri solet. In his enim, qui cęci sunt, hoc est, miseri, contempti, & abiecti, relinquuntur cęci. Qui uero uident, qui uidentur fœlices, potentes, sapientes & diuites, his illustratur uisus, et augeẽt fœlicitas. Sic enim in hoc seculo comparatũ est, ut habenti detur, non habenti etiam id quod uidetur habere, auferatur. In regno aũt Christi hoc inuertitur. Nam qui uident, fiunt cæci. Qui aũt non uident, consequuntur uisum. Quid ergo est uidere? Quid est, Non uidere? Etsi uerba non sunt obscura, tñ ut sententia horum uerborũ rectius intelligatur, paulo copiosius de hac re dicendũ est. Primum ergo, uidere, in hoc dicto. Qui uident, cæci fiunt, significat humana ratione sapientẽ, doctum & eruditũ esse, & hac sapientia ac doctrina confidere. In regno igitur Christi, quid fit? Qui sic uident, qui sic sunt sapientes & docti, hi declarantur ex prędicatione Euãgelij cęci, stulti & indocti. Perdã, inquit, sapientiã sapientum, & intelligentiã intelligentium reijciam. Ac iterũ. Si quis sibi uidetur sapiens esse inter uos, in seculo hoc stultus fiat, ut reddat̃ sapiẽs. Etenim sapiẽtia mundi huius, stultitia est apud deum. Sapiẽtes habiti sunt inter Iudęos pharisęi & legispeiti, inter Ethnicos, philosophi. Sed prędicatio Euãgelij declarauit eos oẽs esse stultissimos. Imposuerũt em̃ auditoribus et discipulis suis mag na & uaria onera, q̃bus assequerentur iustitiam & fœlicitatẽ. Sed hic labor fuit uanissimus & stultissimus. Multum em̃ sese fatigando, redditi sunt iniustiores & infœlitiores. Deinde uidere significat humana iustitie honestũ esse, et externa sanctitate coram hoïbus fulgere, adeoq̃ hac iustitia & sanctitate confidere. Quid ergo fit in regno Christi? Qui sic uident, qui sic sunt iusti & sancti, hi declarant̃ ex Euangelio Christi, q̃ sint cęci, q̃ sint iniusti & dãnati. In cõspectu, inqt, tuo, non iustificatur oïs uiuens. Sic uidebãt iter Iudęos hypocritę & pharisęi, sed tãto erant iniustiores, quanto maiorẽ sibi ex opibus suis iustitiã pollicebant̃. Israel, inquit Paulus, qui sectabatur legem iustitiæ, ad legem iustitię non peruenit. Propter quid? Quia non ex fide, sed tanq̃ ex operibus legis. Habes quid hoc loco sit uidere. Audiamus, quid sit, Non uidere, cum dicit̃. Qui non uident, uideãt. Primum em̃ nõ uidere, est corporalibus oculis captum esse. Cum igitur Christus aduenisset & prædicaret Euãgelion suum, restituit uisum etiam his, qui corporalibus oculis

capti erant

capti erant, quemadmodum Euãgelica historia testatur. Deinde, Non uidere significat coram hominibus esse insipientem, obscurę, inglorium & abiectum. In regno igitur Christi cęci recipiunt uisum, insipientes fiunt sapientes, obscuri reddunt illustres, & abiecti feruntur in sublime. Apostoli nihil uidebãt. Erant em̃ hoĩes obscuri & cõtempti, sed facti sunt lõge oĩm clarissimi et gloriosiss. Hic cęcus, de q̃ nobis sermo est, erat mẽdicus, & propter mendicitatẽ, inglorius, sed Christus ornauit eũ tãta gloria, ut factus sit oĩbus pharisęis illustrior. Postremo, Nõ uidere significat, inhonestum, iniustum & pctõrem esse. Postq̃ ergo Christus aduenit, hi qui nõ uidebant, qui erant inhonesti, & pctõres, receperunt uisum, quia agnoscentes Christum consecuti sunt ueram iustitiam. Nihil uidebat Zachæus, nihil mulier peccatrix, nihil latro in cruce, sed hi facti sunt per Christum uidentes. Nihil uidebãt Gentes, quia erant alieni à iustitia, & à deo ipso, sed postq̃ peruenit ad eos lumen Euãgelij, uisum ita receperunt, ut uiderent uiã non solum ad iustitiam, sed etiã ad regnum cœleste. Quid ergo iuditio regni Christi admirabilius? in quo uidentes fiunt cęci, & cæci fiunt uidentes, hoc est, in quo iniusti fiunt iusti, et iusti fiunt iniusti, in quo inhonesti fiunt honesti, & honesti fiunt inhonesti. Hęc aũt commemorantur nobis, non in hunc usum, ut iniusti applaudant suę iniustitię, & iusti abijciant studium iustitię, sed ut tam hi q̃ illi ueram discant pietatem. Si qui em̃ sunt iniusti & inhonesti, non debent de salute sua desperare, sed agnoscant suam iniustitiam, & credant Euangelio Christi, ut per fidem propter Christum consequantur iustitiam. Christus em̃ propter hanc caussam uenit, ut iniustos reddat iustos. Si qui uero sunt iusti & honesti coram hoĩbus, non debent humana sua iustitia confidere, sed agnoscant etiam ipsi suam naturalem iniustitiam, & credant Euãgelio Christi, ut quod non potuerunt meritis suorũ operum consequi, consequantur in Christo per fidem. Cæterum, pharisæis omnia tum facta tum dicta Christi perscrutantibus, etiam hoc, quod Christus ad mendicum dixit, ab ipsis exceptum est. Et audierunt, inquit Euangelista, quidam ex pharisæis hęc, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Num & nos cęci sumus? Dicis, eos qui uident, cęcos esse. Nos autem sumus professores diuinę sapientiæ, qua uidemus non solum quid in terris agendum sit, sed etiam quid in cœlo agatur. Quid ergo? Dicis etiam nos esse cęcos? Dixit eis Iesus. Si cęci essetis, non haberetis peccatum. Nunc uero dicitis. Videmus, id circo peccatum uestrum manet. Admirati sumus, quod Christus antea dixit, Sed hoc dictum multo admirabilius uidetur. Quid enim est, q̃ ait. Si cęci essetis, non haberetis pctũm? Si cęcitas excusat à pctõ, agite, non audiamus decalogũ, non discamus Euãgelion Christi, non cognoscamus uerbũ dei, ut maneamus cęci, et nõ habeamus pctũm? Hoc certe

illud est, qnod uulgo iactari solent. Dicũt enim. Si nõ cognouero multa, non necesse habebo defendere multa. Itacꝫ contemnunt doctrinam uerbi dei. Sed hi tanto magis peccant, quanto certiores sunt ipsi cęcitatis suæ autores. Nam Christus non approbat hoc dicto impiam & ignauam hoim cęcitatem, sed potius reprehendit eam, & docet quãta mala afferat. Sicut enim aliâs dici solet, multos potuisse peruenire ad sapientiam, si agnouissent suam stultitiã, ita & Christus significat multos potuisse fieri uere uidentes, & intelligentes, si agnoscerent se esse cęcos & rerum diuinarum ignaros. Si cęci, inquit, essetis, hoc est, si agnoscere tis uestram cęcitatem, & exhiberetis uos docendos Euangelio meo, tunc non haberetis pctũm, hoc est, consequeremini remissionem peccati, & non imputaretur uobis pctũm, propter Christum. Nunc aũt, quia dicitis, Videmus, hoc est, quia non agnoscitis uestram cæcitatẽ, sed cõtenditis uos uestra humana ratione, sapientia, & eruditione posse propter merita operum legis consequi iustitiam, idcirco pctũm uestrum manet, non habetis ullam remissionem peccatorum, sed necesse habebitis in peccato uestro mori. Etsi aũt hęc locutio Christi, iuxta literam uidetur obscura, tm̃ si conferas eam cum usitato modo loquẽdi, in id genus argumentis, statim fiet perspicua. Incidit quispiam in tantam insaniam, ut uideatur sibi esse probe sanus, & belle ualere. Hic ergo alius quispiam, qui & magnitudinem insanię illius intelligit, & de ea dolet, dicere solet, Tu si insanus esses, bene ualeres. Nunc aũt, quia affirmas te esse sanum, manet insania tua, quę tanto periculosior est, quanto minus à te agnoscitur. His uerbis, non dicit ille insaniam esse sanitatem, sed reprehendit insani cæcitatem, & significat, cꝫ cum sit insanus, consultum esset rebus eius, ut intelligeret se esse insanum. Sic enim sumeret medicinam, ac bene de recuperãda sanitate sperare liceret. Sed quia cum sit insanus, contendit se esse sanum, idcirco abijcit medicinam, & ęgrotat periculosissime. Est qui designat latrocinium, & tanta est eius impudentia, ut hoc scelus nõ solum excuset, uerꝫ etiam affirmet esse uirtutẽ. Hic tũ alius dicit, Si esses latro, posses bonus uir fieri, sed qa nõ es latro, oim bipedum nequissimus es. Quid? num his uerbis significat latrocinium esse uirtutem? Minime oim, sed reprehẽditur latronis impudentia & iniquitas, cꝫ cum horribile scelus committat, existimet tm̃ se recte agere, ideocꝫ nulla spes est, fore ipsum bonũ uirum. Sic & hoc loco, cum Christus dicit, Si cæci essetis, non haberetis peccatum, nunc aũt quia dicitis, Videmus, manet peccatum uestrum, nõ sentit eos qui impie & sua culpa cæci sunt, sicut pharisęi erant, immunes esse propter impiam suam cæcitatem, à peccato, sed damnat pharisæorum sapientiã & iniustitiam, cꝫ cum essent lõge omnium stultissimi, & iniustissimi, obtruderent tamẽ deo suam stultitiã & iniustitiã pro summa sapientia

& iustitia.

& iustitia. Quo fit, ut nec cognoscant Euangelion Christi, quod est uera sapientia, nec credant in Christum, propter quem contingit credentibus uera iustitia, ideoq; maneant in perpetua cęcitate & impietate. Hęc cum ita se habeant, cognoscendum est initio, q̃ natura simus cęci & ignari rerum diuinarum. Etsi enim quędam possunt de deo natura cognosci, ea tamen, ut sunt imperfecta, & infirma, ita non afferunt nobis ueram salutem. Sed ut hac cęcitate liberemur, audiendum est Euangelion Christi, in quo deus ita cognoscitur, ut etiam latebras ac recessus animi eius peruidere queamus. Deinde cognoscendum est, q̃ natura simus peccatores, & propter peccata obnoxij ęterno supplicio, Sed ut a peccatis & supplicio eorum liberemur, discendus est Iesus Christus ex Euangelio eius, & suscipiendus per fidem. Is enim solus factus est uicti ma pro peccatis nostris, & tantam gratiā coram deo patre suo consecutus est, ut quotquot confidunt eo, reputentur in iudicio dei iusti, & fiāt perpetuo salui propter Christum filium dei, qui est una cum patre & spiritu sancto deus benedictus in secula, Amen.

Cęcitas naturalis.

CAPVT DECIMVM

HOMILIA LXXVIII.

Escriptum est superiori capite illustre miraculū, q̃d ędidit Iesus in eo hoīe, qui a' natiuitate cecus fuerat. Cuius miraculi ueritas comprobata est non solū priuatis, sed etiam publicis testimonijs, Sequitur nunc insignis contio, quam Iesus post hoc miraculum habuit. Demonstrauimus enim antea, quod Iesus usus fere sit miraculis suis pro contionatorijs, ut uocant, campanis, quibus magnam auditorum frequentiam ad contiones suas uocauerit, & quod ędiderit miracula ad congregandos homines in contionem, non ut ex ipsis armatum exercitum colligeret, quo uteretur ad tuendam corporis sui salutem, regio more, & ad inuadenda regna huius mundi, externa militum manu, sed ut miraculis ueritatē contionum suarū confirmaret & ex auditoribus filios dei, ac hæredes regni cœlestis cōgregaret. Hoc enim p̃cipue spectant miracula Christi, ut doctrina Euangelij eius, qua nobis non mundanū sed cœleste regnum offert, corroboretur. Quare, postq̃ ueritas miraculi, quod in cæco æditū est, satis comprobata fuit, recitat Iesus contionē Euangelij sui, ex qua cognoscamus, quę benefitia nobis per ipsum contingant. Amē, amen, inquiens, dico uobis, qui nō intrat per ostium in stabulum ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Qui aūt intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues uōcem eius audiunt. Et proprias oues uocat nominatim,

Miraculorū Christi usus.

,, & educit eas. Et cū proprias oues emiserit, ante eas uadit, & oues illum
,, sequuntur, quia nouerunt uocem eius. Alienum aūt non sequentur, sed
,, effugient ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum. Hæc est contio
Christi. Sed quid? dices. Num propter hanc contionem tantum miraculum erat ꝓdendum? An non fabulę simillima uidetur? Quid opus erat miraculo ad docenda ista abiectissima de ouibus? Potuisset eadem docere quiuis opilio, nec opus fuisset cœlesti doctore. Atqꝫ hęc quidē inebriatus quispiam fastu humanę sapientię diceret. Sed utcunqꝫ sapientes isti de hac contione sentiant, certe si adiunxeris expositionē Christi, reipsa comperiet pius quisque, ꝙ etsi uerba uidentur de rebus humillimis & abiectissimis tractare, contineant tñ doctrinam cœlestis ac perpetuę nostrę salutis. Nam auditores quoqꝫ ipsi uerba quidem intelligunt, sensum aūt non intelligunt, & tamen quia ex miraculo agnoscūt hunc Iesum esse cœlestem doctorem, uident aliquid sublimius hac con
,, tione significari, cūꝫ uerba prę se ferant. Hoc prouerbium (inqt Euange
,, lista) dixit eis Iesus. Illi aūt non cognouerunt, quę essent, quæ loquerē
,, eis. Reliquum igitur est, ut interp̄tem ipsum Christum audiamus. Nā
,, q̄ initio obscure aut parabolice dixit, hęc statim ipse interpretatur. Et a
,, it. Amen amen dico uobis. Ego sum ostium ouium. Oēs quotquot an
,, te me uenerunt, fures sunt & latrones, Sed nō audierunt eos oues. Ego
,, sum ostium. Per me si qs introierit, seruabitur, & ingredietur, & egre
,, dietur, & pascua inueniet. Hęc est parabolę de ouibus & pastore interpretatio. Etsi enim ea quę sequuntur, eodem pertinent, tamen hæc tantum nunc pro temporis ratione percurremus. Membra igitur huius parabolæ sunt, Oues, Ouile, Ostium, Ostiarius, Pastor, Fures, latrones, Mercenarij, Pascua, & Lupus. Cum aūt non possint uno tempore omnia explicari, dicemus modo de ouibus, de ouili, de ostio, ac ostiario. Principio, Christus in hac parabola significat Oues et ouile dici populum dei, idqꝫ iuxta usitatum morem sacrę scripturæ. Nam quemadmodum populus seu Ecclesia dei aliàs uocatur uinea, ita aliàs uocatur ouile, ut unusquisqꝫ pius dicatur ouis. Nos, inquit psalmus, populus tuus, & oues pascuę tuæ. Et in Ezechiele, Suscitabo super ea pastorē unum, qui pascat ea, seruum meum Dauid, ipse pascet ea, et erit eis in pastorē. In Zacharia etiam dicitur, Percute pastorem, & dispergentur oues gregis. Ex his & alijs scripturæ locis manifestum est, Ecclesiam & populū dei dici oues. Neqꝫ id inepte, aut minus congruenter. Quas enim proprietates habent oues, conueniunt suo quodam modo cum populo dei. Vna ouium proprietas est, ꝙ quemadmodum Christus ait, nouerint uocem sui pastoris. Naturam agni hanc esse aiunt, ut si forte exilierit è stabulis, agnoscat inter multas reliquas oues uocem matris suę, & ad eam solam oībus alijs neglectis, quamuis siciens & esuriens, properet. Ac

Psalmus 78.
Ezech. 34.

Basilius & hunc secutus, Ambrosius in suis ἐξαημέροις.

Ac uicissim matrem aiunt, inter aliquot millia agnorum, quamuis uni us uocis, unius ætatis, aliquoties etiam unius coloris, & ut nobis appa ret, unius odoris, suam, quam peperit prolem agnoscere. Quod acumē iuditij aurium & oculorum est in genere ouili, inter matrē & agnum, hoc etiam significat Christus suo quodam modo esse in ouibus erga proprium suum pastorem. Nouerunt, inquit, uocem pastoris sui, ideo que sequuntur illum. Alienum autem non sequentur, sed effugient ab eo quia non nouerunt uocem alienorꝝ. Eadē est proprietas Ecclesiæ ac populi dei. Nam qui est uerum membrum populi dei, is non sectatur uocem hæreticorum, & aliorum impiorum doctorꝝ, sed agnoscit tantū uocem Dñi dei sui. Oues meæ, inquit Christus postea, uocē MEAM audiunt & sequuntur ME. Quid ergo dicemus? an uera Ecclesię membra nunqꝫ possunt decipi ac errare? Si hęc ita se habent, cur pugnamus cum hgreticis? cur obsistimus impijs doctoribus? cur non permittimus ut lupi secure grassentur in gregem Dñi, certi uidelicet, qꝫ oues non decipiantur? Metuo, inquit Paulus, ne qua fiat, ut quemadmodum serpēs decepit Euam uersutia sua, ita corrumpantur sensus uestri a simplicitate, quæ erat erga Christum. Quid metuit Paulus, si oues non audiunt uocem alienorum? Et quis hoīm potest inter oues Christi recenseri, cū omnes homines sua natura errent? Erraui, inquit, sicut ouis, quę perijt. Et iterum. Oēs nos, quasi oues errauimus, unusquisqꝫ in uiam suam declinauit? Quod igitur Christus docet, recte intelligēdum est. Nam cū dicit, Oues non audire uocem alienorum, non significat pios non posse seduci & errare, sed significat eos in errore non perseuerare, nec perire, etiamsi aliquādiu seducti errauerint. Fieri enim potest, ut impij doctores mendatium suum tanta elegantia & pietate ornent, ut iurares te audire ueritatem ipsissimam. Itaqꝫ abducuntur & pij aliquoties in errorem. Plurimum enim ualent prætextus nominis dei, multitudo & potentia eorū, qui in errore ac impietate consentiunt, diuturnitas temporis, consuetudo, signa & prodigia, quę nonnunqꝫ pseudoprophetæ ædunt, & fœlix impiæ doctrinę successus. His certe rebus fieri solet, ut etiam qui uere & ex animo pij sunt, abripiantur, & una cum alijs errorem sectari uideantur. Nam quemadmodum magnus & repētinus torrens solet secum rapere non tātum stipulas & lapillos, uerꝝ etiam grandia & alioq immota saxa, ita multitudo & magnitudo eorꝝ, qui errant, auferre solēt secum etiam eos, qui errorē & impietatem peius cane, qd aiunt, & angue odiunt. Vide mihi tempora Elię. Etsi enim septem milia uirorum erant, qui nō curuauerunt genua sua ante Baal, impietas tū Baalitica tam uulgaris, tam potens erat, ut nullus non Israelitarum uidebatur eam agnoscere. Dereliquerunt, inquit Elias, pactum tuum filij Israel. Altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, et de

relictus sum ego solus. Quid factum est ijs tēporibus, quibus natus & educatus est Iesus Christus? Multi quidē erant, qui expectabant redemptionem Israelis per Christum, attamen totus Iudaicus orbis uidebatur partim pharisaicus, partim Sadduceicus, hoc est, Epicureus. In Pontificio regno hypocrisis ita dñata est, ut oēs Christiani uidebantur Pontificij Monachici et Missarij. Quē enim nō deciperet tanta seculorē series, tot monarcharum consensus, tanta pontificum & episcoporē autoritas, tanta hypocritarē species, & tanta impietatis prosperitas? Sed bene habet. Etsi enim pij abducuntur in errores & impietates, tñ ea est clementia Christi pastoris, ut non sinat oues suas in errore perire. Non peribunt, inquit, ingternū, neq; rapiet eas quisq; de manu mea. Et Paulus. Solidum fundamentum dei stat, habens signaculum hoc, Nouit Dñs, qui sint sui. Ac iterum. Persuasum habeo, q; neq; mors neq; uita neq; angeli, neq; principatus, neq; ulla creatura alia poterit nos separare à dilectione, qua deus nos in Christo Iesu dño nostro cōplectitur. Viuamus ergo, inquies, securi, non obsistamus lupis, nō pugnemus cum impia doctrina, quippe q; nemo possit oues Christi de manu eius rapere, & in errore detinere? Imo, tanto magis est obsistendum lupis, & pugnandum cum impia doctrina, quanto certiores sumus, q; nemo possit oues Christi de manu eius rapere. Christus enim instituit ministerium prēdicandē pię doctrinę in hunc usum, ut esset organon, quo oues eius aut in offitio pietatis contineantur, aut si extra septa per impiam doctrinam in errorem abductę fuerint, ab errore reuocentur, & ad stabulum ouium reducantur. Paulus profecturus ad Hierusalem, in qua coniciendus erat in uincula, hortatur episcopos Ephesios, Attendite, inquiens, uobis & cuncto gregi, in quo uos spūsanctus posuit episcopos ad regendum Ecclesiā dei, quam acqsiuit sanguine suo. Ego ēm noui hoc, q; post meum discessum ingressuri sunt lupi graues in uos, non parcentes gregi. Et ex uobis ipsis exorientur uiri, loquentes peuersa, ut abducant diiscipulos post se, propter quod uigilate. Vigilate, inquit. In quē usum? Vt abigatis lupos, Sed nō possunt, inuito Christo, ullam ouem deuorare? Bene, ideoq; uigilandum est ministris Ecclesię, ut Christus per ipsorum ministerium oues tueat. Dei (inquit) cooperarij sumus, dei agricolatio, dei edificatio estis, iuxta gratiā dei, q̄ data est mihi. Et, Seruum dñi oportet propensum esse ad docendum, tolerantē malos cū mansuetudine, erudientem eos, qui obsistunt, si quando det illis deus pœnitentiā ad agnoscendam ueritatē, & resipiscant è laqueo diaboli. Quare, quo certiores sumus, q; Christus tueatur Ecclesiā suam, ne impia doctrina pereat, eo debemus nos diligentiores esse ad refutandam impiam doctrinam, ut probemus offitium & fidem nostram Christo dño nostro, & q̄d Christus in tuenda Ecclesia facit sua autoritate et potentia,

Ecclesiastici ministerij usus.

tentia, faciamus nos nostro ministerio & obsequio. Cęterꝫ, cum Christus tantam habeat ratiōem suarum ouium, ut conseruet eas perpetuo, quid reliquum est, q̃ ut huic uni studio tota mente ac pectore incumbamus, ut fiamus oues eius? Oia cōsecuti sumus, si deus nos pro ouib. Christi agnoscit. Quid igitur faciendum? in quo elaborandum est, ut fiamus oues Christi? Quid aliud faceremus, q̃ q̃d Christus ipse hoc loco docet, cum ait. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, seruabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. His uerbis docet Christus, q̃ qui uoluerit ouis eius esse, debeat in stabulum ouiū intrare per uerum ostium. Ostium aūt est Christus ipse. Et per hoc ostium intrat, quisquis agnoscit Christum per fidem. Quare credere in Christum, est fieri ouis Christi. Sed de ostio, et introitu per ostium, mox dicemus. Nunc persequamur institutum: Recensuimus unam proprietatem ouium, quę cum populo dei cōuenit, uidelicet, q̃ quemadmodum oues agnoscunt uocem sui pastoris, ita & uerus dei populus agnoscit Euangelion Christi, quæ est uox cœlestis pastoris. Audiamus & alterā proprietatem ouium. Vadit, inquit, ante eas, & oues sequuntur illum. Nam ouis natura sua, ut est inerme animal, ita totum pendet ex aliena cura & ope. Si à grege aberrauerit, non redit ad stabulum sua spōte, nisi compellatur, adeoq̃ semper necessaria ei est opera pastoris & ductoris. Talis est & natura populi dei. Homines enim per peccatum ita sunt exarmati, ut nullus eorꝫ possit suis uiribus consequi uerā iustitiam & fœlicitatē, sed toti pendeant à diuina cura & conseruatione. Quod si qs eorꝫ, cum uocatus sit in gregem Dñi, iterꝫ aberrauerit, & à stabulo Ecclesię per peccatum recesserit, non reuertitur sua sponte, sed necesse habet pastoris opera reduci, ac nisi statim prope ianuam excipiat, magna difficultate reducitur, si modo se comprehendi ac reduci patiat, & non totus in lupum aut aprꝫ uertatur. Dauid eiecit sese quondam è stabulo ouium Christi, per adulterium & homicidium. Nec est reuersus suo arbitrio, sed pastor necesse habuit amissam ouem quęrere, quam cum ad huc ante ianuam oberrantem comprehenderet, reduxit. Petrus exilijt è stabulo ouium per abnegationem. Errabat aūt tantisper securus in auia Pontificis, dum pastor eum respiceret, ac mox eum in stabulum reduceret. Iudęi fuerunt oues Christi, sed dereliquerūt ouile, & abierunt post suas impietates. Quid ergo factū est? Non à ianua tantum aberrarunt, sed longius processerunt usq̃ in interiora deserti. Vide igitur mihi, quanto labore, q̃ multo sanguine constiterit prophetas, Apostolos, & Christum ipsum, ut uel paucos tantum ad stabulum reducerent. Nam reliqui oēs tamdiu & tam procul aberrauerant, ut iam uersi erant in ursos, lupos, & leones. Fuit & Iudas Ischariotes in numero ouium, sed dereliquit ouile impietate, furtis, & proditione Christi. Etsi autē pastor

Christus diligenter eum quærebat & reuocabat, tamen ille diutino suo errore ita induratus erat, ut nullo modo uoluerit ferre, quo cōprehenderetur, ac reducederetur. Quare magna cura prouidendum, ne ab oculi Ecclesiæ dei discedamus, & si forte discesserimus, cōfestim nos reuocari & reduci paciamur. Habes proprietates ouiū, quas Christus in hac parabola cōmemorat, & quæ admonent nos, ut firmā habeamus fidem de cōseruatione ꝓpetuę nostrę salutis, in oībus aduersis, sed sunt & alię ouiū seu ꝓprietates seu cōditiones, q̄ nos admonere debēt nostræ uocationis. Primum em̄, Ouis, animal ita cōditum est, ut nihil sit in eo, q̄d non suum habeat usum, & quod non singularem quandam utilitatē afferat. Quare, qui uoluerit in cœlo agnosci pro oue Christi, sic debet instituere suam uitam, ut prosit tam ad illustrandam gloriā dei, q̄ ꝑ ad conseruādam hoīm salutem. Oēs uires animi, omnia membra corporis cōferri debent ad seruiendum publicę utilitati. Vide igit̄ mihi, quantum absint ab ouium conditione, impij, maledici, impostores, et alij scelerati. Hi em̄ oēs uires animi et corporis eo conferūt, ut nomē dei blasphemia affitiatur, & hoīes incōmoda accipiant. Nam cum sua tantum quærant, nihil pensi habent, siue aduersus deū, siue aduersus hoīes peccent, modo suis cupiditatibus morem gesserint. Quare non sunt oues, sed lupi, fures, prędones & latrones. Deinde ouis tantę est pacientię, ut etiam si tondeatur, hoc est, priuetur suo uestimento, aut mactetur, tamen taceat. Ouis, inqt Esaias, cum ad occisionem ducitur, obmutescit, & agnus coram tondente se, non aperit os suum. Exemplum huius pacientiæ debet & ouis Christi imitari. Si auferunt̄ tibi tua in hoc seculo, nec potes ea retinere legitime & pie, non est uirulenter insaniendū, & contumeliose cōuiciandum, sed est cum lobe dicendum, Dn̄s dedit, Dn̄s abstulit, Sit nomē Domini bn̄dictum. Si uita relinquenda est, ut illustretur nomen Christi, aut ne peccetur aduersus Christum, non est impacienter murmurandum, sed cogitandum, ꝙ qui propter Christum perdit animam suam, seruet eam. De his & similibus rebus debet nos cognomen ouis admonere. Atq̄ hactenus quidem de ouibus et ouili. Dicemus autem nunc etiā de ostio. Postq̄ enim Christus significauit Ecclesiā Dei esse ouile, et pios hoīes esse oues, dicit in hoc ouili suum quoq̄ ostium esse. Quod autem sit illud ostium, exponit ipse. Ego sum, inquiens, ostium ouium. Et ne quis existimet ei hoc uerbū temere excidisse, statim repetit. Ego sum ostium, per me si quis introierit, seruabit̄. Hoc epitheton ostij, quod Christus sibi tribuit, diligentissime et cōsiderandum et conseruandum est. Docet enim, ꝙ nullus possit esse membra Ecclesiæ Dei, ac hæres cœlestis regni, nisi qui per Iesum Christum in hoc ouile ingrediatur. Amen amē, inquit, dico uobis, qui non intrat per ostium in stabulum ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Ac mox.

ostium Christus.

Omnes

Omnes quotquot ante me uenerunt, fures sunt & latrones. Quid ergo ad hęc dicemus? An non patriarchæ, Moses, Dauid, & prophetæ uenerũt ante Iesum Christum? Dicemus igitur eos esse fures & latrones? Prohibeat deus, ut tantam temeritatem aut cogitando aut dicendo admittamus. Nam quod Christus dicit, Quotquot uenerunt ante me, fures sunt & latrones, quid sibi uelit, satis perspicue initio suæ contionis significauit. Ait enim. Qui non intrat per ostium, sed aliude ascendit, is fur est & latro. Itaq; uenire ante Christum, non est Christum tempore præcedere, sed est aliunde ascendere, & non intrare per ostium. Patriarchæ autem, Moses, Dauid & prophetę non ascenderunt aliunde, sed ingressi sunt per ostium. Quare non dicuntur hoc loco uenisse ante Christum, sed potius intrasse in Christo & per Christum. Quod ut melius intelligamus, uidendum erit, quid sit ingredi seu intrare per ostium, seu per Iesum Christum, qui est ostium, quid item sit aliũde ascendere. Etsi autem oportet omnes eos qui salutem consequuntur, per Iesum Christum intrare, tamen in hoc loco præcipue fit sermo de his, qui publico ministerio in Ecclesia funguntur. Hi enim iuxta phrasim scripturæ dici solent Intrare. Quare ingredi seu intrare per Iesum Christum, primum est credere, confiteri & prædicare, q̃ solus Iesus Christus, unigenitus filius dei, sit iustitia, redemptio & salus nostra, & q̃ non sit aliud nomen hominibus datum, in quo salutem consequantur. Ipse enim est propitiatio, uita & resurrectio nstora. Deinde ingredi p Iesum Christum, est in ipso quærere, non mundanum, sed cœleste regnum. Regnum enim meum, inquit, non est de hoc mundo. Huc confer mihi nunc patriarchas & alios pios, ac perspicue uidebis, q̃ non ascenderint aliunde, sicut fures & latrones, sed q̃ ingressi sint per uerum ostium, & fuerint oues ueri pastoris. Etsi enim, si externum tempus respicias, fuerunt longe antecẽp Christus homo natus est, tamen crediderunt in Christum, qui ipsis erat promissus, & petiuerunt ex ipso solo remissionem peccatorum suorum, reconciliationem cum deo, & uitam æternam. Credimus, inquit Petrus, nos saluos futuros per gratiam Domini Iesu Christi, quemadmodum & patres nostri. Et supra. Abraham exultauit, ut uideret diem meum, uidit & gauisus est. Porro, quod patriarchæ crediderunt, hoc etiam in cœtu populi sui prędicauerunt, ut & alij intrarent in ouile dei per Christum, & consequerentur ueram salutem. Accedit huc, q̃ etsi acceperunt pmissionem de mundano regno in terra Canaan, tñ non q̃siuerunt in Christo mundanũ, sed cœleste regnum. Sciebant pmissum esse mundanum regnum, non propter hanc caussam, q̃ Christus esset futurus externus monarcha in terris, sed ut interea temporis conseruarent in aliqua politeia promissiones de Christo, donec ipse ueniret. Per fidẽ, inquit epistola ad Hebrę. mortui sunt hi oẽs, cũ non accepissent promissiones, sed procul eos uidissent, & cre

didissent, salutassentq; et confessi fuissent, se hospites atq; aduenas esse in terra. Nam hęc qui dicunt, declarant se patriam inquirere. Cum igitur patriarchę quæsiuerint per fidem in Christo spũalia et cœlestia bẽfitia, non possunt dici fures ac latrones, etiamsi uenerint, quod ad tempus attinet, in hũc mundum anteq; Christus homo natus est. Aliunde aũt in ouile ascendere aut intrare hi dicuntur, primum, qui non credũt q; propter solum Christum reputentur coram deo iusti, sed confidunt se meritis suorum operum consequi remissionem pctorum, & cœlestem fœlicitatem. Deinde qui sentiunt & docent, iustitiam & ęternam uitam contingere, non propter solum Christum per fidem, sed propter merita operum. Postremo, qui prętextu noĩs Christi quęrunt mundanam libertatem & carnalem dñationem. Et qui sic ascendunt aut intrãt, hi uere sunt fures & latrones. Non enim consequuntur ipsi ueram salutem, nec ducunt alios, quos docẽt, ad ueram salutem, sed furantur impia sua opinione et doctrina, tam sibi ipsis q; alijs omnem iustitiam et fœlicitatẽ, & conijciunt se & alios in perpetuam internitionẽ. Porro, cum fures aberrent à uero ostio, et tamen conentur intrare in ouile dei, necesse habent sibi noua ostia excogitare ac extruere, quibus ingrediantur. Considere mus igitur nunc, quantus semper fuerit, & adhuc sit numerus furum ac latronum in orbe terrarum, & quàm multa ac uaria ostia in ouili dei conficta sint. Nam primus latro in terris fuit Cain, qui non tantum cõmisit latrocinium fratricidio, uerum etiam impietate suę religionis. Etsi emẽ obtulit dño de fructibus, terrę tamen obtulit hac opinione, q; ipse esset semen illud mulieris, quod Adamo promissum erat, et q; ipse merito sui operis posset placare iram dei, & consequi salutẽ. Itaq; hac impia opinione aberrauit à uero ostio Ecclesiæ dei, & regni cœlestis, ac statuit se ipsum pro ostio, ex quo factũ est, q; furatus & prędatus sit tam sibi, q; familię suę oẽm salutem. Hunc sequũtur deinceps alij latrones, in orbe terrarum. Postq; enim gentes propagatę sunt à filijs Noë, alius populus alia sibi ostia regni cœlorum architectatus est. Ac in familia Abraami restituta quidem est diuinitus syncera doctrina de uero ostio, uidelicet Christo filio Dei, cum dictũ fuit, In semine tuo bẽdicentur oẽs gentes terrę. Et hoc ostium diligentissime ostenderũt, ac patefecerunt prophetę. Sed nunquàm non fuerunt inter posteros patriarcharum, qui noua sibi ostia extruxerint, quibus ingrederent in ouile dei, ac prędarẽtur. In deserto instituerũt uitulũ aureũ, et dixerunt. Hi sunt dij tui, qui te eduxerũt de terra Ægypti. Hoc qd aliud fuit, q; si dixissent. Hoc est ostiũ, q; qd ingrediendum est in regnũ cœleste. Rex Ierabeã instituit duos aureos uitulos. Alij ędificauerũt excelsa. His accesserũt Baalitę. Hi fuerũt fures & latrones in populo dei, ac excogitarunt noua ostia, quibus in cœlum ingrederentur. Postremo exorti sunt pharisæi & Sadducæi, qui tot ostia

Ostia in ouile dei uaria conficta.

tot ostia in ouili dei architectati sunt, quot opera excogitarunt, quibus mererentur pctorum remissionem & uitam eternam. Vt interim nihil dicam de hypocritis, qui operibus à deo preceptis affinxerunt hac opinionem, cp cum fiant ab hoibus, sint perfecta iustitia, & meritum eterne uitæ. Ad hunc catalogum pertinent etiam seditiosi, qui circa tempora aduentus Christi arrogarunt sibi externa maiestatem Messie, & policebantur Israelitis mundanam liberationem ac dominationem. Hi ut somniarunt fœlicitatem per Messiam tribuenda esse terrenam, ita finxerunt etiam terrena ostia, nimirum, gladios, lanceas & alabardas, quibus in suum cœlum ingrederentur. Itacp coniecerunt sectatores suos non solum in externam, uerum etiam in æternam internitionem. Quid est furari, predari, & latrocinari, si hoc non est? Atcp hec quidem inter Iudeos facta sunt. Inter Gentes aut incircucisas, cum nulla fuerit cognitio Christi, publicum fuit latrocinium per philosophiam & idolatriam. Etsi em philosophi quedam de moralibus uirtutibus cum decalogo consentanea docuerunt, tn ubi non est cognitio Christi, ibi doctrina de uirtutibus nihil prodest ad cosequendam ueram salutem. Sacrificuli aut idolorum tot noua ostia ædificarunt, quot idola hoibus colenda proposuerunt. Itacp cum idolatria ducat hoies potius ad infernum cp ad cœlum, hi sacrificuli manifesti sunt fures & latrones. Ac hactenus quidem de furibus & latronibus, qui fuerunt ante aduentum, et circa tepora Christi. Recenseamus & eos, qui exorti sunt postcp Christus in hunc mundum uenit, & Euangelion suum per Apostolos in orbe terre diuulgauit. Hi em etsi uenerunt post Christum, tn et ipsi dicuntur uenisse ante Christum, propterea cp non intrauerint per uerum ostium, sed aliunde ascenderint, ac noua & fictitia ostia excogitauerint. Alij em sunt pharisaici, quicum accepissent Euangelion Christi, docuerunt neminē posse salutem cosequi, nisi circumcideretur. Alij sunt heretici, quorum hi negant diuinitatem Christi, illi humanitatem eius, isti alios pernitiosos errores commenti sunt. Alij sunt Mahumetiste, qui abiecto Euangelio Christi, architectati sunt sibi nouas scalas, et noua ostia in regnum cœlorum. Alij sunt sacrificuli Missarij, & Monachi, qui tot in cœlo ædificarunt ostia, quot celebrarunt missas pro peccatis uiuorum & mortuorum, & quot instituerunt ordines monasticos. Alij sunt doctores inuocationis sanctorum, peregrinationum, & aliorum superstitiosorum operum. Hi tot affinxerunt cœlo ostia, quot sanctos inuocandos proposuerunt. Alij sunt Pontifitij, qui pretextu nominis Christi arrogant sibi oem potestate in cœlo & in terra. Hi ponut se ipsos pro ostio cœlorum. Breuiter fures & latrones sunt oes, quotquot aliud ostium in regnū cœleste docet, cp Iesum Christum seruatorem nostrum. Nam unum tn est uerum ostium in ouile dei, & in regnū cœleste, uidelicet Iesus Christus,

unigenitus filius dei. Nullum aliud est nomen, inquit Petrus, in quo oporteat nos saluos fieri. Et Christus ipse. Qui credit in unigenitum filium dei, non condemnatur. Qui uero non credit, iam condēnatus est. Quare, qui per hoc ostium ingreditur, is & uera fit ouis, & ueræ imitatur pastorem. Primum ēm ostiarius ei aperit, quia qui credit in Christum, hunc deus pater, qui est ostiarius, tanto fauore cōplectitur, ut adoptet eum in filiū, & patefaciat ei per spūm sanctum, qui & ipse est ostiarius, thesaurum oīs cœlestis hęreditatis. Deinde seruabitur, inquit, & ingredietur, & egredietur, ac pascua inueniet, quia qui credit in Christum, cōsequitur ueram salutem, & quēadmodum ouis ingreditur et egreditur suo tempore per ostium ductore pastore, ac pascitur abundanter, ita qui in Christū credit, ambulat secure in oībus casibus, nec quicq̄ potest ei deesse. Siue enim siciat & esuriat, habet pastorem, cui curæ est, siue ęgrotet ac moriatur, habet pastorem, qui ipsum cōseruet in perpetua uita. Solum igitur hoc ostium, quod est Iesus Christus, ducit homines ad ueram fœlicitatē. Reliqua autem oīa ostia, quę uel Iudęi Baalitæ uel gentes Idolatræ, uel pharisęi, uel monachi, uel Turcæ excogitarunt, ut sunt cōmenticia & adulterina, ita abducunt hoīes ad infernum potius q̄ in cœlum. Quid ergo, inqes, illud est, q̄ in Apocalypsi, non una tantum porta cœlestis Hierusalem, sed duodecim cōmemorentur? Ostendit, inquit, mihi ciuitatem magnam sanctā Hierusalem, descendentem de cœlo à deo, habentem claritatem dei, habentē portas duodecim. In Esaia etiā dicitur de Ecclesia. Aperient̄ portę tuę iugiter, die ac nocte non claudent̄. Si sunt multæ, & ut Apocalypsis numerat, duodecim portę cœlestis Hierusalem seu ouilis & Ecclesię dei, quō in hodierna contione, una tantum porta nobis proponitur? Sed facilis est huius rei explicatio, si consideraueris, per quos Euangelion Christi diuulgatum sit in totum orbem terraræ. Vna ēm tantum uera est porta regni cœlestis, Iesus Christus Dñs noster, quēadmodum sępe iam diximus, sed hanc unā portā patefecerunt orbi duodecim Apostoli à Christo in hoc emissi, ut Euāgelion eius inter oēs gentes adnūtiarent. Cum igitur duodecim apostoli aperuerint portam, Christum, dicuntur & ipsi portæ regni cœlorum, non persona sua, sed ministerio suo, quo unam solam & ueram portam, quę est Iesus Christus, ostēderunt. Et quia doctrina Apostolica de Iesu Christo publice adnunciata est, & adhuc in Ecclesia adnunciatur, idcirco portæ regni cœlestis semper patere dicūtur. Claudentur autem in nouissimo die, quia tūc cessabit publica prędicatio, & erit deinceps tempus non discendi Euangelij, sed accipiendæ mercedis uel fidei, uel incredulitatis. Quare uigilandum nobis est, & festinandum, ut dum tempus habemus, & portæ adhuc patefactę sunt, ingrediamur ad cœleste regnum per Iesum Christum, unū et solū ueræ ostium, qui est

Porte duodecim regni cœlorum.

qui est una cum patre & spiritusancto deus benedictus in secula, Amē.

HOMILIA LXXIX.

Atefecimus superiori die aditum & ostium in ouile Dñi dei nostri, quo, si quis introierit, seruabitur, inquit Christus, ingredietur & egredietur, ac pascua inueniet. Ostendemus igitur nunc pastorem, ut tradamus nos curę eius, & seruemur per ipsum ab oī incursu luporum. Nam Iesus Christus, quo manifestius se ac sua bñfitia Ecclesię suæ reuelaret, non tantum tribuit sibi epitheton Ostij, sed etiam epitheton boni pastoris. Ego sum, inquiens, pastor bonus. Et quemadmodum antea non semel sed bis uocauit sese ostium, ne quis existimaret hoc uerbū temere ipsi excidisse, ita & hoc loco bis dicit sese bonum esse pastorē, significans hac repetitione, hoc cognomen pastoris non esse oscitanter prętereundū. Quare faciemus Dño deo nostro offitiū gratissimum, & cōsulemus saluti nostrę rectissime, si hanc contionē filij dei de bono pastore diligēter cognoscamus. Ac initio cōsiderandum est ꝙ Christus non nunc primū excogitauerit sibi epitheton pastoris, sed spūsanctus tribuerit ei hoc cognomen ante quadringentos, aut etiā sexcētos annos, cum nōdum assumpsisset hoīem. In Esaia dicitur, de Christo. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo cōgregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. Et in Ezechiele. Suscitabo, inqt Dñs, super ea pastorē unum, qui pascat ea, seruū meum Dauid, ipse pascet ea, & ipse erit eis in pastorē. Et in Zacharia. Framea suscitare super pastorē meum, & super uirū cohęrentē mihi dicit Dñs Zebaoth. Percute pastorem, et dispergent̄ oues gregis. Hęc de Christo intelligenda esse, ex Apostolicis scriptis manifestius est, cū ut hoc loco pluribus demōstrari debeat. Cum igit̄ Christus acceperit tanta autoritate cognomen pastoris, magnę nobis curæ sit, ut qd sibi hoc cognomē uelit, intelligamus. Sed audiamus ipsummet Christum de ea re cōtionantē. Nam, cum ea, quę opponunt̄, ex collatione illustriora fiant, Christus confert inter se proprietates boni pastoris, & furū, latronum, ac mercenariorū, ut bñfitia sua clariora reddantur. Etenim, quemadmodū in politicis regnis solent quatuor esse genera gubernatorū. Alij sunt Latrones. Hi sunt tyranni, qui dominant̄, non ut seruiant reip. sed ut expilando, diripiendo, mactando et trucidando ciues suis cupiditatibus satisfaciant. Alij sunt fures. Hi sunt iniqui iudices, qui donis corrupti, peruertunt iuditium. Alij sunt mercenarij. Hi sunt, qui remp. tantisper tolerabiliter administrāt, dum capiūt ex ea priuatā utilitatē et trāquillitatem, & qui in administratiōe sua hoc unū agunt, ut aucupentur publicū hoīm fauorem. Postquàm aūt pericula & odia subeunda sunt, malūt ut abijcere gubernationē, uel à recto et iusto deflectere. Alij sunt

boni principes, qui dñantur iuxta leges, & faciũt, quemadmodũ scriptura loquitur, iuditium & iustitiam, ac tuentur suos ciues per tela per ignes. Tales principes fuerunt Moses, Dauid & multi alij, ita etiam in ministerio Ecclesię quatuor sunt genera seu ministrorum, seu gubernatorũ. Alij sunt fures, qui falsa & impia doctrina decipiũt animos simplicium, & furantur eis salutem suam, quales sunt hæretici. Alij sunt latrones, qui non solum impia doctrina, uerumetiam externa tyrannide grassantur in Ecclesiam Christi, idq; ptextu nois Christi, quales quondam fuerunt Arriani, & nũc sunt impij Põtifices. Alij sunt mercenarij, qui docent quidem syncerum Euangelion Christi, dum tempus est trãquillum, Sed si periculum imminet, eo se, quo fortuna, inclinant. Si pontifitia doctrina promouere uidetur, amplectuntur eam, si euangelica uideẽ fœlix, assentiunt & illi, ac suscipiunt eam docendam. Quod si mandaretur eis, ut si uelint ecclesiastico suo stipendio tranquille frui doceant Mahumetum, obsequerentur sine cunctatione. Alij sunt boni pastores. Etsi aũt cognomẽ boni pastoris potest suo quodam modo tribui patriarchis, prophetis, Apostolis, & multis pijs Episcopis, tamen hoc cognomẽ competit proprie soli dño nostro Iesu Christo. Hic enim solus habet oẽs proprietates & conditiones boni pastoris. Audiamus ergo, quæ sint illę proprietates, ut Christum pastorem nostrũ recte cognoscamus. Enumerant aũt hoc loco pcipue tres, idq; ut ante diximus, per collationẽ ad fures latrones, & mercenarios. Dicit enim Christus.

» Fur non uenit, nisi ut furetur, & mactet ac perdat. Ego ueni ut uitam ha
» beant, & affluentiam habeant. Hęc est una proprietas ex una quidẽ parte furum ac latronum, ex alia aũt parte boni pastoris. Fur enim ingreditur noctu in ouile, non ut ouibus aliquid alimenti afferat, sed ut oues auferat, nõ ut pascua importet, sed ut uel pascua uel oues tollat. Et latro grassatur gladio suo in ouile, non ut defendat oues, sed ut mactet eas, & perdat. Bonus aũt pastor ingreditur in ouile, ut oues uitam & affluentiam habeant, hoc est, ut det ouibus pastum suum non parce, sed large & copiose, quo non solum propagẽt uitam, sed etiam ferant lanam, & pbeant lac. Hæc est proprietas & uirtus Christi ueri pastoris. Non enim uenit, ut mactet oues suas sed ut suppeditet eis oim rerũ abundantiam & copiam. Christus enim non est cyminopristes, qui dona sua parce distribuat, sed est benefactor longe oim liberalissimus, ac largit ea, quę non solum sunt necessaria ad tuendam uitam, uerũetiam quæ afferant summam & perpetuam uoluptatem. Ac si quidem loquendum est de corporali uita & affluentia eius, etsi Christus non uenit in hũc mundum, ut suscipiat mundanum regnum, & distribuat terrena bona, pro more monarcharum huius seculi, tñ hi qui credunt Euãgelio, accipiunt à deo patre, etiã corporalium bñfitiorũ abundantiã propter Christum.

Ministrorum Ecclesiæ genera.

Nam

Nam Christus impetrauit his, qui credunt in ipsum, ut deus pater complectatur eos maximo oim fauore, & adoptet ipsos in filios ac hæredes suos. Cui aũt deus fauet, & qui deo ut parenti filius, curæ est, quõ fieri posset, ut in indigentia etiam corporalium bonorum ope diuina destitueretur? Non affliget, inquit scriptura, Dñs animam iusti. Iustus autẽ dicit, qui propter Christum reputatur iustus, & ambulat in pia dei uocatione. Et Christus ipse ad discipulos ait. Nõne anima pluris est, q̃ cibus, & corpus pluris, q̃ indumentum? Quod autem dicit, hanc habet sententiam. Deus pater dedit uobis corpus & animã, quę sunt excellentissima, & non daret uobis cibum & indumentum, quæ sunt uiliora, si modo primum oim quęsiueritis regnum dei, et iustitiam eius? Et iterẽ. Vertite oculos ad uolatilia cœli. Et quę sequuntur. Notus enim est locus. Sed Iesus Christus is pastor est, qui prȩcipue afferat credẽtibus in ipsum uitam spũalem, & omnem eius abundantiam. Primum enim donat oibus in ipsum credẽtibus totam suam iustitiam, ut possint ea in iuditio dei confidere, ac de ipsa uere gloriari. Qua iustitia qui prȩditus est, nõ solum habet, quod necessitati sufficiat, sed etiã, quod abundet. Ac certissimum quidem est, q̃ si quis iustitiam suorum operum considerauerit, intantum non abundat, ut nec habeat quo constet omnino in humano iuditio, tantũ abest, ut possit ea cõstare in diuino iuditio. Qui autem donatus est iustitia Christi, is habet in Christo non solum sufficientiam, sed etiam abundantiam iustitię. Hoc illud est, quod Christus ait. Ego ueni, ut uitam, adeoq̃ abundantiam in uita habeant. Deinde Christus non tantum cõseruat suos in morte, et dat eis ęternam uitam, uerumetiã in hac ęterna uita donat eis summam et cœlestẽ fœlicitatem. Hoc iterẽ est dare uitam, & abundantiã eius. Quid ergo pastore Christo melius? quid eo optatius? Sed quam, inquis, utilitatem affert nobis hęc contio de Christo? Quid profuerit, etiamsi cognoscamus & credamus Christum esse bonũ pastorem, qui det ouibus suis uitã, atq̃ abundantiam uitæ? Audi obsecro. An non diuinitus nobis mandatum est, ut Christum audiamus, & uoci eius fidem adhibeamus? Ponam, inqt, uerba mea in ore eius, loqueturq̃ ad eos oia quæ prȩcepero illi. Qui aũt uerba eius quę loquetur in noĩe meo audire noluerit, ego ultor existam. Et iterum. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacitum est, HVNC Audite. Vides quãta seueritate exigat deus, ut audiamus contionem Christi, & credamus ei. Quare si nihil aliud utilitatis cõtingeret nobis, tñ hęc magna est utilitas, q̃ audiendo et credendo Euangelio Christi, obsequamur uoluntati oipotentis Dei, creatoris nostri, & prȩstemus ei, cui debemus omnia offitia nostra, gratissimum cultum. Non potes enim deum maiori honore afficere, quàm si crediderís uoci unigeniti filij eius, Iesu Christi. Sed ex fide huius contionis maior ac

Iustus quis dicatur

cedit nobis ſalus, cp deo honor. Alius enim premitur dura omnium re rum egeſtate, alius affligitur ex agnitione ſuæ iniuſtitie, alius turbatur metu mortis, & inferni. Quo ergo hi ſeſe uertant? Si uolunt certam con ſequi liberationem, neceſſe habet ſeſe uertere ad paſtorem Chriſtum, & hanc contionem eius per fidem excipere. Si metuis, ne fame pereas, audi quid paſtor tuus dicat. Ego ueni, ut uitam habeant, & abundanti am. Quid? maiorem ne fidem adhibebis ſenſui tuo, & crumene tuæ, in qua nullam uides pecuniam, qua emas alimenta, an contioni paſtoris tui? Recipit hic, te ſibi in oibus aduerſis curæ fore, dicit eum, qui per ipſum ingrediatur, inuenturum paſcua, & adhuc dubitas de ope & au xilio eius? Non uides panem in caniſtro, non pecuniam in crumena, Sed ſi uideris Chriſtum in corde tuo, an tibi aliquid defuturum metu is? Statue huc mihi impiū, qui habet in crumena mille aureos numos, non habet autem Chriſtum in corde ſuo per fidem. Statue & teipſum mihi ex altera parte, qui habeas tantum unum argēteum numum in cru mena, ſed Chriſtum in corde per fidem, uter, obtecro, maiorem theſau rum in ſuo numo inueniet? profecto res ipſa ſic ſeſe habet, cp qui affert animum plenum Chriſto ad uacuam crumenam, multo plures & maio res opes inueniet, cp qui affert animum uacuum Chriſto, ad crumenam numis oppletam. Quare operam demus, ut animum noſtrum Chriſto paſtore noſtro impleamus, quem ſi poſſidemus, omnia erunt nobis im pleta, quocuncp reſpexerimus. Si indiges iuſtitia, et metuis, ne propter peccata pereas in morte, audi quid paſtor tuus contionetur. Ego ueni, inquit, ut uitam habeant, & abundantiam uitæ. Diuerſum quidem lo quitur conſcientia tua, ponit tibi ob oculos peccatum tuum, non ſolum opere perpetratum, ſed etiam adhuc carni inhærens, obtrudit tibi ſen ſum mortis. Sed quid? plus ne fidei adhibebis tuę conſcientiæ & ſen ſui, q uoci unigeniti filij dei? Si nos, inquit Ioannes, condemnat cor no ſtrum, maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia. Deus enim opti me nouit, cp habeamus peccatum, & cp conſcientia, tancp mille teſtes, dicat de peccato aduerſus nos teſtimonium. Sed ipſe maior eſt corde, conſcientia, & peccato. Cum ergo ipſe teſtificetur per unigenitum fili um ſuum, ſe reputare nos iuſtos, & conſeruare nos in morte ad uitam, propter Chriſtum, maiorē certe fidem adhibere debemus teſtimonio dei, cp teſtimonio conſcientię noſtrę. Vbi exuberauit, inquit Paulus, pctūm, ibi MAGis exuberauit gratia, ut quemadmodum regnauerat peccatum in morte, ſic & gratia regnaret per iuſtitiam, ad uitam æter nam per Ieſum Chriſtum. Quare ſi ſenſus peccati et mortis affectant in nobis regnum, ut nos mactent & occidant, conuertamur ad paſtorem animarum noſtrarum, audiamus uocem eius, & credamus ei, ut per ip ſum regnet in nobis iuſtitiia & uita. Iam & illud hoc loco obſeruādum

eſt,

est, ꝓ debeamus non solum fidem nostram ex contione Christi confirmare, sed etiam exemplum Christi imitari. Quis enim debet sequi uestigia pastoris sui. Pastor autem noster uenit, non ut auferat & mactet, sed ut afferat & tribuat uitam. Fieri quidem non potest, ut homines sibiꝫnuicem possint dare talem uitam, qualem Christus dat piis, & credentibus in ipsum. Maiestas enim dandæ ueræ uitæ ad solum Iesum Christum pertinet, in exemplo autem dandi imitandus est Christus. Nam quemadmodum Christus pastor, non uenit ut furetur, mactet & perdat oues, sed ut adiuuet, ac seruet eas, ita qui agnoscit Christum pastorem suum, non sentiat se hominem esse natum, ut hominibus male faciat, sed ut eis bene faciat. Non sumus in hac terra constituti, ut alijs sua auferamus, sed potius ut nostris rebus alios iuuemus, & pro nostra uirili, quoquo modo possumus, seruemus. Auarus, impostor, prædo, existimant se ad hunc tantum usum natos, ut furentur, & rapiant. Exemplum autẽ Christi docet nos, ut benefitia demus, ac tribuamus. Exemplum, inquit, præbui uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis. Sed hæc de prima boni pastoris proprietate sufficiant. Dicamus etiam de alia. Postꝗ enim Christus opposuit sese furibus & latronibus, opponit sese nunc mercenarijs, ut altera boni pastoris proprietas illustrior fiat. Dicit enim. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus. Mercenarius autem, & qui nõ est pastor, cuius non sunt oues proprię, uidet lupum uenientem, ac deserit oues, fugitꝗ, & lupus rapit, ac dispergit oues. Mercenarius autem fugit, qa mercenarius est, & oues non sunt illi curę. Vide, quãtum sit discrimen inter mercenarium, & bonum pastorem. Mercenarius, etsi pascit oues tranquillo tempore, tamen nullum subit periculum propter oues, nec tuetur eas, sed deserit eas, si uel grauis tempestas oriatur, uel lupi in gregem grassentur. Bonus autem pastor non solum pascit oues, sed etiam defendit eas periculo uitæ suæ, ac mauult discerpi ipse, ꝗ oues lupo discerpendas relinquere. Bonus, inquit, pastor dat animam suam pro ouibus. Declarauit autem Iesus Christus manifestissime, ꝓ habeat hanc boni pastoris proprietatem. Diabolus enim, qui est & leo rugiens, & lupus rapiens, grassatus est iã inde ab initio mũdi in ouile dei. Et quia suscepit tyrannidem propter pctũm aduersus homines, cogitauit morte & inferno perdere totum humanum genus. Filius autem dei fecit, quod est boni pastoris offitium. Venit enim in hunc mundum, assumpsit hominem, & exposuit se propter homines turpissimę morti, ut peccata hominum expiaret, ac eriperet eos de potestate diaboli, transferret que omnes, quotquot in ipsum credunt, in cœleste regnum. Sed quidnum hęc de Christo audienda tantum, & scienda, non item utenda proponuntur? imo propter usum iam olim & dicta & scripta sunt, ac nunc

commemorantur & explicantur. Primum enim, cognoscendum est fide, & credendum, q̃ Christus habeat hãc proprietatem boni pastoris, ut opponamus eam accusationi peccatorum, in iuditio dei. Nam qui sistitur ad tribunal dei, accusari solet, q̃ sit peccator, & q̃ sit propter peccata obnoxius perpetuę morti ac damnationi. Hæc accusatio multo est grauior & horribilior, q̃ uerbis dici queat. Possumus quidem uerba hominis referentis pro publica contione sententiam huius accusationis facile tolerare, ac etiam contemnere, sed si hæc in diuino iuditio objici antur serio, nullæ humanæ uires tantæ sunt, quæ possint ea sustinere. Cum deus recitaturus esset Decalogum, qui est sententia dei aduersus peccata, iussit Israelitas ad radices montis Sinai, quasi ad tribunal stare. Quid ergo factum est? Postq̃ audiuerunt uocem dei, tanto terrore concussi sunt, ut retrocesserint, ac dixerint ad Mosen, Loquere tu nobis, & audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne moriamur. Quod hic publice in populo Israel agitur, hoc solet priuatim agi in conscientia eorum, qui uocantur ad reddendam rationem totius uitę suę in iuditio dei. Hic enim singula accusationis uerba, singula sunt tonitrua, singulę sagittæ, singula iacula eaq̃ ignita. Iob ait. Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meũ, & terrores Domini militant contra me. Et Dauid. Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuę, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorũ. Quo igitur in tanta angustia confugies? à quo opem petes? Non seruabunt te bona opera, quæ etsi semper sunt facienda, ut declaremus gratitudinem nostram & obedientiam erga deum, tamẽ nõ sunt tam perfecte bona, ut possint nos in iuditio dei defendere. Non seruabunt te amici, quippe q̃ in iuditio dei nemo seipsum seruare queat, tantum abest, ut alium seruet. Quare si ueram salutem assequi uolueris, non confugiendum est ad alium, q̃ ad bonum nostrum pastorem Iesum Christum Dominum nostrum. Is enim dixit. Ego pono animam meam pro ouibus. Hæc uox pastoris audienda est, & cogitatione imo fide repetenda. Hæc uox accusationi objicienda est. Accusator dicit: Tu es mortis & inferni mancipium, quia es peccator. Sed contra dicendum est: Christus pastor meus, posuit animam suam pro me, & expiauit peccata mea, sua morte. Nihil igitur iuris in me habent nec mors nec infernus. Quod si constanti fide perseueraueris in hac uoce pastoris, profecto reportabis victoriam coram deo illustriorem, & tibi magis salutarem, q̃ si expugnares Constantinopolim. Deinde hæc uox pastoris Christi non solum confirmat fidem nostram in iuditio dei, sed etiam debet nos excitare ad imitationem, in uita nostra, ut cum bene confidamus de defensione pastoris nostri, imitemur etiam uirtutes eius. Etsi autem nullus hominum est, qui

Tribunalis Dei terror.

possit uel

possit uel sua uel aliena peccata morte sua expiare. Hęc enim maiestas solius est Christi, ueri & boni pastoris, tñ debemus nos inuicem, quamuis periculo uitæ nostræ iuuare. Hoc est, inqt Christus, pręceptũ meũ, ut diligatis uos inuicẽ, sicut dilexi uos. Maiorẽ hac dilectionem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis. Et Ioannes. Per hoc cognouimus, inquit, caritatem, quoniam ille animã suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere, Moses non expiauit quidem pctã populi sui, dedit tamen & ipse suo quodam modo animã suam pro ouibus, cum dixit. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Itaqꝫ cõpetit ipsi cognomẽ poni pastoris, non quidẽ ut Christo, sed ut seruo ac ministro Christi. Dauid nõ redemit Israelitas suos à morte & inferno, tamen fecit quod boni pastores facere solent, ac posuit animam suam pro ouibus suis, dicẽs. Ego sum, qui peccaui, ego inique egi, isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra domum patris mei. Vide mihi & Paulum, qui etsi non reconciliauit suis passionibus Ecclesiam cum dño deo nostro, tamen imitatus est exemplum ueri pastoris, & posuit animam suam pro ouibus Christi. Suppleo, inquit, quod deerat afflictionum Christi in carne mea pro corpore ipsius, quod est Ecclesia. Et: Optarim anathema esse à Christo pro fratribus meis. Quare si Christus cõmunicat cum ipso nomen filij dei, quõ non cõmunicaret etiam cũ ipso nomen boni pastoris, sed ita, ut maiestas reconciliandi dei penes solum Christum maneat. Quid, qꝫ & Martyres imitati sunt Christum pastorem suum, & dederũt animam suam pro Ecclesia dei. Etsi enim non expiarunt pctã Ecclesiæ per suam mortem, tamen multũ profuerunt Ecclesiæ subeũdo mortem propter nomen Christi. Testificati enim sunt sua confessione ueritatem Euangelij Christi, & confirmarunt exemplo suo alios, ut & ipsi Christum agnoscerent, & nomen eius cõfiterentur, ac salutem cõsequerentur. Quod de publicis Ecclesiæ ministris, & martyribus dictum est, hoc idem intelligendum erit de priuatis quibusqꝫ pijs. Si enim uolueris haberi corã deo ouis Christi, necesse habebis imitari uestigia pastoris tui. Effudit ille sanguinẽ suum pro ouibus. Debes & tu sanguinem tuum pro fratre effundere. Sed quid? sanguinẽ ne effunderes, qui uix obolũ ęquo animo pro fratre exponis? ac mauis fratrem, imo Christum ipsum amittere, quam obolum? Sunt enim sunt, proh dolor, homines tam crudeles, ut etiamsi uideant extremam fratris necessitatem, & possint eum iuuare, tamen non solum claudant, quemadmodum Ioannes loquitur, uiscera sua ab eo, uerumetiam si quid reliquum habuerit, auferant, et si nihil aliud, certe contumeliosis uerbis insultent ei. Hi non sunt ouilli, sed lupini ac leonini mores. Quid ergo, inquies, faciam? Num si fur quispiam, exempli gratia, aut latro damna

Pastoris boni cognomen cõmunicabile

Caritas proximi quatenus se extendat.

tus fuerit publico & legitimo iuditio, & abducatur ad crucem, egone tradam me loco eius in uincula & crucem, ut ponam animam meam, & fundam sanguinem meum pro illo, quo ipse ex hoc supplitio redimatur? Hoc nec lex dei, nec exemplum Christi exigunt. Sed cum precipitur, ut ponamus animas pro fratribus, non est intelligendum, ꝙ quouis periculum temere pro altero subeundum sit, sed ꝙ ea pericula pro altero suscipienda sint, ad quæ legitime uocamur, & quæ deus nos iuxta nostram uocationem suscipere iubet. Non dubito, quin multi scelerati, eo tempore, quo Christus & Apostoli uitam in terris egerunt, legitime fuerint condemnati, & ad crucem abducti, non extat autem exemplum, quo uel Christus uel apostoli eius obtulerint sese lapidandos aut crucifigendos, ut sceleratos ab externa cruce liberarent. Tradidit quidem Christus sese morti pro omnibus peccatoribus, non autem sic sese tradidit, ut ne corporalis quidem mors sit illis subeunda, sed ut peccata eorum expiaret, & ipsi credentes in morte non perirent. Vocatio enim Christi erat, non ut sceleratos ad mortem condemnatos ab externis uinculis eriperet, sed ut scelera eorum sua morte expiaret. Videamus & alia exempla Sanctorum, ut cognoscamus quę sint legitimæ ac diuinę uocationes ad subeunda pro altero pericula uitæ. Moses reuersus est in Ægyptum, ut educeret filios Israel è grauissima seruitute. Hac profectione exposuit Moses animam suam pro fratribus, quia sciebat Ægyptios antea uitæ suæ insidiatos fuisse, propterea quod occidisset Ægyptium, & uidebat futurum, ut si faceret mentionem liberationis apud regem, accusaretur seditionis. Et tamen suscepit hanc profectionem, ac subijt ista pericula, quia uocabatur diuinitus ad liberandos Israelitas. Dauid suscepit monomachiam cum Goliathe, quo facto exposuit animam suam in periculum propter Israelitas, quia diuinitus ad hanc monomachiam per spiritum sanctum uocabatur. Audiamus etiam exempla ex Apostolicis scriptis. In Damasco insidiabantur Iudæi uitæ Pauli, Sed discipuli dimiserunt eum noctu per murum, submittentes in sporta. Hoc fuit discipulis capitale, sed exposuerunt se periculo uitæ suæ propter Paulum, quia intelligebant per spiritum sanctum se hoc offitium debere innocenti, & Apostolo Christi, imo uniuersæ Ecclesiæ per Paulum erudiendæ, præsertim cum scriptum sit, Erue eos (uidelicet, Innocentes) qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Commendat & Paulus Priscam & Aquilam, quod supposuerint ceruicem suam pro anima ipsius. Et de se ipso ad Corinthios scribit. Ego uero libentissime impendam, et expendar pro animabus uestris. Vocatio

enim

enim Pauli erat, ut Euangelion Christi inter gentes adnunciaret, quod certe constabat eum maximo semper uitę suę periculo. In incursu prędonum solent ciues ex mandato magistratus arma sumere, & prędonibus obuiam ire. Hoc si recte perpendas, nihil aliud est, quàm uitam suam exponere pro patria, pro liberis & coniugibus. Hæc autem est legitima uocatio, cui cum etiam impij seruire soleant, multo magis pij seruire debent. An uero, cum prędones faciunt impressionem in regionem, & ciues iubentur armis suis prædones inuadere, dicet quispiam inter ciues, Non inuadam eos, sed potius offero me uobis pro ipsis trucidandum, ut ipsi liberi euadant? Debet enim alter pro altero animam suam ponere. Hæc quis non rideret, aut quis talem non iudicaret insanire? Anima enim tradenda est pro altero, legitime, et ex uocatione dei, non illegitime, & contra dei uocationem. In prędentia autem, uocatio dei est, non ut tu sanguinem tuum fundas pro liberatione prædonum, sed ut ipsorum sanguinem effundas, quo patriam tuearis, & ut ne tuo quidem sanguini parcas, quo coniugem et liberos à prędonibus defendas. Quare, cum scriptura iubet nos animas pro nobis inuicem ponere, non docet nos temeritatem, sed docet obedientiam legitimæ uocationis, ut forti animo suscipiamus ea pericula, quæ nobis propter proximos ex offitio nostro, ac diuino mandato subeunda sunt. Hactenus de secunda proprietate boni pastoris. Audiamus & tertiam. Ego sum, inquit, pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscor à meis. Sicut nouit me pater, & ego noui patrem, & animam meã pono pro ouibus. Est & hæc boni pastoris proprietas, aut si ita uocare libet, offitium, ut probe cognoscat oues suas. Vnde & in prouerbijs dicitur. Diligenter agnosce uultum pecoris tui, tuosq; greges considera. Porro cognoscere hoc loco, non tantum est de facie nosse, quemadmodum aliquoties uicinus uicinum ita cognoscit, ut tamen alter alteri non sit curę, sed cognoscere est talem habere noticiam, ut non solum facies rei perspecta sit, uerumetiam curam eius suscipias, uehementerq; de salute eius sis sollicitus. Hoc certe modo cognoscit Christus oues suas. Et ut sciamus quam probe Christus cognoscat eos qui credunt in ipsum, (hi enim sunt oues eius) addit similitudinem coniunctionis, quę est inter ipsum & patrẽ. Sicut, inqens, nouit me pater, & ego noui patrẽ, hoc est, quemadmodũ tanta est mutua noticia inter deum patrẽ et me filiũ eius, ut nõ solũ cognoscamus nos inuicẽ de facie, uerũetiam sit inter nos arctissima cõiunctio, nec possit alter ab altero unquã diuelli, ac pater magis uelit, ut rerum natura inuertatur, q̃ ut deserat unigenitum filium suum, ita & Christus filius Dei tanta notitia complectitur oues suas, ut non so

lum cognoſcat eas iuxta externam faciem, ſed etiam ſuſceperit eas in tan tam curam & coniunctionem, ut magis uelit animam aut uitam ſuam amittere, cꝗ oues ſuas deſerere. Non enim eſt maior notitia, nec firmi or cõiunctio cꝗ filij dei, cum patre ſuo. Primum enim ſi iudicaueris de filio dei, ſecundum ſpũm ſanctificationis, ut Paulus loquitur, unus eſt deus, eiuſdem eſſentię et maieſtatis cum patre, ab ęterno. Vna igitur et eadem eſt inter ipſos notitia, & tam arcta coniunctio, (ſi modo ita fas eſt de tãta unitate loqui) ut nihil ſit in tota rerũ natura, quod poſſit eos ſeparare. Deinde, ſi cõſideraueris filium dei ſecundum humanitatem, tanta iterum eſt inter ipſum & deum patrem notitia atcꝗ cõiunctio, ut pater nuncꝗ deſeruerit filium ſuum Chriſtum, ne in media quidẽ mor te ac inferno, nec filius uncꝗ diſceſſerit aut defecerit à deo patre ſuo. Ne cꝗ enim uncꝗ peccatum fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, ſed tan tam obedientiam pręſtitit Deo patri ſuo, ut tradiderit ſeſe ex mandato dei, in turpiſſimam mortẽ crucis, ac etiam pro inimicis ſuis interceſſe rit. Etſi em̃ clamauit in cruce Deus meus, deus meus, ut quid me dereli quiſti, tñ hęc uox non eſt nata nec in ſpũ, nec in carne eius, ſed aſſump ta ex humana imbecillitate, ut publice ſignificaretur, cꝗ ueros dolores ſuſtineret, ac uere pctã expiaret. Nã ſi rem ipſam diligẽter perpendas, tãtum abfuit, ut filius patrem aut pater filium dereliquerit, ut tum max ime oĩm ſibi inuicem curę fuerint. Paulo ante dixerat filius ad latronẽ. Hodie meum eris in paradiſo. Paulopoſt clamat. Pater in manus tuas commendo tibi ſpiritum meum. Hæc certe non ſunt uerba deficientis à Deo, ſed pollicentis ſibi omnem ſalutem in Deo. Quid autem dice mus de deo patre ipſo? num is filium dereliquerat? Minime omnium. Quantæ enim curę fuerit ei filius, ſtatim tertia die palam declarat, cum reſuſcitauit eum à mortuis, & collocauit eum in ſede maieſtatis ſuæ, ut omne genu coram ipſo flectatur, id quod filius iam ante prædicauerat, cꝗ hominem aſſumpſit. Non derelinques, inquit, animam meam in in ferno, nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionem. Notas mihi feci ſti uias uitæ, adimplebis me leticia cum uultu tuo, delectationes in dex tera tua in perpetuum. Quare, quemadmodum Deus filium ſuum ita nouit, ut conſeruarit eum in media morte, & dederit ei ſempiternam ui tam ac maieſtatem, ita filius dei nouit oues ſuas, ut etiamſi uideãtur mo ri, tamen cõſeruet eas in perpetua uita ac fœlicitate, ſed quid? num con ſeruat oues, prorſum ignauas, ſtupidas, & ipſum non uiciſſim agnoſ centes? Etſi Chriſtus, is paſtor eſt, qui requirat, ſicut propheta dicit, quod perierat, reducat quod abiectum erat, alliget, quod confractum fuerat, conſolidet, quod infirmum erat, tamen ſi quis non uiciſſim ag nouerit paſtorẽ Chriſtum ac uocẽ eius, abijcietur & peribit, quippe cꝗ non ſit

Patris & filij unitas.

non sit uera ouis, sed mentiatur se esse ouem. Nam qui est uera ouis, is audit uocem pastoris sui, credit Euangelio eius, & ponit omnem spem suam in solo Christo. Et cognoscor, inquit, à meis. Sed quomodo, inq es, cognoscam pastorem, & credam me ipsi curæ esse, cum nihil uideam, et sentiam, preter afflictiones & mortes? Mortificor, iuxta psalmũ, tota die, & estimor uelut ouis occisionis, quomodo igitur cognoscam pastorem me tueri? Hic nobis considerandum erit, quid sit curę esse ac tueri. Tu enim fortassis putas hoc esse tueri, si quis te è corporali morbo aut morte eripiat, & cõseruet in corporali sanitate ac uita, aut te tunc esse curę Christo, cum datur tibi crumena aureis & argenteis numis impleta, qua paupertatem sustentes, sed res longe aliter sese habet. In mundanis quidem regnis sic tuẽtur principes populum suum, ut fuso fugato q̃ externo hoste, populus tranqllam in hac terra uitam ducat, Christus autem in suo regno sic tuetur populum suum, ut sinat eos affligi, sad non sinat eos in afflictionibus perire, ac sinat etiã ipsos occidi, trucidari, et mori, sed seruet eos in media morte ad perpetuam uitam. Regnum meum, inquit, non est de hoc mundo. Et, In mundo afflictionẽ habebitis, sed bono animo sitis, ego uici mundũ. Ac rursus. Nõ rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut seruos eos à malo. Sicut enim Christus ipse passus quidem est afflictiones & mortem, sed in oĩbus illis seruatus est à malo, ita omnes qui credunt in Christum, etsi affliguntur & moriuntur, tamẽ seruantur ne pereant. Quare in aduersis, quantacũq̃ fuerint, non est iudicandum iuxta sensum carnis nostrę, sed iuxta uocem pastoris nostri, qua asseuerat se cognoscere oues suas, & sentiendũ est per fidem, q̃ cum affligimur, seruemur, & cũ morimur, uiuamus, per Iesum Christum Dñm nostrẽ, q̃ est una cũ spũ deus bñdictus in secula, Amẽ.

HOMILIA LXXX.

Go sum, inquit Christus, pastor bonus. Etsi autem bonitas huius pastoris nunquam satis digne uerbis explicari & illustrari potest, ac multo plura de ea supersint dicẽda, q̃ quę ante diximus, tamen hoc tempore contenti erimus his, quę in superiori homilia de proprietatibus boni pastoris, domini nostri Iesu Christi exposita sunt, ut ad ea quæ sequuntur explicanda progrediamur. Dicemus igitur nunc de ouili Christi, ac de magnitudine & latitudine eius. Quę est res cognitu admodum necessaria. Sunt enim qui ouile Dei nimis angustum, sunt qui nimis latum facere soleant. Iudæi existimant neminem pertinere ad ouile Dei, nisi circumcisum, & sabbata agentem. Pontifitij sentiunt neminem pertinere ad ouile Christi, nisi agnoscentẽ autoritatem episcopi Romani. Monachi putãt

ouile Christi eos tantum capere, qui aut monasticam & eremiticam uitam ducunt, aut meritis monachorum & eremitarum in ouile Christi introducuntur. Superstitiosi iudicant in ouili Christi comprehendi tantum patriarchas, prophetas, apostolos, martyres, & paucos q̃sdam alios sanctos. Hi faciunt ouile Christi nimis angustũ. Alij sentiũt non solum oẽs impios homines sed etiam oẽs diabolos consecuturos tandẽ salutẽ. Hi faciunt ouile Christi nimis augustũ. Alij putant unumquẽq; si modo honestam ducat uitam in sua religione siue Ethnica, siue Iudaica, siue Turcica, siue Christiana, saluum fieri. Hi non sinunt unum esse ouile, sed tot ouilia somniant, quot sunt religiones gentium ac populorum. Quare, necessaria est uera cognitio de ouili Christi, ut non ab eo in perpetuam pernitiem aberremus. Audiamus igitũ Christum ipsum
,, de hac re nos docentem. Habeo (inquit) & alias oues, quæ non sunt ex
,, hoc ouili, illas quoq; oportet me adducere, & uocem meã audient, & fi
,, et unum ouile, & unus pastor. Hoc est uaticinium de uocatione gentium, & coniunctione earũ cum Iudeis in fide unius Christi, ut ex Iudeis & gentibus unum fiat ouile, et una Ecclesia Christi. Maximũ enim semper fuit discrimen inter Iudeos & gentes. Iudei erãt circumcisi. Gentes aũt incircumcisæ. Iudæi acceperant legem Dñi in monte Synai. Gentes non acceperãt eam. Iudeis promissum erat diuinitus, q̃ Christus ex ipsorũ genere uenturus esset. Gentibus aũt hoc nõ erat promissum. Itaq; existimabant Iudæi, q̃ Deus agnosceret se solos pro populo suo, & q̃ nullus posset ueram salutẽ consequi, nisi fieret Iudeus per circũcisionẽ. Hanc opinionem refutat Christus hoc loco, et dicit se alias quoq; oues habere, uidelicet, Gentes incircumcisas, quę etsi non suscipiunt circumcisionem, tamen si suscipiunt Iesum Christum per fidẽ, pertinent & ipse ad ouile dei. Cæterũ, quod Christus hoc loco de uocatione gentium contionatur, fuit etiam apud patriarchas, & à prophetis uulgatum. Ad Abraamũ dictũ est. In semine tuo bñdicent oẽs gentes. In hac pmissione manifeste significat, q̃ non tm familia Abrahę sed etiã familię gentium sint cõsecuturę salutẽ per Christum. Iacob ait de Christo. Ipse erit expectatio, seu iustificatio et salus gẽtium. Et Dauid. Bñdicentur in ipso oẽs tribus terrę, oẽs gentes magnificabunt eũ. Ac Esaias. Fluẽt, inqt, ad eum oẽs gentes, & ibunt populi multi. Et iterũ. Ambulabunt gẽtes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Sed quis posset breuibus omnia prophetarum uaticinia de uocatione gentium enumerare, cum hoc sit pręcipuum prophetarum studium, ut regnum Christi non coerceant tantum intra pomœria unius terræ Canaan, & unius populi Iudaici, sed dilatent ipsum à mari usq; ad mare, in totum orbem terrę, inter omnes gentes & nationes. Deinde quod prophetæ dixerunt futurum, & quod Christus hoc loco contionatus est de gentibus, hoc post diem Pen

Gentium uocatio.

em Pentecostes, quo spiritus sanctus missus est discipulis, ita ceptum est impleri, ut multo plures inter gentes agnouerint Iesum Christum, ꝗ inter Iudæos. Paulus ex psalmo ait. In oẽm terrã exiuit sonus eorꝝ, & in fines orbis terrę uerba eorꝝ. Et iterꝝ. Sermo Euãgelij, q̃d peruenit ad uos, in toto mundo fructificat. Ac mox. Non dimoueamini à spe Euangelij, quod audistis, quod prędicatum est apud uniuersam creaturam, quę sub cœlo est. Hęc scripsit Paulus ad Colossenses, quo tempore non dum triginta anni à die Pentecostes abierant. Et tñ in tam paucis annis regnum Christi dilatatum fuit per Euangelion in toto mundo, et apud uniuersam creaturam, quę sub cœlo est. Obscurꝝ quidem non est, ꝙ etiam ante aduentum Christi in carnem multi ex incircumcisis gentibus consecuti sint ueram salutem per Christum. Ioseph in uera religione ac cognitione dei per parentes suos eruditus, uenit in Ægyptum. Ac post ꝗ factus est princeps Ægypti, non dubiũ est, quin cõtionatus sit de uero deo, & de seruatore promisso Abrahę, ex quo multi cognouerũt misericordiam dei per semen Abrahę, & cõsecuti sunt salutem per fidem. Naamanus princeps Syriæ, factus est mundus à lepra per prophetam Elizęum, & didicit ab eo uerꝝ deum Israel. Cum igit̃ tam corpore mundus, ꝗ aĩo purus per fidem reuerteretur in suam Syriam, putas ne eum inter suos de mirabilibus dei tacuisse, ac non multos secum ad cognitionẽ ueri dei perduxisse? Quid dicam de Niniuitis, qui certe erant gentes incircumcisę? attamen cum ex prędicatione longę agerent pœnitentiam, & crederent in Dominum, placatus est eis Dñs, ac non solum auertit ab eis externum interitum, uerum etiam perpetuo seruauit hos, qui in uera dei cognitione per fidem constiterunt. Cum Babylonij rerꝝ potirentur, deuastata est urbs Hierusalem, & Iudęi dispersi sunt inter gentes incircumcisas. Etsi autem hoc supplitium accidit Iudęis propter impietatẽ ipsorum, tamen hac occasiõe prædicatio de uero deo, qui per semen Abrahę salutẽ promisit, uulgata est inter gentes, et extant in Dani ele publica decreta regis Babyloniorꝝ, & regis Persarꝝ, quibus gloria dei Israel à Monarchis ipsis palam prędicatur & illustratur. Itaq; fieri non potuit, quin multi ex gentibus, hac regum prædicatione excitati, uerum deum agnouerint, & salutem sint consecuti. Non hoc dicimus, gentes assecutas esse salutem, in sua idolatria & impietate perdurantes, sed si quis ex ipsis saluus factus est, cognouit uerum deum, & fugit idolatriam, ac confisus est misericordia unius ac ueri dei, per semen Abrahę. Non em̃ est aliud nomen datũ hoĩbus, in quo salui fiant, prętercꝗ semen Abrahę, q̃d est Iesus Christus Dñs noster. Atcꝗ hęc q̃dem de gentibus imcircũcisis contigerũt, priuscꝗ Christus in hũc mundũ aduenisset, quę etsi haud contẽnenda fuerunt, tñ prę idolatria ubicꝗ dominante non fuerunt ualdę illustria. Postcꝗ aũt uenit Christus, & misit disci-

Colo. 1

Dani. 3. 4. & 6.

pulis suis spiritum sanctum, ac diuulgauit Euangelion suum per apo-
stolos in orbem terrarum, ibi tum gentes tam innumerabili multitudi-
ne peruenerunt ad cognitionem ueri dei, per Iesum Christum, ac Euan
gelion eius, ut manifeste impletum sit, quod Esaias dicit: Tunc uidebis
& afflues & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit
ad te multitudo maris, fortitudo gentium uenerit tibi. Inundatio came
lorum operiet te, dromedarij Madian & Epha. Itaq; cum non solū qui
dam ex Iudeis, uerumetiam magna gentium pars agnoscerēt Christum
patriarchis promissum, collecta est una Ecclesia ex Iudeis & gentibus,
sub uno seruatore Dño nostro Iesu Christo. Hoc est illud unum ouile
& unus pastor, de quibus Christus contionatur. Vnde & Paulus ad E-
phe. scribēs, Eratis, inquit, in tēpore illo sine Christo, abalienati à rep.
Israelis, & extranei à testamentis promissionis, spē non habētes, deoq;
carentes in mundo. Nunc aūt per Christum Iesum, uos qui quondā era
tis longinqui facti estis propinqui, per sanguinem Christi. Ipse em̄ est
pax nostra, qui fecit ex utrisq; unum, & interstitiū macerię diruit. Quę
cum ita se habeant, manifeste uidemus q̄ latum, q̄ amplum sit ouile
Christi. Primum enim deus non agnoscit tm̄ Iudæos pro suo populo,
uerū etiam agnoscit gentes, etiamsi non fiant Iudæi, sed tm̄ crediderint
in Christum. Nam sine Christo nullus nec Iudæus nec Grecus cōsequi
tur salutē. Quod aūt gentes nō fuerint coactę suscipere Iudaismum, sed
assumptę sint in numerū populum dei, tantum per fidē in Iesum Chri-
stum, manifestum est, ex historia de Cornelio Centurione, in Actis a-
postolicis ca. x. Et ex Cōcilio Apostolico, ca. xv. Ac Paulus, cum in Phi
lippis, custos carceris, qui erat ex gentibus diceret, Quid me oportet fa
cere, ut saluus fiam, respondit. Crede in Dñm Iesum, & saluus eris tu
& domus tua. Non exigit ab Ethnico circumcisionem et sabbatismum,
sed exigit fidem in Iesum Christum. De qua re copiose docent epistolę
Pauli. Deinde deus non agnoscit eos tm̄ pro populo suo, qui sunt sub
Romano uel imperio uel Ecclesia, sed oēs ubiq; in toto orbe terrarum,
quotq̄t Iesum Christum per fidem agnoscunt. Reipsa cōperio, inquit
Petrus, q̄ non sit personarū respectus apud deum, sed in quauis gente,
qui timet ipsum, & operatur iustitiam (id quod fit per fidem in Chri-
stum) acceptus est illi. Et Paulus. Oīs, qui fidit illi, non pudefiet. Non
enim est distinctio uel Iudæi uel Græci. Nam idem Dñs oīm diues in
oēs inuocantes se. Quisquis enim inuocauerit nomen Dñi, saluus erit.
Pręterea deus non agnoscit tm̄ eremitas, & externo cœlibatu insignes,
uerū etiam homines politicos, & in coniugio uitā agentes, si modo ipsi
Christum agnouerint. Sicut enim in Christo non est seruus nec liber,
nō est masculus nec fœmina, ita in eo non est eremita, nec politicus, nō
est cœlebs nec cōiunx, Sed oēs, qui credunt, unus sunt in Christo Iesu.

Gala. 3.

Adhæc

Adhęc deus non tantum agnoſcit pro populo ſuo hoĩes honeſtos, & ex terna iuſtitia conſpicuos, ſed etiã inhoneſtos et pctõres, ſi modo à peccatis reſipiſcant, & Chriſtum per fidem ſuſcipiant. Non ueni, inquit, ad uocandum iuſtos, ſed pctõres ad pœnitẽtiam. Et Paulus. Certus ſermo, & dignus, quem modis oĩbus amplectamur, ꝙ Chriſtus Ieſus uenit in mundum, ut pctõres ſaluos faceret. Ac breuiter, deus nullum hominum genus repellit, ſiue illi ſint diuites, ſiue pauperes, ſiue ſani ſiue ęgroti, ſiue Reges ſiue bubulci. Sic enim deus dilexit mundũ, ut filium ſuum unigenitum daret, ut Oĩs, OMNIS, inquam, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat ęternam uitam. Habes latitudinem & amplitudinem ouilis Dei. Et tñ habet etiam certos ſuos fines, ac terminos, quos operepręciũ eſt cõſiderare. Terminatur em̃ nec aliqua parte maris, nec aliqua regiõe terrę, nec aliquo uitę genere, ſed tm̃ cognitione Chriſti. Tam late enim ſe extendit, quam late patet cognitio Chriſti, ſeu fides in Chriſtum, ac ubi Chriſtus non eſt, ibi nec eſt ouile dei. Itaqꝫ terminus ouilis dei, eſt fides in Chriſtum: Primum igit̃ ouile dei non pertingit ad diabolum et angelos eius, quia tantum abeſt, ut cõfidere poſſint miſericordia dei per fidẽ in Chriſtum, ut natura ſua proſequant̃ Chriſtum perpetuo odio. Quare nulla eſt eis ſpes ſalutis relicta. Deinde nõ pertinent ad ouile Chriſti, hi qui impijs religionibus ita addicti ſunt, ut impietatem nunqꝫ relinquãt, ſed moriantur in ea, quales ſunt Iudæi, Turcę, hypocritę, & quondam gentes Idolatrę. Ad hos non extendit ſe ouile Chriſti, quia non credunt in Chriſtum, ideoqꝫ neceſſe habẽt perpetuo interire. Poſtremo ouile Chriſti non pertingit ad eos, qui uel abnegant Chriſtum, & manent in abnegatione, uel ducunt uitam ſceleratam, nec agunt pœnitentiam, ſed manent in impœnitentia, ac moriunt̃ in ea. Nam hoc Chriſtus ſatis perſpicue ſignificauit, cum uocat Eccleſiam dei, Ouile. Ad ouile aũt pertinent, non lupi, non urſi, non uulpes, non porci, non apri, non leones, non etiam lepores, nec ueſpertiliones, ſed tantum oues, hoc eſt, qui agnoſcunt unum ſolum, & uerę paſtorem ſuum Ieſum Chriſtum. Quare & hi ſoli cõſequuntur ueram et ęternam ſalutem. Cæterę nec illud oſcitanter pręterendum eſt, ꝙ Chriſtus de gentibus dicit, Vocem meam audient. Hoc enim uerbo docet, prędicationem apoſtolorę, eſſe ſuam ipſius uocem. Chriſtus enim, quod ad humanam eius perſonam attinet, non prędicauit gentibus Euãgelion, ſed fuit tantũ miniſter, ut Paulus ait, circumciſionis. Miſit aũt apoſtolos ſuos inter gentes, ut in noĩe eius prædicarent pœnitentiã & remiſſionem pctõrum. Et tamen uocat eam prędicationem, ſuam ipſius uocem. Quare, cum recitantur nobis contiones Apoſtolorę è ſcriptis eorum, ſentiamus nos non audire humana ſomnia, ſed uocem Dñi noſtri Ieſu Chriſti, quæ nobis hęreditatem oĩm cœleſtium bonorum accipiendam pro

Diaboli nulla ſalus.

Apoſtolorũ uox, Chriſti uox.

ponat. Atq; de his quidē hactenus. Perstringamus autem & reliquam
,, partem huius contionis. Propterea me (inquit) diligit pater, quia ego
,, pono animam meam, ut iterꝫ sumā eam. Nemo tollit eam à me, sed ego
,, pono eam à meipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem ha
,, peo rursus sumendi eam. Hoc mandatum accepi à patre meo. Supra dix
it Christus, se esse bonum pastorem, propterea q̃ ponat aīam suam pro
ouibus. Qua uoce significauit se morituꝫ. Exponit igitur nunc, quam
habeat mors eius rationē. Primum em̄ Christus non moritur inuitus,
& coactus, quēadmodum alij hoīes, sed moritur uolens, tantum ut obe
diat mandato patris, & seruet morte sua oues suas. Nemo, inquit, tollit
eam à me, sed ego pono eam à meipso, hoc est, mea spōte suscipio mor
tem. Non posset me nec Iudas prodere, nec Iudęi cōprehendere & uin
cire, nisi me ultro eis tradidissem, ut obedirē uoluntati patris mei. Hoc
enim mādatum accepi à patre meo, uidelicet, ut ponam animā meam,
ut suscipiam mortem, propter salutē humani generis. Sic & aliàs dicit.
Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicq̃, sed ut cogno
scat mundus, q̃ diligo patrem, & sicut mandatū dedit mihi pater sic fa
cio, hoc est, etsi nō sum meritus mortem ullo pctō, nec potest princeps
huius mundi, qui est Satan, me alicuius criminis accusare, tm̄ suscipiam
mortem, quam mihi infert, ut hoīes perspicue cognoscant me diligere
deum patrē meum, & obedire uoluntati eius, qui mihi hoc mandatum
dedit, ut ad seruandos hoīes subeam mortē. Et ad Petrum ait. An nō bi
bam poculum, quod dedit mihi pater? Quare q̃ Christus moritur, nō
est potestas aut Satanæ, aut mancipiorum eius, sed uoluntas Christi, &
obediētia eius erga patrem. Docet aūt Christus hoc idem aliàs diligen
ter et sollicite, prēsertim eo tempore, quo iam capiendus erat. Ac neces,
saria nobis est huius rei cognitio, ut ex ea bn̄fitium mortis Christi per
spiciamus. Si enim Christus suscepit mortem, non coactus, non inui
tus, sed sua sponte, ad obediendum diuinæ uoluntati, manifestum est,
q̃ non sit mortuus, propter aliquod suum ipsius pctūm. Si autem non
est mortuus propter suum peccatum, quid aliud reliquum est, q̃ q̃ sit
mortuus propter aliena pctā, quæ & innocenti ac uere sancta sua mor
te coram deo expiauit. Deinde, Christus non sic moritur, ut maneat &
pereat in morte, sed ut iterum à morte resurgat. Propterea (inquit) pa
ter me diligit, quia pono animam meam, ut iterꝫ sumam eam, hoc est,
Etsi obijcio uitam meam morti, & suscipio mortem, tm̄ pater tanto me
amore cōplectitur, ut nō sinat me in morte perire, sed iubeat me uitam
resumere, & à mortuis resurgere. Sicut enim dedit mihi mādatum mo
riendi, ita dedit etiam mihi mandatum resurgendi, & quemadmodum
habeo potestatem ponendi uitam meam, cum libet, ita habeo etiam po
testatem recipiēdi uitam cum libet. Quare non sic morior, ut peream,
sed ut à

ſed ut à mortuis reſurgam. Quid ergo? num hæc ad perſonam tantum Chriſti, non etiam ad membra, ſeu credentes in ipſum pertinent? imo hæc omnia in perſona Chriſti propter eos qui credunt in ipſum, facta ſunt. Supra enim dixit, ꝓ ponat animam ſuam PRO OVIBVS. Si moritur pro ouibus, profecto reſurget etiam pro ouibus, ut ſicut oues fiunt participes mortis eius, ita fiant participes reſurrectionis eius. Nemo, inquit, tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo. Ergo ne ſentiemus, ꝓ quemadmodum mors non potuit Chriſtum niſi uolentem arripere, ita nec queat nobis inuitis accidere? Natura humana peccato uiciata, ſuſcipit quidem mortem inuita & coacta, nihil autem certius eſt, q̃ꝓ ꝓ Chriſtus tanta cura complectitur credentes in ipſum, ut quemadmodum nec aduerſarij aut homines aut diaboli, nec mors ipſa potuerint in ipſum, niſi uolentem, & ſeſe ultro eis tradentem graſſari, ita nec poſſint membra eius, qui ſunt credentes in ipſum, inuito eo & nolente inuadere, ac male afficere. Veſtri, inquit, etiam pili capitis omnes numerati ſunt. Et, Cuſtodit DOMINVS omnia oſſa eorꝝ, unum ex his non conteretur ipſo uidelicet nolente & repugnãte. Quod ſi autem uoluerit & permiſerit, ut & pili euellantur, & oſſa conterantur, officij certe noſtri erit, ut uoluntati eius obſequamur, & crucem ac mortem obedienter feramus. Quid enim metuis, ne pereas? Hoc illi metuant, qui ignorant Chriſtum. Nobis autem ut Chriſtus mortuus eſt, ita etiam reſurrexit. Nam, quo recte cognoſcas, quis ſit euentus crucis & mortis piorum, ponenda nobis eſt ob oculos crux & mors Chriſti. Poſtq̃ enim Chriſtus filius dei ſuſcepit crucem ex mandato dei, & factus eſt deo patri ſuo obediens uſq̃ ad mortem, quid? num dereliquit eum pater in cruce? num abiecit eum in perpetuam internitionem? Sic quidem uidebatur humanę carni. Sed longe aliud uiſum eſt deo. Nam deus conſpicatus filiũ ſuũ, tã obedienter ſub cruce incedentẽ, et in cruce pendẽtem, intm̃ delectatus eſt obediẽtia eius, ut tunc maxime hoc iurauerit, quod in pſalmo extat, Iurauit DñS & non pœnitebit eum. Tu es ſacerdos ineternum ſecundum ordinem Melchiſedec. Vt enim quondam excitatus obediẽtia Abrahę uolentis iuxta diuinum mandatum, filium ſuum mactare, prę gaudio quaſi geſtijt, & per ſemetipſum iurauit. Quia feciſti, inquiens, hanc rem & non pepercisti filio tuo unigenito, benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terrę, ita cum uideret Chriſtum filium ſuum tam obedienter ſuſcipere crucem & mortem, teneri non potuit, quin iuraret eum fore perpetuũ ſacerdotem, uidelicet, ꝓ mors eius ſit uictima pro pctis humani generis, & ꝓ non ſolũ uelit ipſum à morte ſuſcitare, ac in ſummam ſublimitatẽ extollere, uerumetiam omnibus ijs, qui in ipſum credunt, fauere, peccata ipſorum remittere, ipſos in hęredes cœleſtium bonorꝝ adoptare, ac in perpetua fœlicitate conſerua-

re. Hæc enim est maiestas perpetui sacerdotij, quod deus Christo filio suo promisit. Quod cum ita se habeat de euentu crucis & mortis Christi, quid nunc dubitas de tuæ crucis et mortis euentu? Christus tũc maxime placuit deo patri suo, cũ obediẽter incederet sub cruce, nũ te cruce onustũ abominaret? Christus tũc maxĩe intrauit in maiestatẽ regni sui, cum moreretur, num tu in morte abires in tenebras inferni? Sed Christus, inquis, tulit crucem innocenter, et obedienter, ego autem nõ uideo in me nisi pctã, & fugio, quoquomodo possum, crucẽ ac mortem. Quomodo igitur me solabitur exemplum Christi? Ego uero non propono tibi hoc loco Christum, ut exemplum tantum, sed maxime omnium, ut salutem ipsam. Nam Christus idcirco mortẽ suscepit, ut tua peccata expiaret, & te in ipso innocentem redderet, ac te in morte ad uitam seruaret. Vbi, inquit, exuberauit pctũm, ibi magis exuberauit gratia, ut quẽadmodum regnauerat peccatum in morte, sic et gratia regnaret per iustitiam ad uitam ęternam per Iesum Christum. Et iterum. Si credimus, ꝙ Iesus mortuus est, & resurrexit, sic & deus eos, qui obdormierunt per Iesum, adducet cum illo. Ac rursus: Cum essemus mortui per delicta, cõuiuificauit nos una cum Christo (per gratiã estis seruati) simulq; cum eo resuscitauit, & simul cũ eo sedere fecit inter cœlestes in Christo Iesu, ut ostenderet in seculis superuenientibus eminẽtem opulentiam gratiæ suæ, benignitate erga nos per Iesum Christum. Quare hæc sit cura, hic labor noster, ut postquam facti sumus membra Christi per fidẽ, maneamus in corpore eius per obedientiam fidei, quo in nostra cruce & morte fructum mortis & resurrectionis eius capiamus. Quanq; autem hæc contio Christi eò respiciat, ut congreget homines ad ueram ueræ fidei unitatem, quęso tamen te, uide mihi, ad quantum

Christus nõ exemplũ tantum, sed & salus ipsa.

,, dissidium Iudæi ea abutantur. Sequitur enim. Dissensio igitur iterum
,, facta est inter Iudæos, propter hos sermones. Dicebant autem multi ex
,, ipsis. Dæmonium habet, & insanit. Quid eum auditis? Alij dicebant.
,, Hæc uerba non sunt dęmonium habentis. Num dęmonium potest cœ
,, corum oculos aperire? Hæc est perpetua hominum controuersia de Christo & doctrina eius. Alij enim iudicant eum dæmoniacum esse, & doctrinam eius non tantum inutilem, sed etiam pernitiosam, ideoq; quoquo modo fieri potest, opprimendam, & abolendam. Alij, ijq; paucissimi fere, & abiectissimi agnoscunt Christum, & amplectuntur magna fide doctrinam eius, quippe quam uident prophetícis & Apostolicis testimonijs, ac cœlestibus miraculis confirmatam. Primum igitur, consideremus pacientiam bonitatem & longanimitatem Christi. Etsi enim maxima afficitur contumelia, ꝙ iudicetur dæmoniacus, & quòd impij conentur abducere à contione eius auditores. Quid auditis eum? inquiunt, tamen non refert iniuriam

iniuria,

iniuria, sed relinquit deo patri suo ultionem. Quid? nos ne meliores sumus Christo? Quid ergo tam delicati sumus, ut ne leue quidem conuitiolum æquo animo ferre queamus? Non debemus, inquit Paulus, no bisipsis placere. Vnusquisq; nostrum placeat proximo in bonum ad edificationem. Etenim Christus non placuit sibi ipsi, sed quemadmodũ scriptum est, Opprobria opprobrantium tibi ceciderunt super me. Deinde, non offendamur diuersis iuditijs horum temporum de doctrina Christi, sed tanto magis amplectemur eam, quanto plures sunt qui cõtradicunt. Cogitemus, q̃ iam olim dictum sit Christum fore lapidem offensionis & petram scandali. Cogitemus etiam, q̃ doctrina Christi habeat cœlestia testimonia. Num dæmonium, inquiunt, potest oculos cæcorum aperire? hoc est, miracula testantur doctrinam eius ueram esse. Docuit autem se esse bonum pastorem, qui ponat animam suam pro ouibus, docuit se esse uiam, uitam, & resurrectionem, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat eternam uitam. Quare suscipiamus hanc doctrinam obedienti fide, & ornemus eam omnibus quibuscunque possumus offitijs, ut capiamus fructum eius in cœlesti regno per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LXXXI.

Oncionem Domini nostri Iesu Christi de bono pastore, explicatione nostra hisce diebus percucurrimus. Audiamus nunc eam contionem, quã habuit Hierosolymis in die festo encęniorum. Facta sunt, inquit Euangelista, Encęnia Hierosolymis, & hyems erat, et ambulabat Iesus in tẽplo, in porticu Salomonis. Priusquam contionẽ ipsam Christi aggrediamur, exponenda quædam erunt de Encęnijs. Nam ἐγκαίνια latinis dicuntur Renoualia. Sic autem dictum fuit festum, quod institutum erat Hierosolymis, propter renouatam dedicationem templi. Ac fit quidem hoc loco mentio porticus Salomonis, non est autem sentiendum, q̃ hoc festum Encęniorum fuerit festum dedicationis eius templi, q̃d Salomon ędificauerat, hoc enim templum erat iamdudum à Babylonijs dirutum. Nec fuit ea dedicatio, quæ propter restaurationem templi sub Esdra celebrata est, cuius dedicationis mentio fit, in Esdra capite sexto, sed fuit festum institutum propter renouationem ac repurgationem templi, postquam contaminatum fuisset impijs sacrificijs ab Antiocho. Quod festum celebratũ fuit uicesima die mensis Cisleu, cui respondet aliqua parte nouember. Vnde & Euangelista dicit, hyemem fuisse. De hoc

Encænia quæ fuerint.

1. Macha. 4.

Καὶ ἔστησεν ἰουδας, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ καὶ πᾶσα ἐκκ

κλησία ἰσ-
ραήλ ἵνα ἀ-
γωνιζῆται ἡ-
μέραι ἐγ-
καινισμοῦ
τοῦ θυσια
στηρίου &c.

ἐγκαινισμῷ, ac repurgatione copiose scriptum est in priori libro Macha
bæorum, cap. quarto. Sunt, qui scribant Herodem renouasse templum
Hierosolymitanum, admirandis ędifitijs, ad exemplar templi Salomo
nis, & circumdedisse illud maximis porticibus. Etsi autem Iudæi, cum
ad Christum, cap. ij. huius Euangelistæ dicunt, Quadraginta & sex an-
nis templum hoc extructum est, haud obscure significant, tẽplum sub
Esdra ædificatum adhuc tempore Christi stetisse, & uaticiniũ Aggæi,
cum ait: Maior erit gloria domus istius nouissimæ, q̃ primæ testatur,
Christum in eo templo, quod tunc fuit restauratum, prædicaturum, ta-
men si quis recipiat eam historiam, quæ tradit templum ab Herode re-
nouatum, ac sentiat uetus ędifitium non omnino dirutum, sed tantum
nouis ædifitijs auctum & munitum, potest & hoc festum encęniorum,
de ea renouatione, quæ ab Herode facta est, intelligere. Sed hoc utcun
que se habeat, certe maiores nostri, celebrarunt dedicationes etiam suo
rum templorum, ad exemplum Iudaïcarum dedicationum. Primum au
tem, sacra Iudaica, non sunt Christianis obtrudenda. Deinde lõge alia
fuit ratio templi Hierosolymitani, q̃ earꝫ domorꝫ, in qbus Christiani
ad audiendũ Euangelion Christi, & ad sumenda sacramenta eius cõue-
niunt. Illius em̃ institutio diuinitus fuit mãdata, harum aũt institutio li
bera est, nec indigent certis cęrimonijs ac ritibus, qbus consecrent̃. Po-
stremo dedicatiões templorꝫ Christianorꝫ cõtaminatę sunt uarijs impi
etatibus. Non em̃ solũ abutit̃ his uulgus ad helluatiões, & ebrietates,
sed etiã additę sunt Põtifitię indulgentię, quibus hoies imperiti sperãt
remissionem peccatorum suorꝫ. Et tamen, si abijciantur impietas & ab
usus, non erit inutile publicam facere mentionem dedicationis templo
rum in Ecclesia Domini, ut hac occasione Ecclesia admoneatur & exci-
tetur ad agendas gratias deo, pro benefitio Euangelij Christi. Nullum
enim maius benefitium contingere potest humanæ societati, q̃ si in ijs
locis, in quibus sunt cœtus hominum, constitutæ fuerint piæ, quas ita
uocant, parochiæ, in quibus syncera doctrina Euangelij tradatur, & sa
cramenta iuxta institutionem Christi distribuantur. Nam ubi Euange
lion Christi recte docetur, et legitimus est usus sacramentorum, ibi cer
tissimum est, Ecclesiam Christi esse. Vbi uero est Ecclesia Christi, ibi
Christus ipse habitat, & est ibi aula & regnum Christi. Celebrantur
omnium fere sermone hæ urbes, in quibus sunt arces & aulæ Regum
ac principũ. In conspectu aũt dei nõ est illustrior locus, q̃ is, in quo est
parochia, in qua Euangelion pie docetur, & sacramenta recte distribu
untur. Siue enim illa sit frequens ciuitas, siue contemptus pagus, si pia
ibi est parochia, domus est Dei & porta cœli. Habentur ea loca terræ
insignia, in quibus Monarcha quispiam reportat uictoriam ab hosti
bus su-

Vide Iosephũ in Antiquita. li. 15. cap. 14.

Templorum dedicationes.

Dedicationũ uerus usus.

bus suis: Vbi autem est pia parochia, ibi homines solent reportare uictoriam à Satana, à morte & inferno. Qua uictoria quid potest esse non solum coram deo illustrius, sed etiam nobis magis salutare? Etsi autem non omnes possunt in ijs locis habitare, in quibus constitutæ sunt parochiæ. Alij enim habitant in agris, alij in syluis, alij inter Turcas, tamen hi debent se animo suo, & si fieri potest, etiam externa consuetudine & familiaritate coniungere cum ea parochia in qua Euangelion piè docetur. Salomon in dedicatione templi sui significat Israelitis, cp si abducti fuerint in captiuitatē, debeant in precibus suis uertere faciem suam ad ciuitatem & templum Hierosolymitanum. Si reuersi (inquit) fuerint ad te uniuerso corde suo, & orauerint contra uiam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, et ciuitatis quā elegisti, & templi, quod ædificaui nomini tuo, exaudies in cœlo in firmamento solij tui orationes eorum. Hoc certe non fuit institutum, ad superstitionem, sed ut Iudæi uertendo faciem suam ad locum templi admonerentur diuinarum promissionum, & confirmarent fidem suam in oratione. Multo magis nos debemus quocūcp loco fuerimus, animum nostrum uertere ad eas parochias & Ecclesias, in quibus Euangelion Christi syncere adnuntiatur, ut cum cogitamus nos esse membra earum, confirmemus mentem nostram, cp & benefitia Christi ad nos pertineant. Quare mentione dedicationis templorum excitemur ad gratiarum actionem pro benefitio Euāgelij Christi, & demus operam obedientia fidei, ut hoc bnfitium conseruemus. Sed hæc de dedicatione templorum magis sunt πάρεργα quàm ἔργα. Instituimus enim dicere de ea contione, quam Christus in festo dedicatiōis, seu renouationis templi Hierosolymis habuit. Ac uides Christum etiam ipsum profectum esse ad festum dedicatiōis, non autem ut helluaretur, sed ut contionaretur. Sequitur enim. Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei. Quousqp animam nostram suspendis? Si tu es Christus, dic nobis ingenue. Non hoc agunt Iudei, ut discant ueritatem, & credant, sed ut calumnientur & perdant Iesum. Nam si fateretur se esse Christum, hoc est, Regem Iudeis promissum, sperabant fore, ut a Romanis prælidibus, tancp seditiosus & turbulentus trucidaretur. Sed Iesus nullo periculo deterritus, fatetur quod res est. Et respondit eis. Dixi uobis, nec creditis. Opera, quę facio nomine patris mei, hęc testimonium reddunt de me. Sed uos nō creditis. Quia non estis ex ouibus meis, quemadmodum dicebam uobis. Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, nec peribunt inæternum, necp rapiet eas quiscp de manu mea. Hęc est illa cōtio, quā Iesus habuit Hierosolymis, in festo Renouationis tēpli, ac initio allegat cōtiones ante dictas, & opa quę fa

ciebat, quibus palam affirmauerat & confirmauerat, se esse Christum. Opera, inquiens, quæ facio nomine patris mei, hæc testimonium reddunt de me. Ecquæ sunt illa opera? Ea nimirum sunt, quæ iubet Ioanni Baptistę renuntiari. Cęci uisum recipiunt, claudi ambulãt, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui excitantur, & pauperes accipiunt lætum nuntium Euangelij. Hæc miracula testificantur doctrinam Iesu ueram esse. Docuit autem se Christum. Quare Iesus testimonio miraculorum suorum, uerus est Christus. Deinde significat in hac contione Iudæos esse à Deo abiectos, propterea ꝙ non adhibeant fidem Euãgelio Christi. Vos non creditis, inquit, quia non estis de ouibus meis, quemadmodum dicebam uobis. In superiori enim contione dixit, Oues suas audire uocem suam. Cum igitur Iudæi non audirent, non crederent uoci eius, re ipsa declarabant, se non esse ex ouibus eius. Porro, Iesus hac occasione iterum contionatur de ouibus suis, & quod dicit, nõ est oscitanter prętereũdum. Docet enim duo obseruatu dignissima. Alterum est, ꝙ exponit, quod sit ingenium, quæ sit proprietas ouium suarum. Alterum, ꝙ recitat quas prerogatiuas & quæ benefitia oues ab ipso accipiant. Dicamus aũt de hoc posteriori prius, ut cognita magnitudine beneficiorum, quę ouibus Christi contingunt, maiorem demus operam, ut fiamus ac permaneamus oues Christi. Prima igitur prærogatiua, primum benefitium, quod confert Christus in suas oues, hoc est, ꝙ tueatur eas in omnibus aduersis. Ego, inquit, cognosco eas. Cognoscere autem, quemadmodum supra indicauimus, hoc loco, non est tantum de externa facie nosse, sed est fauore suo cõplecti, curare, tueri & conseruare. Vnde in propheta Amos ad Israelitas dicit. Tantummodo uos cognoui ex omnibus cognationibus terrę, hoc est, tantummodo uos elegi, et meo fauore ita complexus sum, ut liberauerim uos è tyrãnide Ægyptiaca, & seruauerim uos in omnibus periculis. Quare & hoc loco cum Christus dicit se cognoscere oues suas, significat eas sibi curæ esse, & se cõseruare ipsas in omnibus aduersis. Hoc benefitium diligenter est cõsiderandum, ut sciamus eo uti opportuno tẽpore. Homines enim, cum affliguntur, nihil minus putant, cũ se à Christo seruatore nostro cognosci, sed existimant potius Christum esse ipsorum oblitum, & quemadmodũ Christus ipse in cruce clamauit, Deus meus, deus meus, ut quid me dereliquisti, ita & illi sentiunt se prorsus à Deo derelictos & abiectos. Ac de clamore quidẽ Christi aliàs diximus, ꝙ susceperit sua sponte hoc genus supplicij, ut expiaret peccata nostra. Quod autem ad rem ipsam attinet, etsi uisus fuit iuxta humanam imbecillitatem, derelictus esse à Deo, tamen intantum non fuit derelictus, ut tunc maxime omnium deo patri suo curæ fuerit, qui & ita cognouerit eum, ut non solum cõseruauerit ipsum in media morte, & excitauerit eum tertia die à mortuis,

Ouium Christi prærogatiuæ.

tuis, sed etiã extulerit eum in summam sublimitatem. Eodem modo uidentur & pij in afflictionibus à Christo DOMINO suo derelicti, sed tunc maxime omnium cognoscuntur & conseruantur à Christo ne pereãt. Non sentiunt quidem, nisi pręsentem interitũ, sed si Christum per fidem agnouerint, uicissim à Christo ita cognoscuntur, ut interire non queant. Paulus cedebatur quondã colaphis ab angelo Satanę, qua afflictione sic angebatur animo, ut ter rogaret Dñm, quo liberaretur. Sed audit, Sufficit tibi gratia mea. Hoc est dicere, Ego cognosco te. Quid tibi nunc deerit? Ego faueo tibi. Hac re sis contentus. Etsi enim non aufero à te afflictionem pro tua libidine, tñ conseruo te clementer, ne pereas. Quis igitur querelę locus tibi relictus est? Idem & ad nos in aduersis cõstitutos dicitur. Ego cognosco te. Hac promissione, hoc uerbo sis interim contentus. Huic uerbo adhibe fidem, etiamsi oia alia aduersa uidentur. Vter enim, obsecro, fide dignior est? Num tuus sensus, qui dicit, Christus non cognoscit te, an Christus ipse, qui ait, Ego uero te cognosco, & conseruo? Sed uideamus bñfitium, quod sequitur, ut quod Christus dicit, Ego cognosco eas, melius intelligamus. Secũdum enim bñfitium, quod Christus in suas oues cõfert, hoc est, q̃ Christus nõ sinat ut oues suæ intereãt perpetuo. Non peribunt, inqt, inęternũ. Obserua diligenter, quid dicatur. Non ait simpliciter. Non peribunt, sed addit, inæternum. Christus enim sinit quidem, ut oues suæ obijciantur lupis, & aliquoties à lupis dilacerentur, sed non sinit, ut pereant inæternum. Et conniuet quidem ut pij in hoc seculo affligantur, ut paupertate, infamia, ęgrotatioue, & alijs malis obruãtur, ac etiam occidantur, non autem conniuet ut in his malis inęternum pereant. Temporaliter perire possunt. Inæternum perire non possunt. In mundo, inquit, afflictionem habebitis, sed bono animo sitis, ego uici mũdum. Stephanus lapidatus est. Itaq̃ perijt, iuxta externum huius mundi sensum, sed quid? num perijt inęternum? Minime omnium. Vidit enim Iesum stantem à dextris dei, & tradidit ei spiritum suum perpetuo cõseruandum, & una cum corpore, suo tempore glorificandum. Petrus affixus est cruci et mortuus. Ac uisus quidem est insipiẽtium oculis mori, ipse autem est in pace. Paulus occubuit gladio. Perijt ergo temporaliter, nõ autem perijt inæternum, sed uiuit cum Christo DOMINO suo in summa fœlicitate. Dixit enim: Cupio dissolui & esse cum Christo. Quare agnoscamus benefitium Christi & confirmemus fidem nostram, ut in medio interitu, non interitum sed salutem perspiciamus. Tertium benefitiũ est, quod ait, Ego uitam æternã do eis. Hic considera mihi qualis pastor sit Christus, qualis item rex sit, & quãtum sit discrimen inter

benefitia eius, & benefitia regum huius seculi. Hi enim, etsi aliquo-
ties tuentur suos subditos, ne opprimantur ab hostibus, & conseruant
uitam eorum, ne à latronibus interficiantur, hęc tamen uita non est ni-
si corporalis, et caduca, nec potest fieri, ut hoīes diu in ea conseruentur,
quando ne ipsi quidem reges seipsos in hac corporali uita seruare que
ant. Christus aūt dat subditis suis, qui sunt credentes in ipsum, ęternam
uitam, quo nomine intelliguntur oīa cœlestia bona. En, hanc prerога-
tiuā habēt oues Christi. Hoc bnfitium accipiunt credētes in Christum.
Quis ergo eorum, qui agnoscunt Christum per fidem, cōquereretur se
non exaudiri in precatione sua? Alius enim premitur inopia et fame, ac
precatur Deum patrē, per Christum, ut det ipsi opes, ac diuitias. Quo
autem uehementius precatur, eo minus habet pecuniæ, & eo maior fit
inopia. Et tamen oratio eius uere est exaudita. Quāq̄ enim non accipi-
at externam pecuniam, tamen accipit ęternā uitam, cuius thesaurus nul
lo modo cum externa pecunia conferri potest. Alius terretur metu mor
tis, & orat deum per Christum, ut det ipsi uitam. Ac is quidem, quo ar
dentius orat, eo grauiores fiunt dolores mortis. Et tamen oratio eius ex
audita est, quia etsi non accipit uitam corporalem, accipit tn uitam eter
nam. Quare credēti in Christum nihil potest deesse, etiamsi omnia hu
mana ei deesse uideantur. Postremo additur, Neq̄ rapiet eas quisq̄ de
manu mea, Hęc est quarta prerogatiua, quam habēt oues Christi. Nul-
lus, inquit, rapiet eas de manu mea. Obsecro igit te, Quis est iste Nul-
lus? Vt ab inferioribus ad superiora progrediamur, initio, nulla ina-
nima creatura tantæ est potentiæ, ut queat a Christo suas oues, suos ho
mines pios abripere. Quare qui Christo per fidem coniunctus est, eti-
amsi suffocetur in aqua, aut deuoretur ab igni, aut obruatur lapidibus,
tamen nec aqua, nec ignis, nec lapides possunt eū rapere de manu Chri
sti. Deinde nulla creatura animata, nulla bestia, potentior est Christo,
ut auferat ab ipso suas oues. Quare etsi pius deuoratur à lupo, aut pro-
teritur ab urso, non tamen separat à Christo. Obntiebantur quondam
ab Ethnicis Christiani leonibus dilacerandi & deuorandi. Num putas
leonum morsus tantum potuisse, ut Christus desereret confidentes in
ipsum? Minime omnium, sed Christus potius complectebatur & tue-
batur eos, ac hi sentiebant se leonum sæuitia magis cum Christo con-
iungi, q̄ separari. Ignatius episcopus Antiochenus, cum in ea persecu-
tione, quæ Traiani temporibus aduersus Christianos mota est, dam-
natus esset ad bestias, & audiret rugientes leones, dixisse fertur. Fru-
mentum Christi sum, dentibus bestiarum molor, ut panis mundus in-
ueniar. Hoc uere est illud Christi ab oculos fidei positum habere, Nō
rapiet eas quisq̄ de manu mea. Præterea nullus homo, quantumuis po
tens, tantarum est uirium, ut queat è manu Christi oues extorque-
re. Seuie-

σῖτος ἰησοῦ χρισοῦ εἰμί καὶ εὐχομαι τοῖς ὀδοῦσι τῶν θηρίων ἀλεσθῆναι, ἵνα ἄρτος καθαρὸς εὑρεθῶ.

re. Sæuierunt quondam Ethnici in pios tanta crudelitate, ut non solum eos occiderent, uerumetiam corpora eorum cõburerent, ac cineres in profluentem effunderent. Sperabant enim se hoc modo effecturos, ne illi à mortuis resurgerẽt, hoc est, ut illos é manu Christi auferrent, sed tantum abfuit, ut tyranni facti sint uoti sui compotes, ut hacuia pios magis cum Christo coniunxerint. Grassati sunt etiam Pontifices, & Monarchę nonnulli in pios, tam fulminibus, ut uocant, excõmunicationis, q̃ gladio, cruce & ignibus, sed quid? nũ rapuerunt eos de manu Christi? At Paulus dicit. Certus sermo. Si cõmortui sumus, & conuiuemus. Si sufferimus, & conregnabimus. Adhęc, nullus angelus, nullus Satan, nullus diabolus potest à Christo suas oues auferre. Obambulat q̃dem diabolus tanq̃ leo rugiens, & quęrit quem deuoret. Sed qui est ouis Christi, is etiã per Iesum Christum ita instauratur, fulcitur, roborat tur, & stabilit, ut diabolus ne corporale quidem incõmodum, nisi permittente & meliora retribuente Christo, afferre queat. Maior est, inqt Ioannes, qui est in uobis, q̃ qui est in mundo. Quid aũt dicam de morte? num hæc tantæ est potentiæ, ut à Christo abripiat suas oues? Sed ut mors Christum ipsum non potuit in sua potestate detinere, ita nec potest credentes in Christum detinere. Dicam, quod plus est, nullum est pctũm adeo potens, quod queat ouem Christi à pastore suo separare. Hic em̃ pastor expiauit oia peccata, & maior est gratia dei, quàm Christus impetrauit, q̃ pctũm, quod quondam deum ab hominibus alienauit. Vbi exuberauit, inquit Paulus, peccatum, ibi magis exuberauit gratia, ut quemadmodum regnauit gratia in morte, sicut et gratia regnaret per iustitiam ad uitam ęternam, per Iesum Christum. Quid ergo? Peccabimus? quia peccatum non potest ouibus Christi adimere Christũ? Nihil uero minus faciendum est, q̃ peccandum. Nam qui uere sunt oues Christi, tanto magis cauent à designandis peccatis, quanto plus agnoscũt, peccata sua per Christũ esse expiata, Gestiunt em̃, quoquo modo possunt, gratitudinẽ animi sui erga Christũ declarare, & bñuolentiam eius cõseruare. Declaratur aũt gratitudo erga Christum, obedientia iustitię. Est & ouium offitiũ, ut audiant uocẽ pastoris sui et sequãtur eum, quẽadmodum mox dicemus. Pastor aũt Christus, docuit non esse peccandũ, nec ipse unq̃ peccauit. Quare sequẽda sunt uestigia eius, ut nũq̃ peccemus. Quod si aũt peccauerimus, continuo resipiscendũ est, & ad pastorem redeundũ, ut nos pro ouibus suis agnoscere nõ desinat. Nam Christus, quod in ipso est, tanta pertinatia, tanta constantia, tantaq̃ perseuerantia retinet defendit ac tuetur suas oues, ut quemadmodũ Paulus ait, neq̃ mors, neq̃ uita, neq̃ angeli, neq̃ principatus, neq̃ potestates, neq̃ instãtia, neq̃ futura, neq̃ altitudo, neq̃ pfunditas,

nec̃ ulla creatura possit ipsum mouere, ut abijciat eas & deserat. Dices igitur. Cum tantę prerogatiuę, et tanta bñfitia contingant ouibus Christi, obsecro te, quõ fiam ouis Christi, aut quõ cognoscam me ouẽ Christi factum esse, ut & sciam, cp hęc benefitia ad me pertineant, & possim quicquid acciderit magno & erecto animo esse? In hac cogitatione alij proripiunt sese extra hunc mundum, ad ęternam illam prędestinationẽ dei. Audiunt em̃ deum ab ęterno prędestinasse alios quidem ut seruentur, alios ut damnentur. Itacp ascendunt mente sua in hæc abscõdita dei mysteria, & conantur sese in his ad salutem definitos & conscriptos inuenire. Sed hæc est detestanda temeritas. Deus alias uetuit, ne occidas, aut ne fureris. Nõ minus certe uetuit, ne ad perscrutanda tã occulta dei consilia temere irrumpas. Iubet enim nomen suum uenerari, hoc est, tribuere ipsi laudem sapientię, iustitię, clementiæ & bonitatis. Qui autẽ hęc arcana dei scrutatur, non tribuit deo, sed arrogat sibijpsi laudem sapientiæ. Et recte ait Salomon. Qui scrutator est maiestatis, opprimet à gloria. Et alius sapiens. Altiora te ne q̃sieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ p̃ cepit tibi deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Et Paulus. O profunditatem diuitiarũ & sapientię & cognitionis dei, cp inscrutabilia sunt iuditia eius, & imperuestigabiles uiæ eius. Quare grauissime peccant, qui in hoc studium incumbunt, ut humana sua ratione ęternam p̃destinatiõem dei perscrutentur. Alij aũt proripiunt se cogitatione sua ad merita bonorũ suorum operum, alij ad externam suam in hoc seculo fortunam, & iudicãt se idcirco esse deo acceptos, aut oues Christi, cp multa bona opera faciant, ac habeant prosperum rerum suarũ successum. Sed hi longius à uero aberrant, cp paucis uerbis explicari queat. Humana em̃ iustitia habet quidem suam dignitatem in humano iuditio, non potest aũt in diuino iuditio constare. In conspectu enim tuo, inquit psalmus, non iustificatur omnis uiuens. Et externa rerum fortuna, donum quidem dei est, nõ est aũt uel caussa uel certum signum æternę salutis. Quid ergo faciendum est, ut fiam ouis Christi, & cognoscam me eius ouem esse? Hic obseruanda est contio Christi. Dicit enim. Oues meę uocem meam audiunt, & sequuntur me. Quid amplius desideras? Si uis fieri ouis Christi audi uocem eius, & sequere eum. Et in hoc cognosces te esse ouem eius, si uocẽ eius audias, & sequaris eum. Sequimur autẽ Christum ac uocem eius, primum quidem fide, deinde etiam moribus uitæ. Videndum igitur erit, quæ sit illa VOX Christi, de qua hic præcipue fit sermo. Non enim unum tm̃ est genus doctrinę Christi. Nam Christus docuit aliq̃ties legem seu decalogum, & exposuit eum sua interpretatiõe, qualis est contio, quæ extat apud Matth. cap. v. & vi. & in alijs Euangelistarum locis. Hęc uox, etsi necessaria est, & pia, ac sequenda, tm̃ nõ est proprie uox Chri-

Ouis Christi quõ fiamus.

Prędestinatio Dei, quatenus à nobis cogitanda.

Christi propria uox quæ sit.

uox Christi, sed est uox Mosi, qua interim Christus utitur, ut hac uia suam ipsius propriam uocem illustriorem & acceptiorē reddat. Christus enim, prēter legē, docuit maxime oīm Euāgelion suum, uidelicet ꝙ ipse sit uerus Messias, expiator peccatorū nostrorum & seruator noster. Dicit, Ego sum bonus pastor. Dicit: Ego sum lux mūdi. Dicit, Ego sum uia ueritas & uita. Dicit: Ego sum resurrectio et uita. Qui credit in me etiamsi mortuus fuerit uiuet. Hæc est proprie uox Christi, ad quam adnuntiandam de cœlo descendit. Hęc est uox illa, quam nullus unq̄ patriarcharum aut prophetarum de seipso dixit. Prędicarūt quidem de Messia, Nullus autem potuit sibi ipsi hanc maiestatem tribuere, preter solum Iesum Christum. Quare hæc uox audienda & sequenda est, si uolueris fieri & cognosci ouis Christi. Tunc autem audimus & sequimur eam, cū excipimus eam fide, & credimus Iesum, nostrū esse Messiam ac redemptorē propter quem simus deo accepti, & adoptati in filios ac hęredes dei. Audimus etiam & sequimur eam, cū donati spiritu sancto, facimus offitium nostrū, ad quod uocati sumus, & declaramus obedientia gratitudinē erga deum ac filiū eius benefactorē nostrum. Itaq̄ si uolueris te inuenire in ęterna dei prędestinatione ad salutem designatum & conscriptum, non necesse habebis arcana dei perscrutari, sed accede ad ea quę reuelata sunt diuinitus, accede ad uocē Christi, q̄ est Euangelion eius, audi uocationem Christi. Si te in uoce Christi ac Euangelio eius inueneris, si uocatus ad Euangelion accipiendum, exhibueris te uocationi obedientem, non est dubium, quin sis electa ouis Christi, & pertineant ad te omnia priuilegia & benefitia, quę ante enumerauimus. Quos prędestinauit, inquit Paulus, eos & uocauit. Vides autem te uocatum, & uocationi obedientem, hoc est, credentem. (hoc enim est uocatum esse) Reliquum igitur est, ꝙ sis etiam prędestinatus, & in numero ouium Christi. Non audit uocem Christi, nec obsequitur uocationi eius Iudęus, non Turca, non hypocrita, nō impœnitens. Non sunt igitur oues Christi ad salutem destinatę. Soli autem hi sunt oues Christi, qui audiunt uocem pastoris sui Christi, & sequuntur eam tam fide quàm moribus uitæ. Quare huc omnes curas & cogitationes nostras conferamus, ut obsequamur uoci Euangelij Christi, per fidem, quo benefitia ouium Christi participemus. Cęterum, quod Christus dixit. Nec̄ rapiet eas quisq̄ de manu mea, non simpliciter recitat, sed addit probationem. Dicet enim quispiam. Quid? Tu ne tam potēs es, ut queas cōseruare sectatores tuos? At qualis est species tua, ne teipsum quidem potes tueri, & tam imbecillis appares, ut ne unius quidem & alterius latronis insultum sustinere possis, tantum abest, ut sectatores tuos, quos uocas oues, defendas. Sic uidelicet tueberis eos, quemadmodum Iudas Galilęus, & alij seditiosi. Hanc obiectionē refutat Christus

& non ſimpliciter ait, Neq; rapiet eas quisq; de manu mea, ſed confir
» mat hoc dictum euidēti ratione. Pater meus, inquiens, qui dedit mihi,
» maior omnibus eſt. Et nemo poteſt rapere de manu patris mei. Ego &
» pater unum ſumus. Hic eſt Syllogiſmus, quemadmodum dialectici lo-
quūtur, quo Chriſtus probat, q̃ nemo poſſit rapere oues ſuas de manu
ſua. Nemo enim poteſt eas rapere de manu Dei patris mei. Sed ego &
deus pater unum ſumus. Ergo nec quisq; poteſt eas de mea manu rape-
re. Habes ſyllogiſmum. Videamus nunc partes eius. Nemo, inquit, po-
teſt eas rapere de manu patris mei. Quid ita? quia pater meus qui de-
dit mihi eas, maior oībus eſt, hoc eſt, pater meus eſt deus omnipotens.
Quis reſtitit ei, inquit Iob, & pacem habuit? Qui tranſtulit montes, et
neſcierunt hi, quos ſubuertit in furore ſuo. Qui cōmouet terram de lo-
co ſuo, & cōcutiuntur columnę eius. Ac mox. Deus, cuius irę nemo reſi-
ſtere poteſt, & ſub quo curuantur, qui portant orbem. Et in pſalmo. Dñe
Deus uirtutum, quis ſimilis tibi? potens es dñe, & ueritas tua in circui-
tu tuo. Tu dñaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu miti-
gas. Sed quid facio? Tota ſacra ſcriptura, imo tota rerum natura plena
eſt prędicatione diuinę maieſtatis & oīpotentię. Quare nihil in uniuer-
ſo mundo tam potens eſt, quod queat de manu dei rapere eos, quos de
us ipſe tuēdos et cōſeruandos ſuſcepit. Sed quid hoc ad Ieſum Chriſtū?
profecto multum per omnem modum. Sequitur enim: Ego & pater u-
num ſumus. Hoc dictum nōnulli ſic interpretantur, q̃ Chriſtus loqua
tur tantum de unitate ſeu concordia uoluntatis, ut ſit ſenſus. Ego & pa-
ter unum, hoc eſt, unanimes & concordes ſumus. Sed ſi uerba Chriſti
de concordi tantum uoluntate inter patrem & filium exponantur, non
conſtabit argumentum Chriſti. Suſcepit em̄ ſe probaturꝰ, q̃ nemo poſ-
ſit oues ſuas de manu ſua rapere, et addit hanc ratioōm, quia nemo poſ
ſit eas rapere de manu dei, ergo neq; de manu ſua, propterea q̃ ipſe &
deus pater, unum ſint. Nunc ſi hoc intelligendum eſſet tantum de uni-
tate ſeu cōcordia uolūtatis, Chriſtus nihil probaret. Fieri enim poteſt,
ut qui ſunt unius uoluntatis, non ſint unius naturę ac potentiæ. Quare
cum Chriſtus dicit. Ego et pater unum ſumus, perſpicue contionatur ſe
unum eſſe cum Deo patre ſuo non ſolum uoluntate, ſed etiam eſſentia,
natura, oīpotentia, & maieſtate. Habemus igitur hoc loco manifeſtum
teſtimonium, q̃ Ieſus Chriſtus, ſit uerus ab æterno deus, unius et eiuſ-
dem cum patre ſuo eſſentiæ & potentiæ. Sed quoniam diximus aliās
copioſe de diuina natura Chriſti, non erimus nunc longiores, ſi hoc u-
num adijciamus, ut hoc dicto Chriſti non ſolum utamur aduerſus ho-
ſtes maieſtatis eius, qui negant ipſius diuinitatem, uerumetiam conſo-
lemur nos hoc dicto in omnibus afflictionibus noſtris. Nam ſiue pau-
pertate premimur, ſiue morborum dolore afficimur, ſiue morte obru-
mur, uide-

συλλογισμός.

Maior
Nemo poteſt rapere oues de manu patris mei. Probatio maioris
Quia pater maior omnibus eſt.

Minor
Sed Ego & pater ſumus unum.

Cōcluſio
Ergo, Nec quiquàm poteſt oues rapere de MEA manu.

mur, uidetur Christus, in quem credimus, in nobis admodum imbecillis esse, qui non possit nos iuuare & conseruare, Sed bono animo simus. Christus apparet quidem humanę rationi imbecillis & impotēs, sed reuera est unum cum patre suo, qui cum sit deus omnipotens, fieri non potest, ut de manu eius rapiantur hi, quos defendendos suscepit, propter filium suum Iesum Christum Dñm nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LXXXII.

Vdiuimus Iudæos cōsectatos esse Iesum Christum conuitijs. Dixerunt eū, Dęmoniū habet & insanit. Audiamus nūc eos consectari ipsum lapidibus. Sustulerunt, inquit Euāgelista, rursum lapides Iudęi, ut lapidarent eum. Postq̄ eū Iesus dixisset, Ego & pater unum sumus, & haud obscure hac uoce significasset, se esse uerum deū, unius & eiusdē essentię ac potentię cum deo patre suo, iudicauerunt Iudęi blasphemiā intolerandā, ac non amplius uerbis, sed lapidibus uindicandā esse. Ac recte quidem intelligūt uerba Christi, q̄ affirmet se esse uerū ab ęterno deum, qua in parte superant sua intelligentia Arrianos, qui pro sua impietate intelligunt hoc uerbum Christi non de unitate essentię & potentię, sed tantū de unitate uoluntatis seu concordię, Iudęi autē non recte iudicant, nec iuste faciunt, q̄ sentiāt Iesum Christum blasphemiam loqui, & constituant eū lapidibus obruere. Videamus igitur, quid Christus contra dicat ac faciat. Hi enim sunt homines impijssimi & sceleratissimi, ac merent sua crudelitate, ut terra ipsis dehiscat. Quid ergo faciat Christus? primum, si adhibuisset apostolos in consilium, certe censuissent ignem de cœlo demittendum, ut impij ab ipso consumerentur, quemadmodum alias censuerunt, apud Lucam capi. ix. Deinde, si adhibuisset in consilium superstitiosum quendam Eremitam, is consuluisset, ut non solum lapides perferret, sed etiam iuberet eos grassari in ipsum fudibus, gladijs, & quibuscunq̄ possent armis. Sic enim intelligūt illud, quod dicitur, Ne resistatis malo, sed quisquis impegerit alapam in dextram tuam maxillam, obuerte illi & alteram. Christus autē nec nimium ad dextram, nec nimium ad sinistrā declinat, sed rectissima uia incedit. Non enim sæuit in impios Iudæos fulmine aut igni, quia cum ageret humanam uitam in terris, & prędicaret Euangelion suum, non erat uocatio eius, ut externa uiolentia opprimeret hostes suos, Filius hominis, inquit, non uenit ad perdendum animas hominum, sed ad seruandum. Nec iubet Iudæos, una cum saxis etiam fudibus & gladijs in ipsum sæuire: Non enim approbanda est impiorum sæuitia et crudelitas, nec de

bet quiſq̃ ſeipſum malis ſine uocatione dei obijcere, Sed initio Chri-
,, ſtus reprehendit furorem Iudæorum. Reſpondit enim eis. Multa bona
,, opera oſtendi uobis ex patre meo, propter quod eorum operum me la-
,, pidatis? Non poteſtis me conuincere alicuius peccati, nec tale quid de
ſignaui, propter quod meritus ſum lapides, ſed potius ædidi multa &
magna miracula, quibus contuli in homines ea benefitia, propter quæ
magis honore afficiendus, q̃ lapidibus obruendus eſſem. Quare eſtis
manifeſte in me iniurij. Hęc eſt reprehẽſio, quam Chriſtus iuſte oppo
nit furori & crudelitati Iudæorum. Venit enim in hunc mundum, ut
doceret ueritatem, ac iuſtitiam. Non potes autem hanc commode doce
re, niſi etiam oſtendas, ac refutes mendatium, peccatum, & iniuſtitiam.
Quare q̃ Chriſtus non ſuſcipiat hoc loco & hoc tempore lapides Iu-
dęorum, ſed potius arguat Iudęos iniquitatis, non eſt impatientia &
inobedientia erga deum, ſed eſt offitium diuinitus mandatum. Deinde
cum Chriſtus uerbis nihil proficeret, & nondum eſſet tẽpus ſubeundę
mortis, ſecedit, quemadmodum mox ſequetur. Poſtremo, cum ſciret ſe
diuinitus uocari ad crucem, nec poſſe amplius crucem fugere, niſi uel-
let patri ſuo inobediens eſſe, tantum abeſt, ut fugiat, aut ſecedat, ut po-
tius aduerſarijs ſuis obuiã procedat, & ſua ſe ſponte captiuum ipſis tra-
dat. Hoc exemplo docemur, q̃ liceat malo reſiſtere, non quidem ille-
gitime & inique ſed legitime, & iuxta uocationem dei. Quod ſi uero
non poſſumus malum excutere, niſi illegitime, & inique, ferendum
erit patienter, & bene confidendum, propterea q̃ deus, qui tunc uocat
nos ad crucem & mortem, ſeruaturus etiã ſit nos in ipſa cruce & morte,
,, propter filium ſuum Ieſum Chriſtum. Reſponderunt ei Iudęi dicentes,
,, Ob bonum opus non lapidamus te, ſed ob blaſphemiã, & quia tu ho-
,, mo cum ſis, facis teipſum deum. Hęc eſt uſitata & perpetua uox impio-
rum, q̃ perſequantur pios, non propter pietatem, ſed propter impieta
tem. Ahab perſecutus eſt Eliam. Non dicebat autem ſe hunc perſequi,
q̃ eſſet pius propheta, ſed q̃ eſſet ſeditioſus & turbulentus. Herodes
cæpit Ioannem. Non affirmabat autem, ſe hoc facere, q̃ Ioannes eſſet
uir ſanctus, ſed q̃ congregaret turbas hominum, & meditaretur defe-
ctionẽ à ſuo regno. Iudæi rapuerunt Stephanum, ut lapidarent ipſum,
non hoc prętextu, q̃ Stephanus eſſet uir pius, ſed q̃ dicerent eum eſſe
contumelioſum in Moſen ac deum. Nam impij fingunt ſibi tantam in
perſequendis & occidendis pijs iuſtitiam, ut exiſtiment ſe nunq̃ eſſe
deo acceptiores, q̃ cum pios opprimant, ac ueluti catharmata et peripſe
mata trucident. Veniet tempus, inquit Chriſtus, ut quiſquis interfitiat
uos, uideatur cultum pręſtare Deo. Hæc ſunt diligenter cognoſcenda,
Primum propter hanc cauſſam, ut ſi quis propter pietatem uel male au
diat uel male tractetur ab aduerſarijs, non admiretur, nec offendatur,
ſed

ſed conſtet ac perduret in profeſſione & obedientia pietatis. Nihil em̃ noui accidit, etiamſi impij uociferentur ſe iuſtiſſimas habere perſecutionis ſuę cauſſas. Sic perſecuti ſunt prophetas, et Chriſtum ipſum, qui & ait. Hæc locutus ſum uobis, ut cum uenerit tempus illud, reminiſcamini eorum, q̃ ego dixerim uobis. Non enim curãdum eſt nobis, qui ſint impiorum aduerſum nos clamores, ſed prouidendum eſt, ut certam habeamus cognitionem ueræ ac piæ doctrinæ. Quam ſi tenuerimus, nihil incommodi accidet nobis, etiamſi aduerſarij dixerint aduerſum nos omne malum uerbum. Gaudete, inquit, & exultate, quia merces ueſtra copioſa eſt in cœlis. Deinde, q̃ impij ſuperent pios in hoc mundo, non ſolum externa uiolentia, uerumetiam ſpecie iuſtitię, manifeſte docet, alium eſſe mundum, & aliud eſſe iuditium dei reliquum, in quo uiciſſim impij opprimantur, & iniuſtitiæ damnentur, pij uero liberentur, & iuſtitia perpetua ornentur. Quare cum nihil certius ſit, recto Dei iuditio, quo tandem impij damnabuntur, & pij ſeruabuntur, ferenda ſunt pijs æquo animo aduerſa, quæ ipſis ab impijs inferri ſolent. Sed accedamus ad Apologiam Chriſti. Reſpõdit eis Ieſus. Non ne ſcriptum eſt in lege ueſtra, Ego dixi, dij eſtis? Si illos dixit deos, ad quos ſermo dei factus eſt, & nõ poteſt ſolui ſcriptura. Quem pater ſanctificauit, & miſit in mundum, uos dicitis me blaſphemare, quia dixerim filius dei ſum? Ieſus defendit ſe de blaſphemia, duobus argumentis. Alterum ſumptum eſt è pſalmo octuageſimo ſecundo, in quo pſalmo deus ſeueriter reprehendit magiſtratum, q̃ non faciat ſuum offitium, Et addit. Ego dixi quidem, Dij eſtis uos, & filij altiſſimi omnes, attamen ſicut homines moriemini, & ſicut tyrannus quiſpiam cadetis, hoc eſt, Ego inſtitui quidem uerbo meo publicum magiſtratum, & q̃a ornaui eum aliqua parte diuinæ autoritatis, tribui ei epitheton & cognomen dei. Moſen, qui electus erat in ducem populi mei, uocaui deũ Pharaonis. Iudices in Iſrael uocaui deos. In Exodo em̃ cap. xxi. ſcriptum eſt, Si ſeruus dixerit, diligo dñm meum uxorem et liberos, non egredi ar liber, offerat eum dominus dijs, hoc eſt, ordinarijs & legitimis iudicibus. Et poſtea capite xxij. Dijs, hoc eſt, iudicibus non detrahes, & principi populi tui non maledices. Ex his ſcripturæ locis uidetis, inq̃t Dominus in pſalmo, me ornaſſe uos iudices ac principes epitheto dei, uidelicet, admonens uos, q̃ ut ueſtra uocatio eſt diuina, ita ueſtri ſit offitij, ut uerbo dei obediatis, ac memineritis uos exercere non hominis, ſed DEI iuditium. Vos autem abutimini ueſtra autoritate & potentia ad opprimendos pauperes. Quare non tractabo uos ut deos, ſed ut homines, imo ut tyrannos, quorum ſolet eſſe horribilis interitus. Habes ſententiam huius uerſiculi in pſalmo. Ex hoc igitur uerſiculo argumentatur Chriſtus, ut refutet accuſationem Iudæorum. Scriptura, inquit,

Magiſtratus offitium.

uocat homines, qui ciuili tantum magistratu funguntur, deos, & non potest solui, hoc est, negari, abrogari, aut mendacij seu blasphemię argui, cur ergo ob hanc caussam, q̃ affirmauerim me esse filium dei, dicitis blasphemare me, quem deus pater ipse sanctificauit, & misit in mundum, hoc est, quem & ab æterno ex sua substantia genuit, & consecrauit eũ, ut esset uerus Messias? Si nõ est blasphemia aduersus deum, cum hi, qui politica tantum magistratus autoritate ornati sunt, uocantur dij, multo minus est blasphemia, si is dicatur deus, qui ornatus est maiestate Messię. Hic enim superat dignitate & offitio suo omnes huius terrę reges & Monarchas. Hactenus de priori argumento, sed prius q̃ accedamus ad explicandum alterum, pauca quędã dicenda uidentur de epitheto & cognomine dei, quod & hominibus tribui solet. Primum enim scriptura uocat principes & magistratus, deos, quemadmodum nunc dictum est. Vocat autem eos deos, non q̃ natura sint dij, sed q̃ offitiũ ipsorum sit diuina ordinatio. Sic enim Paulus ait, Quæ sunt potestates, à deo ordinatę sunt. Quare principes hoc epitheto admonẽtur sui offitij, ut quod Iosaphat ad magistratum sui regni dicit, hoc & principes sibi dictum sciãt. Videte, inquit ille, quid faciatis. Non enim homines exercetis iuditium, sed Dñi, & quodcunq̃ iudicaueritis, in uos redundabit. Sit timor Domini uobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non est enim apud Dominum deum nostrum iniquitas, nec personarũ acceptio, nec cupido munerum. Deinde, si primam creationem hominis consideraueris, non magistratus tantum, sed etiam quiuis homo dicendus esset deus. Initio enim cum uerus & æternus deus constitueret hominem creare, dixit. Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostrã. Ac postq̃ creasset eum, dicit scriptura, Creauit deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Imago autem & similitudo dei, an non potest suo quodam modo dici Deus? Cum igitur homo sit creatus ad imaginem & similitudinem Dei, manifestum est, q̃ homo dicendus sit deus, non quidem q̃ sit natura deus ab æterno, sed q̃ sit a uero deo factus & creatus deus. Ac si quidem non peccasset homo, tunc incessisset in terra, ueluti deus quispiam coram omnibus animantibus terrę. Alter alterę hoim ueneratus esset ut deum, ac uere fuisset usitatum hoc prouerbium, Homo hoi deus. Et reliqua animãtia siue in terra siue in aëre siue in mari, prestitissent hoi ut domino ac deo suo obedientiã et cultum. Sic em̃ dictũ est ad hoiem. Dñamini piscibus maris, et uolatilibus cœli, & uniuersis aiantibus, quę mouent̃ super terrã. Nam quemadmodum si Monarcha quispiam incedit, oẽs alij hoies, qui coram adstant, subijciunt se ei capite & genubus, et colunt eũ, quanta possunt, obseruantia, ut putes non hoiem, sed numen quoddam incedere, ita

Magistratus dij sunt.

Homines dij sunt,

dere, ita si homo non peccasset, ambulasset inter animantia tãta autoritate, ut ubicũq; uidisses hominem, ibi existimasses te uidere terrenum deum. Postq; aũt homo peccauit, amisit hanc diuinam autoritatem & imago dei, in qua creatus erat, ita obscurata est, ut propter peccatum deformatus sit homo ad imaginem & similitudinem Satanæ. Itaq; factus est obnoxius non solum morti, sed etiam perpetuę internitioni. Quid ergo? num deus passus est hominem, quem ad suam imaginem creauerat, sic interire? Minime oĩm, sed ita misertus est eius, ut promiserit se unigenitum filium suum in hanc terram missurẽ, ut quotquot in ipsum crederent, reciperen imaginem dei, ac fierent iterum dij, seu filij dei. Nam quod unigenitus filius dei est natura sua ab ęterno, hoc fiunt per ipsum hoĩes gratia, et adoptione per fidem. Quotquot receperũt eum, inquit Ioannes, dedit eis potestatẽ, ut filij dei fierent uidelicet his, qui credidissent in nomen eius. Et Paulus. Vbi uenit plenitudo temporis emisit deus filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorum accipe remus. Et iterẽ. Accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba pater. Quare, etsi homo amisit per peccatum, diuinam maiestatem, qua initio ornatus fuit, tamen dedit nobis Christum filium suum, uerum ab æterno deum, ut quotquot in ipsum credunt, recipiant diuinam maiestatẽ, ac fiant propter ipsum non tam terreni dij, q̃ cœlestes. Pro quo bñfitio, sic Dño deo nostro agendę sunt gratię, ut non tantum cogitationibus & uerbis usurpemus epitheton dei, sed etiã declaremus factis ac operibus uitę hanc maiestatẽ dei in nobis esse. Si em̃ recreati sumus dij per Iesum Christum, quid reliquũ est, nisi ut etiam diuinã agamus uitã? Nihil certe turpius, nihil fœdius est, q̃ ut gloriemur nos esse factos filios dei ac deos, interim aũt ducamus uitã, ut filij diaboli, ac diabolus ipse. Demus igit operam ut quam recepimus maiestatem per filium dei, eam etiã honestate uitę nostrę ornemus. Sed reuertemur ad Apologiã Christi. Audiuimus aũt unũ argumentũ, è psalmo ductũ, quo Christus defendit se de blasphemia. Si illos, inqens, dixit deos, ad quos sermo dei factus est, si hi, dicunt dij, qui uel fungũtur offitio, q̃d diuino uerbo est ordinatũ, uel adoptantur ex diuina promissione in deos, quanto iustius is dicendus est deus, qui non solum fungitur offitio Messię, q̃d soperat oẽm regiam dignitatem, sed etiam qui est naturalis ab ęterno filius dei, et propter quẽ alij homines, qui in ipsum credunt, fiunt dij. Audiamus nunc & alterẽ argumentum. Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi, sin uero facio, et si mihi non credatis, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, q̃ pater in me est, & ego in eo. Hoc argumentũ ductũ est à Miraculis Christi. Facio, inqt, diuina opa,

quæ ſunt miracula. Quare non iniuria aſſero mihi diuinam maieſtatẽ: Facio opera ueri dei. Sum igit̃ natura uerus deus. Sed qd? An non etiã prophetę & Apoſtoli ędiderunt miracula? Mundarunt enim & ipſi leproſos, & ſuſcitarunt mortuos. Dicemus igit̃ eos eſſe natura deos? Nihil minus. Nam, cum Chriſtus citat miracula ſua in teſtimonium ſuę diuinitatis, nõ ſentit, miracula teſtificari ſimpliciter & per ſe diuinitatem eius perſonę, a' qua ędiuntur. Etſi enim uera miracula non poſſunt ędi, niſi diuina potentia, tamen deus hoc donum conferre ſolet etiam in eos, qui non ſunt, niſi homines. Quare miracula per ſe non probant eum hominem, a' quo ędiuntur, eſſe natura deum, ſed probant uocationem, et doctrinam eius eſſe ueram ac diuinam. Vnde & Chriſtus diſerte ait, Si mihi non creditis, operibus credite, hoc eſt, Si quæ doceo ſimpliciter abſq; miraculis affirmarem, poſſent fortaſſis uana ſõnia uideri. Nunc autem, addo opera, addo miracula. Quare miracula debent uos excitare, ut uerbis ac doctrinę meę fidem adhibeatis. Videamus igitur paucis, quid prophetę & apoſtoli, quid item Chriſtus docuerint, ut cognoſcamus quo in ſingulis ſpectent teſtimonia miraculorum. Elias & Elizæus prophetæ, non docuerunt ſeipſos eſſe Meſſias, ac unum cum deo patre, hoc eſt, ſe natura eſſe ueros deos, ſed docuerũt uenturum Meſſiam, qui ſit uere Dominus deus Zebaoth. Dicit enim Petrus. Omnes prophetę à Samuele, ac deinceps, quotquot locuti ſunt adnuntiauerunt dies iſtos. Non ſolum autem hoc docueruut, ſed ædiderunt etiam magna miracula, mundarunt leproſos, aluerunt multos paucis panibus, & ſuſcitarunt quoq; mortuos. Quid ergo de his miraculis dicemus? num probant hos prophetas eſſe natura deos? Minime omnium, ſed probant potius Meſſiam uenturum eſſe natura deum, ipſos autem eſſe tantum Meſſię miniſtros. Probant enim ueritatem doctrinæ eorum. Docuerunt autem de uenturo Meſſia, q̃ ſit uere DOMINVS deus Zebaoth, ſicut & Eſaias de Meſſia contionatur, cum ait, Exalta noli timere, Dic ciuitatibus Iuda, Ecce deus ueſter, ecce Dominus deus in fortitudine ueniet, & brachium eius dominabitur. Et iterum. Quàm pulcri ſuper montes pedes prædicantis pacem & ſalutẽ, ac dicentis, Zion, regnat deus tuus. Quare tantum abeſt, ut miracula prophetarum probent ipſos eſſe natura deos, ut potius probent Meſſiam eſſe deum, Se autem Meſſiæ ſeruos. Vide mihi etiam doctrinam apoſtolorum. Hi enim docuerunt, non ſe ipſos eſſe Meſſias & deos natura, ſed docuerunt ſolum Ieſum eſſe uerum Meſſiam ac uerum deum. Tu es Chriſtus, inquit Petrus, filius dei uiui. Et iterum. Certo ſciat tota domus Iſrael, q̃ dominũ, & Chriſtũ fecerit deus hunc Ieſum quem uos crucifixiſtis. Ædiderunt etiã apoſtoli multa ac magna miracula, & aliquo modo maiora, q̃ Chriſtus ędidit. Quid ergo? nũ hæc miracula teſtifican-

Miraculorũ Chriſti ratio.

testificantur apostolos esse in patre, & patrem in apostolis, hoc est, apostolos esse natura deos? Nihil minus. Sed testificantur ueritatem doctrinæ eorum. Docuerunt autem Christum, non se, natura esse Deum. Quare miracula eorum, non huc spectant, ut ipsi adorentur pro dijs, sed ut solum Iesum Christum, uerum deum colamus. Nunc ergo audiamus quoq; doctrinam Iesu Christi. Is enim non docuit alium, sed se ipsum esse Christum. Docuit etiam se ipsum esse Deum. Et edidit preterea, multa & magna miracula. Quid igitur de his miraculis sentiemus? num sicut prophetarum & apostolorum miracula non testificantur ipsos esse natura deos, ita nec miracula Iesu Christi testificantur ipsum esse uerum deum? Absit. Miracula enim sunt testimonia doctrinæ. Alia autem docuerunt prophetę & apostoli de sua persona, alia docuit Iesus Christus. Illi docuerunt se nec esse Messias nec deos: Hic autem utrum q; de se ac sua persona docuit. Quare, quemadmodum miracula prophetarum & apostolorum probant ipsos non esse Messias & ueros deos, ita miracula Iesu probant ipsum esse uerum Messiam, & uerum ab eterno deum. Sed pergamus reliqua huius capitis percurrere. Quę-
« rebant iterum eum apprehendere, & exiuit de manu eorum, & abijt ite-
« rum trans Iordanē, in eum locum, ubi fuerat Ioannes baptisans primū,
« mansitq; illic. Et multi uenerunt ad eum, ac dicebant. Ioannes quidem
« signum edidit nullum. Omnia autem quęcūq; dixit Ioannes de hoc, ue-
« ra sunt. Et crediderunt multi illic in eum. Etsi Christus defenderat se sa-
« tis perspicuis argumentis de blasphemia, tamen intantum non sedat furorem impiorum Iudæorū, ut maiori in ipsum rabie grassentur, ac hoc unum conentur, ut apprehensum occidant. Quare Iesus secedit, non q; fugiat crucem, propter quam subeundam in hūc mundum uenerat, sed ut expleat tempus ministerij sui in hac terra, & doceat suo exemplo, nō esse temere sine certa uocatione Dei pericula suscipienda. Secedit autem in eum locum, in quo Ioannes initio baptisauerat. In quo secessu, uerisimile est ex ijs, quæ sequunt, multa eum miracula edidisse. Homines igitur, qui magna frequētia ad Iesum uenerant, excitati miraculis, & admoniti conspectu eius loci in quo Ioannes baptisauerat, conferūt inter se Ioannem & Iesum, ac manifeste intelligunt, non Ioannem, sed hunc Iesum esse uerū Messiam. Ioannes quidem, inquiunt, nullum edidit signum, hoc est, Ioannes fuit quidem uir tantæ sanctitatis & autoritatis, ut existimauerimus eum esse uerū Messiam, sed, ut uidemus, hic Iesus longe superat eū. Primum enim, Ioannes nullum edidit miraculum. Hic aūt Iesus tot & tāta edit miracula, ut nemo dubitare possit, qn diuinitus sit in hāc terrā missus. Deinde Ioannes de hoc Iesu cōtionatus est, et iussit discipulos suos eū ut Messiam agnoscere. Ac uidemus plane in eo impleri, quę Ioannes de ipso uaticinatus est. Dixit Ioannes, se opor-

tere minui, hunc aũt Iesum crescere. Dixit hũc esse fortiorem, cuius nõ sit idoneus, ut calciamenta portet. Dixit deum patrem hunc diligere, & oia dedisse huic in manus. Et multa alia, quę oia uidemus manifeste in hoc Iesu impleri. Quare nihil certius nihil uerius est, quàm hũc Iesum, esse uerũ illum Messiam, qui patriarchis est promissus, & cuius desiderio oẽs pij hactenus flagrarunt. Cęterũ, quod hoies hoc loco de Iesu definiunt, non existimes tam pauca complecti, q̃ paucis uerbis recitatur. Nã cũ firmum ac fixũ sit, q̃ hic Iesus sit uerus Messias seu Christus per prophetas promissus, primũ refutantur & damnantur oẽs alię religiones, quæ aut ignorant aut non agnoscunt Iesum Christum, quales sunt religiones Ethnicorũ, Mahumetistarũ, & Iudæorũ, quales quidem his temporibus sunt Iudæi. Nec potest ullus hoim in his impijs religionibus ueram salutem consequi. Non enim aliud est nomen datum inter hoies, in quo oporteat nos saluos fieri, prętęr nomen Iesu Christi. Deinde damnantur etiam in Christianismo ipso, oẽs missę Pontifitię, oẽs regulę & ordines Monastici, omnia collegia sacrificulorũ, omnes inuocationes sanctorum, omnia denicq̃ merita, quę hypocritę sibi ex operibus suis pollicentur. Hæc enim instituta sunt & usitata, ut expient pctã hominum coram deo, et iustificent hoies coram iuditio Dei. Nulla aũt expiatio peccati, nulla iustitia constat coram deo, prætercq̃ expiatio & iustitia solius Iesu Christi, quã nos per fidem participamus. Quare illustrato Iesu Christo, necesse habẽt obscurari & dãnari oẽs Pontificum, sacrificulorũ, monachorum, et hypocritarũ superstitiões ac impietates. Prętęrea iubentur oẽs hoies ex fide in Iesum Christũ mandatis dei uere obedire, & dãnantur oẽs, qui non ambulant secundum spũm, sed secundum carnem. Christus em̃ non uenit in hoc, ut concedat licentiam peccandi, sed ut expiato in cruce pctõ nostro, in iustitia et nouitate uitę ambulemus. Postremo, cũ nihil certius sit, q̃ Iesum esse uerũ Christũ, nihil etiã certius est, q̃ q̃ oẽs qui credunt in eum, adoptentur in filios dei, ac hęredes cœlestium & diuinorũ bonorũ. Quotq̃t, inquit, receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. Et iterum. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat æternam uitam. Quare conferamus in hanc rem omnes curas & cogitationes nostras, ut uera ac firma fide comprehendamus Iesum Christum Dominum ac seruatorẽ nostrũ, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, AMEN.

Finis prioris Tomi homiliarum octuaginta duarũ in Euang. Ioann.

Ayala-A